EVSTACHII RVDII
VTINENSIS,

IN FLORENTISSIMO GYMNASIO PATAVINO
Medicinæ Practicæ in Primo loco Professoris Ordinarij,

De Affectib. externarum corporis humani partium Libri Septem:

IN QVORVM PRIMIS QVINQVE DE MORBIS; in duobus reliquis de Symptomatibus quàm accuratè differitur; vtrisque & Chirurgis, & Physicis communes, & vtilissimi:

ILLVSTR.MO ET EXCELL.MO SENATORI

LEONARDO DONATO,

EQVITI, DIVI MARCI PROCVRATORI,
Patauinæq; Academiæ Parenti dedicati.

PARS PRIOR MORBOS COMPLECTENS:

INDICE NON MODO CAPITVM, SED ETIAM SENTENTIARVM, dignarumq; obseruatu rerum locuplete, & exactò illustrata.

CVM PRIVILEGIIS.



VENETIIS,
Apud Ioan. Antonium & Iacobum de Franciscis.
MDCVI.

COPIA

GLI Eccellentissimi Signori Capi dell'Illustrissimo Consiglio di X. infrascritti, hauuta fede dalli Signori Reformatori del Studio di Padoua per relation delli dui à ciò deputati, cioè del Reuer. Padre Inquisitor, & del Circ. Secretario del Senato Zuane Marauegia con giuramento, che nel libro intitolato, *Eustachy Rudij de externis humani corporis affectibus*, non si troua cosa alcuna contraria alle leggi, & è degno di stampa, concedono licentia, che possa esser stampato in questa Città.

Dat. die 31. Octobris 1605.

D. Santo Balbi
D. Zan Giacomo Zane } Capi dell'Illustrissimo Consiglio di X.
D. Piero Barbarigo

Illustrissimi Cons. X. Secret.
Barth. Cominus.

1605. A' 8. Nouembre.

Registrato nell'Officio Contra la Biastema à car. 136.

Gio. Francesco Pinardo Segretario.

ILLVSTRISSIMO.
ATQVE EXCELL.

ATQVE EXCELL.MO VIRO

LEONARDO DONATO

EQVITI.

DIVI MARCI PROCVRATORI,

Patauinæque Academiæ Parenti,

EVSTACHIVS RVDIVS S. P. P.

TAM clari sunt per se Viri illi, qui nostra hac ætate, ex vniuersa Italia in vnum collati, artes, facultatesque omnes Patauij docent, vt facillimè quidem possint cum clarißimis illis Atheniensium luminibus comparari. Sed eò mihi videntur clariores: quod singuli sunt in celeberrimam eam Urbem, si non planè tuo delectu: at certè tuo consensu, tuove consilio conuocati: Admirabilis ac prope Diuina cuius sapientia ita tum in Republica gloriosè administranda, tum in disciplinis, rebusque omnibus doctissimè diiudicandis excellit, vt idem profectò sit tibi vni probari, atque egregia omnium laude cumulari. Eaque re te Patauina Academia parentem appellat: te mirificè colit, & admiratur; tibique eximium suæ gloriæ splendorem acceptum refert. Nec sanè mirum; cum enim sibi summæ laudi, summoque ornamento esse prædicat: quem Venetæ etiam Reipublicæ summæ laudi, summoque ornamento esse non ignorat. Quod cum mecum ipse cogito, multo certè laudabilius esse duco, te volente, ac fauente in florentissimo illo Venetorum Lycæo docere, quàm vel in Patria honestissimè ditari. Pluris enim te ego & tuam de me opinionem, quàm diuitias, & hanc vitam ipsam facio. Quo nam igitur officij genere, quave propensæ meæ erga te voluntatis testificatione, &, quod tibi me debere sentio, ei, quod pro viribus persoluere cupio, significabo? Si aliquid valeo (sic enim te ego audio respondentem) Patauinæ tuæ Academiæ valeam.

Hoc tibi aliàs sæpe spopondi: Hoc Deo Optimo Maximo voui: hoc plurimorum annorum spatio præstiti: hocque tibi iterum ego, & D. O. M. quamdiu viuam, me præstiturum vel iure iurando affirmo: Atque ita affirmo, vt ne vacationum quidem tempore mihi, si non à dicendi; à scribendi saltem labore vacandum esse putem. Hoc igitur commentarium de Humani corporis externis vitijs longiori prius annorum interuallo à me conscriptum, & vacationum diebus luculentius elaboratum, propterea tibi vni dicandum statui, quia tibi vni iamdiu mecum simul mea omnia consecraui: & quia, quod tibi est dicatum, Patauinæ etiam Academiæ dicatum arbitror. Nam etsi numero qui amat, & qui amatur, inter se distinguantur: ita tamen voluntate coniunguntur, vt vnum esse videantur. Nec tibi penitus iniucundum fore spero.

Hæc enim Artis pars, quæ vocatos externos contemplatur affectus, summis laudibus ab omnibus extollitur. Quas quidem in hoc breui Epistolio recensere, licet superuacaneum esse videatur, cum & apud Homerum, & apud alios percelebres tum antiquos, tum recentes Authores perlegi possint: Non abs re tamen esse duxi, si illa huiusce facultatis præconia quàm breuissimè perstrinxero, quæ ab alijs, vt ego puto, minus sunt explicata. Vt autem de his scientifico quodam vsu loquar, ea solum encomia recensebo, quæ facultatem hanc particulatim consequuntur, & non Artis Medicæ vniuersaliter consideratæ, sed ipsius propria sunt: subindeque non ad alias Disciplinas, sed ad eam Medicinæ partem erit conferenda, quæ solum internos rimatur ac profitetur affectus. Illam porrò hac esse antiquitate & tempore priorem, omnes fatentur: siquidem prisci illi Medicinæ inuentores ex huius facultatis vsu, externorumque vitiorum cognitione, curationeque, ad eorum, quæ sensus latent, notitiam profligationemque peruenerunt. Hinc factum est, vt eam ne dum Aesculapius, & Hippocrates vnà cum vniuersa Asclepiadarum familia, verum etiam Celsus, Galenus, simul cum alijs Græcis omnibus, & Auicennas cum cæteris Arabibus, plurimum, & exactissimè excoluerint. Et, quod huius Artis maximam arguit præstantiam, Magnus Hippocrates totius Medicinæ proœmium in principio de Officina Medici, quasi libro ad hanc artem præcipuè pertinente, habere voluit. Sed, quod magis est, quodque nedum antiquitatem, & nobilitatem, verum etiam huius argumenti maximam vtilitatem, imò & necessitatem indicat, ideo Diuinus Hippocrates in tradendis internorum affectuum theorematibus, semper mira vtitur breuitate, sæpe doctrinæ ordinem non affectat, & subinde obscurissimus, mutilus, concisus, minus accuratus, & imminutus admodum existit: In externis morbis conscribendis, quemadmodum in libro de Officina Medici, de fracturis, & potissimum de articulis, & de capitis vulneribus (vt alios omittam) videre est, admirabilem cum ordinem, tum methodum insequitur, accuratissimus est, mira vtitur eloquentia, nullis parcit aut verbis opportunis, aut perutilibus distinctionibus; quamplurima ad solam artis ostentationem facientia, & quæ minus ad artem vtilia, sed pulchra tamen esse videntur, inserit; & verborum copia, & claritate adeo exuberat, ac splendet, vt sæpius Magnus ille & admirandus illius Commentator Galenus aut perpauca, aut nulla prorsus verba pro eorum explicatione protulerit: sæpe inquiens, fore, vt si non prima, saltem secunda, aut tertia lectione, ijs, qui stupidi non sunt, eius dicta pateant. Hæc, Vir Illustrissime, est illa præcipua artis differentia, quæ nonnullorum, qui nimis scire se putant, & obstinatorum, imò stupidorum, aut etiam barbarorum quorundam hominum mente

corru-

corruptorum, qui Artem Medicam superfluam esse aiunt, mendacium clariùs patefacit, eisque silentium indicit. Inquiunt enim scioli isti naturam vnà cum cibi parsimonia & abstinentia posse sine vllo Medici auxilio omnes morbos curare, & ne dum Romanos permulto tempore absque Medicis victitasse, verum etiam quamplurimas exteras & barbaras nationes nunc sine Medicis vitam agere. Quibus responsum volo; quod tametsi (vt Hippocrates testatur) naturæ sint morborum medicatrices: Nihilominus eædem naturæ, nisi prudens Medicus eis subministret, innumeros ferè morbos nunquam profligabunt. Sed quid dicent de Morbis externis? Quid de Vulneribus, Fracturis, & Luxationibus? Faciant isti, vt natura vulneratas, aut fractas partes inuicem diductas agglutinet, ac sine vitiata naturali conformatione persanet, nisi prius exercitatus Medicus discissa vulneris labia ad mutuum contactum adduxerit, ossaque fracta mutuò coaptauerit: & ita, donec coalescant, adducta conseruauerit. Potest quidem natura tum spicula, tum globulos plumbeos, tum similia corpora vulneribus infixa tractu temporis repellere; non tamen omnia, neque illa, quæ altiùs, in nobilioribusque membris hærent, quæ mortem prius afferunt, quàm natura queat extra corpus eadem propellere. Et si hæc certissima sunt, quid erit de Luxationibus contendendum? In quibus sanandis (vt Galenus clarissimè testatur) Medicus est principale agens, natura verò Medici ministra. Neque enim natura è propria sede dilapsum os vnquam in pristinum locum reponet, nisi Medicus propriam tum manum & operam, tum artem ac methodum præsertim adhibeat. Sed istos, quæso, mittamus, & aliam huiusce disciplinæ laudem, eamque maximè præcipuam ex Aristotelis sententia proferamus ac demonstremus. Scribit ipse in proœmio librorum de Anima, scientias omnes ac disciplinas, vel ex subiecto, circa quod versantur, vel ex certitudine, quam Græci ἀκρίβειαν vocant, propriam nobilitatem sortiri. Quod si verum est, & subiectum expendere velimus, externorum affectuum disciplina cum ea, quæ intimos speculatur, parem habet nobilitatis gradum. Vtraque enim circa idem & corpus humanum ac sanitatem in illud inducendam versatur. Cæterum si certitudinem quis spectet, statim ei clarissimum fiet, Chirurgicam vocatam facultatem, alteram, quam Physicam passim vocant, longius excellere. Hæc enim adeo parum certa, & contradictionum plena videtur, vt sæpe sæpius in abditorum affectuum consultationibus, quot capita, tot sententiæ & de morborum natura, & de parte læsa, & de præsidijs promantur. In Chirurgia semper ferè morborum natura, & affecta pars clarissima est. In curatione verò, si ij, qui ægrotantibus consulunt, docti sint, & exercitati, nullum prorsus, aut exiguum admodum oritur diffidium. Alterius autem argumenti, quod externa complectitur humani corporis vocata symptomata, cum præstantiam, tum maximum vsum, ac fermè necessitatem, quis est qui non videat? Nam præter id, quod è philosophiæ penetralibus, & ab ipso potissimum Galeno, & Aristotele, decerpta sunt, tractationes continent, & cuiuscunque generis Medicis, ac omnibus eruditis, beneque morigeratis viris, adeo iucundas, vtiles, & necessarias, vt in Arte Medica nulli sint præter naturam affectus, qui Medicos ad artis vsum sollicitent magis ac frequentius ijs, qui in hoc commentario traduntur. Quamuis enim vt plurimum necem non afferant: tamen homini, qui sui natura animal est sociabile, commercium, & cum alijs consuetudinem adimunt. Et, si negligantur, breuiorem vitam reddunt; & mortem ipsam inferunt.

Contrà,

Contrà, si rectè pertractentur, & legitimè præcepta; quæ disciplina hæc continet, vsurpentur, ne dum humani corporis ornatum pariunt; verum etiam (vt consequitur) robur & bonitatem tuentur. Quod si quis forsitan omnia, quæ de huius tractationis laudibus à me dicta sunt, vera esse fatebitur, instabit tamen mea commentaria inutilia ac superflua omnino esse: cum tot celebres Auctores tum antiquiores, tum recentiores in ijsdem argumentis sint versati: Ijs nodi huius solutionem relinquendam esse censeo, qui posteaquam ea omnia, quæ ab alijs tradita sunt, perlegerint, cumque meis lucubrationibus contulerint, & quo ordine, quave methodo in externis hisce vitijs conscribendis incesserim, accuratiùs expenderint, tum demum iudicabunt. Quæ cum ita se habeant, Te ego, Vir Illustrissime & Excellentissime, oro atque obsecro, vt beneuolo amicoque animo accipias, ac, si per publicas tuas occupationes licebit, aliquando perlegas: Siquidem tunc doctissimos quosque viros hæc probaturos confido, cum tibi non omnino improbabuntur. Vale decus Venetæ Reipublicæ, vale Patauinæ Academiæ parens, vale æternum sæculi nostri lumen: vale.

Dat. Patauij, M DC V.

INDEX

INDEX CAPITVM, QVAE IN QVINQVE LIBRIS

De Morbis externarum corporis humani partium comprehenduntur.

CAPITA LIBRI PRIMI, in quo De Vulneribus agitur.

CAPITA LIBRI SECVNDI, in quo De Vlceribus differitur.

CAPITA LIBRI TERTII, in quo De Fracturis agitur.

De fra-

EVSTACHII RVDII VTINENSIS.

IN GYMNASIO PATAVINO MEDICINAE Praxin Ordinariam in primo loco profitentis,

De humani corporis affectibus externis,

LIBER PRIMVS.

Vitiorum, de quibus in hoc libro differitur, enumeratio, & ordo.

DE iis, quæ in externis, ſenſibusq; conſpicuis partibus contingunt, vitijs in hoc opere tractaturi, cum ea vel morbi ſint, vel ſymptomata, ab ipſis morbis exordiri æquum eſſe arbitrati ſumus: Primum, vt ab ordine, quem in aliarum partium, totiusque corporis præter naturam affectibus examinandis ſeruauimus, non recedamus, cuius quidem rationem non ſemel aperuimus: Secundò, quia eorum plurimi ſimpliciorem ac faciliorem ipſis ſymptomatibus eſſentiam, atque doctrinam ſibi vendicant. Cùm verò huic faciliori doctrinæ perpetuò inhærere debeamus: ob id reliquorum omnium, qui de morbis externis conſcripſerunt, auctorum ordine, tanquam minus congruo, prorſus abiecto, illum vnicum, quem Galenus maxima ratione ductus obſeruauit, ſeligere decreuimus. Cùm enim hi vel ad ſolutam vnitatem, vti ſunt cruenta ipſa vulnera, vlcera, atque fracturæ, vel ad prauam præſertim attineant compoſitionem, quales ſunt luxationes, & vitioſi tumores, ſiue apoſtemata, proculdubio, iſtis poſtpoſitis, quippe qui minus aperti ſunt, & vt plurimum ab occultioribus cauſis prodeunt, illorum tractationem præmittere congruum eſt, & quia vt plurimum à claris, & apertis accidunt cauſis, & quia nullus reperitur morbus, qui notionem, & eſſentiam ipſam faciliorem ac ſimpliciorem habeat ſoluta ipſa vnitate. Quæ quidem cum vel in carnoſis, mollibusque partibus, quæ ad extimam vſque totius corporis vltimam ſuperficiem pertingunt, ſenſibus ipſis obuiam, atque maxime conſpicuam oriantur, veluti ſunt vulnera, & ipſa magis propriè dicta vlcera: vel in durioribus, ac oſſibus ipſis, quæ ſenſus obtutum effugiunt, contingere poſſit, operæprecium eſt, vt prius de carnoſarum, molliumque partium ſoluta vnitate, ipſis quin etiam vulgaribus conſpicua tranſigamus. Et quoniam rurſus vulnus vt plurimum ſimpliciſſimus, efficientemque cauſam coniunctam non habens; Vlcus verò perpetuò compoſitus morbus exiſtit, ſæpiusque cauſam habet coniunctam: idcircò vt à ſimplicioribus, quæ & doctrinæ ordine, & natura ipſa priora ſunt, ad compoſita progrediamur, primum de vul-

neribus ipsis agemus, mox de vlceribus, & postea de fracturis. Quibus absolutis, statim de luxationibus pertractabimus, cum propter maximam, quam habent & penes causam, & longè magis penes curationem, cum fracturis conuenientiam: tum quia luxatio morbus simplex est; tumor verò siue apostema compositus. Quinimò iure merito postremo loco tumores præter naturam explicandi sunt, quia sæpius non vnicam, sed multiplicem affectuum præter naturam, morborumque compositionem, vt suo loco clarum fiet, complectuntur. His verò tanquam externarum partium peculiaribus morbis absolutis, nihil aliud præter symptomata ipsa, quæ ad extimæ ipsius cutis infectiones, commaculationes, fœdosque colores, necnon pilorum, ac excrementorum, quæ ab ipsa nascuntur, prauam dispositionem attinent (quorum omnium origo ferè ex interiore causa trahitur) in hoc libro enodandum remanebit. Ac ordo ille, quem Galenus de iis pertractando in lib. de medendi methodo nobis præscripsit, nullo pacto permutabitur. In Tertio enim libro præsertim de Vulneribus, in Quarto de Vlceribus potissimum, in Sexto de fracturis loquitur. Quamuis enim tum in tertio, tum in quarto vlceris nomen sumat, prout de vulnere, & magis propriè dicto vlcere communiter enunciatur; nihilo secius in tertio libro nihil inuenire est, quod vulneribus propriè dictis aut simplicibus, aut cum partis alicuius deperditione, non conueniat: sicuti quæ in quarto continentur ferè omnia propriè vocatis vlceribus adaptantur. Apostematum verò dissertationem ad quartumdecimum, & vltimum vsque librum distulit: In cuius calce pilorum tandem affectus, seu præter naturam dispositiones explicauit.

De Vulneris nomine, & essentia. Cap. I.

AB ipsis itaque vulneribus exorsi, vt in ipsorum doctrina nulla prorsus oriatur confusio, & quo magis id fieri licet, dilucidè distinctèque progrediamur, ea prorsus methodo incedendum esse iudicauimus, qua Galenus in præclaris illis de medendi methodo præallegatis libris incessit. Cum enim illud morbi genus, quod solutam continuitatem dicimus, nedum molliores partes, verum etiam duriores cartilagines scilicet ipsas, & ossa inuadere possit, harum, quæ duriores sunt, partium, soluta vnitate (quæ dum ab externa oritur causa, à nostris fractura, à Græcis catagma dicitur, dum ab interna inducitur, caries vocatur) nunc posthabita, eam solutæ vnitatis speciem, seu dicas differentiam, quæ in reliquis partibus contingit, quæ cartilaginibus, & ossibus molliores sunt, prius exponendam suscepimus. Hæc autem, dum ab externo aliquo fit instrumento, ac sensibus obuia, & aperta est, vulnus communiter ab omnibus nuncupatur. Quamuis enim Galenus dixisse videatur vulnus esse solutionem quandam ex vulnerando in carnosa parte relictam, hoc tamen nos perturbare non debet, quia tunc magis propriè dictum vulnus descripsit; quemadmodum maximè proprium definiuit, dum alibi peculiariter addidit, tunc dici debere vulnus, quando in carne ipsa non quocunque modo, sed à sectione solutio facta est. Sed insuper in iisdem libris idem Galenus ad communem loquendi vsum, ac vsitatum ab omnibus nomen respiciens, etiam neruorum puncturam, & aliarum partium, quæ à carne ipsa diuersæ sunt, & duriores, solutam vnitatem alioquin non cæsim, aut à secante instrumento inflictam, sæpissimè vulnus appellat, & neruos punctos semper vulneratos nuncupauit, vti etiam ligamentorum intestinorum, peritonæi, & aliarum tum similarium, tum organicarum partium incisiones, siue diuisiones, siue solutiones, quomodocunque factas, vulnerationes vocauit, & vno verbo, ne tempus in rebus inutilibus, ac nominibus ipsis frustra conteramus, idem alibi testatur, se millies nos admonuisse, de nominibus non esse contendendum, sed eam sumendam esse nomenclaturam, quæ tenebras orationi eripiat, omnibusque in vsu sit, ac omnem dirimat æquiuocationem. Clarissima verò oratio, & doctrina nostra euadet, si quamcunque, & quomodocunq; factam ab extrinseco instrumento, vel efficiente productam, eamq; claram, & oculis conspicuam solutam vnitatem in partib. quæ ad ossium, & cartilaginum differentiam molliores sunt, vulnus appellabimus, quemadmodum ab omnib. passim vocatur.

Quæ soluta vnitas communiter vulnus dicatur.

Gal. 3. meth. 1. & lib. de cau. morb. 2.

Galen. lib. de cõst. art. c. 6.

Gal. 6. meth. à c. 1. vsque ad 4. incl.

His

In tradenda vulnerũ doctrina quis ordo seruandus.

His de nomine exaratis, nobis erit hic ordo seruandus. Primum quicquid vulnus habet vniuersalis doctrinæ, illud primum examini subijciemus; nam postea breuius, & facilius particularia vulnera rimari licebit. Verum quoniam vulnus, quatenus soluta vnitas existit, in vtramque partem tum similarem, tum organicam incidit, ac vtriusque communis morbus est, similaris autem organicam naturæ ordine præcedit, ob id perfecto, & absoluto vniuersali sermone, primum de similarium partium, postea de organicarum vulneribus loquemur. Iam verò similares partes sunt cutis, caro, adeps, membrana, vena, arteria, neruus, tendo, ligamentum: Vnde, vt à cognitu, curatuque facilioribus ad difficiliora cum Galeno progrediamur, prius de ipsis, quæ in carne ipsa musculosa, & propriè dicta, & adipe contingunt, deinde de vasorum sanguinem ipsum deferentium, & proinde venarum, arteriarumque vulneribus pertractabimus; postea de ijs, quæ altius inflicta neruos ipsos, aut tendones, & ligamenta iam inuaserunt, sermonem habebimus. Cum enim doctrinæ ordo à facilioribus sit ducendus, carnosarum partium & adipis vulnera facillima, & simplicissima sunt; vasorum vulnera sanguinis profusiones accersunt, & ægrius curantur; difficillimè verò neruorum, & tendinum vulnera, quæ insuper dolores, apostemata, & conuulsiones sæpius excitant. Quibus explicatis ad organicarum partium vulnera, abdominis scilicet, thoracis, & tandem capitis ipsius pergendum erit. Hoc enim eodem prorsus ordine diuinus Galenus progressus est. Nam primò de carnis ipsius, in tertio scilicet ac quarto libro, in quinto vasorum, postea in sexto neruorum, tendonum, ac ligamentorum, & tandem organicarum, abdominis scilicet & cæterarum partium vulneribus disseruit; Thoracis tamen vulnerum in sexto particulariter non meminit, quia in præcedenti libro de vasorum soluta vnitate pertractans, occasionem nactus multa de pulmonis vulneribus, atque vlceribus protulit. Capitis demum vulnera in calce sexti libri (in quo solutæ vnitatis tractationi finem imposuit) summa cum ratione, & maximo vsus artificio, distulit. Cùm enim capitis vulnera vt plurimum cum cranei fractura complicata contingant, primum de incomplexis solutæ vnitatis, imò morborum omnium speciebus, seu differentijs agendum est, & postea de complexis. Solennis siquidem, inquit ille, veteribus doctrina (quæ vtinam nunc esset in vsu) maximè naturalis est. Nam simplicis vtriusque affectus propriam curationem dicunt, præcipueq; Hippocrates. Medendi namque methodus ad hunc modum bellissimè procedet, si de singulis simplicibus seorsum præceperimus: post deinde de compositis omnibus alteram aliquam methodum indicauerimus. Cum itaque de fracturis post vulnera, & vlcera esset disputandum, vt quælibet incomplexa solutæ vnitatis species explicata remaneret, hinc factum est, vt à traditis fracturis postremo loco ad capitis vulnera, quæ cum cranei fractura fiunt, se contulerit. Qua de re priusquam vniuersalem vulnerum essentiam, atque doctrinam tradamus, illud obiter tyrones (tales autem erunt Chirurgi ferè omnes, qui has nostras lucubrationes perlegent) annotasse diligentet, ac monitos volumus, per vulnus eos intelligere debere illud, quod citra alterius morbi, aut solutæ vnitatis speciei complexionem subsistit; non autem cum vlcere, aut fractura aliqua complicatum, quemadmodum plurima sunt capitis vulnera. Vnde, si ex his, quæ tradita sunt, colligamus, vulnus esse solutam continuitatem mollium partium conspicuam ab extrinseca re, seu instrumento productam; Non est, vt argutulus capitis vulnus, quod cum duræ partis, cranei videlicet ipsius, diuisione, aut solutione factum est, nobis obijciat: aut rursus dicat apostema, aut phlegmon suppuratum, si ab ipso Chirurgo scalpro incidatur, ab extrinseco instrumento solutam vnitatem quidem fieri, non tamen vulnus esse; sed vlcus ab omnibus dici: quia tunc excisio illa, quæ ab ipso facta est Chirurgo, vulnus profectò est, quæ verò soluta vnitas profundior est, & ab acri, & erodente pure fuit producta, vlcus dici debet: Tunc enim ex vulnere, & vlcere complicatus affectus exoritur. Patet igitur vulneris essentiam rectè fuisse traditam: Dum enim diximus illud solutam esse unitatem, ipsum ab omni tumore præter naturam, atque luxatione seiunximus. Licet autem Galenus sæpius non solutam unitatem, sed solutionem continui illud esse dixerit: attamen in prima linea quarti libri de medendi methodo solutam continuitatem esse voluit, & ob id nos utiq; non solutionem continuitatis, sed solutam continuitatem sumpsimus, quia solutio est quoddam in fieri, vulnus autem morbus cum sit, in esse iam facto essentiam habet, ad differentiam propriè dictorum symptomatum, quorum plurima in fieri proprium esse sortita sunt.

Gal. 3 meth. 4.

Vulnus quid.

At verò dum huic generi differentiam, quæ ex partibus ipsis vulneratis desumitur, addidimus, diximusque solutam vnitatem in partibus mollibus factam esse, illud à fractura separauimus. Merito autem alterius differentiæ, in qua dictum est sensibus obuiam esse, quæ quidem à nonnullis Auicennæ expositoribus congruè suscipitur, illud ab internorum vasorum ruptutis segregauimus, quæ sæpius ab extrinseca, & violenta aliqua causa, vt vali do ictu, casu ab alto, clamore valido, vel huiusce generis, atque potestatis causis ortum ducunt, & reconditæ cum sint, non ad Chirurgos, externarumque partium morbos, sed ad interiores affectus pertinent. Quod si quis contentiosus esse velit, dicatq; in abdominis & thoracis vulneribus, quæ ab instrumento pungente, aut perforante fiunt, sæpe interna viscera, vti sunt hepar ventriculus, intestina, pulmo, & id genus alia vulnerari, & nihilominus eorum solutam vnitatem à sensibus remotam, & occultam esse; sciat is, quod licet eo casu horum viscerum vulnus oculis percipi non possit; attamen tactu ipso, & stylo, seu specillo immisso, & alijs modis, certissimisque notis explorari potest: Et insuper quamuis ea soluta vnitas, quæ in profundo latet, sensibus non appareat, ea tamen quæ in superficie existit, & penetrantis vulneris principium est, sensibus est maximè conspicua. Demum, dum vltimam appoluimus differentiam, afferentes, ab extrinseco aliquo organo inustam fuisse, vulnus ab vlcere, quod ab interna oritur causa, distinximus. Non est autem hac in re audiendus Guido, dum inquit, vulnus esse solutionem continuitatis recentem, cruentam, & putrefactionis expertem, etiamsi ei consenserit Fernelius, qui ait, quòd vulnus, quod incuria iam sordidum, ac putre euasit, specie mutata vlcus fit: siquidem hoc est contra communissimum loquendi vsum, quem semper clarioris doctrinæ gratia ad vnguem seruare debemus; videturque ab omni ratione alienum, vt vnus, & idem numero morbus ex superueniente putredine, seu pure, vel sorditie nomen & essentiam immutet; præsertim cum longè melius sit pro euitanda quacunque homonymia, vulneris quidem nomen seruare, sed cum hac additione, vulnus purulentum, vel sordidum factum fuisse, enunciare, & id eò libentius, cum sordities, vel putredo non sit de vlceris ipsius essentia. Nam pleraque conspiciuntur, quæ arida admodum, & nonnunquam callosa sunt, & sorditie, putredineq; carentia. Insuper si esset de ipsius essentia, eius procul dubio esset differentia, quod tamen falsum est, quia, vt ait Galenus, sordities est symptoma ei superueniens, & quoddam, quod cum vulnere, seu etiam vlcere complicatur, vt ait ipse in vltimo capite tertij lib. de meth. med. Illud autem Hippocratis axioma, in quo ait omne vlcus, qua vlcus, egere exsiccatione, ita intelligendum, vt vlcus de vulnere, atque magis propriè dicto vlcere intelligatur, quia etiam quodcunque vulnus, quatenus vulnus exsiccatione eget: quemadmodum etiam Gal. in 3. & 4. & sequentibus lib. de medendi meth. per vlcus quoddam commune ad vulnera, & propriè dicta vlcera intellexit. Insuper ridiculum esset, vt soluta vnitas vsque ad quartum diem, si ita sors ferat, vulnus nunciparetur, & esset, & post quartum diem, apparente purè, vlcus fieret, ac essentiam immutaret. nam sic dierum quoque decretoriorum periodus immutaretur, & omnia in confusum irent, quia necessarium esset ab eo principio, in quo vulnus primū in vlcus migrauit, rursus aliud dierum decretoriorum initium ducere, quod tum rationi tum experientiæ refragatur. Ad hęc Galeni definitio, quam de vulnere maximè propriè dicto enunciauit, dum dixit esse solutam vnitatem cæsim factam; quam etiam Gabriel Falloppius in suo de vulnerib. tractatu suscepit (vulnus enim solutam vnitatem esse dixit, quæ cadit in qualibet corporis parte, extrinseca videlicet, ab instrumento extrinseco cæsim factam) sæpius falsa esset. dum enim incisio, seu diuisio ab instrumento secante profundius inflicta est, vt post cum Gal. dicemus, de necessitate in profundiorib. partibus pus generatur. & ob id propriissimè dictum vulnus non esset vulnus, etiam si in eius summitate labia ad mutuum contactum adducta per agglutinationem vnirentur. quod est absurdum. Quid plura? Idem Gal. omnium vulnerum, & vlcerum differentias communiter tradens, imò de vulnerib. ipsis potissimum verba faciens, dicebat has quoque ab ipso tempore desumi, & rationē obtinere eius, sine quo non. Nam dicimus vulnus vel exigui temporis esse, vel diuturnum: Quod si horum sentētia vera esset, vulnus nunquam diuturnum, sed semper recentis temporis esset. Verum adhuc garrire non desistunt, & inquiunt, quòd apparente putredine, atque sorditie in ipso vulnere, illud non amplius vulneris, sed vlceris curationem exposcit: Sed id omne eis concedamus: quid tum? non ob id tollitur, quin vulnus appellari possit.

Guid. lib. 2. suæ Chirurg. in princ.

Fern. 7. therap. c. 8.

Gal. 3. meth. vlt.

Quem-

Quemadmodum etiam nonnulla repeciuntur vlcera, quorum labia scalpro incisa, vt sanguis aliquis effundatur, per deligaturam, & agglutinationem ipsam, quæ vulneris maximè propria est, vniri, & consolidari possunt, & nihilominus ab omnibus vlcera nuncupantur, & sunt. Sicuti alij complures morbi reperiuntur, vt sunt phrenitis, & lethargus, qui Galeno teste, etiam si specie diuersi sint, in declinatione tamen eandem prorsus exigunt curationem. Sed quia forsitan de re hac pluribus, quam opus esset, nugati sumus, ad vulneris iam à nobis præfiniti differentias accedamus. *Gal. 13. metho.*

De Vulnerum differentijs. Cap. II.

Differentiæ essentiales. *A vulneris forma.*

QVAE quidem cum vel essentiales sint, vel accidentales, essentiales, vt præcipit Galenus, à tradita vulneris essentia, & subinde vel à soluta ipsa vnitate, vel à partibus mollibus, vel ab extrinseco instrumento vulnerante haurire debemus. Nam primæ ab ipsa solutæ vnitatis forma, secundæ ab ipsa materia, & subiecto, in quo soluta vnitas subsistit, tertiæ ab ipsius effectrice causa capiuntur. Vulneris autem finalis causa nulla est, vt alibi diximus. Quæ verò ab ipsa forma eliciuntur, hæ vel à vulneris figura, vel magnitudine, vel ab æqualitate, & inæqualitate sumuntur. Si enim, vt inquit Gal. figuram consideremus, si ab acuto aliquo facta in parte diuisione, forma eius, quod vulnerauit, parti diuisæ impressa est, existent profectò sic multæ vulnerum differentiæ, obliquorum, rectorum, pampini modo retortorum, hami ritu vneorum, aut aliter quocunque modo se habentium, & hæ quidem omnes à figura sunt. A magnitudine rursus pro maioris, minorisque ratione mille aliæ. Nam & magnum & paruum, & maius, & minus vulnus vulneretum dicitur, tum verò est. Quinetiam & longum, & breue, in summo residens, & in profundum penetrans. atque in singulis horum tum quod magis tale, minusq; est, siue in spacij, siue magnitudinis, siue quantitatis, siue quocunque modo appellasse libet, differentia. Quod si hæc ita se habent, omnino profectò, & æquale vulnus, & inæquale penes diuisionis profunditatem erit. Quippe diffisso, si ita sors tulit, per longitudinem femore, potest superior diuisionis pars altè descendere, inferior in summo corpore hœrere: aut contra in summo esse, quæ superior est, profunda, quæ inferior. Quod si quis tertiam hanc vulnerum differentiam, quæ ab æqualitate, & inæqualitate sumitur, ad eas, quæ ad magnitudinem ipsam spectant, reducere velit, is forsitan non errabit, quia æquale, & inæquale dici, ipsius magnitudinis, & quantitatis proprium est. & ob id diuinus Galen. has differentias eis, quæ à magnitudine ducuntur, statim subnectere voluit, quamuis etiam figuram ipsam permutent, & eam variam, vti vel semicircularem, vel triangularem, & hanc vel æquilateram, vel æquicrurem, vel trium inæqualium laterum efficiant, & quadantenus etiam ad figuram ipsam redigi possint. De differentijs verò, quæ ab ipsis vulneratis hauriuntur partibus, ita scribit. Quod si, inquit, quæ à loco quoque in quo est vulnus, differentias censeas, veluti si finis musculi, vel principium musculi, vel medium musculi, vel cutis sit, quod vulneratum est, vel iecur, venterve sit, in quo vulnus consistit, fuerint profectò & ipsæ vulnerum differentiæ, non vtique à propria ipsorum natura, sed à locis, in quibus consistunt, desumptæ. Quod autem differentiæ, quæ à vulneratis omnibus particulis sumuntur, ad indicandam curationem sint maximè opportunæ, inferius apparebit, siue partes vulneratæ sint similares, siue instrumentales, & illæ vel cutis, vel caro vel neruus, & aliæ; & istæ vel iecur, vel ventriculus, vel cerebrum, vel aliud membrum organicum, quod potest esse vel principale, vel principali membro inseruiens, & famulatum gerens. A vario denique vnitatem soluente instrumento variæ quoque, vt ex Gal. colligimus, oriuntur vulnerum differentiæ. Cum enim quinque potissimum sint, si ab incidente, aut secante soluatur instrumento, oritur vulnus, quod sectionem vocant, seu etiam incisionem, vel sedem. si à pungente, puncturam, si à contundente, contusionem, si à rumpente, rupturam, si ab erodente, erosionem. Vnde scribebat ipse diuisionem, seu solutam vnitatem, vel ex vulnere, vel erosione, vel contusione, vel ruptione accidere posse. Sub vulnere autem tum puncturam, tum incisionem comprehendit, quemadmodum ex eius verbis colligimus, dum ho-

Gal. 3. meth. c. 10. *Gal. loc. cit.* *A particulis vulnere affectis.* *A causis vnitatem soluentibus.* *Gal. 5 meth. 2. & lib. de const. art. 6. & lib. de causis morb. c. 2.*

rum causas proponens statim subiungit: Quæ enim vulnerant, inquit, ea sunt acuta, atque ad secandum habilia: Quæ contundendo soluunt, ea grauia duraq; sunt: quæ rumpunt, omnia id tensionis interuentu faciunt: idem & intensior actionis vehementia facit, & casus ab alto, tum graue quippiam durumq; incidens. Erodentia verò sunt tum aspera, & dura, & inæqualia instrumenta, tum calidiora siccioraque: siue sint medicamenta, siue ignis forinsecus occursantia. Hæ verò, quæ à causis vulnerantibus oriuntur, differentiæ, pariter, vti de differentijs à vulneratis partibus diximus, non à propria natura & forma vulnerum, sed ab effectrice causa accipiuntur. Accidentales verò vulnerum differentiæ sunt illæ, quæ extrinsecus accedunt, & rationem obtinent eius, sine quo non: quas quidem ad tria capita reduxit Gal. quatenus & à generationis ratione, eo quòd totum sit incisum, vel totum diruptum, vel pars incisa, pars dirupta; & secundò à vulneris situ, quia vbi quod vulnerauit, obliquè sub cutem se dedit, alteram vulneris partem accidit in conspectu esse, alteram sub cute latere, idque vel ex supernis partibus esse, vel infernis, vel lateralibus; Et tertiò ab ipso tempore desumuntur: aliud enim recens, aliud vetus vocatur, aliud exigui temporis, aliud diuturnum. Atque in omnibus his ipsa maioris, minorisq; ratio numerosa est. Atque ab ipsa vulneris essentia iam proposita hæ differentiæ sumuntur; sed maximè quidem propriæ, quæ ab ipsa forma, seu substantia rei, vt ait Gal. capiuntur. Nempe quæ à figura ducuntur, & à diuisionis magnitudine, idque vel in longitudine, vel in altitudine, vel in ambabus dimensionibus: præterea æqualitate in his, & inæqualitate. Inter eas verò, quę accidentales sunt, & extrinsecus accedunt, & quę rationem obtinent eius, sine quo non, illæ quę ab ipso tempore ducuntur, vulneris ipsius, quinimò ipsius solutæ vnitatis naturam transcendunt, & omnium morborum, imò & causarum, & propriè dictorum symptomatum communes sunt. Quemadmodum verò illæ, quæ à generationis ratione sumuntur, ad magnitudinem ipsam, prout longitudinem, & altitudinem, seu dicas profunditatem comprehendit, redigi possunt; ita quæ à situ ipso eliciuntur, ad magnitudinis ipsius profunditatem possunt quoquo pacto reduci. Quæ enim vulnera citra longitudinem profundiora sunt, penes profundiorem partem nostrum conspectum effugiunt: non tamen secundum se tota occulta sunt. Neque nobis aduersatur Galen. dum dixit, quod aut totum, aut pars conspectum effugit, quia ipse de quacunque soluta vnitate etiam internarum partium, & nobis latente sermonem vniuersalem instituit, nos verò de externarum partium morbis loquimur. Postremò ne in aliqua re defecisse videamur, liceat nobis inter vulneris differentias, siue mauis diuersitates, aut dissimilitudines, eas, quæ ex affectuum præter naturam cum vulneribus complicatione oriuntur, recensere. Verum ne quis decipiatur, & has vulneris differentias esse perperam existimet, liceat illum prius cum Gal. admonere, quod vbi phlegmone quis obsessum vulnus dicit, aut supercrescente carne prossum, aut cauum, aut cum partis alicuius deperditione; deinde similes vulneris differentias dixisse se ijs, quas modò retulimus; putat, hunc necesse est in medendi methodo falli. Nam vulnus phlegmonosum ex formula dictionis similem habet interpretationis figuram cum paruo vlcere: cęterum quod significatur, simile non est. Siquidem profundum vulnus cum dicimus, propriam eius differentiam ostendimus, phlegmonosum verò eius differentia non est. Ideo si accidisse alicui vulnus cum phlegmone dixeris, propius ad rei naturam, & clarius interpretatus sis: non autem si alij cum magnitudine, alij cum paruitate factum dicas. quippe eum & magis ex natura rei; & clarius loquare, si huic magnum accidisse vulnus, illi paruum dixeris. Ob id tradenda quæpiam præceptio est, ac veluti scopus, quò semper intentis discernere statim liceat, differentiam ne alicuius affectus dixerit quis, an alterius affectus complexum: Esto igitur tibi discrimen hoc: Quod consistere seorsim, & per se potest; id nullius vnquam alterius fuerit differentia. Ergo magnitudo, paruitas, æquabilitas, inæquabilitas, tempus, & figura, ex eorum numero sunt, quæ alijs accidunt. Vulnus verò & phlegmone, gangręna, & putredo singula seorsim, & per se consistere possunt, quia sunt affectus quidam præter naturam; non autem ea, quæ affectibus necessario accidunt. Alio rursus modo vulnus crucians seu dolorosum, & sordidum, ceu quædam vulneris differentiæ dicuntur. Cęterum compositum quippiam hic quoque indicatur, sed diuersa ratione, quàm vt phlegmone tentatum, aut putrescens vulnus dicebatur: quippe hic affectus sunt phlegmone, & putredo: illic dolor, & sordes ex symptomatum sunt genere. Pari modo & cum dicitur cacochymon vulnus, seu vlcus,

Vulnerum causæ.

Differentiæ accidétales.

Gal. 3. meth. vlt.

Differentiæ impropriæ.

idest

id est vitioso succo obsessum, aut fluxione vexatum, aut arrosum, aut cum spiculo,

Epilogus.

vel globulo, aut orbiculo ferreo, vel plumbeo, causa cum affectu copulatur. Vt ex his per epilogum colligere debeamus cum Gal. ea, quæ cum vulneribus complicantur vel morbos esse, vt phlegmon, erysipelas, gangræna, cancer, aut alius tumor, vel etiam cauitas, & partis deperditio, vel intemperies aliqua sine materia; vel morbi causas, vti sunt fluxio, cacochymia, orbiculus plumbeus, sagitta, & id genus alia, quæ vnitatem soluunt, & solutam fouent; vel symptomata, vt dolor, sanguinis fluxio, conuulsio, & similia, quæ praua, & maligna vulnera comitari so-

Notãdum vtilissimũ.

lent. Et hæc de differentijs vulnerum in vniuersum satis erunt: Quæ tamen longè maiorem hos nostros labores perlecturis fructum afferent, & vniuersaliorem complectentur doctrinam, si ipsi fuerint admoniti, differentias, quæ à forma, & soluta ipsa vnitate tanquam definitionis genere emergunt, non solum vulneribus, sed etiam vlceribus ipsis communes esse, & insuper ad ipsorum quoque ossium solutam vnitatem, & fracturas, & caries ipsas quoquo pacto extendi posse. Sicuti illæ, quæ à partibus mollibus tanquam à prima differentia, quæ materiæ, & subiecti locum gerit, fluere diximus, non quidem fracturis, sed vulneribus, & vlceribus ipsis communes sunt. Quæ verò ab vltima eliciuntur differentia, si considerentur in relatione ad extrinsecus instrumentum, vulnerum propriæ sunt, & eis solummodo competere possunt. Et hoc dictum sit propter erosionem ipsam, quæ cum & ab interna, & externa causa oriri possit tum in vlceribus, tum in ossibus, dum carie tentantur, locum habere potest, sed tunc erosio semper ab interna causa producitur.

De Vulnerum signis, atque præsagijs. *Cap. III.*

Signa.

CVM autem in vulneris definitione dictum sit ipsum esse solutam vnitatem conspicuam, idcirco signis non eget, vt communiter cognoscatur. Quod si quædam particularia vulnera ad intimiores, & sensibus occultas partes penetrent, ita vt internũ aliquod viscus latens attingant, quod, vt dignoscatur, signis opus habeat, de ijs in particularibus vulnerum tractatibus, & in abdominis, thoracis, & capitis penetrantibus vulneribus explorandis accuratissimè lo-

Prognostica.

quemur. Vnde quamprimum ad prognostica pergendum est, & illud ante omnia perquirendum, quænam sint vulnera, quæ possunt vniri, & quæ non, vt istis, quæ vniri non possunt, prognosticis derelictis, ne frustra id, quod assequi non possumus, & in medium proposuisse, & cum magno dedecore tentasse videamur, ad illorum tantummodo curandi methodum, & scopos, indicatio-

Prædictiones indicationes præcedunt.

nesque proponendas descendamus. Non enim arbitrandum est indicationes ob id præcedere debere, quia prædicendi initium à primo scopo, vnione scilicet præstanda sumatur: nam vnio, vt paulò post dicemus, nil continet artificiosi, & priuatorum cuique facilè patet, & scopi potius, seu finis, in quem intendere debeamus, quam indicationis nomen meretur; nos verò illas proponere indicationes debemus, quæ artificiosæ sunt, & medendi methodum perficiunt. A traditis autem indicationibus statim ad præsidiorum materias, non autem ad prognostica, vt nostrates faciunt, transeundum esse; clarissimè statuit Gal. dum hæc formalia verba conscripsit: Porrò, inquit, hoc quoque ad speculationem de componendis medicamentis pertinet, quæ sanè medendi methodum ordine sequitur. Quid clarius? *Gale. 3. metho. 5.* Ergo à traditis indicationibus ad præsidiorum statim materias transeundum. nam prima indicatio etiam vulgaribus notissima est; Vtrum autem possit præstari, necne, soli artifices sciunt; & hoc prius explicari operæpretium est, ne frustra ad artificiosas indicationes proponendas descendamus. Omittimus multa, quæ ad artem prædicendi attinent, veluti sunt morborum futurorum prædictio, longitudinis, & breuitatis eorum præcognitio, & quonam pacto soluendi sint, præsagitio, indicationes quoque primas atque notissimas doctrinæ ordine de necessitate præcedere.

Ad pensum itaque, & ad Galenum ipsum redeamus, qui cum dixisset, quod vulnus magis propriè dictum carnosæ partis diuisio est, ruptio, & conuulsio, neruosæ, & quod his omnibus vnitio molienda indicatur, statim subdit, quod an præstari vbique possit, an in multis non possit, hoc vtique internoscere primum iam arti-

ficis

ficis est. Quippe, ait ille, nemo plebeius nouit, nec neruosam transuersi septi partem, nec intestina tenuia non posse, quem indicant, finem recipere. Sed & de præputio, & de tenui buccarum parte, quod similiter se habet, idem ignorat. Præterea an caries in osse, quæ teredon Græcè dicitur, sanari queat, sicut erosio in carne, compertum non habet. Iam an coalescere fractura possit, veluti vulnus, præterea an callo agglutinari possit, non intelligit. Pari modo in capitis fractutis vulgus omnino non nouit, sine expectanda calli generatio, an aliter curandum. Porrò multò adhuc magis ignorat, an corde vulnerato, aut pulmone, aut ventriculo, aut iecore, fiducia sanationis sit. Nec in summa quicquam vltra primum scopum vulgaris quisquam nouit. Itaque hoc ipsum primum artis est opus, vt intelligas, sperare ne id quò tendis, seu finem, quem tentas, debeas, an secus. Eius rei duplex est cognitio, nec potest addi tertia: Altera per experientiam, cui longo vsu est opus; Altera per ipsius rei naturam. Hæc enim tum cuiusque particulæ substantiam æstimabit, tum actionem, tum vsum, situmque. A quibus procedens non solum, quod sanari non potest, præuidebit; sed etiam de inueniendis ei remedijs deliberabit, quod recipere sanitatem potest. hæc Galenus. In quibus breuissimam, atque eam perspicuam nobis methodum tradit, cui innixi adinuenire possimus, quænam partes diuisæ vniri possunt, & quæ non. Quam quidem proponere non debemus, priusquam illud doceamus, diuisæ partis vnionem, seu coniunctionem duplicem fieri posse, vt idem Galenus tradit: Cum enim ait ille, diuisarum partium oræ vnà coniunctæ esse debeant, & coniunctæ manere, bifariam simul manent, quæ commissa sunt, cum alia per se, alia ope aliorum maneant: Per se quidem quæcunque secum concrescunt, ac coalescunt: aliorum ope, & quæ colligantur, & quæ glutino aliquo tenentur. Ac quæ concrescunt, omnino mollia naturaliter sint oportet: Talis sanè est tum caro ipsa, tum quæcunque ex carne consistunt. Quæcunque verò dura, siccaque sunt, eorum diuisæ partes simul coire nequeunt; sed glutinum aliquod vinculumve, quo commissa maneant, requirunt. Quare, vt sciamus, quænam primo modo, & quæ solum secundo, & quæ nullo modo vniri, & connecti possunt, Galeni methodum iam aperiamus. Cum huius rei duplicem dixisset esse cognitionem; alteram per experientiam; alteram per ipsius rei naturam; priori omissa tanquam illa, quæ non ad dogmaticum, sed ad empiricum pertinet, ac longo vsu opus habet, ad secundam se transferens, inquit, hanc quatuor æstimare debere, nempe cuiusque particulæ vulneratæ substantiam, actionem, vsum, atque situm. ab his enim procedens, quod sanari non potest, facilè præuidebit. Itaque si partis substantiam perpendamus, duo potissimum in ipsa æstimanda sunt, videlicet materia ex qua pars conflata est, & eius consistentia, quæ penes duritiem, & mollitiem, seu siccitatem, & humiditatem spectari debet. primum enim ad partis materiam, secundum ad ipsius formam, & temperamentum magis spectare videtur. Vtraque autem, vt docuit Philosophus, rei substantiam complet, & eius intrinsecum principium est. Quantum igitur spectat ad materiam, ex qua constitura est, hæc vel sanguinea est, vel seminalis: Si sit sanguinea, qualis tum carnosa, tum adiposa pars existit (ex probo enim purioriquè sanguine, & ambientium corporum frigiditate pinguedo, & adeps concrescit) proculdubio non solum primo modo, & per coalescentiam, seu concretionem & coagulationem vniri potest, eò quia sanguis cum omnibus partibus copiosus facilè suppetat, & fibris donatus sit, earum ope facillimè concrescit; verum etiam, vbi carnosæ, & adiposæ partis portio alioquin notatu digna deperdita est, resarciri, ac reparari facilè potest. Cum enim partes ex iisdem nutriantur, ex quibus constant, hæ autem partes à sui ortus primordijs ex sanguine ipso sint conflatæ, profectò facile est, vt ex sanguine ipso, qui ei copiosus, fibrisq; donatus affluit, restaurentur. Si verò vulnerata pars seminalis fit, & à primo sui ortu ex semine ipso, seu seminali materia procreata fuit, tunc vel solum incisa est, & simplici morbo, vnitate nempe solum diuisa laborat, vel morbo composito ex diuisa vnitate, & imminuta magnitudine, seu partis alicuius deperditione correpta est. Si simplici diuisione, morboq; teneatur, vtrum vniri, & quonam pacto id fieri possit, præcognoscemus, si partis consistentiam, seu temperamentum, actionem, vsum, & situm, de quibus post loquemur, diligenter æstimabimus. Pro nunc id breuiter dixisse sat erit: Quod quanto pars mollior fuerit, & eius actio, & vtilitas ignobilior, animalisq; vitæ minus necessaria, ac eius motus inuoluntarius minus apertus, situs verò magis superficialis, tanto facilius per coagulationem ipsam, & veram, atque perfectim

Gal. 3. meth. — Partium unio duplex fieri potest.

Gal. 3. meth. c. 1. — Methodus vniuersalis prædicendi in vulneribus ipsis, & omni solutæ vnitate.

Partis substantia.

Aristot. 2. Phys.

Materia ex qua.

fectam vnionem poterit conglutinari. Quanto autem durior, aut eius actio, & & vtilitas nobilior & magis necessaria, motuque in voluntario validiori, frequentiori, & euidentiori celebrata, & situ profundiori, medicaminibusque minus peruio donata, tanto minus vtroque modo, id est vel per coagulationem, vel colligationem, quæ veluti vinculo aut glutino aliquo fit, connecti, seu coniungi, & vniri poterit. Vnde cor ipsum substantiam satis duram cum habeat, membrumque sit, cuius actio nobilissima, ac ceterarum omnium necessarijssima est, & cum inuoluntario motu valido, euidentissimo frequentissimo, & quoad vsque animalis vita perdurat, celebratur, & omnium membrorum maxime reconditum, neutrum vnionis modum recipit. Altera ex parte cutis ipsa, cuius actio vitæ animalis minimum necessaria est, & absque motu euidenti facta in extima animalis superficie consistens, & inter seminales partes omnium mollissima, facile per coagulationem vnitur, atque connectitur. Quę verò inter has consistunt partes, prout magis vel ad cor, vel ad cutim ipsam accedunt, ita magis, vel minus vel neutro modo, vel merito solum alicuius vinculi, vel etiam per ipsam coagulationem poterunt coniungi. Si verò vulnerata pars seminalis sit, & composito morbo, soluta scilicet vnitate, & partis deperditione laboret, cum nullo pacto resarciri possit, non nisi secundum vnionis modum, qui merito alicuius vinculi, & alterius cuiusdam corporis, seu partis interuenru fit, suscipere valet. Nam caro, vt Gal. scribit eadem specie cum ea, quæ perijt, gigni in cauo vlcere potest: Cutis talis omnino, qualis erat, quæ perijt, prorsus restitui non potest, sed simile quiddam cuti, & quod eius officium suppleat, potest, non tamen plane cutis. & quod de cute ipsa dicimus, id prorsus de ceteris animantis partibus, quæ ex semine constant, & ex eodem nutriuntur, vt sunt membranæ, nerui, tendones, venæ, arteriæ, ligamenta, cartilagines, & ossa, statuendum est. Causa verò, subdit ille, cur sicuti caro, adepsq; regignuntur, ita cutis, quæ prorsus perierit, regigni nequeat, ex naturalibus problematis est petenda. Vnde si curiosus aliquis id scire expetat, eundem Galenum adeat, atque ipsum, dum quæsitum hoc proponit, & denuo in medium reuocat, ita scribentem audiat: Omnia enim inquit, quæ carneam speciem præ se ferunt, è sanguine constiterunt, quę membranea sunt, à semine fuerunt producta. Et ideo quæ a sanguine ortum habent, si corrumpantur, vt pote quibus materia generationis copiosa suppetit, facile: quæ è semine, vel nunquam, vel raro admodum rursus gigni solenr: etiamsi efficiens seminis ipsius causa perfectis animalibus insit. Quid igitur in causa est, cur si quis vel adipem, vel carnem à corpore nostro exciderit, loco illius altera vel adeps, vel caro rursus generetur; arteria autem, vena, neruus, membrana, colligamen, tendo, cartilago, atque os, vbi semel perierint, iterum renasci amplius nequeant? Atque id, quod maiorem admirationem parit, cur, cum horum aliquid nudatum fuerit, velimusque id tegere, vel ad cicatricem deducere, caro quidem circa vnumquodq; ex his increscat, simile autem ipsi illi, quod nudatum fuerit, nullo penitus modo, ne si ipsa quidem pęonia medicamenta adhibeas, aggeneretur? cur igitur hoc accidit? an quia carnis materia nunc etiam subest, illorum non amplius? Sed quid (rursus instando inquit) nonne vel arteriæ tunicæ; vel nerui corpus gubernantem facultatem habent, quæ talem substantiam procreet, qualem vtrumque horum adepta sunt? Vt itaque quæsitum soluat, de modo ipsius nutritionis longiori repetita oratione, hæc duo proponit theoremata, vt ijs ad solutionem problematis tanquam fundamentis vtatur: quorum primum est: Facillimum est sanguini, vt caro efficiatur, membranæ verò, neruo, venæ, arteriæ, ac tunicæ difficillimum: Secundum illud est non esse opinandum principalia membra animalis è semine à principio constitisse, & aliunde suum vltimum, atque accommodatissimum habere alimentum: quia ex ijs aluntur membra, ex quibus à principio constant. His iactis fundamentis, huius rei duplicem esse posse responsionem asserit. Vna quod nonnulli venas in magnis vlceribus iam viderunt renasci, quemadmodum etiam ipse Gallenus vidit, cum in alijs partibus, tum in capite, atque eas satis magnas, & multas. Quare primum dicendum raro visum esse venam renasci: deinde nihil omnino ex alijs. Vas igitur, subdit ille (& hæc secunda est responsio) quod accrescendo recens venæ veteri adiungitur, hac enim parte scilicet continuum est, non in quali bet corporis natura materiam copiosam ad generationem habet. Nam si neque caro orificium venæ abscissæ circumcrescendo occupauerit, neque abundantis materiæ humor defuerit, gigni iterum vena poterit. Simul enim oportet & vim, quæ

[Margin notes: *Gale. 3. metho. 5.* — Seminales partes cur regenerari non possint. — *Gal. 1. de semin. 11.* — *Cap. 13.*]

quæ est in venis abscissis, validissimam reperiri (hæc enim partem adnascentem fabricat) & materiam seminalem tantam etiam suppetere, vt ab increscente carne obstrui os non permittat: quæ vtraque simul conuenire rarissimè consueuerunt. Quod si in vena id rarò contingit, nil mirum, si in arteria, quæ sextuplo est crassior, id nunquam id fiat, cum tanta materiæ præparatio, quanta eget, fieri nullo pacto possit. ita abundantis materiæ inopia fit, vt alia omnia, quæ è semine gignuntur, renasci nequeant. nam quod abundantis materiæ mora temporis paulatim erat colligendum, carne iam increscente supprimitur. In vlceribus itaque præter id, quod abundantis materiæ inopia est, etiam effectrix vis deest. Dum autem in vtero gignitur animal, & materia multa affluit, & altera quoque accedit creatrix, vix, quæ non solum materiam extrinsecus tangit, qualis est illa, quæ in conceptaculis vteri residet, verum etiam per totam ipsam materiam transit, ac permeat, vti est illa, quæ in semine ipso reperitur. Nihil itaque mirandum, si in fœtibus in vtero prima naturæ instrumenta celeriter formentur, cum & materiæ copia, & bonitas, & procreantium ipsa facultatum efficacia maximè adsit. His de materia, ex qua partes constant, explicatis, ad secundam substantiæ partem, temperamentum scilicet ipsum transeamus, in quo humiditatem & siccitatem, seu mollitiem, & duritiem præsertim perpendere debemus. Auicen. de hac re sermo nem habens, has ad aures Galeni in medium attulit conclusiones. Partes, quæ molles sui natura sunt, per coagulationem, seu perfectam vnionem coniungi possunt: quæ omnium durissimæ, omnium ægerrimè coagulantur, & fere semper per colligantiam, quæ merito vinculi fit, coniunguntur; quæ inter has intercedunt, me diè & medio modo se habent, prout ad duriores, vel molliores magis vergunt, ita magis vel minus difficulter ad veram vnionem, & coagulationem perueniunt. Nam quæ concrescunt, inquit Galenus omnino mollia naturaliter sint oportet: talis sanè est tum caro ipsa, tum quæcunque ex carne ipsa consistunt. Quæcunque verò dura, siccaq; sunt, eorum diuisæ partes coire simul nequeunt; sed glutinum aliquod, vinculumve, quo commissa maneant, requirunt, veluti sunt ossa. Horum enim continuitas, ait Auic. non redit, vt erat prius, sed operam damus, vt remaneat contactus eorum cum conseruatione, quam quidem Galenus sissarcosim, seu agglutinationem per callum vocat, sicuti chirorgorum turba vnionem per secundam intentionem appellat, quando scilicet, vt Guido inquit Gauliacus, diuisa per medium heterogeneum coniunguntur, quod quidem ex humore ipsa carne crassiore, & osse minus crasso generatur. ideo scribebat Hippocrates de duris particulis loquens, quod cum discissum fuerit os, aut cartilago, vel neruus aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur (id est regeneratur seu resarcitur) neque coalescit, id est per per veram vnionem, quam superius coagulationem vocauimus, vnitur. Quod verò neque cartilago, neque os regenerentur, patet ex superius dictis, an vero agglutinentur, inquit Galenus, nonnulli dubitant, dicentes ossa perfracta, vt perspicue videmus, agglutinari. Sed aberrant, & doceri possunt in brutis, quorum pars fracta contraxit callum. Hæc enim si quis dissecet, videbit manifestè à callo veluti vinculo quodam circumducto, partes ossium discissas esse constrictas, quas si abraserint, fracturæ profundum videbunt non agglutinatum. Veruntamen Auicennas ossa infantium & puerorum excipit, quia vt alibi restatur Galen. possibile est, vt puerorum ossa & propter ingentem mollitiem, & propter virtutis robur; sunt enim natiuitati maximè propinqui, coagulentur. In adultis autem est impossibile. De partibus verò, quæ inter carnem, & ossa medium locum tenent, penes mollitiem, & duritiem vti sunt nerui, arteriæ, & venæ disputat Auicennas, & Galeni auctoritate ductus inquit, quod quidam Medicorum dixerunt, quod non coagulantur, sed forrasse remanet in eis contactus agglutinationis per medium vinculum: Alij tamen (subdit ille) voluerunt hoc non prouenire, nisi in arterijs ipsis tantummodo. Galenus verò eis contradixit, quia nonnunquam coagulantur, & perfectè vniuntur etiam ipsæ arteriæ, quemadmodum & experientiæ ipsius testimonio, & ratiocinatione ipsa comprobari potest. experientia quidem, quia arteria, quæ sub ipsa situatur basilica, quam Chirurgus ille imperitus credens basilicam secare, lanceola diuisit, fuit medicamentis agglutinantibus à Galeno administratis, & deligatura ipsa perfectè vnita, & coagulata, quemadmodum etiam & temporum, & crurum arteriæ perfectè agglutinatæ visæ sunt. Ratiocinatione verò quoniam si os, quod extremam obtinet duritiem, solum in infantibus perfectè vnitur; Caro autem, quæ omnium partium mollissima est, in omnibus coagulatur,

ergo

Marginal notes: Partis temperamentũ seu consistẽtia. — Gal. 3. meth. 4. — Auic. lib. 4. F. 4. tr. 1. c. 4. — Hipp. 6. aph. 19. — Gal. in com. — Gal. libr. art. medic. sect. 3. — loc. cit. — Gal. 5. met. 7.

ergo venæ, arteriæ & nerui, cũ mediæ partes sint inter carnem, & ossa penes mollitiem, debent habere mediam dispositionem inter hæc extrema, & proinde minus coagulari debent, quam caro, & magis, quam ossa, & ideo concludit tandem Auic. quod perfectè vniuntur, quando sectio est minima, & parua, & corpus est humidum & lene, quemadmodum, dum oppositæ adsunt conditiones, non vniuntur

Partis actio

perfectè, sed solum merito cuiusdam vinculi connectuntur. Si verò vulneratæ partis actionem spectemus, si ea præcipua sit, & ad animalis vitam maximè necessaria, quales sunt actiones principalium membrorum, & præ ceteris vitalium dictorum spirituum generatio, innatique caloris conseruatio, sanguificatio, & illa, quæ ad rectricem, sentientem, & mouentem attinent functionem, vt plurimum harum partium soluta vnitas, atque diuisio neutro modo coniungi, & vniri potest: quia propter instantem horum membrorum, & eorum functionum summam necessitatem, & propter praua, quæ superueniunt symptomata, maximum periculum imminet, ne animal pereat, priusquam vnionem aliquam suscipiant. Simili modo, vbi pars vulnerata habet communem actionem, aut iam dictis præcipuis membris actionẽ, & vsum inseruiẽtem, & valde necessarium: quemadmodum sunt ventriculus, cuius actio, chylificatio scilicet, vniuerso corpori nutriendo necessaria est, necnon spinalis medulla, diaphragma, pulmonesque. nam & vitali facultati, & animali, respirationique subseruiunt, & lien ipse; bilis receptaculum, intestina, renes, vesica vrinaria, & alia id genus ægrè admodum vnionem suscipiunt. Si

Galen. 6. de anat admin. cap. 2.

enim de membris, quæ nutritioni dicata sunt, loquamur, hæc triplicia sunt, vt docuit Galen. Nam iecur, & ventriculus prima ratione à natura sunt facta, & proinde nobiliorem sortiuntur actionem; reliqua omnia, quæ in ventre inferiori continentur, secundaria ratione fuere creata, vt scilicet excrementorum, quæ in primis duabus coctionibus proueniunt, essent receptacula, & proinde non ita nobilem functionem, & vsum sunt adepta, sed magis nihilominus nobilem, & necessarium quam ea, quæ tertia ratione fuere constituta, qualia sunt illa, quæ horum membrorum excretionibus inseruiunt, & proinde facilius vnionem admittunt, vti sunt musculi, qui tum ceruici vesicæ, tum intestinorum extremitati præsunt. Insuper quæcunque partes cum euidenti motu, eoque inuoluntario, proprias functiones promunt, ægrè admodum nedum primò, & per coagulationem; verum etiam vtroque modo coniunctionem, & unionem suscipiunt: Quæ enim coalescere, & conglutinari debent, de necessitate debent quiescere. Si enim moueantur, necesse est, vt solutæ partes ad contrarias diducantur, & unio ipsa impediatur: huiusce modi uerò sunt, quæ motum dilatationis, & constrictionis sortitæ sunt, ut cor ipsum præ ceteris omnibus, postea pulmo, deinde arteriæ, ab his œsophagus, post ipsum ventriculus, intestina, & vesica vrinaria. Quæ verò partes flexionis, & extensionis motu mouentur, & de uno in alterum locum transferuntur, quales sunt musculi, & alia membra, quæ non inuoluntario, sed arbitrario motu mouentur, huic periculo non exponuntur, quia ex voluntatis præscripto possunt immotæ penitus contineri. Pariter quantò magis exquisitam tactiuam sensationem habebunt, tantò ægrius utroque modo poterunt conglutinari, non quia sensus exquisitus per se primo conglutinationem impediat, sed quia est in causa, vt istarum partium soluta vnitas dolorem excitet eximium, quo medianre, & phlegmones, & conuulsiones, & alia praua symptomata suboriuntur, quæ non solum unionem impediunt, & protrahunt, verum etiam sæpius mortem ipsam inferunt. In harum autem partium numero primum locum tenet uentriculi os, postea cerebri membranæ, & neruosę diaphragmatis partes, subinde nerui ipsi, & reliquę neruosę partes, vti sunt

Partis vsus

ventriculus, vesica vrinaria, intestina, & uterus. Quod autem de uulneratarum partium actione diximus, idem prorsus de usu ipso statuendum est. Quamuis enim hunc ab actione differre docuerit Gal. cum hic ad vtendum aptitudo quædam sit, illa verò motus quidam actiuus; nihilominus idem alibi vsum cum actione confundere uisus fuit, idque non ab re, cum partis actio in relatione ad superiorem actionem, in quam ordinata est, usus quidam dici possit, ut nos in libro de usu totius corporis humani docuimus. Quod autem ad rem, & ad uulnerum tractatum attinet, illud annotasse sufficiat, quod si quæ partes sunt, quæ usum habent ad uitam pernecessarium, & ualde nobilem, & proinde dum vulnerantur, maius periculum inferunt, hæ sunt uenæ, & multò magis arteriæ, & nerui. nam venæ ab hepate exortæ sanguinem ipsum tanquam nutritionis materiam omnibus corporis partibus maximè necessariam deferunt; arteriæ à corde ipso prodeuntes spiritum,

Gal. 17. de vsu par. c. 1. Galen. 6. de anat. admin. 2.

vitalemque

vitalemque calorem eisdem impertiunt, sicuti nerui à cerebro enati omnibus partibus, quæ animalis vita fruuntur, sensum, & motum communicant. Vnde dum venæ vulnerantur, & tum ipsæ, tum earum diuisiones magnæ sunt, sæpius non tantum propter vulnus, quantum propter sanguinis effusionem, quæ suboritur, animal perit, & si id in venis accidit, multò magis in arterijs vulneratis, atque diuisis continget: quippe quæ nobiliorem sanguinem, & spiritibus, caloreque innato refertissimum, & ad vitam longè magis necessarium continent. Neruis verò vulneratis, & præsertim punctis, aut non ex toto incisis, nisi Medicus prudens sit, sæpius nedum inflammationes propter eximium eorum sensum, verum etiam propter colligantiam, quam habent cum cerebro eorum principio, frequentius conuulsiones, deliria, & huiuscemodi alia sæua, lethaliaque symptomata excitantur. Hinc autem fit, vt vulnera, quæ in capitibus, & finibus, seu extremitatibus musculorum contingunt, periculosa admodum sint; quia oportet, vt inquiunt Gal. &
Gal. 5. aph. 66. Auic. vt in eis tum vehemens dolor, tum apostema suboriatur: In capitibus enim
Auic. 4. 4. tr. 1. c. 2. musculorum plurimi sunt nerui; in finibus autem ipsorum sunt tendones, quia musculi dum prope sunt, ut in ossa, & membra, quæ mouent, inserantur, in tendones desinunt. Quinimò, subdit vterque, quod si in iam dictis musculorum capitibus, ac finibus, & præsertim illorum, qui sunt neruosi, phlegmon, siue apostema non suboriatur, magnum malum significatur: quia signum est adesse magnam noxam intrinsecus in membris nobilibus, ad quam quidem materiæ, & humores, qui
Hipp. 5. aph. 66. ratione doloris debent ad ipsum vulnus peruenire, conuertuntur. Hoc autem ab vniuersali Hippocratis theoremate desumpserunt, in quo scribit, quod si in vulneribus fortibus, & prauis tumor non appareat, ingens est malum: Vulnera autem praua dici, existimandum est, ait Gal. quæ sunt in capitibus, aut finibus musculorum, & maxime neruosorum, in capitibus enim musculorum, nerui musculis inseruntur, ex finibus verò chordæ oriuntur. Sicuti igitur damnabat Hippocrates omnes tumores derepente euanescentes: ita nunc illos, qui neque omnino adueniunt vulneribus prauis damnat: in his enim suspicandum est, ne humores ad uulnera defluentes ad partes principaliores transmeent. Hoc autē in illis præsertim fieri uulneribus existimandum, in quibus adest quidem dolor, & propter ipsum omnino aliquid influit, sed à Medicis imperitis reprimitur ualde infrigidantibus, aut adstringentibus medicamentis: nam si dolor absit, neque fluxio mouetur: Maximè autem dolores patiuntur partes neruosæ, quæ per medicinas calfacientes, & exsiccantes curari desiderant. Hinc apparet, cur altera ex parte scri-
Hipp. 5. aph. 65. pserit Hippocrates, quod, quibus tumores in ulceribus, seu uulneribus apparent, non conuelluntur ualde, neque insaniunt: uerum his euanescentibus derepente, quibusdam à tergo conuulsiones, & distentiones fiunt: antrorsum uero quibusdam insaniæ, uel dolor lateris acutus, uel suppuratio, uel difficultas intestinorum, præsertim si fuerint illi tumores rubicundi. Ex quibus uerbis ut explicat Gal. nobis indicat, quod nonnulli quidem in ipsis conuelluntur, & insaniunt; sed ratò hoc patiuntur, quādo uidelicet magnitudinem effatu dignam uel malignitatem aliquam assumpserint. Si uerò tumores derepente euanescant, conuulsiones ac distentiones, quando in partibus posterioribus, hoc est in dorso uulnera fuerint, cōsequuntur; Si uerò in partibus anterioribus fuerint, reliqua ab Hippocrate enumerata consequuntur. Posteriora enim neruosa sunt, anteriora uerò uenosa, & arteriosa. Quādo igitur ab ulceratis partibus humor, qui fecit tumorem ad aliquam partem principalem se contulit, in partibus quidem neruosis posterioribus conuulsiones fiunt, ac distentiones (hæ enim sunt neruorum passiones) in anterioribus uerò insania, si feratur ad caput: lateris autem dolor, si ad thoracem humor conuertatur: sæpius uerò & hi suppurantur, si humor non dissolutus fuerit. Difficultatem uerò intestinorum, hoc est, cruentam dysenteriam sine ulceratione fore inquit, si tumores rubri fuerint, & repentè discedant. Notat autem Gal. Hippocratis sermonem artus ipsos, non tamen omnes comprehendere, quia licet in tibia musculi in chordas ualidas desinentes non sint in partibus anterioribus; in coxa tamē in partibus genu anterioribus maximam uidemus chordam, ob quam per compatiendi rationem rationabile est, magis sequi conuulsionem, quam ob aliquem musculorum, qui sunt in partibus coxæ posterioribus. sunt enim omnes carnosi. Quare uidetur quidem magna ex parte id fieri, non in cruribus modo, sed etiam in brachijs, fortè, quia hæ partes omnes è directo sunt dorsalis medullæ. nascuntur autē ab hac & artuum, & spinalium musculorum nerui, ut ob id ex partibus tantum

posterioribus

posterioribus magna ex parte accidant conuulsiones. ex quibus etiam liquet, cur alij vulnera dorsalia mala esse enunciauerint: & cur magna vulnera, id est longa, & profunda itidem periculosa admodum sint. nam in dorsi vulneribus nerui, in magnis verò præter neruos tum venæ, tum arteriæ quoque, & eę notatu dignæ vt plurimum inciduntur. De partis autem vulneratę situ quid attinet dicere? Cum enim situm habet profundum, & ad quem agglutinantia, & cetera, quæ oportuna sunt pharmaca peruenire non valent, aut in proprijs uiribus valde refracta, vti sunt cor, pulmo, diaphragma, iecur, renes, lien, & quamplurimæ, quæ in imo corpore sunt, uenæ, & præsertim arteriæ, necesse est, vt vulnus diuisum, & inagglutinatum relinquatur. quemadmodum partes, quæ in superficie sunt corporis, & ad quas medicamenta, penes vires, irrefracta facilè perueniunt, & inibi diutius persistere valent, facilius agglutinationem, vbi diuisæ sunt, admittunt. Ex his itaque, quæ de partis substantia, actione, vsu, & situ diximus, facilè patet, cur dixerit Hippocrates: Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo transuerso, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale esse. nam aut necessario, aut magna ex parte (quemadmodum verbum, lethale, Hippocrates vsurpare solet) moriuntur: necessario quidem, vbi horum membrorum vulnus magnum est, atque profundum, quod rationabile est à verbo discissa significari: vt tota vesicæ tunica diuisa vsque ad interius spatium intelligatur: & sic de alijs: magna ex parte, vbi harum partium vulnus paruum, & superficiale extiterit. Huius autem sententiæ tum veritas, tum veritatis causa ex his, quæ à nobis dicta sunt, facilè ab vnoquoque elici potest, & in particulari vulnerum tractatu, dum de abdominis, thoracis, capitisque vulneribus agemus, exactius declarabitur. Verum ex dictis de vulneratæ partis vsu quædam oritur dubitatio. Dictum est enim ex Hippocratis Galeni, & Auicennæ sententia, quod in vulneribus sortibus, & prauis, id est partium neruosarum, si non appareat tumor, ingens malum significatur; Altera tamen ex parte Haly abbas totum oppositum dixisse visus est: dum enim de neruorum vulneribus pertractat, inquit, perniciosum esse si talibus vulneribus tumor, seu apostema subsequatur. Securus enim, ait ipse, non erit æger à conuulsione, quæ ad cerebrum pertinget, & patientem perdat. Pariter Auicennas in eorundem tractatu scribebat, quod tota nostra intentio in neruorum vulneribus ea esse debet, vt dolor sedetur, quia dolor, & apostema, quod ex dolore suboritur, possunt esse causa spasmi: ergo apostema in talibus vulneribus superuenire malum est. Adhæc Galenus nos sæpius docuit, quod dum apostema & dolor cum vulnere connectuntur, prius tollendus tumor, deinde uulnus: ergo dum ei superuenit, eius curationem impedit. Omittimus, quod magis à duobus morbis, quam ab unico tantum ægrotans cruciatur. Vt hęc ambiguitas euellatur, sciendum tumorem duplici modo vulneri superuenire posse: Vno modo, ut uniuersæ uulneratæ particulæ tum externæ, & circumstantes, tum internæ tumore corripiantur, & hoc pacto apostema, siue tumorem uulneri, seu ulceri superuenire semper malum est, tum per uiam signi, tum per uiam causæ: per uiam signi, quia significat mareriā etiam per neruos ipsos dispergi, & imbibi, atq; eos quoq; distendere, quod prauū est: per uiam causæ, quia propter neruorum tumorem, repletionem, & tensionē suborirur conuulsio, quæ quidem uulneri superueniēs lethalis est, & de tali apostemate superueniente allatæ iam instantiæ sunt audiēdæ, & ueræ sunt. Altero modo potest tumor uulneri superuenire, id est in partibus uulneri circunstantibus excitari, & hoc pacto in uulneribus neruorum, & iam dictarum partium neruosarū bonum est tumorē apparere, quia significat materiā, & prauas, uirulentasq; superfluitates ad exteriores partes fluere, non autē interna, ac nobilia membra petere & de hoc Hippocrates audiendus, quia significat ægrotantē tum ab ipsa conuulsione, tum à delirio, quæ in uulneribus accidētia praua sunt, securum esse. In carnoso autē uulnere absq; neruorum lęsione, procul dūbio melius est, ut nullus tumor subsequatur: quia ratione huius, carnosi uulneris cu ratio impeditur, & diutius protrahitur. Ex his autē, quæ huculq; dicta sunt, nō modo licet præcognoscere, quænā partes diuisæ, & quo genere coniunctionis vniri & non vniri possunt; verum etiā magna ex parte morituros ab his, qui saluandi sunt, distinguere nobis licet. Vtrum autem salus, & mors aut citius aut tardius subsequutura sit, ex alijs vulneris differētijs, & ijs, quę cum ipsis cōnectuntur, conijciendum erit. Qua de re, si eius differentias rimari velimus, quantum spectat ad figuram, recta, & quæ membrorum rectitudinem, & proinde per ipsorum longitudinem

Hip. 6. aph. 18.

Gal. in com.

Dubitatio.

Haly abb. in dispos. Regal. c. de vulner.

Solutio.

Quænā vulnera facili⁹, & quæ difficilius curantur.

ftunt uulnera, facilius, & citius curantur, difficilius obliqua, & ægrius adhuc transuersa; longiori adhuc tempore, & maiore cum difficultate retorta, & orbicularia. Simili modo quanto maiora fuerint, & longiora, labiaque magis distantia habebunt, & profundiora, eò difficilius, & longiori tempore agglutinari poterunt: citiusque, ubi in membris fuerint, quæ nullum unionis genus suscipiunt, ad interitum animal ipsum perducent. inæqualia pariter ægrius curantur, quam æqualia: hæc enim unicum, illa multiplicem curationis modum exigunt. Hac quoque de causa sectio facilius unitur, quam erosio, quæ quidem non modo unionem, uerum etiam deperditæ particulæ restaurationem requirit: & idem de contusione ipsa statuendum: quæ præter diuisarum particularum adglutinationem, influxæ iam, & à uasis egressæ materiæ, necnon contusæ partis suppurationem accersit de necessitate; ut unà cum Hippocrate suo loco docebimus. Neque minus curatu difficilis ob iam dictas causas solet esse disruptio. sed omnium difficillima, & periculosa solet esse punctura: quia medicamina ægrè ad uulneris fundum deducuntur, & exitus saniei minimè patet. Hinc quoque fit, ut dum accidit alteram uulneris partem sub cute latere, & in profundo esse, eius curatio prolixior, & difficilior euadat. Quod si pars ex toto præcisa sit, fueritque neruus, vel arteria, aut vena, proculdubio minus vitæ periculum impendet (dummodo non sint venæ, & arteriæ notatu dignæ, eæque in corporis profundo sitæ) nam hoc pacto ægrotantes à conuulsionis, ac sanguinis effusionis metu magis absunt: Veruntamen partes, quibus hæc instrumenta deseruiunt, vel sensu aut motu, aut vtroque orbari, si neruus hunc vel illum, aut vtrumque deferens incidatur, vel nutritionis, calorisq; penuria, & atrophia, si arteria, aut vena præcisa sint, laborare necesse est. Si verò hæc instrumenta secundum partem incidantur, tum cõuulsionis, tum maioris sanguinis effusionis periculum imminet. Vulnera demum, quæ recentia sunt, sicuti vitæ discrimen annexum habere possunt, ita facilius curationem admittunt, vbi rectè curentur, quam antiquiora. Nam vulnera diuturna, & quæ iam vltimum quorumcunque morborum acutorum terminum transierunt, & potissimum quadragesimum diem, omni vitæ periculo profectò carent, nisi autem Medicus, aut æger delinquat, ac effatu dignum errorem committat; sed maiori cum difficultate agglutinari solent: non quia tempus ipsum (quippe quod, res extraria cum sit, in corpus nullo modo agit) agglutinationem vlla ex parte impediat, sed quia indicat aliquem affectum præter naturam, vt sunt potissimum vulneratę partis intemperies, & prauorum humorum confluxus, cum vulnere complicatum esse. Vnde neminem latere arbitrandum, quod vulnus facilius, citiusque curatur, dum solum est, quam si cum alio præter naturam affectu fuerit complexum. Dum enim cum symptomate connectatur, & illud ad se curationem trahat, relicto vulnere, cogimur ea præsidia administrare, quæ symptoma submouere possunt, quæ si iis, quæ siccant, & agglutinant, contraria sint, adhuc magis vulnerum consolidationẽ remorantur. Causæ pariter vnionem soluentes, dum vnà cum vulneribus connectuntur, eorum vnionem impediunt, quia non prius coalescere possunt, quam eæ submoueantur, siue sit sagitta, siue fluxio, aut alia consimilis causa. Sed multò magis difficilis, longaq; curatio euadit, ubi cum morbo, quippe qui & permanentiã, & causam sæpius secum habet, vulnus complicatur. Præsertim si morbus, non exsiccantia, sed laxantia requirat, & humectantia, quales sunt phlegmon, erysipelas, & præsertim cancer, & alij præter naturam tumores. nam intemperies absq; materia, quæ non sit iam habituata, non ita diu curationẽ protrahere valet. Quod si vulnus sit cum magnitudine imminuta, & partis deperditione connexum, tanto difficilior redditur curatio, quanto deperdita particula & penes magnitudinem, & penes præstantiam erit magis momentanea. Vnde seminales partes deperditæ, vti superior diximus, difficiliorem, ac longiorem reddunt curationem; carnosæ autem, & adiposæ non item, quia leui negotio regenerantur. Si tamen pars alioquin carnosa circumcirca deperdita sit, & vulnus euaserit orbiculare, ægrè, ac tardius ad cicatricẽ perducitur, vt ipse quoque docuit Arist. nulla enim figura æquè partes habet distãtes, ac illa quæ circularis existit. huius autem causam, & demonstrationem afferre non ad Medicum ipsum, ne de genere in genus transitus fiat, sed ad Geometram spectare idem Aristot. tradidit, dum asseruit, quod huius quæsiti Medici est scire quia, propter quid autem Geometræ.

Aristot. 1. poster. c. 10.

De vul-

De vulneris indicationibus & primum de ijs, quæ communissima sunt. Cap. IIII.

Indicationes.

Gal. 3. meth. 1. & 6. meth. 2.

VErum quoniam omnibus in confesso est, primas indicationes ex affectibus esse sumendas, vulnus autem soluta vnitas est, hæc igitur, vt Gal. ex omnium consensu docet, vnionem postulat; id autem adinuenisse vel sciuisse, neque totũ est, neque magna aliqua pars, vt Thessalei, qui se methodicos profitebantur, existimabant, sed minima, & tantum initium, tantum enim abest, vt artificij cuiusquam sit, vt etiam priuatorum cuique patere possit. Quippe primę in omni arte indicationes omnibus hominibus natura sunt præsto. Plebeius enim & ipse vulnere laborans ad cicatricem duci, & vniri iubet. Verum quibus rationibus id fiat, id sanè nescit: atque id est, quod adijci à Medico debet. Cui enim facultas est, illa inueniendi, ex quibus perfici possit, quod à prima indicatione suggeritur, is merito morborum est curator: qui si per experientiam inuenit, empiricus, si ratione, & methodo, logicus, & methodicus, & dogmaticus appellandus. Vt itaque ratione ipsa duce, scopum, ac finem iam propositum facilè consequamur, artificiosæ indicationes à nobis sunt depromendæ, quæ cum à vulneris natura, & ab ipsius differentijs omnes emergant, non tamen à soluta vnitate, à qua notissima illa prima indicatio, vnio nempe, suggeritur, sed ab alijs, quæ in vulneris definitione sunt positæ, differentijs, & subinde à mollibus partibus, & ijs quæ ab extrinseco instrumento vulneratæ parti fuerunt inflictę, exoriuntur. Itaque communissimæ primum, mox minus communes, & tandem propriæ sunt eliciendæ. Iam verò communissima in quocunque uulnere nobis sese offert indicatio, ut ad inflammationem ipsam, etiam si præsens non adsit, oculos dirigamus, & hanc, quantum fieri potest, caueamus. Quomodo autem ab eo, quod iam præsens est, & ab ipsa natura vulneris exoriatur, exinde liquet, quia cum uulnus in partibus mollibus, & ab extrinseco fiat instrumento, illæ ad differentiã ossium, quæ non sentiũt, eximio ut plurimum sensu præditæ sunt, & potissimum neruosæ partes, & panniculus carnosus, eique circumposita cutis. Illud autem ad differentiã erodentis humoris intrinseci, qui quidem propriè dictorum ulcerum causa est, cum impetu, & uiolenter agit: Vnde mirum non est, si dolor ipse subsequatur, quia vt testatus est Gal. ex Platonis mente, repentinæ mutationes sunt illæ, quæ de necessitate, ubi in partibus sentientibus fiunt, sunt dolorificæ; in vlceribus verò erodens humor paulatim agit, & nisi admodum acer, & acutus sit, eum accersere dolorem non potest, qui phlegmones, & inflãmationis causa sit. Et nunc de simplici vlcere sine phlegmone sermo est: nam sæpius propter fluxionem ipsam primò phlegmone, deinde exulceratio subsequitur. Quare patet, cur in vulnere ipso, non autẽ in vlcere, inflãmatio, nisi præcaueatur, de necessitate suboriatur. Adhæc vulnerata pars necessariò imbecilla redditur in suis functionibus, ita, ut nec proprium alimentum, uti decet, conficere, nec ex eo segregatum excrementũ, sicuti prius, expellere possit. insuper quia ratione solutæ vnitatis notatu dignæ, venæ saltem exiles diuiduntur, & sanguis effunditur, ab hac effusione fluxio ad vulneratam partem proritatur. Quare tum ratione doloris, tum vulneris, tum ratione fluxionis, tum excrementorum collectionis, quæ dolorem adhuc magis augent, & partem replẽt, atq; distendunt, necesse est, vt in vulnerata parte, nisi Medicus obstiterit, inflammatio ipsa generetur. hanc verò Medicus arcebit, si causas iam propositas tollet, & proinde dolorem ipsum sedabit, fluxionem auferet, & vulneratam ipsam partem eiusque functiones corroborabit. Sedabitur autem dolor, si partes vulneri circumpositæ anodynis ipsis foueantur. Sistetur autem fluxio, si humores ad partem affectam confluentes tum minuantur, tum ad partes contrarias reuellant, tum in uia intercipiantur, tum ad uicinas partes deriuentur, tum demum ab affecta parte procul repellantur, seu repercutiantur. Vulneratam demum partem Medicus corroborabit, si ipsam adstringentibus pharmacis muniet, atque souebit. Vnde secunda pariter cõmunis, & cum iam proposita fere coincidens indicatio, eiq; consimilis in quocũq; uulnere nobis oblaro, ea erit, ur ipsius uulneratę partis tẽperaturã salubrẽ ad vnguem, si fieri põt, cõseruemus. Cum.n. partis robur in proba ipsius tẽperie vigeat, & ea sit oĩum eius actionum præcipuum organũ, siue diuisam par-

Secunda cõmunis indicatio, quæ iubet partis vulneratæ temperaturam salubrẽ esse conseruandam.

tis substantiam unire, & adglutinare, siue catnem gignere, siue cicatricem inducere uelimus, natura, quæ Gal. teste ab ipsa partis temperatura non differt, à proprijs facultatibus, ac functionibus adiuta, agentis præcipuè, & causę effectricis locum habet: Medicus verò tum eam roborando, tum impedimenta submouendo, eius ministri, subseruientisque vices gerit. Partis autem substantiam, atque temperaturam probam seruabimus, tum vt docet Gal. per ea, quæ mediocriter exsiccant: tum vt Arabes admonent primis saltem diebus per ea, quæ modicè refrigerant, atque adstringunt: hæc enim partes vulneri circumstantes (de his enim sermo est) à fluxione immunes seruant, & earum calorem innatum roborant, atq; conseruant, vt in iam dictis, ac reliquis omnibus functionibus obeundis optimè se gerat. Tertiò in omni vulnere meditandum, an cum alio affectu, aut re aliqua præter naturam complexum sit, vel ne? Si enim sit cum alio coniunctum, quod vnionem impediat, aut vitæ discrimen minetur, illud proculdubio primum auferri debebit. & cum possit esse vel causa, vel morbus, vel symptoma: & inter causas nedum spiculum, sagitta, globulus plumbeus, & id genus alia, verum etiam fluxio, ac vitiosorum succorum redundantia: quicquid horum fuerit, prius submouendum erit: alioquin vulnus non poterit agglutinari, & vniri: & idem prorsus de morbis, & symptomatibus, quæ vnionem ipsam impediunt, aut vitæ periculum inferunt, intelligendum. In omnibus autem huiusmodi complexionibus triplex nobis propositus finis erit, vt Gal. inqnit: Vnus veluti à causis sumptus eius, quod post futurum est: alter, vt quod rationem obtinet eius, sine quo non: tertius eius, quod veluti accelerantium, & vrgentium nominatur. Nam nimia subiectæ carnis temperies habet rationem causæ, quia facit secum concrescere, quod vlceratum, aut vulneratum est, & cauitatem implet. Puritas vulneris, aut vlceris habet rationem eius, sine quo non, atque hanc sordes interpellans, curationem moratur: habet verò & ipsa cauitas ad vlcus rationem eius, sine quo non: quia nisi cauitas primum impleta sit, induci cicatrice vulnus, & vlcus non potest. Ergo si ad hæc respexerimus, ordinem sanationis inueniemus, veluti si phlegmone, & cauitas, & vlcus, & sordes simul in eadem particula constiterint, primum phlegmonem, secundo loco sordem, tertio loco cauitatem esse sanandam, & quarto vlcus. Ac in iam dictis tum ordo, tum agendorum inuentio ex his sumitur. Vrgentis verò indicatio inter ista non habetur: in alijs autem habetur. Nam affectus, vndę primum maximeque imminet homini periculum, hic primus curari debebit: interim verò non primus modo, sed etiam solus: veluti si, puncto musculi capite, conuulsio, quę nulla conuenientium medicamentorum vi remittatur, superueniat: quippe præciso per transuersum toto musculo conuulsionem quidem sanaueris, aliquem tamen ex particulæ motus vitiaueris. Ita cum ex vena, vel arteria sanguis immodice profluit, si totum vas per transuersum praecideris, vlcus quidem eius sanare postea non poteris; periculum tamen, quod ex profluuio sanguinis impendebat, sustuleris. Iam neruum punctum sepe cogimur transuersum præcidere, quoties vel conuulsiones, vel deliria vel ambo magna, ægreque sanabilia superuenire vulnerationi cernimus. Pari modo, vbi luxatio cum vulnere in aliquo maiorum articulorum incidit, vulnus sanamus; luxationem autem insanatam relinquimus, ne conuulsio excitetur. Quare id quod vrget, tum ciuimodi interdum est, vt alium insanabilem effectum relinquat: tum verò effectus ipse nonnunquam à nobis ipsis inducitur, partim in neruo puncto, vel tendone, vel vasorum cuiusque sanguinis profusione, partim in musculo, cuius caput est vulneratum. Nam vbi luxatio cum vulnere est, non ipsi affectum facimus, sed solum eum, qui factus est, non sanamus. Quod autem de conuulsione, & sanguinis profusione diximus, idem prorsus de dolore ipso statuendum, qui quidem cum & vigilias, & inflammationem ipsam (nulla enim causa est, inquit Auic. quæ magis phlegmonem excitet, ac dolor ipse) & conuulsionem, & sanguinis profusionem, & vires prosternens animi deliquia, & tandem mortem inferat, relictis præsidijs, quæ vulnus ipsum respiciunt, dum vrget, solus submoueri debet. Et hæc de Indicationibus in quocunque vulnere considerandis dicta sufficiant.

Gal. lib. art. med. 90.

Tertia communis indicatio, quæ remouetur, quę cũ vulnere coniũguntur.

Incomplexibus cum vulnere quo pacto pregrediendum.

Auic. loc. cit. c. 3.

De Indicationibus, quæ in incisione & ruptura conueniunt, dum citra partis alicuius deperditionem factæ sunt. Cap. V.

QVibus ea succedunt, quæ non omnibus, sed quibusdam solum competunt. Cum autem quinque sint vulnerum famosæ, atque potissimæ, quippe quæ ab efficiente causa desumptæ, differentiæ, incisio nempe, diruptio, seu ruptura, punctura erosio, atque contusio, de ijs primum loquemur, quæ incisioni, ac rupturæ aquè conueniũt, mox de reliquorum proprijs sermo fiet. In quacunque igitur incisione, & ruptura illud primum meditandum, an cum deperditione alicuius partis, vt carnis aut cutis, quæ momentanea sit, vulnus complexum fit, vel potius simplex, & absque aliqua partis, quæ momentanea sit, amissione. & hæc est animaduersio, quam statim Auicennas in curatione vulnerum in vniuersali in capitis principio proponit. Si itaque vulnus simplex sit, & absque partis deperditione (ab hoc enim vt doctrinæ ordo postulat, exordiri par est) primus, qui nobis attendendus oritur finis, est orarum vulneris seu diuisarum partium adductio. Natura siquidem sicuti in cauis vlceribus, vt caro producatur, ita in simplici vulnere, vt oræ ipsæ secum coalescant, certe adeo causa est, vt, si quæ dissident, in idem ad amussim componas, citra omnem reliquam extrinsecus molitionem coalescant. Verum quoniam natura tum in hac, tum in reliquis suis functionibus congruum tempus, quo eas perficiat, desiderat, ideo non solum diuisorum oras vnà coniunctas esse oportet, verum etiam ita coniunctas manere. Quinimò, vt oræ citò, facilè, & perfectè coalescant, addit tertio Gal. cauendum esse, ne quid labris vlceris intercidat. quod quidem exequemur, vt ille paulò post ait, si in cogendo in vnum partes distantes, nihil extrinsecus incidere permittamus. Nam sæpius vsu venit, vt pilus, aut oleum, aut aliqua alia humiditas, interueniens earum, quæ copulandæ sunt, partium vnitatem impediat. In eo autem quod sequitur, tempore, tertia indicatio seruatur prohibendo suffluxiones. Suppeditatur autem hæc intentio, & prohibetur suffluxio aut subiecti loci, aut contrarij loci diuisione, aut conuenienti membri figura: Sic enim locus hic interptetandus. Huius tamen tertiæ indicationis in lib. de meth. medendi separatim non meminit Gal. quia sub prima, quæ perfectè absoluta sit, comprehenditur: Quippe si perfectè commissæ simul sint cutis, & carnis oræ, nihil erit in medio cutis, & carnis generis diuersi. Quibus quarta quoque indicatio addenda est, vt oris diuisarum partium perfectè in vnum adductis, & ita adductis seruatis, agglutinantia medicamenta adhibeantur, quæ ipsi naturæ, diuisas partes secum coalescere facienti, opitulentur, eique omnia remoueant impedimenta. Si verò de indicationibus magis specificis sermo fiat, hæ à particularibus, seu ceteris horum vulnerum differentijs capiuntur. Vnde si sectio, & diuisio, seu ruptura sit adeo magna, vt disiunctæ partes exactè ad imum vsque coniungi non possint, præter agglutinantia, quæ in superficie administrantur, carnem quoque gignentia medicamenta in profundo vulneris admouenda erunt, oportebitque particulam mediocriter siccare, & si quæ sanies subsit, hanc consumere; & si qua in vacua loca influxura est, hanc prohibere. Vnde de orarum vulneris ad mutuum contactum adductione, earumque conseruatione, & medicamentorũ agglutinantium, nec non mediocriter siccantium, & carnem gignentium in his vulneribus applicatione, loquens Gal. ita scribebat: Quippe aut vinculo ex duobus initijs circundato, aut sutura, aut fibulis, (quas Græce ancteras vocant) impositis, aut horũ quibusdam, aut omnibus, quæ diducta sunt, in idem adduces. Expedit autem quod circumijcitur, neque molle nimium sit, & algæ titu fragile, vt tuto contineat: neque rursum ita durum, vt premendo offendat. Tum verò ipsa circumductio nec ita laxa sit, vt nihil efficiat: nec ita vehemens, vt premendo dolorem excitet. Hæc si feceris, fueritque vlcus siue vulnus solum citra vitiosum succum, aut fluxionem, aut intemperiem, aut phlegmonem, aut aliud quodlibet vitium, proculdubio coibit. At si vel præ eius magnitudine fieri nequeat, vt disiunctę ipsæ partes exactè ad imum vsque sibi coniungantur, videlicet nec sutura, nec fibulis, nec deligatura ad eas pertingere valente, vel etiam sanies iam illic sit collecta, vel dolor quispiam adiunctus, eiusmodi vlcus ex sola partium commissione agglutinati omnino nõ potest: Quando, quod dolet, plus aliquid affluere facit: atq; etiã, si, quod affluit, pro iusto naturæ modo se habeat, attamẽ vires ipsæ partium, quę tum

Auic. loc. cit. lib. 4. F. 4. T. 1. c. 3.

Gal. 3. meth. 4. & lib. art. med. c. 90.

Gal. loc. cit.

Indicationes alię magis particulares in incisione, & ruptura cõuenientes, dum citra partis deperditionẽ sũt factæ.

Gal. 3. meth. 4.

propter dolorem, tum etiam ex vulnere sunt imbecillæ, nec, quod iustum est, ferent, sed veluti ab iniusto grauabuntur. Atque hinc omnino superuacua sanies prouenit: mirum etiam, nisi & phlegmone. Iam verò si etiam citra dolorem sanies in medio adductorum labiorum vlceris interuenerit, aut etiam locus quispiam interfuerit, qui saniequidem sit vacuus, sed aere plenus: non potest eiusmodi vlcus sola dissidentium partium coniunctione glutinari: quando & sanies iam vnionem dispescit, &, quæ coniungendis interueniunt loca vacua, interiorum laterum frontes prohibent se contingere. Quare illæ saltem vulneris aut etiam vlceris partes, vt coeant, etiam carne prius impleri, naturæ opera postulant. Porro hæ adeo planè sunt exiguæ, si modo diuisæ vlceris partes ritè sint coniunctæ, vt vnius diei spatium desiderent, aut ad summum bidui. Hoc igitur tempore medicamento opus est, quod particulam siccet, vt, & si qua sanies iam subsit, hanc consumat: & si qua in vacua loca influxura est, hanc prohibeat. Nunc igitur medicamentum quod carnem producat, & mediocriter siccet, rursus mihi ad memoriam reuocabis, vt intelligamus, sicciusne eo glutinatorum esse debeat, an secus. Sanè, quod carnem producit, si totum, qui confluit, sanguinem consumeret, ipsam materiam creandæ carnis sic adimeret: at glutinatorium aut omnino carnis generatione non eget, aut planè exigua: quare plus siccet, oportet, quam quod carnem producit. Ergo tum hac ratione tenui quadam differentia inter se dissident: tum verò altera non parua, quatenus scilicet quod carnem producit, statim etiam detergendi vim obtineat, oportet, quò non modo redundantiam humoris siccet, sed etiam sordem auferat: glutinatorium verò nec detergeat, nec expurget, sed contra prorsus substantiam omnem in idem cogat. Cuiusmodi facultatem habent medicamenta ea, quæ austera, & adstringentia vocantur: hæc namque in idem cogendi, ac stipandi, non detergendi, neque purgandi facultatem habent. Quò fit, vt vbi carni producendæ studemus, maximè cauendum sit à medicamento, quod adstringat, vtpote, quod sordem vlceribus arctius affigat, quam vt facilè possit absolui. Vnde vinum omnis vlceris, quà vlcus est, optimum est medicamentum. Omne siquidem vlcus (& nunc de eo, quod de vulnere, & propriè dicto vlcere prædicatur, sermo est) tum siccari, tum etiam astringi postulat, non tamen detergeri: contra cauitas in carne siccari quidem postulat, & abstergi, minimè autem adstringi. Quemadmodum verò in cauis, & profundis vulneribus, in quibus carnem producere volumus, & vt summatim dicamus, in carne gignenda: ita, vbi agglutinare solum studemus, ad portionem naturam corporis æstimabimus, mollisne an laxa sit; an dura, sicca, & compacta. Siquidem prior, quanto est humidior, tantò medicamentis minus siccantibus eget: posterior, quatenus est siccior, eatenus rursum, quæ uehementius siccent, magisque adstringant, desiderat. Et hæc summatim de agglutinatorijs, & carnem producentibus pharmacis, de quibus diligentius mox agemus, dicta sint. Hinc verò altera quædam methodus succedit ad eorum præparationem, compositionemque pertinens. Si quidem cauo vulneri, seu cum carnis deperditione facto, quicquid volumus, statim applicamus, siue siccum id, siue humidum medicamentum sit. Licet enim omni parti vulneri ea tum inspergere, tum illinire: at in vulneribus quorum maior est profunditas, id non licet. Quippe ubi semel oras coniunxeris, contingere, quæ in imo sunt diuisa, non possis. Considerandum igitur est, non modo an siccans adstringensque modicè medicamentum sit, uerum etiam an peruenire ad imum ualeat. Nam & cerussa, & lithargyrus siccant, astringuntque modicè: sed, si ea cineris ritu circa uulnus inspergas, nihil proficies. Neque enim ad fundum peruenit medicamenti vis, quod ita sit siccum: humiditatem igitur quandam desiderat, quo simile emplastici sit, uel etiam humidioris cuiusquam medicaminis. Verum speculatio hæc ad opus de compositione medicamentorum non de medendi ratione attinet. Itaque ad uulnera ipsa, quę simplicia, & sine partis alicuius deperditione sunt facta reuertamur, & reliquas eorum particulares indicationes apponamus, quæ a reliquis ipsorum particularibus differentijs eliciuntur: non tamen ab omnibus: Nam recens, uetusque uulnus nihil indicat: quamquam nonnullis indicare uideatur. Vulnus enim necnon etiam ulcus, siue recens, siue antiquum sit, eandem semper curationem requirit, cum omnino ab altero quolibet affectu est liberum, nihil planè proprium indicante differentia illa, quæ à tempore sumitur. At si cauitatem altè reconditam sub cute habet, considerare oportet, utrum ea in superiore parte sit, ita,

Quid differat agglutinans à sarcotico.

Tum in agglutinatione vulnerũ, tũ in carnis generatione semper corporis temperatura æstimãda.

Agglutinãtium substãtia qualis esse debeat.

Indicationes à reliquis incisionis, vulnerisq; differentijs desumptæ.

Vulnus profundũ quid indicet.

ita, vt fanies ex ea prona effluat: an in inferiore fic, vt illic fiftatur. Eius igitur cui effluxus patet, eadem, quæ aliorum, curatio eft. Cui non eft, huic ipfi molia-mur effluxum quendam, oportet. Eius duplex ratio eft: alias tota cauitate defe-cta: alias in fundo tantum aperta. Quando verò harum alterutra fit ineunda, do-cebit tum locorum ipforum natura, tum verò vlceris magnitudo. Si namque & loca ipfa periculofam fectionem faciant, & vlcus magnum fuerit, in fundo a-perire magis expedit: Sin contra fe habeant, præfcindere præftat. Deligatio ve-rò eius incipiat quidem fupernè, fed finiatur infra, vbi fcilicet patet effluxus. Quod autem differentia illa vulnerum, quæ à vulneratis omnibus particulis fu-mitur, ad indicandam curationem fit maximè opportuna, tum vt fimilares funt, tum vt inftrumentales, in fequentibus vberius apparebit. Nunc ad proprias vul-nerum differentias eft redeundum, ac de ipfo, feu tranfuerfum fit, feu rectum, feu profundum, feu in fummo corpore, feu paruum, feu magnum definiendum:

Tranfuerfum quid indicet, & quid p longitudinẽ factum.

Tranfuerfa namque vulnera eò, quod labra eorum magis diffident, abfuntq; à fefe (mufculofæ enim partes hinc inde retrahuntur) coniungi diligentius poftulant: ideoq; tum futuris, tum fibulis in his eft vtendum. Quæ verò per longitudinem mufculorum funt facta, hæc fi à duplici initio deliges, nec futuris, nec fibulis ege-bis: fin aliter deligare placebit, vel fibulis, vel futuris vtere. Sufficient autem pau-ciffimæ omnino futuræ. Et magna quidem vulnera iis, quæ valentius ficcent, me-

Magna, & parua vulnera quid indicent.

dicamentis curabis: Parua verò vel quæ moderatè ficcent, abundè fanauerint. Profunda verò vlcera omnino etiam magna funt, voluntque tum à duobus initijs deligari, tum verò nec labra fua præproperè glutinari. At quæ profunda multum, longaque funt, vt duplici ratione funt magna, fic duplicem quoque indicationem præftant. Itaque & quæ valenter ficcent, poftulant, & ne immaturè labra coniun-gas, & vt à duobus initijs deliges, & vt altis futuris confuas. Ad eundem modum etfi multæ fimul differentiæ coierint, quarum fua cuique fit indicatio, fi quidem inter fe minimè pugnent, omnibus vti maximè expedit; Sin aliquatenus fecum pugnent, quemadmodum diftinguere de talibus oportebit, dictum quidem eft, & locupletius adhuc in fequentibus dicetur.

De Indicationibus à vulnere cum partis deperditione defumptis. Cap. VI.

SI autem incifio fectiove, aut ruptura cum partis alicuius amiffione fuerint factæ, duplex nobis proponitur finis, ficut etiam duplex eft affectus, nempe vulnus, quod eft vnitatis folutio, & cauitas, quæ ex amiffa aliqua animalis propria fubftantia eft contracta: In quo genere fæpius fieri non po-teft, vt alterius propofitorum finium fimus compotes: ve-luti fi non modo caro ipfa, fed etiam fubditum illi os perie-rit. Quippe impleri ad vnguem cauitas eiufmodi non po-teft, cicatrice induci certè poteft: Sed hæc vulneris fanatio eft: Cauitas autem infanabilis remanebit. Si verò non offea, & durior, fed mollis pars amiffa fit, proculdubio affectus vterque, & tum vulnus, tum cauitas fanari po-teft. Veruntamen cauitas, quæ repletur, non femper eadem prorfus fubftantia, ac parte, quæ perijt, impleri poteft. Vt enim in fermone de prædictionibus dixi-mus, caro fi pereat, eadem prorfus reftitui poteft: non tamen cutis, nec ex alijs fi-milaribus partibus vlla (vena ipfa nonnunquam excepta) talis omnino, qualis erat, reftitui poteft, fed quoddam ei fimile, & quod eius officium fuppleat, poteft. Quapropter caui vulneris fanandi rationem, & methodum cum Galeno trada-mus, fupponamusque nedum cutem ipfam, verum etiam ei fubiectam carnem effe deperditam. Itaque quoniam caro reftituenda primum proponitur (nam fe-cus nũquam cicatrix probè induci poterit) fcire licet generandæ carnis materiam, fanguinem bonum effe: opificem verò, auctoremque, fiue dicas efficientem cau-fam effe naturam, fiue iuftam fubiectarum particularum, quibus deficiens caro re-

Gal. 3. meth. 3.

Caui vlceris fanandi modus.

ftituenda eft, temperaturam. Quare in omni cauo vulnere hæc duo confideran-da funt, & an vulnerata pars proba temperie fit affecta, & an fanguis affluens bo-nus, ac mediocris fit. Si ergo horum alterutrum vitiofum fit, multi fanè affectus præter naturam exiftunt, quorum ij prius amouendi, vt fuperius diximus, qui caufę, & eius,

& eius, sine quo non, rationem habent; deinde cauitas sananda. Fingamus itaque & sanam esse partem, & sanguinis confluxum citra vllum vel in qualitate, vel in quantitate vitium. His ita se habentibus, nil obstat, quò minus prima carnis generatio prosperè contingat, idque nullius externi medicamenti ope. Causa enim tum materialis, tum efficiens præstò sunt, & nullum adest extrinsecus quod impediat. Verum in ipsa prima carnis generatione duplex prouenire excrementum necesse est, alterum crassius, alterum tenuius: sicuti etiam in quacunque alia tum communi, tum particulari concoctione, & omni qualitatis alimenti mutatione contingit. In vlceribus itaque tenuius excrementum sanies, seu ichor; crassius verò sordes appellatur. Ac ex tenui quidem vlcus humidum, ex crasso sordidum redditur: & ob id duplicibus medicamentis eget, vtique, vt humidum est, siccantibus; vt sordidum, expurgantibus, seu detergentibus. Ergo cum nullo vnquam tempore natura cesset, certè nec tempus vllum erit, in quo non vtrumque medicamentorum genus desiderabit, vtique & quod siccet, & quod expurget. Inuentum igitur est medicamentum quod carni producendæ sit aptum, modicè tum siccare debere, tum detergere. Verum non est id satis: Nam exsiccantium medicamentorum plures sunt gradus. Cuius igitur gradus, seu ordinis erit medicamentum vlceri admouendum? Certè primi ordinis. Quod enim super hunc fuerit, ita vt non modo humoris, qui influit, redundantiam consumat, sed etiam affluentem sanguinem ipsum populetur, id resici carnem, ceu materiam eius absumens, prohibebit. Sed rursus, cum primus siccantium medicamentorum ordo, seu gradus latitudinem habeat, & vt quidam vocant, tres mansiones, quarum primam remissam, secundam æqualem, tertiam verò intensam appellant: & ipsorum siccantium moderatè, & in primo ordine quædam magis siccent, quædam minus, vlterius disquirendum quando magis, & quando minus siccantia sint vsurpanda. Hoc itaque inueniemus, si, vti nos docuit Galenus, duo spectabimus, nempe ipsius vulneris diuersitatem, & ægrotantis temperamentum. Scire namque licet, inquit ille, duas esse primarum indicationum differentias, videlicet, quod secundum naturam se habet, custodiam sui indicante, & propterea, quæ similia sui sunt, postulante: quod præter naturam est, sublationem sui, eoque contraria requirente. Perit enim quodque in contrarium, & à contrario: sicuti simile à sibi simili conseruatur. Itaque vlcus quidem quanto est humidius, eò sanè medicamento, quod magis siccet, indiget. Corporis verò natura quanto est humidior, tanto quod minus siccet, medicamentum postulat. Quare si qua sunt vlcera, quibus par est humiditas, quod in sicciore corporis temperamento consistit, vtique magis siccari postulat: Quod in humidiore, hoc sanè minus, quo natura naturæ interest. Si quidem productam carnem ei, quæ ante erat, similem esse oportet. Vbi igitur pristina siccior fuerit, nouellam quoque sicciorem fieri conueniet. Quare vberius hæc siccari, quantoque magis sicca fuerit, tanto magis, quod admouetur medicamentum magis siccans esse debebit. At in humidiore natura, tanto rursum iis, quæ minus siccent, medicamentis est opus, quanto caro ipsa minus est sicca. Quod si in huius siccantis medicamenti applicatione nihil proficiamus, & caro non gignatur, vt sciamus, qua de causa nihil profuit medicamentum carnem generans, vult Gal. vt duo perpendamus, an scilicet vel parcius siccauit, vel nimium. Nam horum notas habebimus sordem, & saniem. Nam, si plusculum sordis sit, totumque vlcus humidius, intra modum siccauit: sin purum, & absque humore cernitur, vltrà. Statim igitur mensuram quoque excessus, defectusq; ex ipso notatum modo intelligemus, tantoq; pharmacum, quod deinceps applicabitur, vel siccius, vel non tale admouebimus. At verò vulnere iam carne ipsa repleto, nihil aliud remanet, nisi vt cicatrix inducatur. Ad cicatricem verò perducitur vulnus, quod iam impletum est, ex gignenda cute, quæ non ex sanguine, vt caro ipsa, sed ex subiecta carne creatur. Ceterum caro eadem specie cum ea, quæ periit, gigni in cauo vlcere potest; Cutis, vt diximus, talis omnino, qualis erat, quæ periit, prorsus restitui non potest, sed simile quiddam cuti, & quod eius officium suppleat, potest, non tamen planè cutis. Quemadmodum verò tum naturam, tum vitium, curis imitemur, hinc accipiendum. Quoniam tegere carnem naturali aliquo tegumento propositum est (id enim est cicatricem inducere) cutis autem regenerari nequit, ergo summa caro cuti similis efficienda, & proinde alteranda erit. Ergo quoniam cutis carne ipsa tum siccior est, tum etiam densior, si carnem siccabimus, & astringemus, cuti etiam persimilem reddemus. Verum hoc sciuisse non sufficit: quia etiam glutinatoria

Sarcoticorum ordo, & vis siccandi congrua, ex quib. sco pis inuenia tur.

Gal. 3 meth. 5.

Qua ratione cicatrix inducenda sit.

toria

toria ficcabant, & adftringebant. Ergo quo hæc ab illis diftent, cognofcendum.

Quid diftet glutinatoriũ ab epuloticо.

hoc autem inueniemus, fi ipfam rerum fubftantiam infpiciamus. Nam quoniam in glutinatione vulnerum ficcandum, quod affluit, eft, quò videlicet affecta pars fuperuacuis vacet; in cicatrice ducenda non modo, quod affluit, verum etiam humor, qui in ipfa carne continetur, eft confumendus, multo profectò ficcius, quod cicatrizet, quàm quod agglutinet, effe conueniet. Nam glutinaturo vnum id propofitum eft, vt eius, quod fecundum naturam eft, redundantiam confumat: Qui cicatricem inducet, non hoc modo, verum etiam, vt etiam quæ fecundum naturam fe habet, humiditatem deradat, & ficcet. Verum quoniam fupercrefcens vlceribus caro fub eodem genere, quo cauitas ipfa, nempe vitiata partium magnitudine, continetur, ideo affinitate fermonis breuiter hoc loco de ea tranfigamus. Indicat igitur magnitudo, quæ præter naturam eft, primam indicationem, exuperantis fcilicet ablationem. Hæc autem non opera naturæ, fed fola medicamentorum ope perficitur: eorum fcilicet quæ vehementer ficcent. Porrò proxima funt talia medicamenta tum ijs, quæ valenter detergent, tum ijs, quæ cicatricem inducunt, fic, vt non pauci interim per errorem medicamentum, quod carnem minuit, vel pro eo, quod fordem detergit, vel pro eo, quod cicatricem inducit, accipiant.

Methodus curandi vlcus cui caro fupercrefcit.

Verum quoniam fordida vulnera, aut vlcera purgare, & carnem fupercrefcentem minuere eft ipforum medicamentorum opus, & proinde perfici poffunt, etiam fi caro naturalem ftatum non feruet; carne autem implere, & glutinare, & cicatrizare funt naturæ opera, & proinde legitimum vlceratarum partium temperamẽtum exigunt, idcirco fi cum vlcere, aut phlegmone, aut fola intemperies fine phlegmone iuncta fit, nullum horum perfici poteft, nifi prius fuerint hæc fublata. Quo- Gal. 3. meth. 8.

Gradus & natura actiuarum qualitatũ in farcoticis, agglutinantibus, & epuloticis pharmacis à quibus indicetur.

circa fi vulnerata caro vel prius ex quauis occafione, vel ipfo vulnerationis tempore iufto calidior, frigidiorve eft effecta, vtique medelam exigit, quæ non modo moderatè ficcet, fed etiam in tantum calfaciat, refrigeretve, in quantum fubiecta caro à naturali fuo habitu receffit: Cum fieri non poffit, vt in vlcere, vel carnis productio, vel finus impletio, vel agglutinatio, vel cicatricis inductio rectè vnquã procedat, nifi fubiecta caro pro naturali modo fe habeat. Vnde rurfus hinc indicatio quædam ad dictorum iam medicamentorum inuentionem oritur. Quippe omnia ea ficcantia erant: Sed diffidebant inter fe pro intenfionis, remiffionifque modo. Cęterum definitum antea non eft, quatenus in calefaciendo, frigefaciendoq; fe haberent. Altercum enim & mandragoram, & meconium, ceu nimis refrigerantia fugimus, etiam fi ficcent, quantum fit vlceri ex vfu: Refina verò, & pix, & afphaltus, etfi modicè ficcant, tamen immodicè funt calida. Ideoque eis nemo vtetur folis, nec aliter, nifi cum leuiter refrigerantibus admiftis vnum ex omnibus medicamentum fecerit, quod fit temperatum. Si igitur hæc ita fe habent, ficuti profectò habent, infpici etiam conueniet, & circundantis nos aeris temperiem. Veluti enim medicamentum quoddam, is quoque corporibus noftris forinfecus incidens, vbi immodicus calore vel frigore eft, fanationem moratur. Danda igitur opera eft, vt medicamina eius exceffui occurrant. Ideoque Hippocrates in calidioribus anni temporibus, ijs, quibus frigidior facultas fit, medicamentis vtitur; calidioribus autem per frigidiora. Verum rurfus repetendum hoc etiam loco eft, quod prius diximus in indicatione, quæ à ficco, humidoque fumitur. Nam ficuti in illis humidior natura humidiora, ficcior ficciora medicamenta exigebat; ita nunc calidior calidiora, frigidior frigidiora requiret; Contrariam fcilicet femper ijs, quæ præter naturam, & ijs quę fecundum naturam funt, fimilem indicationem præftantibus. Si modo hæc feruari, illa fubmoueri neceffe eft. Qui ergo probè Cap. 9. vulnus, aut vlcus fanare voluerit, non modo ambientem aerem, prout & ad anni tempus, & cœli ftatum, & regionem extenditur, æftimare debebit, verum etiam ægrotantis temperamentum, non folum corporis vniuerfi, fed etiam afflictæ particulæ.

Si contrariç indicationes fint.

Verum quoniam contrariæ fubinde in vna curatione nonnunquam indicationes funt: Interdum enim ægri temperatura humidior eft, vulnerata verò particula ficcior; nonnunquam e contra: Et pari modo in calore & frigore nonnunquam contrario temperamento pars eft cum toto: Idcirco, quemadmodum, fi totum corpus medio temperamento fit, nihil planè, quantum ad laborantis naturam attinet, in medicamentis nouamus; ita, vbi vel ficcius, vel humidius, vel calidius, vel frigidius iufto cernitur, eatenus intendere vires medicamentorum oportet, quatenus corpus ad naturalem intemperiem (quæ fanitatis limites non egreditur) eft verfum. Pone igitur totum corpus humidius effe, eoq; minus ficcantia

defide-

desiderare; ipsam verò ægram particulam ex earum numero esse, quæ siciores sint (qualia sunt minus carnosa, cuius generis sunt, quæ circa digitos, & articulos habentur, & quæ circa aures, nasum, oculos, & dentes sunt, ac vt semel dicam, vbi crebræ cartilagines, & membranulæ, & ligamenta, & ossa, & nerui sunt: adeps verò & caro vel omnino nulla est, vel perquam exigua) diuersa in his est ea, quæ à patiente particula sumitur, indicatio, ab ea, quæ ex ægri sumitur natura. Quare, si, quanto ægri temperamentum iusto est humidius, tanto particula iusto sit siccior, tale adhibendum pharmacum, quale, si vlcus in medij temperamenti particula corporis mediocriter temperati consisteret, adhiberemus. Sin siccior debito particula magis fuerit, quàm corporis temperamentum iusto est humidius, vtique in tantum intendi siccitatem pharmaci conueniet, quantum particulæ temperamentum totius temperamentum excedit: veluti si quatuor numeris sit vulnerata pars medio temperamento siccior, ægri natura gradibus tribus humidior, clarum est particulam nunc vulneratam siccius vno gradu desideraturam medicamētum, quàm quæ pars sit temperata: Et idem prorsus de indicationibus, quæ à calido, & frigido sumuntur, dicendum est.

Verum circa vulneris cum carnis deperditione curandi methodum iam propositam, aliquis dubitare posset, eam esse quadantenus diminutam, cum nostra tempestate Chirurgi fere omnes ante sarcoticorum vsum vtantur pus mouentibus, seu concoquentibus, quæ quidem saniem creant, & ab ijs passim digestiua nuncupantur: ideo operæpretium est scire, consuetudinem hanc non esse neotericam, vt nonnulli arbitrantur; sed ab antiquorum experientia, & ratione defluxisse. Quamuis enim vtraque curandi ratio proba sit, & tum siccantibus, tum pus mouentibus caui vlceris curatio aggredi possit; nihilominus tutior, ac facilior ea est, quę à concoquentibus ipsis exorditur: Et, quemadmodum ex Galeno ipso colligimus, dum capitis vulnerum curationem pertractat, etiam suo tempore in capitis vulneribus curandis, grassabatur: & ipsemet fatetur, se ipsa, dum esset Romæ, vsum fuisse, eamque, tanquam rationi consentaneam, approbasse. Post ipsum verò nedum Rhases, Auic. & alij Arabes (nam Rhases iubet primum ea esse vulneribus admouenda, quæ putredinem creant, & Auicen. vult primum procurandam esse saniationem, & deinde carnis generationem) verum etiam ante hos Celsus ipse eadem via progressus fuit: Dicebat enim primum esse pus mouendum, deinde purgandum, & mox implendum, & demum cicatricem inducendam. Est autem tutior via hæc, quia, cum in huius capitis initio dixerimus, primam, atque communissimam omnium vulnerum indicationem artificiosam, esse ipsius inflammationis, & subinde cuiuscunque doloris prohibitionem, proculdubio tutius est in principio, in quo dolor, ratione solutionis continui recenter factæ, & ratione materię ad vulnus ipsum iam confluxę, atque vulneris partes tendentis, valde vrget, humida ipsa, & pus mouentia, quàm sicca, & sarcotica vulneri admouere. Hæc enim est famosa atque adeo protrita complexorum affectuum curandi methodus, vt ei, quod magis vrget, incumbamus, altero tamen (dummodo id, quod vrget, vt superius diximus, ad se totam non trahat curationem, & solum curandum non sit) non neglecto, & proinde cum vtrique scopo possimus incumbere, mirum non est, si moderni, qui in hoc maximè probandi sunt, vnà cum concoquentibus siccantia quoque, & sarcotica permisceant, quod etiam à Galeno ipso fuit obseruatum, qui dum medicamentum pro vulneribus componit, thus ipsum reliquis immiscet, inquiens, quod ab eo tum dolor mitigabitur, tum, si qua phlegmone cum vulnere fuerit, concoquitur. Vt itaque tum dolorem, tum inflammationem ipsam arceamus, optimum est, vnà cum siccantibus humectantia, & calorem moderatum vulneratę partis natiuo calori, quàm simillimum habentia permiscere, vt sanguis, & materia in labiorum vulneris porositatibus iam influxa concoquatur, & in bonum pus vertatur, ad hoc vt vulneratam partem non mordeat, & minime lædat. Neque enim tutum est, huius materiæ iam influxæ resolutionem, & siccationem solis discutientibus tentare, cum periculum sit, ne horum vi aliæ materiæ ad affectum locum trahantur. Repellentibus verò impossibile est, vt procul ab affecta parte propellatur, cum extra vasa in partis porositatibus subsistat. Ergo tum in cauo vulnere, tum etiam simplici, sed magno, & profundo, in quo eius labia in imis partibus nullo auxilio committi possunt, in principio cum siccantibus concoquentia sunt admouenda; imò tanta est doloris, & imminentis inflammationis vis, vt in prima vulnerum medicatione Chirurgi longa experientia edocti, solum oui candidum, tanquam

Ante carnis generationem concoquentib. utendū esse.

Gal. 6. meth. prope finem.

Rhas. 13. contin. cap. 14. Auic. lib. 4. F. 4. tr. 3. c. 2.

Celsus lib. 5. cap. 26.

Galen. 1. de cōp. per gen. 12. & 18.

quam doloris valde mitigatiuum, & quadantenus refrigeratione, & lentore modico repercutiens, & partem roborans, vulneratæ parti statim imponant, cui si timor aliquis profusionis sanguinis adsit, adstringentes quosdam puluere scommiscere consueuerunt. Cuius autem facultatis pus mouentia sint, tum sæpius diximus in primis libris, tum in tractatu de tumoribus præter naturam, in hoc quarto libro vberius dicemus.

De Indicationibus, quæ à punctura, ruptura, contusione, & erosione specialiter sunt expromendæ. Cap. VII.

QVANTVM autem attinet ad puncturam, hæc, vt notat Auicennas, potissimum id exigit, vt tum dolor, tum inflammatio remoueatur, & prohibeatur, quia alio vulneris regimine non indiget: potissimum si ad ipsam carnem tantummodo perueniat, & superficialis sit: Nam vt plurimum per seipsam sanatur, dũmodo corpus valde cacochymum non sit, & carnis temperatura satis vitiosa, ratione quorum inflammatio suboriatur. Si verò profundior sit, & ad neruos vsque permeet, quidnam indicet, & quomodo curanda sit, in sermone de neruorum vulneribus declarabimus. Et quod diximus de punctura, idem quoque ex Auicenna statuendum de ruptura, quæ à punctura differt, eò, quia fiat à corpore duro, sed magis penetrante, continuumq; magis diuidente, quàm punctura, quæ magis superficialis, & angustior esse solet, quemadmodum accidit, dum quis ab acubus, aut auium vnguibus, aut veprium aculeis sauciatur. Vnde disruptio nedum remotione, prohibitioneq; doloris, & phlegmones potissimum, verum etiam vulnerum, de quibus dictum est, curatione indiget. Huius autem rupturæ species est & ipsa cutis excoriatio, quæ, vt ait Auicennas, in eius superficie contingit propter tactum laboriosum duri asperi, inæqualisque corporis. Cutis autem nonnunquam ex toto à membro separatur: aliquando non ex toto, sed secundum quasdam partes subiectæ parti adhæret; secundum quasdam verò pendens permanet. Quocirca si ex parte adhæreat, & ex parte pendeat, vult Auicen. vt agglutinetur iisdem præsidijs, quæ superius in incisione fuere proposita: ita vt debita agglutinatoria ligatura adhibeatur: & vniuersa cutis pendens in locum suum reducatur, & nullo pacto abscindatur, vt imperiti quidam faciunt; sed potius si aliquatenus inuoluta sit, dilatetur, & super nudatam partem extensa redigatur, quoniam tandem, ait ipse, agglutinatur, dummodo abscissio, & ruptura, seu excoriatio recens sit, & ab aere non alterat. Agglutinatur autem potissimum congrua deligatura, quæ, si non sufficiat, conuenientia medicamina, & emplastra agglutinantia superponuntur. Si verò cutis ex toto fuerit abscissa, consulit Auic. vt medicamina absque ligatura superponantur; ita tamen, vt Auicen. de ea ligatura, quam agglutinatoriam vocamus, intelligendus sit: Nam intentio nostra est deperditam partem, vel quid ei simile regenerare; non autem agglutinare. Ideo si medicamina super excoriatam partem contineri non possint, necesse est, vt deligatura solum ad continendum idonea vtamur, quæ quidem ab Auicenna non reprobatur. Medicamina verò epulotica, seu cicatricem inducentia esse debent, de quibus superius egimus. In Contusione verò præter id, quod longè magis, quàm in sectione, & vulnere magis propriè dicto, prohibere inflammationem oporter, & dolorem sedare: quia propter multiplicem continuitatis solutionem dolor vehementior excitatur, & maior ad contusum locum sanguinis confluxus oritur, quàm in incisione, oportet ante omnia considerate, an vnà cum incisione aliqua, vel ruptura coniuncta sit, vel ne? Si fuerit cum incisione, aut ruptura coniuncta, primum submoueri debet contusio; deinde sectio, & disruptio. Impossibile enim est, vt sectio, & ruptio agglutinentur, nisi partes eis circumstantes rectè dispositæ, & naturali temperie donatæ sint, vt toties diximus: non possunt autem esse rectè dispositæ, & proba temperie affectæ, donec contusæ permanent: quia præter id, quod ratione quassationis, seu attritionis earum calor innatus, & temperies corrumpitur, plurimæ humiditates, & sanguis ad ipsas fluit, in earumque porositatibus infarcitur, & putrescens phlegmonem accersit, & temperaturam partium immutat: Et ob id protrita est Galeni sententia, quod omne contusum in pus vertitur,

quia

Auic. 4.4. tr.2.c.10.

Loc. cit. c.9.

Contusio quid indicet.

quia tum particulæ conquassatæ, & attritæ, tum sanguis ad eas confluxus, dum
à propria natura destituuntur, necessariò computrescunt. Ex hoc autem obiter
colligimus, cur in quacunque contusione semper liuiditas manifesta subsequatur.
Arist. 9. proble. probl. 14. Postquam enim (ait Aristoteles) sanguis ad contusi membri venas, & porosita-
tes defluxit, ipsius innatus calor exhalat, quo quidem sanguis destitutus statim
congelatur, corrumpitur, ac nigrescit. Si verò contusio absque aliqua incisione
& ruptura sit; in ea tamen est compositus, ac geminus affectus: quia in eo tum
plures vnitatis diuisiones subsistunt, tum sanguis, aut caro ipsa, vel vtraque cum ea
vel putrefacta sunt, vel sunt in potentia proxima, vt putrefiant & corrumpantur:
Quo fit, vt in contusionibus sæpius gangrænæ suboriantur. Vnde simili modo, ex
Gal. lib. art. med. cap. cit. Galeni sententia, primo sanguinem iam influxum, & eius carnisq; subiectę putre-
factionem remouere debemus, deinde solutas vnitates curare. Nisi enim extraha-
Auic. 4. 4. tr. 2. c. 3. tur sanguis iam influxus, inquit Auic. diuisę particulæ ad continuitatem redire non
possunt. Quocirca in quacunque contusione, sublata fluxione, sedatoque dolore,
& omni inflammationis metu sublato, statim influxus sanguis & per repellentia,
& per discutientia, & vbi ratio id exigat, per partis incisiones, si fieri poterit, sub-
mouendus erit. Si verò id præstari non possit; tum ipse, tum caro contusa in pus
laudabile erunt vertenda, priusquam malam aliquam putredinem contrahant, &
gangræna subsequatur. Quo facto, pus abstergendum, caro gignenda, & tandem
cicatrix inducenda erit. Illud autem notare expedit, quod sanguis influxus, & ex-
tra venas egressus tunc potest discuti, & resolui, quotiescunq; contusio ad carnem
non peruenit, aut non adeo profunda est, & sanguis non adeo copiosus fuerit. Si
verò copiosus extiterit, & contusio profunda, & subiectæ potissimum partes dila-
ceratæ, impossibile est, vt sanguis ille discutiatur: Vnde necesse est, vt omne contu-
sum in saniem vertatur. Quod autem ab excoriatione indicari docuimus, idem *Ab erosione quid indicetur.*
ferè ab ipsa erosione, quæ ab aspero, aut duro corpore fit, indicatur. In eo tantum-
modo aliquod esse potest discrimen: quia in erosione ab aspero, durove corpore
diutius partem atterente, aliqua ei extranea caliditas solet inuri, quæ peculiariter
refrigerans aliquod auxilium expostulat. Si verò erosio ab igne, aut aqua, aut alio
liquore feruente promoueatur, quia in ipso vulnerandi tempore, vt notat Gal. ca-
lida admodum intemperies partibus affectis impartitur, cuius vi permultę aquosæ
humiditates ad ipsas trahuntur, quæ propter cutis densitatem à re vrente, & insi-
gniter exsiccante promouetur, non possunt per poros cutaneos egredi: Vnde ibi
detentæ vesicas cutim attollentes & aquosos tumores producunt; quæ, si corpus
cacochymum, aut repletum sit, tum phlegmones, tum malignas exulcerationes
Auic. 4. 8. tr. 2. c. 12. creant: Idcirco in adustione illud peculiariter notat Auic. vt refrigerantibus citra
mordicationẽ occurramus, vt extraneo calore refracto humiditates illæ ad vstam
partem non trahantur; sed procul ab ipsa repellantur, & subinde vesicatum gene-
ratio prohibeatur: à quibus pariter refrigerantibus dolor, qui in hoc malo propter
calidam intemperiem valde dolorificam maximè suboritur, mitigatur. His autem
absolutis, combustus, & erosus, seu excoriatus locus facilè moderatis abstergen-
tibus, & siccantibus curatur. Quod si deusta pars vesicas iam contraxerit, forfici-
bus, aut scalpello aperiantur, & postea curatio per indicationes iam propositas
perficiatur.

De Vulneris curatione, & primum de materia Chirurgica tum reuellente, tum ea, quæ cum vulnere coniunguntur, remouente. Cap. VIII.

VVLNERIS indicationibus iam propositis, medicinalem quã-
cunque materiam, qua eæ absolui perfectè possint, subnectere
debemus, à Chirurgica scilicet vt consueuimus, sumpto initio.
Ad inflammationem igitur, quæ quidem in vulnere maximi mo- *Chirurgia.*
menti est, & illud lethale reddere potest, arcendam, præstantissi-
mum, & omnium remediorum efficacissimum est phlebotomia,
& potissimum venæ sectio. Hac enim vniuersum corpus euacua- *Venę sectio & cucurbitulæ scarificatæ.*
re, refrigerare, & humores ad vulneratã partem fluentes vnà reuellere possumus.
Si itaque vulnus, aut propter vulneratæ partis præstantiam, vel rationę propriæ ma
gnitudinis, ita vt vel longum sit, vel latum, vel profundum, vel ratione prauitatis,
siue malignitatis, vti sunt vulnera articulorum, quæ dolores, vigilias, conuulsiones,

& deliria

& deliria accersere solent, magnum sit, & non parui momenti (quędam enim adeo parua, & exigui momenti sunt, vt omnino neglecta absque Medici auxilio consolidentur) & vires ætasque consentiant, & ab ipso vulnere immodica sanguinis copia non profluxerit, ratione cuius vires languidæ penes spiritus euadunt, ilicò per venam sectam sanguis mittendus, & ab octo vsque ad duodecim, & plures vncias, prout inspecta sanguinis in corpore contenti, necnon eius, qui iam è vulnere effluxit, redundantia, ætas, virtus, corporis habitus, consuetudo, anni tempus, regio, ac cœli status maiorem, vel minorem copiam indicabit, de quibus omnibus accuratè in tertio lib. de morbis totius loquuti fuimus. Vbi verò virtus, & alia maiorem copiam vnica vice non permittunt, & maiorem reuulsionem moliri studemus, in minori copia prima vice euacuamus, sed rursus tertia die sanguinem mittimus, & sanguinem, qui vnica vice educendus erat, duabus vicibus exhaurimus: aut si vires, & ætas nō consentiant, incisas cucurbitulas adhibemus, & eam sanguinis copiam, quam de venæ sectione diximus, detrahimus: Et quoniam vnà cum totius corporis inanitione, principalis nostra intentio est reuellere, & reuulsio ad partes distantes fit, idcirco tum sectio venæ, tum cucurbitulæ in partibus à vulnerata remotis erunt administrandæ, seruata tamen & debita distantia, & partium vel vasorum rectitudine, & communicantia. Exempli causa si vulnus dexteræ capitis parti sit inflictum, dextera cephalica incidenda, aut, hac non apparente, alia, quæ in cubito dextro sit: Quæ enim in manu est, tardius reuellit: Si vulnus thoraci inustum sit, eiusdem lateris basilica aperienda: Si in dextra manu acceptum sit vulnus, aut dextri cruris, aut sinistri brachij vena pertundenda: Si vulnus sit in abdomine, sed in partibus supra renes, eiusdem lateris basilica reseranda; si infra renes, venæ sectio in pede, vel crure, quod è directo est, citius, & maiore cum impetu reuellit. Renes verò inter superiores, inferioresque partes ancipites sunt: Sed vbi copia sanguinis affuerit, misso ex cubito sanguini nonnunquam auscultant: Sed licet quoque inferiores è directo venas diuidere, vt celerior fiat reuulsio. Situm verò partium præscribimus non ex partis ordine, sed ex ortu, & productione venæ, quæ in partem ipsam inseritur. Hinc vulneratis rectis abdominis musculis alioquin supra vmbilicum, aperta inferiore vena, efficacior reuulsio fiet: Vulneratis autem crassis intestinis, etiamsi subter renibus sint, melius est internam, eiusdemque lateris venam cubiti aperire. Vno autem vulnerato crure, tum alterius cruris, tum brachij, quod è directo est, venam pertundere licebit. Quemadmodum verò vulnerato capite, cucurbitulæ dorso possunt apponi: ita thorace, vel abdomine sauciato, coxis, & cruribus affiguntur: Quemadmodum scapulis adhiberi possunt, vbi crura fuerint vulnerata. Simili modo, quousque durat inflammationis suspicio & timor (in mediocri autem vulnere vsque ad septimam, in maiori vsque ad nonam diem perdurare solet) optimum est pro maiori reuulsione, post adhibitam phlebotomiam singulo quoque die (excepto tamen purgationis die) imò, dum dolor, & necessitas vrget, singulis horis, quæ cibum præcedunt, nedum cucurbitulas non scarificatas, & eas quidem non absque copiosa flamma, verum etiam fortes ligaturas, validasq; frictiones, & fomenta, ac inunctiones, quæ calfaciendi, ac digerendi vim habent, partib. quæ à vulneratæ longinquę ac oppositæ sunt, admouere: Et hæc omnia Chirurgica præsidia iam proposita tum dolorē ipsum mitigare, tum conuulsionem arcere, tum deniq; sanguinem sistere maximè valent: & ne frustra repetantur, in proprijs locis erunt supponenda. Si verò vulnus cum eius causa coniunctum sit, antequam ipsius labia ad mutuum adducantur contactum, quam primum, si fieri potest, nitendum est, vt causa hæc extrahatur: vel, si propter extractionem vehementis doloris, aut sanguinis fluxionis periculum immineat, extractio post adhibitam phlebotomiam, & post hæc sedata symptomata, dimittenda: Quinimò tutius est primò venam secare, & sanguinem, vti dictum est, extrahere, & postmodū his, quæ causam remouent, & dolorem, & fluxionem sanguinis tollunt, & vulneris labia ad mutuum contactum adducunt, præsidijs incumbere. In extractione autem eorum, quæ in ipso corpore sunt infixa, & cum vulnere coniuncta, Auic. duplex imprimus proponit auxilium, quorum vnum per attractionem, alterum per expulsionem adhibetur: Attractio rursus duplici modo administrari potest, videlicet, vel attrahentibus instrumentis, & manuum ipsiusq; Chirurgi opera, vel eiusdem facultatis medicamentis, de quibus post loquemur. Verum vt sciamus, quisnam ex his modis magis congruus, & administrandus sit, monet Paulus & Auic. vt duos potissimum scopos accuratè perpēdamus, nempe formam, & naturam

Lib. 3. c. 21.

Galen. lib. de rat. cur. per ven. sect. c. 16. & infra.

Alia reuulsoria præsidia.

Præsidiorū materię ca, quę cū vulnere iūguntur, remouentes, & primū eius causas.

Extractio per attractionem.

Auic. 4. 4. tr. 2. c. 10. Paul. lib. 6. cap. 88. Auic. loc. cit.

tertiam rei infixæ, vnà cum eius magnitudine, & resistentia, ac maiori, vel minori, seu profundiori, vel magis superficiali defixione: necnon naturam, ac diuersitatem læsarum partium, in quibus causæ, & huiusmodi res infixæ sunt, & per quas eçdem extrahi debent. His enim rectè perpensis, facillimum est scire, quod ea, quæ magis in superficie, & prope vulneris orificium consistunt, & quæ maiora sunt, & ossibus, aut cartilaginibus, vel neruis, durioribusq; partibus hærent, & venis, arterijs, neruis, nobilioribusq; partibus superposita sunt, per attractionem ipsam sunt extrahenda. Quæ verò in profundo magis sunt, & à vulneris orificio magis absunt, ita vt partes, in quibus sunt infixa, ab ipsa externa cute non procul absint, & carnosis, mollibusq;, ac ignobilioribus partibus hærent, & superposita sunt, potius per impulsionem sunt extrahenda. Similiter, vbi attractio magis conuenit, quàm impulsio, si id, quod attrahendum est, fuerit valde renitens, & immersum, & densum ac solidum, & magnum, & magis in superficie, proculdubio rectius per instrumenta, & manuum opera attrahitur: Sin minus resistens, & in profundiori loco, & minus densum, ac magis fragile sit, & paruum, vti sunt spinæ, aristæ, lapilli, vitra, ossium frustula, & similia, etiam pharmacis ipsis attrahentibus cedere, & obtemperare solet. Dum autem instrumentis vtimur attrahentibus, primum præcipit Auicenn. vt ijs instrumentis vtamur, quæ fortiter, ac vehementer rem infixam appręhendunt, ac retinent, veluti sunt tenaculæ, ac forcipes, quæ capita habent, ad instar limæ, dentata. Secundò, vt caueamus in attractione eius, quod compręhenditur, confractionem. Tertia, vt via, quæ peruenit ad illud, quod tenaculis appręhendendum est, ita ampla paretur, & facilis, vt tenaculæ rem infixam optimè appręhendere, & facilius, quo fieri possit, eam extrahere possint. Vnde si fuerit penetrans ex duobus lateribus, subdit ille, tunc dilatetur latus, quod est magis conueniens ad hoc, vt egrediatur per ipsum cum dilatatione. Eius autem, quod extrahitur, fractio cauetur, si non moueatur motione forti, subita, seu violenta, sed, postquam fuerit compręhensum, commoueatur ea concussione, qua possimus eius fixionem, an magna, vel exigua sit, percipere, & postea hinc inde commoueatur, & tractu secundum rectitudinem trahatur. Et sæpe necessarium est, vt aliquot diebus sic infixum dimittatur, ad hoc scilicet vt caro, & pars ipsum retinens putrescat, & postea illud circumuoluendo, & hinc inde dimouendo facilius extrahatur. Quemadmodum verò dum sagitta vel huiuscemodi aliud nobis est apparens ex ipsius appręhensione facilè extrahi potest, ita, vbi occultatur, difficilius attrahitur, & ob id vt attractio fœlicius succedat, consulit Auic. (& hoc ab ipso Hippoc. & Paulo accepit) vt quantum fieri potest, vulneratus debitè figuretur, ita vt in ea figura constituatur, in qua erat, quo tēpore fuit vulneratus, & specillo ipso perquiramus, quò nam spiculum ipsum, vel globulus plumbeus, vel quid simile retenderit, aut, si ita figurari non possit, saltem collocetur, vt ad illam figuram proximius accedat. Sic enim facilius, & minori cum dolore, & partium per quas extrahitur, iactura egredietur. Dum autem telum extra vulnus non apparet, nec prominet; & manib. ipsis appręhendi, & trahi non potest, necesse est instrumentis attrahentibus, ac tenaculis ipsis eius extractionem peragere; quorum duo sunt genera: Nam quædam sagittis, quæ simplices sunt, & vniformes, & spiculis carentes, accōmodantur; quędam verò ijs sagittis extrahendis aptantur, quæ vulgò barbulatæ vocantur, & spiculis hinc inde sunt donatæ, & ob id magis membra dilaniant, si retrò, quàm si contrà trahantur. Inter priora duo ponuntur a Guidone: primū sunt tenaculæ Auicennæ, quę semilunares sunt, ac dentatæ: Secundū sunt, forcipes Albucasis, ad instar rostri auis dentati, vt ob id à nōnullis rostrum coruinum appelletur. Inter posteriora tenaculę sunt cannulatæ à Guid. tertio loco positæ. Dum enim his vtimur, spicula, seu barbulæ illæ canales ingrediuntur, & dum extrahuntur, membra circumposita lacerare non possunt. Et quia sæpius in sagittis istis barbulatis potissimum, necnon etiam in alijs rebus, quæ vniformes sunt, cogimur, vt notat Auic. in quibusdam horis (quæ s. quietiores sunt, & quo tempore dolor non infestat, & inflammationis timor iam præterierit) findere carnem ipsam scissione plurima, quando aliter egredi telum non potest: Idcirco aliud instrumentum ab antiquis, quorum meminit Auic. excogitatum est, quod septimo loco ponitur à Guidone, & forcipes excisoriæ vocantur, ad amplianda vulnera, quæ facta sunt in carne, vt facilius infixa eximantur. Verum quoniam, subdit Auicennas, sæpe sagitta in profundo ossis figitur, quod quidem ex firmitudine sagittæ, dum eā volumus dimouere, facile cognoscimus; ideo necesse est, vt os ipsum sagittam amplectens incisorio aliquo scalpro incidamus, si tenue

Loc. cit.

sit, aut,

fit, aut, si crassum terebello perforemus, hincinde,& circumcirca, si opus fit, vt sagitta facile extrahatur: Et ob id excogitata est ad hoc terebella directa à Guidone quinto loco enumerata. Quod si telum infixum caudam habeat cannulatam,& ab ipsa canna lignum fuerit exemptum, & canna vacua fit, tunc optimum est ipsum telum extrahere terebella, quæ inuersa vocatur,& à Guidone quarto ponitur loco. Qui, dum ingenijs iam propositis telum non potest extrahi, consulit, vt vtamur instrumento, quod balistam vocat, & ab ipso octauo, & vltimo enumeratur loco. Si enim balista cum tenaculis iam dictis optimè ligetur, & patiens firmiter teneatur, eius chorda remissa, arcuve subito relaxato, telum extrahitur. Quod si de pharmacis attrahentibus loquamur, vnum proponit Auic. quod recipit fermenti, mellis, vel fordiciei aluearum ana lib. sem. Visci vnc.iij. Ammoniaci vnc.j. s. olei vnc.iij. Mis.& f. emplast. quod vulneri, & rei infixæ superponatur. Alij, vt Rogerius, probant radicem arundinis tritam cum melle superpositam, quia sine dolore extrahit. Galenus proponit Phorbij femina cum melle, necnon herbam ipsam: Et idem ex aliorum sententia probat salitorum Helurorum carnem ad læuorem contritam, & impositam, necnon cochleas vnà cum testa ad læuorem tritas. Ex antiquioribus verò nonnulli saurarum capita contrita palos, & spicula extrahere memoriæ relique runt. Inter composita verò summopere probat emplastrum ex dictamno sacrum, virtute mirandum, quod quidem ex Asclepiadis sententia in 5.lib.de comp.medic. per genera c.4.descripsit,& idem dicendum de emplastro Cyziceno ab Hera composito, necnon de Andreæ malagmate ab eodem Gal. in 10.loc.med.c.2. descripto ex Asclepiadis monumentis. Et hæc de extractione per attractionē dicta sufficiant.

Auic.4.4. tr.2.c.10.

Gal.8.& 11. simpl.med.

5. cata geni c.4.prope finem.& c.7. & 8.loc.2.

Extractio per impulsionem.

De ea verò, quæ fit per impulsionem, loquens Auic. inquit, quòd si sagitta ad oppositionem vulnerati membri perueniat,& non possit exire ex latere, per quod intrauit, loca ei opposita incidenda sunt (dummodo neruos, tendones, venas, & arterias caueamus)& per attractionem ab eadem parte incisa, aut per impulsionem ex altera parte factam extrahenda. Dum autem per impulsionē expellitur, vtimur instrumento impellente à Guidone sexto loco proposito, quod duplex est, videlicet concauum, quod etiam fœminam vocant, & hoc vtimur, dum sagitta infixa, vt notat Auic. caudā habet,& in globulis plumbeis, aut id genus alijs rebus, quæ versus vulneris orificium acutæ, seu fastigiatæ,& acuminatæ sunt; necnon surdum propulsorium, quod mas appellant, quo vtimur in propulsandis rebus, quæ cannam habent inanem, aut plenam vel concauam superficiem vulneris orificium spectantem obtinent. Quod si telum, aut globuli neutra ex parte, & neutro modo extrahi possint, ita dimittenda sunt, donec expultrix membrorum virtus hæc eadem expellat, aut clarius patefaciat. Scribit enim Albuc. se plerosq; vidisse, in quibus sagittę diu occultæ permanserunt; qui tamen diutius absque aliquo detrimento vixerunt,& nonnullos, in quibus tractu temporis ab ipsa natura fuerunt expulsæ, & incolumes ex toto euasere. Sed multò securius globulos plumbeos, dum absque detrimento, aut alia de causa extrahi non possunt, licet dimittere, cùm nos non semel, aut bis, sed pluries viderimus sine vlla membrorum iactura in corpore fuisse detentos. Quendam autem præ manib. habuimus in Iulij Foro, qui tres plumbeos orbiculos a bombis æneis missos in vnica rixa, seu certamine in abdomine susceperat, qui cum nulla arte non dicam extrahi, sed neque reperiri potuissent, tandem à vulneribus conualuit,& diutius sanus vixit, sed post quinquennium ab acceptis vulneribus duo globuli in inguinibus, reliquus in sinistra coxa sub ipsa statim cute adinuenti fuere, qua excisa, facillimè absque vlla læsione extracti fuerunt. Sagitta verò, aut alia vulnerante causa extracta, & à vulnere semota, vulnus propria curatione curandum. Id vnicum obseruandum, vt sanguis ab infixa re alteratus expellatur, vt vulnus à corruptela præseruetur, & vbi dolorem ipsum timemus, oleum calidum infundendum. Quod si sagitta fuerit veneno infecta, festinantius eximenda. Iubet autem Auicennas vt caro, quæ circa sagittam consistebat, & ab ea infecta est, & tangebatur, quantum fieri potest, excidatur, quousque ad sanam carnem perventum sit; aut si totam infectam carnem excidere non possimus, saltem vulnus circumcirca scarificandum, vt prauus sanguis extrahatur: Quod facilius succedet, si vulneri cucurbitula quamcitissimè admoueatur. Distinguitur autem caro venenata à carne sana ex ipsa alteratione: quia venenata, ac si mortua esset, colorem prauum, aut valde pallidum, aut fuscum habet. Vulnus autem eo modo, quo venenosorum animalium morsus, curandum erit. Demum nos admonet Auicen. vt dum sagitta, aut eiusmodi res in membro aliquo ex principalibus & nobilibus

Albucas. 2. parte suæ Chirurgiæ.

infixa est, & appareant lethalia signa, ab eius extractione penitus abstineamus, ne dolor, & inquietudo, & mors ilicò subsequatur, & iacturæ aliquid apud stolidos homines de nostra existimatione faciamus. Si verò lethalia signa non appareant, facta prius prædictione, & declaratione periculi, & mortis, quæ in extractione vt plurimum subsequitur, extractio obeunda erit: quia nonnunquam absque vlla spe, vbi abstulerimus infixum, mirabiliter sanantur: secus de necessitate pereunt. Si verò vnà cum vulnere aliquis iunctus sit morbus, de ipsius ablatione non est vt pluribus hoc in loco pertractemus. Si enim aliquis tumor cum ipso complexus sit, quomodo prius remoueri debeat, in tractatu de tumorib. præter naturam apparebit: Id vnicum annotasse sufficiat, Auicennam in quocunque membro vulnerato, & inflammatione obsesso maximè probare cataplasma ex malo punico dulcis saporis in vino austero, aut stiptico decocto, & contrito affecto loco applicitum. Quod si repercuti, aut discuti non possit, suppurantibus vtendum est medicamentis, & vt vnà tum apostematis, tum vulneris curationi incumbamus, nonnulli probant emplastrum ex maluis, absynthio, artemisia, farina triticea cum vino cocta, pauco melle, & axungia, quantum satis sit, confectum: Iubet autem Guido, vt si sanies ad vulnus non permeet, in loco magis opportuno aperiatur. Similiter si vnà cum vulnere intemperies aliqua connectatur, de hac in vlcerum sermone vberius loquemur: Exempli causa, si calida sit intemperies, quæ quidem ex rubore, calore, & vesicatione dignoscitur, locus erit refrigerandus, non cum alterco, vel mandragora, aut meconio, vt ait Gal. (Nimis enim refrigerant, & stupefaciunt,) sed cum rosis, plantagine, vnguento de cerussa, de solatro, aut linimento simplici, quæ moderatè siccando refrigerant. Si autem frigida fuerit, quæ quidem ex albedine, liuore, aut fuscedine, ex mollitie, & oppositis signis cognoscitur, affectus locus non quidem resina, aut pice, aut asphalto fouendus est, inquit Galenus (nimis enim calfaciunt) sed vino ipso, aut nigro vel basilicone vnguento, aut id genus alijs calfacientibus medicamentis: Et idem de sicca, & humida intemperie enunciandum, quæ semper contrarijs medicamentis erunt submouendæ. Quomodo verò tollantur desipientiæ, ac deliria, quæ vulneribus neruorum, & articulorum potissimum superueniunt, eò, quia ab his partibus, dum præsertim inflammantur, tum extranea caliditas, tum vapor prauus, fumosus, ac fuliginosus cerebro earum neruorum principio communicatur, in primo de partium morbis libro vberrimè docuimus: Id solum memoriæ gratia repetere nobis liceat, vapores illos frictionibus, ligaturisque partium extremarum, infernarumque potissimum, necnon clysterijs ipsis esse reuellendos: Capiti verò oxyrrhodinum esse admouendum; &, dum magis adhuc augetur symptoma, caput ex calicum papaueris decoctione perfundendum, & frigidos odores naribus admouendos, doloremq́; quantum fieri potest, mitigandum: Auicen. verò valde probat radicem bryoniæ, seu vitis albæ vel bibitam per dies aliquot ex decocto aliquo refrigerante, & humectante, vel cum aliquo cibo, qui gustui gratus sit, assumptam. Quomodo verò Conuulsio, & Dolor remoueantur, fusius in neruorum vulneribus docebimus: quo etiam sermone, necnon in vulneribus capitis declarabimus, quo pacto paralysis, quantum ad ipsum Chirurgum attinet, corrigatur. Quonam pacto verò sanguis immodicè fluens sistatur, dum de venarum, & arteriarū vulnerib. agemus, planum fiet: id solum hoc loco monuisse sat erit, quod, si parcè fluat, permittere debemus, vt ea sanguinis egrediatur portio, quæ ad inflammationem prohibendam congrua videbitur, postea oui candidum conquassatum stupis exceptum vulneri imponendum: & si stupam vel linum præ manibus non habeamus, licet vti gossipio, aut cotone, aut linteo duplicato oui albo infuso, aut ouo integro, vbi subsit aliquis dolor: Vbi ouum deficiat, possumus aut poscam, aut vinum stipticum, aut granatorum adhibere. Telæ pariter aranearum superpositæ vtiles sunt. Syncope autem, quæ præsertim ex hac sanguinis nimia profusione, necnon interdum ex nimio dolore excitatur, antequam fiat, pro viribus arcenda erit, cum sit maximi momenti symptoma, & quædam ad mortem via ab omnibus esse perhibeatur. Quocirca quamprimum lipothymiæ signa nobis sese offerunt, & pulsus paruus, tardus, tarusq́; ac deficiens euadit, & facies pallida, & motus membrorum difficilis, ita, vt vix palpebras attollere queant, præsertimque frigidi circa collum, & faciem sudores emergunt, tum primū præsidijs syncopem inhibentibus occurrere oportet, & præter id, quod omnis spes, & consolatio ęgrotanti tribuenda, locus in quo degit, si opus sit, refrigerandus, proinde assidentiū multitudinem è cubiculo expellere oportet, ne propter horum

Marginal notes:
- Præsidiorū materiæ, q̄ morbos vnà cum vulnere cōiūctos profligant.
- Gal. 3. meth. c. 8.
- Quibus materijs præsidiorū symptomata, q̄ cum vulnerib. iunguntur, tollenda sint.

horum copiam locus calfiat,& laborans timorem concipiat: Et ilicò panis triticei perquam optimi buccellam,aut crustam vino, quod pariter optimum, & modica aqua rosacea dilutum sit,infusam ad sugendum præbere oportet: post quam illius met vini modicum in potu assumat. Sit autem vinum colore flauum, substantia tenue,& ætate vetus(non tamen adeo,vt præ vetustate amarum euaserit)tale enim & boni odoris est, & facile in corpus distribuitur. Si verò iam actu syncope patiens teneatur, irroretur, imò fortiter proijciatur in ægrotantis faciem aqua rosacea, aut in huius penuria frigida ipsa: extrema verò fricentur, pili, nasus, & aures trahantur, proprio nomine altè vocentur, & reliqua omnia fiant, quæ in primo libro in huius mali curatione fuere præcepta.

De Chirurgicis præsidiorum materijs incisionem, & rupturam communiter respicientibus, & subinde de ligatura, sutura, fibulis, glutine, & penicillis. Cap. IX.

SI verò de ijs præsidiorum materijs loquamur,quæ tum incisionem tum rupturā communiter respiciunt, dum hę absq; vlla partis amissione fiunt, vt superius diximus, tum labiorum ad mutuum contactum adductionem,tum eorundem ita adductorum conseruationem requirunt, quorum primum proprijs ipsius Chirurgi manibus: secūdum verò aut deligatura, aut sutura, aut fibulis, vel etiam duobus ex his,
Deligaturę administratio, & vsus. aut omnibus perficitur. Quo pacto verò deligatura,seu vinculum administrandum sit,nunc accipere oportet. In recentibus,cruentisq; vulneribus duplex vsurpatur deligatura, quarum vna ab Auicenna & recentioribus vocatur retentiua; altera verò agglutinatoria passim à Galeno dicitur. *Auic.4.4.tr.1.c.2.*
Retentiuæ vsus. Retentiua, ita dicta, quia medicamina ipsa retinet in loco affecto, omnibus membris competit, in quibus arctatio fieri non potest, quemadmodum in vulneribus ventris, colli, & ipsius capitis vsu venit, necnon etiam in omnibus tumoribus, & apostematibus, & dispositionibus dolorificis: fitque cum vitta, seu fascia vnius capitis, aut etiam multorum capitum, si opus sit; & huius deligaturæ initium super locum affectum ducitur, & in parte opposita circumducta desinit, in
Agglutinatoriæ vsus. quo etiam nodus, aut potius sutura adhibetur. Agglutinatoria verò, quæ sic vocatur eò, quia labia vulneris inuicem adducit, & adducta retinendo agglutinat: ijs potissimum adaptatur vulneribus,quæ per membrorum longitudinem,aut quadantenus per obliquum facta sunt: Huius porrò materiam describens Galenus, scribebat fasciam, aut summatim id, quod circunijcitur,neque molle nimium esse *Gal.3.meth.4.* debere, & algæ ritu fragile (bryodes Græcè vocant) quò videlicet tutò contineat, neque rursus ita durum, vt premendo offendat, & dolorem, aut phlegmonem, aut gangrænam excitet. Fieri autem fascia debet ex panno lineo, sed mundo, cuius longitudo, & latitudo partis vulneratæ, & ipsius vulneri magnitudini proportione respondeant. Vnde, vt optimus ait Guido, quæ humerum ligant, sex digitorum transuersalium latitudinem habere debent; quæ coxam, quinque; quæ tibiam quatuor; quæ brachium, tres; quæ digitum, vnum: & nedum vulnus; verum etiam modicè oras vtrinq; comprehendere debent: Longitudo sit secundum reuolutionum necessitatem, quę penes ambientem aerem, vulnetisq;,& membri magnitudinem spectari debet. Vnde hyeme melius est, deligaturam sæpius, & pluries circunducere, vt ambientis frigiditas caueatur; æstate fiant circuitus pro necessitate solūmodo, ne pars nimium calfiat, & inflammatio suboriatur. Hęc autem deligatio agglutinatoria, que non solum vulnerib. iam dictis, verum etiam fracturis accommoda est, fit cum fascia à duobus capitib. plicata vsq; ad medium vtraq; extrema circūducendo, & incipiendo ab opposita parte loci soluti, & vulnerati, & ducendo caput vnum versus partem superiorem membri, & aliud versus inferiorem capiendo, vt dictum est, de partib. adiacentibus, quantum expediet: & stringendo plus super locum lęsum, quàm in partibus adiacentibus. hoc enim pacto tum labiorum fit agglutinatio, tum inflāmatio arcetur. Capita autem ipsius fasciæ debent potius sui, quàm ligari. Si autem necessitas vrgeat, plures fascię, seu vittę ponantur, & eodem prorsus modo circumducantur. Monet autem Gal. vt circumductio nec ita laxa sit, vt nihil *Gal.loc.cit.* efficiat, nec ita vehemens, vt premendo dolorē, & alia mala superius dicta accersat.

Proinde arctationis terminus, & mensura, vt alibi tradit, sit bona ipsius patientis tolerantia. Dum autem vulnus inæquale est, & ab vno latere ipsius caro magis distat, ab hac eadem parte vitra magis trahenda est. Hæc igitur si feceris, fueritq; vulnus simplex citra fluxionem, aut intemperiem, aut phlegmonem, aut aliud quodlibet vitium, proculdubio coibit. Sub hac enim ligandi ratione tum labia adducta ad inuicem applicita, & se contingentia detinentur, tum humorum ad vulnus confluxio prohibetur: quia hi hincinde procul à vulnere propelluntur. Ex quibus apparet, agglutinatoriam hanc deligationem ipsa retentiua arctiorem efficiendam esse, quemadmodum adhuc magis strictior agglutinatoria ipsa illa, est efficienda, quam vocant expulsiuam, de qua in sinuosorum vicerum curatione sermo erit. Verum quoniam à deligatione vulneris agglutinatoria labia ipsius nonnunquam comprimuntur, & dolor excitatur, ideo Auic. puluillos quosdam, seu plumaceolos excogitauit ex cotone, aut lana, vel plumis, aut præsertim stupa canabina, vel simili re molli confectos, forma potissimum triangulares (ita enim magis agglutinationi vulneris conducunt) qui quidem tum siccè, tum præsertim oui albo, aut vino, aut oxycrato, vel oleo, prout expediens est, madefacti vulneri applicantur, ita vt horum latera per labiorum vulneris longitudinem incedant, qui dum deinde fascia circumducitur, eius compressionem arcent, & innatum partis calorem fouent. Pleriq; etiam loco puluillorum ponunt pannos suaues duplicatos, aut triplicatos, aut spongiam accommodatam; & possunt apponi duæ, vel tres, aut plures, prout necessitas indicabit. Iam verò dum soluitur deligatio, & vinculum, animaduertendum, vt solutio suauis sit, & absq; vllo dolore fiat: Et dum fasciæ nimium ad se inuicem adhærent, & conglutinatæ sunt, eousq; vino nigro austero, moderatè calido madefiant, quousque separentur. Soluendi verò tempus erit singulo tertio, vel quarto die, nisi aut dolor, aut vehemens pruritus, vel quid simile nos resoluere vulnus cogat. Sutura & ipsa imprimis multiplex est, vt Guido, & reliqui omnes Recentiores docent. Quædam enim sanguinis suppressoria, seu retentiua vocatur, quæ fit acu ab vno latere introeunte, & per vtrumque labium traiecta rursus ab eodem primo latere ingrediente, & per vtrumq; labium permeante, capiendo debitũ labiorum spatium, & continuatim progrediendo ab vno vulneris termino vsque ad alium terminum, & finem ipsius, eo prorsus modo, quo pelles animalium consuuntur. Et hæc fieri solet, quando aliæ suturæ propter magnum sanguinis impetum administrari nequeunt: quod quidem in vasorum vulneribus contingere solet. Et hac eadem vtimur tum ad suenda intestina vulnerata, tum panniculos, & membranas, ac reliquas partes carne destitutas: periculum tamen est, aut Guido, ne vno puncto disrupto, cetera relaxentur. Alia verò sutura seruatiua dicitur, quæ fieri potest tum iam dicto modo, tum eo, quem statim post in tertio suturæ genere proponemus: Non tamen debet ita arcta; vti aliæ, administrari, quia non fit nisi ad conseruanda labia, quousque vulnus sit firmatum: Nam competit solum vulneribus dilaceratis, & cum carnis amissione complicatis, vt scilicet partes discissæ huius suturæ merito inuicem propinquæ redditæ citius agglutinentur. Hac quoque vtimur in illis vulneribus, in quibus tẽporis progressu aliquid extrahendum, siue sit ossis frustulum, siue quid simile. Tertia, quæ nostro potissimum inseruit proposito, agglutinatoria nuncupatur, quæ quidem in omnibus vulneribus conuenit, quorum labia ita dissident, vt sola ligatura ad mutuum contactum adduci non queant: & in quibus nihil extraneum inter ipsas oras intercipitur, & potissimum in cruentis, recentibusq; vulneribus. Si enim vetera sint, & dura, callosaq; labia habentia, cruentæ scarificationes, aut cutis ablationes fieri debent, & deinde sui. Huius porrò administrandæ quamuis à Guidone ipso quinque tradantur modi; attamen, quia ipse fibulas, de quibus mox loquemur, cum sutura ipsa confundit, nos tres rantũmodo modos tradeamus. Quorum primus omnium tutissimus, & administratione facillimus fit filo forti, æquali, molli ac leui potius lineo, vt omnes nostrates faciunt, quàm serico, & eo quidem, vt minus adhuc rumpatur, cera alba oblinito: & si vulnus profundius sit, aut labia magis dissident, crassiori; sin minus, tenniori. Acu verò longa, ac læui, cuspide triangulari, cauda verò excauata, vt in ea filum recondatur, & acus transitum non remoretur. Primum autem punctum in medio diuisionis vulneris adhibetur, postmodum alterum punctum semper in medio spatio vtriusque lateris, & ita deinceps procedendo, vt inter duo quæcunque puncta punctum intercedat, donec vulneris labia perfectè ad mutuum contactum sint adducta; non tamen aut nimis rara, aut valde crebra adhibenda sunt puncta: quia illa non continent, vti decet,

Auic. 4.4. tr.1.c.3.

Suturæ descriptio.

Sanguinem sistens.

Conseruatiua ad tempus.

Agglutinatoria.

Primus suendi modus.

hæc

hæc vehementi dolore afficiunt,& inflammationem promouent. Quare communiter inter duo puncta vnius transuersalis digiti spatium relinqui solet. Inquit tamen Galenus quod in vulneribus, quæ per longitudinem musculorum sunt facta, sufficiunt paucissimæ omnino suturæ. Debet autem chirurgus vnico impulsu, si fieri potest, & celerrime vtrumque labium vna manu perforare: quod vt eò facilius succedat,debet altera manu,vel digitis ipsis,& potissimum indice, & medio, vel cãnula fenestrata alterum labium acui oppositum leniter premere, ne ab acu subuertatur: namque & per fenestram illius canulæ, & per spaclum inter iam dictorum digitorum medium potest videre chirurgus, quando acus traiecta labia pertransierit: Acus enim traiecta vnà cum filo extrahitur, & statim filum ex vtraque vulneris parte egressum duabus primum inuolutionibus, secundo vnà duntaxat ligatur, & deinde filum quadantenus à nodo ipso remotè præciditur. Si verò cutis valde dura sit, eodem prorsus modo efficimus puncta; sed tutius est primò vnum labium, deinde alterum statim, non autem ambo vnica vice perforare. De suturæ autem profunditate loquens Gal. nos admonet,quod vulnera, quæ profunda multum, longaque sunt, cum duplici ratione sint magna, duplicem quoque indicationem præstant, & proinde & valentes siccantia postulant, & ne immaturè labra coniungamus, & vt à duobus initijs deligemus, & vt altis suturis consuamus. Et idem dicendũ de ijs,quæ per musculorum transuersum facta sunt,in quibus sutura tum cutem,tum subiectã carnem compræhẽdere debet. Secus enim sola cutis à sutura appræhensa facile disrumpetur. In superficialibus verò vulneribus solam cutem appræhendere satis est: Cauendum tamen,ne, dum altas facimus suturas, aut neruum aliquem,aut tendonem, aut ligamentum, aut arteriam, vel venam aliquam perforemus. Hac de causa Galenus contẽplatus gladiatorem quendam transuersam diuisionem in priore ac inferiore femoris parte habentẽ, eamq; satis altam: ac vulneris labrum intuitus sursum alterum reuulsum, infra alterum, quasi ad patellam detractum, non dubitauit distantes inuicem musculorum partes suturis contrahere, curatione illa, quæ cata platos, id est, per latitudinem dicitur neglecta. Sed veritus tẽdones fuere, illis prius denudatis, sic altioribus sututis vsus est,haud ignarus carnosam musculorum partem periculo vacare; tẽdines verò nõ item. Quidam verò in his vulneribus solas cutis oras consuebant; alij in carnosis partibus musculos suere ausi id in superficie ipsarum facere solebant: proinde si quando vulnus insigniter altum non secundum membri longitudinem contigerit, summam quidem musculi partem glutinabãt, reliquam verò totam inglutinatam relinquebant: nam in vulneribus per longitudinem factis deligatura vulnerati musculi partibus inuicem contrahendis sufficit: per transuersum factis cum deligatura nihil prodesse possit, ex sola sutura totum absoluitur: Quæ nisi alta fiant, musculi in profundo partes inglutinatæ permanent. Ceterum quidam imperiti anatomes Galenum imitantes ab omnibus musculis subiectas membranas auellebãt, nescientes has simul cum musculis tuto consui; Tendines autem similiter ipsis dilatatos non mediocri cum periculo. Sed quomodocunque dilatati illi fuerint, tamen crassiores adhuc, durioresque membranis sunt: tenues abunde illos videbis, & in omnibus iuxta abdomen musculis,duobus rectis exceptis. Alius tendo nullus præter enumeratos membranæ modo dilatatur. Quippe seruant omnes,qui dilatantur, crassitudinem magnam satis, vt neminem latere queant. Atqui consensus suppositarum partium vsque ad ipsum neruorum principiũ non minus, quam his, qui iuxta femoris articulum, musculis tum in cubiti gibberum, tum in calcaneum insertis accidit. Dilatantur itaque vtriusque tendines; sed ita,vt crassitudinẽ notandam retineant: Calcis tendo ex sura descendens magis adhuc robustus, crassusque ceu ex tribus neruosis exporrectionibus compositus apparet. Secundus suẽdi modus in vulneribus magnis profundisque, & in quibus labia plurimum distant, vsurpari solet, fitque vel acubus satis longis, vel pinnis, & potissimum perdicis cum acu introductis: totque vel acus, vel pinnæ cum filo in eis intromisso imponuntur, quot necessariæ sunt. Filum verò circa eas reuoluitur, eo prorsus modo, quo mulierculæ faciunt, dum acus super indumenta afferuant: ita autem relinquuntur vsque ad vulneris consolidationem. Tertius modus, isque prauissimus, & omnino fugiendus tanquam dolorificus, & labia vulneris nimium dilacerans, fit acum per vtrumque labium traijciendo,& rursum per idem foramen, & ab eadem parte, à qua exiuit,acum intromittendo, & hoc per vtrũque labium contrario itinere traiecta, relinquitur ansula quędam in ea parte, & labio vulneris, in qua

Gal. 3. meth. vlt.

Gal. 3. meth. c. vlt. prope finem.

Galen. 3. de cõp. pergen. cap. 2.

Secundus modus.

Tertius modus omniũ prauissim⁹.

qua ſecunda vice primum ingreſſus eſt, & in ea anſula ponitur vel pinna, vel charta membranula, vel ſtupa vehementer contorta; poſtea capita, ſeu fines amborum filorum in ea parte, in quam primum ingreſſa, & in quam vltimo reuerſa eſt acus, ſuper alteram pinnæ, ſeu contortæ ſtupæ portionem medij digiti lõgitudinis conſtringitur, & nodis neceſſarijs adhibitis, procul ab ijs fila præciduntur. & tum pinnæ, tum ſuturæ vſque ad vulneris conſolidationem relinquuntur. His tribus modis quartum addere nobis liceat, & eſt ille, quem in ſutura ſanguinis ſuppreſſoria propoſuimus: Nos enim ſæpius vidimus ſub hoc ſuendi genere, qui omnium facillimus eſt, vulnera ipſa non modo probè, & cito, & abſque vlla inflammatione, & dolore fuiſſe conglutinata; verumetiam poſt perfectam agglutinationem nullũ fieri, vel paruum admodum cicatricis veſtigium fuiſſe relictum. Nec eſt, vt quis ambigat, modum hunc eſſe minus tutum, eò, quia rupto filo in vna parte, vniuerſum vulnus relaxetur: quia huic periculo filo firmo, & cera oblinito, vti ſuperius diximus, poſſumus obuiam ire. Quocunque autem modo agglutinans ſutura adminiſtretur, antequam vulnus ſuatur, ſi quid extranei inter vulneris labra reperitur, prius amouendum, & præſertim concretus ſanguis, ſi quis ſubſit, ſpongia madefacta in vino nigro auſtero, expreſſaque probè detergendus, ne derelictus, putreſcentique inflammationem pariat, inquit Celſus. Tempus autem remouendi ſuturam erit, quando vulnus fuerit agglutinatum: quod quidem & penes vulneris magnitudinem, & corporis affecti habitum conſtitutionemque, ac diuerſorum humorum redundantiam, ac penes anni tempus variari ſolet: nam parua vulnera, in ſicciore temperatura, prauis excrementis carente, æſtatis tempore, citius agglutinantur: quæ contrarias habent conditiones, tardius: Vt plurimum nihilominus ſuturæ in magnis vulneribus ſeptem, aut octo diebus ſeruãtur; in paruis, nec tranſuerſis, quatuor; in faciei vulneribus ſecundo die auferri ſolent, ne ſuturæ cicatrices proprias inducant. Modus autem remouendi eſt, vt ponatur mucro tenuis ſpecilli ſub puncto, & ſupra ſpecillum incidatur filum, quod quidem non extrahitur, niſi prius ponatur idem ſpecillum, ſed latum ipſius mucronem ſuper labium, per quod filum extrahitur, ne ſcilicet in extractione labium dilaceretur. De fibularum autem vſu loquens Galenus ſcribebat, quod trãſuerſa vlcera eò, quòd labia eorum magis diſſident, abſuntque à ſeſe, coniungi diligenter poſtulant: & ideo in his tum ſuturis, tum fibulis egemus. Quæ enim per longitudinem muſculorum ſunt facta, hæc ſi à duplici initio deliges, nec ſuturis, nec fibulis egebis: Sin aliter deligare placebit, vel fibulis, vel ſuturis vtere: Sufficient autem pauciſſimæ omnino ſuturę. Hæc Galenus. Ex quibus colligimus fibulis præſertim vtendum eſſe in trãſuerſis, latiſque, ac profundis vulneribus, in quibus muſculi per tranſuerſum inciſi, hinc inde retrahuntur. Ideo ait Celſus, quod dum vulnus in carne eſt, hiatque, & in vnũ oræ difficile attrahuntur, adeo, vt periculum ſit, ne labia rumpantur, ſutura quidẽ aliena eſt; imponendæ verò fibulæ; non tamen debent fibulæ ita frequentes adhiberi, vti ſuturæ ipſæ, ſeu puncta: Sed ſi puncta requirunt vnius tranſuerſi digiti interuallum, fibulis trium digitorum tranſuerſorum interſtitium ſufficit. Quod quidem ex eodem Celſo colligimus, cum dixerit fibulas paulum oras contrahere: Raræ enim imponuntur, ne dolorem, & inflammationem moueant. Poſſumus quoque ex hoc loquendi modo fibularum formam, ſeu figuram circularem colligere; cuius cauſa dum affiguntur per vtrumque labium, eorum oras paulum contrahunt: quia labia paulum vtrinque per fibularum lęuem peripheriam dilabũtur. Circularem verò eorum eſſe figuram tum Oribaſius, tum alij docuere. Colligimus inſuper ex Gal. dictis unà cum fibulis ipſam quoq; ſuturam ferè ſemper vſurpandam eſſe: quia fibulæ faciunt quodammodo ad ſuturæ robur, & conſeruationem: Vehementius verò ſutura labia attrahit, & attracta in vnum conſeruat; nullam tamen uim fibulæ deſiderant, ne dolor ingẽs excitetur, ſed eatenus vtiles ſunt, quatenus cutis, & ſubiecta caro (hanc enim quoque ne cutim rumpant, comprehendere debent) ducentem quaſi ſua ſponte ſubſequitur. Adhæc elicimus Guidonis, & Tagaultij ſententiam ſuſpectam eſſe, dum inquiunt, fibularum figuram eſſe non rotundam, ſed depreſſam, & potius oblongam, ſed ab utraque parte recuruam cum hamo ex utraque parte, ad inſtar hamorum, quibus vtuntur illi, qui pannos retundendos apparant. Nam clarè inquit Gal. quod ſæpius tribus inſtrumentis egemus, videlicet, fibulis, ſutura, & ligatura, quæ quidem ligatura nõ poſſet probè adminiſtrari, ſi fibulæ ipſę eſſent oblongæ, quia à ligatura comprimerentur, & eſſent nimis dolorificæ. Præterea ex eiuſdem Gal. dictis clarè colligimus aberraſſe.

Quart' modus. — *Celſ. lib. 5. c. 26.* — *De fibularũ vſu, materiaque.* — *Gal. 3. meth. prop. finem.* — *Orib. lib. de machin. c. 4.* — *Gal. 3. meth. 4.*

aberrasse Fallopium, qui voluit fibulas à prima suturæ specie non differre, & nil aliud esse, quam puncta ipsa communiter vocat. Nam Gale. apertè ait, coniunctim quædam vulnera (transuersa nempe) tum suturis, tum fibulis egere, quædã, per longum scilicet facta nec suturis, nec fibulis indigere; Et statim postea disiunctiuè loquens ait: quod sin aliter deligare placebit, vel fibulis, vel suturis vtendum: Et cum statim addat, quod in factis per musculorum longitudinem vulneribus sufficient paucissimæ omnino suturæ, apertè declarat per suturas puncta ipsa, & primam suturæ speciem propositam intellexisse. Materia itaque fibularum apud antiquos erat non quidem filum, aut similis res mollis: hæc enim si tenuis sit, à sutura non differt, & in transuersis vulneribus, & plurimum distantibus labijs, facilè labia disrumpit, & ipsa quoque facilè rumpitur; Sin crassa, non potest absque maximo incommodo, & detrimento per vulneris labia intromitti, sed fibularum materia, vt ex Celso ipso colligimus, dum loquitur de modo infibulandi adolescentulos propter vocis, & valetudinis conseruationem, nec non ex Oribasio, & Guidone, & recentioribus ferè omnibus, erat æs, aut ferrum, uel argentum aut aurum: melius tamen est, vt fiant ex ære vel ferro, quia dum constant fibulæ ex materia tenuiore, & magis ductibili, facilè infiguntur per vtrumq; labium, & deinde quadantenus contorqueri possunt. Si quis autem fibulas extimescat, & eas sensus partis valde vegetes non perferat; vulnus tamen sit valde hians, atque transuersum, & satis profundum, licet quam primum ea suturæ specie, quæ prima posita est, & puncta vocantur, vulnus consuere: deinde illud idem ea deligatura specie, quæ ascia vocatur, & de qua in fracturis cum vulnere tractabimus, deligare; ita tamen vt fasciarum oræ vulneris ipsius oras, & labia ferè contingant, uel parum ab ipsis distent: & postremò aliam deligaturam supra labia ipsius vulneris, quæ ab ascia nuda relicta sunt, & quadantenus supra fascias ipsas administrare, ea tamẽ ratione, vt labia ipsa, quæ ratione ipsius asciæ aliquatenus attolluntur, moderatè comprimat: quia sic eodem tempore & suturæ firmitati, & labiorum coitioni consulimus. Vel etiam relicto hoc ligandi modo, facta sutura, applicentur panni illi triangulares glutino aliquo inuiscati, & iuxta vulneris labia secundum latera eorum vtrinque applicentur, quibus exiccatis, & ualenter carni adhærentibus, postmodum suantur, aut ansulis in pannis illis prius paratis ligentur. Sint autem panni ea magnitudine, quæ membro vulnerato sit congrua. Conficitur autem gluten ex puluere thuris, mastiches, sanguinis draconis, sarcocollæ, picis, & farinæ volatilis, oui candido subacto, ut Guido præcipit. Sufficit quoque tria tantum assumere, nempe bolum Armenam, mastichem, & sarcocollam æquis portionibus, & hæc tenuissimè puluerizata cum oui candido permiscere, ut medicamen mellis crassitudinem suscipiat. Panni autem triangulares vtrinque ad latera vulneris ponuntur ad pollicis unius distãtiam supra uulneratam partem. Hoc eodem glutino, & pannis propositis, agglutinandique modo vtimur in his locis, in quibus volumus turpes cicatrices euitare: & potissimum in ipsa facie. Tunc enim relinquimus suturam, quia etiam puncta ipsa proprias cicatrices incurrunt: Aut si utimur sutura, eam solum relinquimus per diem vnum, quousque scilicet gluten apponimus (nam panni glutino obliniti, vt exsiccentur, saltem quinque aut sex horarum spatium requirunt) & eo labia in unum adducimus: Nam tunc sutura, & fila statim auferuntur. Animaduertendum autem, ne glutinum illud aut à vulneris excrementis, aut à liquidis medicamentis uulneri applicitis ullo pacto madefiat, quia sic panni illi statim relaxantur, & labia uulneris rursus hiant. Quare animaduertendum qua parte fluat sanies, & inibi vel incisa spongia ac mollis ponatur, uel aliud simile saniem absorbens: uel aliud linteum agglutinatum sub illo panno triangulari eiusdem partis apponatur cum suis ansulis, ut dum primum linteum seu pannum decidit, id quod inferius est, eius vices gerat. Merito enim glutini patientes minus torquentur, & minus periculum inflammationis subest, cicatrices pulchriores fiunt, & vulnera citius agglutinantur: quia suturæ curationem protrahunt propter saniem, quæ prope filum creatur. Et ob id in omnibus vulneribus glutinum congruum est: quia suturas iam factas post primum diem auferre possumus. In vulneribus autem valde profundis, in quibus labia vulneris in imis partibus nullo instrumento possunt in vnum adduci, foramen in parte decliuiori relinquendum esse, & turundam in illud immittẽdam esse, vt pateat effluxus saniei, quæ in profundo creatur, in superiori capite vnà cũ Galeno animaduertimus. Neque solum in hoc casu vulnus totum nõ consuimus, & tentis, seu lichinijs aut turundis vtimur; verum etiam in alijs plurimis. Quotiescun-

Gal. 3 meth. c. vlt. prope finem.

Cels. lib. 7. c. 25.

Orib. loc. cit.

Gluten.

De penicillis, seu turundis.

tiescunque enim vulnus concauum est, & carnis generationem exposcit, aut ab aere alteratum, & abstersionem postulat, aut cum contusione, vel apostemate, aut cum morsu aliquo complicatum est (nam morsus quoddam virus habet, quod foras euocari debet, & proinde diutius vulnus apertum seruādum est) procul dubio lichinijs vti cogimur: & idem prorsus dicendum de vulneribus illis, quæ præ vetustate fluxionibus iam correpta sunt, & de illis, in quibus ossis emissionem expectamus, aut circa ossa ipsa manus admouenda est. Reliqua autem vulnera omnia sine tentis, & lichinijs agglutinari omnino debent. Et ob id turundæ, lichiniaque ab
Guid.tract.3 ipso fine, vt inquit Guido, in quem ordinantur, diuersam tum formam, tum materiam sumunt. Quæ enim ad sordes abstergendas imponuntur, ex panni non asperi, præsertim veteris lacinijs, vel floccis euulsis fiunt. Quę vulnus apertum seruant, ex eadem materie, aut prædicti panni frustulis, vel Xylo, seu cotone; aut stupis bene pexis, & à sordibus mundatis formantur: nonnunquam etiam ex canna ænea vel argentea perforata, vt vulneri excrementa per eam extra ferantur. Dum autem volumus vulneris orificium ampliare, & dilatare, ex spongia vehementer compressa, & torta, aut cannæ surgi medulla, aut gentianæ radice paramus: Hæc enim omnia dum vulneris excrementa combibunt, turgescunt, & plagæ orificium dilatant. Forma autem lichiniorum æqualis esse debet; tentarum verò inæqualis ad modum clauiculi lignei, quem Latini impagem vocant, ne scilicet intro labantur. Aliquando verò siccæ; nonnunquam aliquo vnguento intinctæ; prout expediens est, admouentur.

De Medicamentis, primumque totum corpus expurgantibus. Cap. X.

MEdicamenta vel totius corporis expurgationem, vel ipsam affectam, & vulneratam partem respiciunt. Quantum attinet ad ea, quæ totius corporis purgationem moliuntur, hæc vel primas vias euacuant, & sunt lenientia vocata, vel remotiores partes, & purgantia dicuntur, quorum gratia
Hipp.1.aph. 22.& 2.eiusdem. præparantia præmittenda, quia, vt monuit Hipp. concocta sunt purganda, non autem cruda, & vbi quis corpora purgare voluerit, oportet fluida facere. Si itaque vulneratus aluum adstrictam habuerit, vel suppositorio, uel enemate immisso, illico subducenda erit. Et si ventriculus, & superiora intestina, aut uicinæ mesaræi partes superfluitatibus scatebunt, primo die, & manè post factam phlebotomiam, aut flore cassiæ nouiter extractæ, aut manna, aut syrupo rosato solutiuo, aut thamarindis, aut alio pharmaco vtendum erit, quod biliosos, & tenues, & serosos humores tanquam eos; qui ad partem uulneratam facile fluere, & inflammationem ciere possunt, expurgare valeat. Quemadmodum autem thamarindi ad drach. vj. ita flos cassiæ ad drach. xij. exhibetur: sicuti manna, & syrupus rosatus solutiuus ad vnc. v. cū decocto aliquo refrigerante offerri potest, & si patiens difficile subducatur, aut agrestis sit, & siccioris, robustiorisque corporis, drach. j. vel j. s. electuarij de succo rosarum propter eandem causam his addere licebit. Quatuor autē sequentibus diebus singulo mane, si æger purgatione egeat, syrupi, & potissimum decocta ex refrigerantibus, & cichoraceis præsertim, & boragine, oxalide, hordeo, & similibus erunt exhibenda. Quemadmodum autem in corporibus, quæ non cacochymia, sed plethora laborant, ubi uulnus magnum non sit, sola sufficit phlebotomia, & decoctis refrigerantibus in eis utimur, potius ut humores incrassentur, attemperentur, & in proprijs conceptaculis detineantur, & ad uulneratam partem nullatenus fluant, & subinde inflammatio prohibeatur: ita dum corpora aut prauis succis scatent, & cacochyma sunt, aut etiam si talia nō sint, vulnus tamen ita magnum est, vt vel suturis indigeat, uel deligatura, consulit Hippocr. ut ualidis purgantibus pharmacis vtamur. Purgatio enim (inquit Gal.) non in sola uitiosi succi redundantiam conuenienter suscipitur; sed sicut missio sanguinis vel propter ipsius abundantiam, uel propter morbi magnitudinem (disiunctiuè enim loquitur) ita purgatio & propter abundantiam alterius cuiusquam succi, & propter morbi vim adhibetur. idque multò magis in vulneribus, quæ dolorem attrahentem habent annexum, & quæ ab irruentibus humoribus uexantur. Potissimum autem per aluum purgātibus utendum, & vt superius diximus, ijs, quę

tenues,

tenues, acres, biliosos, salsos, ac serosos humores euacuandi vim habeant. Vnde si vulneratus febre careat, ei drach. j.s. vel scrop. iiij. rhabar. electi uigorati cũ spica in decoctione fructuum, & cichorij infusi, & facta expressione, ei vel mannam, vel syrupum rosatum solut. ad vnc. iij. vel iiij. adijciendo offerre licebit, vel si bolos potius eligat vnc. j. s. flor. cassiæ nou. extr. cum drachma rhabarb. puluerizati, vel drach. j. vel, si corpus robustum sit, ij Electuarij de succo rosarum. Si autem febricitet; tutius est drach. j. Rhabarb. in sero lactis infusi, & serum ipsum ad libram. j. cum duabus vnc. syr. ros. solut. propinare. Patet autem purgantia hæc post syrupos præparantes exhibitos, & proinde vel quinta, vel sexta die exhibenda esse. Sic enim ægrotans ab inflammatione ipsa facile præseruatur: A validioribus autem pharmacis tanquam à calidioribus, & humorum fluxiones, sanguinisque profusiones concitantibus in recentibus vulneribus omnino abstinere debemus.

De Medicamentis topicis, & subinde inflammationem arcentibus, agglutinantibus, concoquentibus, detergentibus, sarcoticis, epuloticis, septicis, & cicatrices corrigentibus. Cap. XI.

EX topicis autem pharmacis, quæ vulneratæ parti adhibentur, quædam illis duabus primis indicationibus, quæ omnium vulnerum communissimę sunt, satisfaciunt; quędam minus communes explent indicationes, quæ scilicet in incisione, & ruptura, quæ citra partis deperditionem sunt, eliciuntur: alia demum easdem vulneris species remouēt, dum vna cum partis alicuius deperditione iunctæ reperiuntur, aut adeo profundę sunt, vt carnis nihilominus generatione indigeāt. Inflammationem itaque prohibent ea potissimum medicamenta, quæ defensiua à chirurgorum turba passim vocantur. Debent autem fieri ex medicamentis frigidis, & siccis, sed crassarum partium, & adstringentium permistis cum ijs, quæ tenuium sunt partium, vt penetrent in profundum, & proinde parantur ex bolo armena, sanguine draconis, & balaustijs subtilissimè puluerizatis, & ęqualibus portionibus assumptis cum oui candido, modico aceto, vt in altum permeent, & modico oleo myrthino, ne medicamentum appositum indurescat, & comprimendo fluxiones irritet: Debet tamen oleum esse modicum, ne pharmacum nimium molle euadens potius vasa laxet, quam ea constringat. Ideo pharmacum ad formam ceroti redigi quidem debet, sed mollis. Debet autem hoc cerotum supra vulneratam partem applicari, sed in locis ex carnibus, in quibus scilicet venæ, & vasa sanguinem deferentia a carnosis partibus minus operta sunt. Vnde si vulnus sit in manu extrema, defensiua hæc ponuntur supra carpum, si in vlna, aut radio supra cubiti curuaturam; si in humero, prope alas, sub axillas: Et in summa, ponuntur quidem supra vulnus ipsum, versus scilicet vasorum radicem, quæ iecur est, & cor; sed in locis in quibus vasa superficialia sunt, & oculis ipsis apparent. Debent autem actu frigida, aut hyemis tempore aliqualiter tepida applicari, & debent totum membrum circundare. & vbi siccescunt, & dura euadunt, immutanda sunt. hæc enim nedum inflammationem, & dolorem; verum etiam sanguinis fluxionem arcent. Et his vtimur toto eo tempore, quo metus futuræ inflammationis perduret. Solet autem vt plurimum metus hic ad septimum vsque diem, aut si vulnus magnum sit, vsque ad nonum extendi. Quæ verò partis vulneratæ temperaturam salubrem conseruant, debent esse siccantia in secundo gradu, & in actiuis partis vulneratæ, & corporis, quod curamus, temperiei simillima, nisi aer ambiens, qui materiæ curātis rationem habet, ad calidum, vel frigidum declinet: quia tunc in calidiori ambiente aere frigidioribus, in frigidiore calidioribus vtimur agglutinantibus: In principio tamen melius est vt modicè refrigerantia sint, saltem in primis diebus, sed crassarum partium, & austera, & subinde adstringentia, & proinde cum ipsis pharmacis agglutinantibus coincidunt. Pluribus autem de causis siccantia futura sunt. Cum enim vnio, & agglutinatio ab ipsa natura, quæ, vt inquit Gal. ipsamet partis bona temperatura est, proficiscatur, procul omni dubio nos debemus ea omnia arcere, & remouere, quæ probam hanc partis temperiem peruertere possunt. Inter ea autem, quæ temperiem

Inflammationem prohibentia. Defensiua.

Gal. 3. meth. 8.

Quæ partis vulneratæ temperiē salubrem conseruant, & agglutinãt.

Gal. 3. meth. 3.

hanc perturbare possunt, sunt partis vulneratæ imbecillitas, & dolor, quorum vi multæ humiditates ad ipsam tum suscipiuntur,& creantur, tum attrahuntur. Ratione enim imbecillitatis pars superfluitates corporis facilè suscipit, & proprium alimentum non bene conficit,& humiditates,& excrementa colliguntur, & ratione doloris à partibus etiam remotioribus eædem humiditates trahuntur. Hæ autem temperamentum partis immutant. Insuper excrementa, quæ ab ipso vulnere segregantur, omnino humida sunt. Quamuis enim labia vulneris exactè mutuo committantur, attamen, vt monet Gal. fieri non potest, vt aliqua spatia exigua non intercedant, quæ carnis generationem postulant; in eius autem generatione, vt superius diximus, duo de necessitate humiditatum, excrementorumque genera segregantur. Et ob id medicamentum, quod seruat partis temperiem,& glutinatorium est, enema Græcis dictum, exiccare debet: Et ideo Gal. aiebat eius finem ac scopum esse, nullam inter contura subnasci humiditatem permittere. Cur autem debeant temperamento partis, & corporis, quod curamus, in actuis respondere, & ambientis aeris excessus refrangere, in superiori capite cum Galeno docuimus. In principio tamen debent esse modicum refrigerantia, quia humiditates iam dictæ omnino calidæ sunt, & caliditatis huius extraneæ ratione vulneratam partem intemperatam reddunt. Humores enim ad ipsam influentes potissimum tenues, & calidi sunt: Crassi enim & frigidi non ita fluunt. Præterea ratione doloris natura, vt ait Gal. ad partem ipsam, vt ei auxilium ferat, & doloris causam procul expellat, vnà cum sanguine ipso properat: sanguis autem humidus, & calidus existit. Demum austera, & adstringentia vt sint, oportet: Quod enim tale est, ait Gal. & id quod influit repellit, & id quod humiditatis influxum, & in parte collectum est, exprimit, & exficcat, & membra circunstantia, eorumque innatum calorem adstringendo, & vniendo corroborat: Quibus omnibus in vulnerata parte indigemus. Quod enim iam influxum est, à solis siccantibus potest absumi, non tamen quod influxurum est prohiberi, & procul expelli. Insuper id quod astringit, & labia vulneris ualentius in unum adducere, & ita adducta conseruare ualet. Verum hæc sciuisse adhuc non sufficit. Cum enim dixerimus siccare debere in secundo ordine, & gradu, is profectò latitudinem habet. Vt itaque siccitatis mensuram congruam inueniamus, oportet imprimis vnà cum Galeno & totius corporis, & partis affectæ naturam, & temperaturam æstimare: Putare namque communem quandam esse omnium hominum curationem, sicuti stupidissimi Methodici putabant, extremæ dementiæ est: Non enim homo communis, & generalis curatur, sed nostrum quisque alius scilicet aliud temperamentum, naturamque obtinens; hi uero unum esse omnium curationem existimabant. Ego uerò (scribebat ille) si cuiusque priuatim naturam explorare ad unguem scirem, utique, qualem fuisse Aesculapium mente concipio, talem me esse putarem. Sed quoniam id fieri non potest, certè, ut, quoad homini licet, quam proximè accedam, tum ipse me exercere decreui, tum alios, ut idem faciant, adhortor: Vnde infirmiores, & molliores, uti sunt pueri, mulieres, eunuchi minus siccantia, & mitiora; validiores, ficcioresque, vt sunt nautæ, & agricolæ, valentiora requirere dicebat. Et rursus subdit, quod totum corpus siccius ab ijs, quæ magis siccent, medicinis iuuabitur: quæ enim secundum naturam sunt, similibus conseruantur: Si uerò pars solum affecta sit siccior, quæ minus siccet, requiret: Et quæ pars siccius temperamentum obtinuit, quę magis siccent, postulat: quæ humidius, propter eandem causam minus siccantia. Secundo vulneris magnitudo perpendenda: nam magnum uulnus, quia plura segregantur excrementa, ficciora; paruum mitiora postulat. Tertio aer ambiens perpendi debet: si enim siccior fuerit, quia habet rationem sanantis, & medicamenti, minus siccantibus est agendum; sin humidior, magis siccantibus: Et idem de actuis qualitatibus prorsus dicendum: Ideo calidioribus anni temporibus frigidioribus. Frigidioribus verò calidioribus vtendum pharmacis. His animaduersis, non ita difficile erit agglutinantium siccitatem, & temperamentum congruum inuenire. Quorum nonnulla simplicia sunt; quædam verò composita. Inter ea, quæ simplicia sunt, Hippocrates spongiam extollit, quam vult esse mollem, ne premendo vulneris labra dolorem afferat, ac densam, vt omnes humiditates absorbeat: insuper iubet ipsam esse incidendam, vt æqualis euadat, & vulnus æquè contangat, & nulla ex parte ipsum vehementius comprimat: ipsam autem siccam assumebat, vt valentius siccaret, & humiditates segregatas omnino inhiberet. Spongia verò sui natura nō instrenuè siccat, & ob id ab ipso quoque Celso vsurpabatur. Sed ipse eā aut acce-

Gal. 3. meth. 4.
Galen. 2. de comp. per gener. c. 21.
Galen. 2. ad Glauc. 2.
Gal. 3. meth. 7.
Hipp. lib. de vlceribus.
Celf. lib. 5. c. 29.

to, aut vino, aut aqua expressam admouebat. Quem etiam secutus est Galenus, qui ipsam aut vino nigro austero; aut aqua, aut oxycrato expressam applicabat: hyemis enim tempore vino nigro austero: æstate autem posca, aut aqua madefacienda, ac exprimenda. Idē verò in lib. de simp. med. viribus quamplurima alia agglutinantia in cruentis vulneribus proponit, vt pira syluestria, rubi extremitates, equisetum, anagallidem, sambucum, ebulum, folia salicis, corni folia, ac germina, & eius fructus immaturos: ita probantur hederæ folia viridia in vino nigro austero decocta, quod etiam vinum tanquam in omnibus vulneribus agglutinans à Galeno maximè probatur. Vinum enim, dicebat ille, omnis vlceris, quà vlcus est, optimum est medicamentum. In compositorum autem numero primatum tenent duo illa emplastra siue cerota adeo celebria ab ipso Galeno composita, Phœnicinum scilicet, quod diapalma vocant, & Barbarum emplastrum, quod quidem duplex est, magnum nempe, quod magnis vulneribus, & paruum, quod paruis admoueri solet. Sed hyberno tempore Barbaro ipso; æstiuo autem Phœnicino vti conueniet. His autem, vti diximus, non est indifferenter vtendum: Sed in humidis naturis mitiora, in siccis valentiora sunt adhibenda; in mediocribus, moderata, & mediocria. Mitiora autem sunt rosæ, plantago, anagallis, ebulus, sambucus, vlmus, vnguentum de cerussa, vel de minio. Valentiora sunt, bolus Armena, terra Lemnia, sanguis draconis, folia, necnon nuces cupressi, balaustium, myrtilli, gallæ omphacitides, pira syluestria, mespila, sorba, corna, acacia, ceratum barbarum magnum. Mediocria erunt rubi extremitates, equisetum, folia salicis, hederæ folia viridia in vino nigro austero decocta, & vinum ipsum nigrum, ac stipticum, emplastrum barbarum minus, si hyems sit; sin æstas, phœnicinum unguentum: Vel componatur medicamentum ex hoc puluere. Recip. boli Armen. balaustiorum sanguinis dracon. mannæ thuris ana pares portiones. Dum autem uolumus medicamen pro mollioribus naturis mitius reddere, augemus dosim ipsius thuris, quia minus siccat; dum uolumus ualenter siccare in adultis, durioribusque corporibus, aliorum dosis superet. Omnia autem hæc subtilissimè puluerizantur, ac diligentissimè permiscentur, & post factam uulneris suturam, puluis hic super suturam, & labia uulneris inspergitur: deinde uel phœnicinum, uel barbarum superponitur: quæ tamen super linteum ducenda sunt, quod non modo labia uulneris; uerum etiam partes circumstantes comprehendat, & eam consistentiam habere debent, quæ nec nimis dura sit, quia sic dolorem comprimendo excitat, nec nimis mollis, quia laxat partis robur. fiunt autem mollia oleis ipsis. Post huius autem cerati appositionem, supra omnia iam relata præsidia debet apponi linteū duplicatū uino nigro austero madidū, ac expressum, si hyems sit; aut aqua uel posca, si æstiuum tempus adsit. hoc autē linteum debet esse latius emplastro, seu ceroto iam apposito. Et si uulnus in aliquo artuum sit inflictum, debet totum membrum circumire. Vbi uerò fluxionem adhuc magis timemus; in uino illo austero, quo linteum madefit, tum rubi germina, tum plātaginem, & rosas incoquere debemus. Demum super hæc omnia fascia, uel uino austero, uel posca, prout anni tempus exigebit, madida ac expressā ex duplici initio erit deligāda: & membrum ita deligatum ea figura, & situ collocari debet, quæ congrua sit: congrua autē erit situatio, si dolore uacabit, & sursum spectabit. Dolore autē uacabit, si in ea figura; quæ inter extrema media est, inter extremā scilicet tū extensionem, tū flexionem collocabitur; cruribus tamē exceptis, quæ quidē ratione consuetudinis extensa detineri debent: Dum autē uulnus magnum est, atq; profundum, ita, ut cogamur ostiolum relinquere, membrum ita collocandum erit, vt uulneris orificiū semper sit inferius, ut saniei effluxus facile pateat. His itaque de pharmacis, quæ in uulneribus illis conueniunt, quæ per simplicē agglutinationem curantur, exaratis, reliquum est, vt ea pharmacorum genera proponamus, quæ ad eorum uulnerū curationem diriguntur, quæ quidem aut caua sunt, & cum alicuius particulæ, siue cutis, siue etiam carnis deperditione, aut adeo profunda, vt quamuis nulla pars amissa sit, carnis nihilominus, quia profunda sunt, generatione indigent. Hæc autem sunt, uti in superiori capite docuimus, concoquentia, detergentia, sarcotica, epulotica, & quia nonnunquam, dum caro gignitur, nimis luxuriat, & excrescit, septica ipsa, seu exedentia uocata medicamenta. Sunt autem pus mouentia, seu concoquentia, omnia illa, quæ modicè humectant, & calfaciunt, & substantiam emplasticam habent, uti sunt oleum masticinum, farina triticea, pix, resina: nempe oleo aliquo, aut rosaceo subactæ, pinguedo gallinæ, anatis, me-

Gal. 3. meth. 4.

Galen. 1. de cōp. pergen. cap. 4. & 2. eiusd. ca. 22.

Medicamēta, quæ caua vulnera, ac generationecarnis indigētia respiciunt.

Concoquētia.

Gal. 5. simp. cap. 9.

dulla panis, & id genus alia. Vnde ex compositis probatur pharmacum, quod fit ex medulla panis cum succo apij in ea copia, vt acquirat formam compactam, necnon id, quod ex ouorum vitellis, & resina therebinthina conficitur: Vel Recipit farinæ fœnigræci, hordeaceæ, triticeæ ana vnc. j. resinæ therebinthinæ pinguedinis gallinæ, & anatis ana vnc. j. succi apij vnc. vj. misceantur, decoquanturque, donec pharmacum mellis spissitudinem acquirat: Et erit concoquens satis strenuum. Vel Recipit resinæ therebin. vnc. j. Thuris puluerizati drach. j. & cum oui vitello vno fiat vnguentum, quod tum concoquet, tum etiam aliquatenus detergebit, cui, si dolor aliquis infestet, olei masticini semiuncia adijciatur. Si autem æstiuum tempus sit, aut etiam vulneratus sensum habeat vegetiorem, resina therebinthina lota assumenda erit: Illota enim mordet, & magis calfacit, & siccat. Ita in his casibus licet thuris, & ouorum uitellorum dosim augere. Si vero hyems sit, licet croci scropulum his addere. Similiter, vbi quis simul concoquere, & detergere voluerit, poterit accipere mellis rosati simp. vnc. iiij. farinæ tritic. vnc. ij. succi apij vnc. vj. misce ad ignem, vt vnguentum accipiat mellis crassitudinem: magis autem concoquet, si croci ei parum addatur. Sicuti enim in principio concoquentia, ita in fine detergentia præpollere debent. Concoquentia verò eò vsque admoueri debent, donec bonum & laudabile pus

Hippocr. 1. prog. vlt. appareat. Tale autem est ex Hippocrate album, tangenti lene, æquale, & minimè fœtidum. Tali itaque apparente, ad ipsa detergentia properare debemus: Detergētia

Gal. 5. simp. cap. 12. quæ quidem rhyptica Græcis dicuntur, & sicuti ex Galeni monitis illa, quæ quidem internos quoque meatus purgant, & exobstruentia passim dicuntur, nitrosa, & amara esse debent, de quibus nunc sermo nobis non est: ita quæ cutis vniuersæ, & vlcerū sordes expurgant, de quibus præsens sermo est, non solum talia, qualia poros purgantia esse diximus; verum etiam viribus minora esse possunt, qualia sunt dulcia, quæ tenuium sunt partium, vt mel, necnon mulsa ipsa, marrubium, & ex cerealibus seminibus eruum, fabæ, hordeum, lupini: quamquam lupini, & eruum etiam non solum abstergunt, sed etiam poros, & meatus expurgant. In horum itaque detergentium vsu animaduertendum, quod dum prius vsi fuimus puris concoquentibus, detergentia futura sunt aliquatenus valentiora; sin vsi fuimus ijs cum siccantibus permistis, debent esse mitiora: quia saniei sub his magna pars iam absterla fuit. Communiter autem melle ipso rosaceo vnà cum hordei farina vti solent: Animaduertendum tamen, vt pro varia tum natura, tum vulneris magnitudine diuersis vtamur, & tum nimis valentia, tum nimis mitia caueantur: quia hæc ambo vulnus sordidum reddunt: illa quidem carnem ipsam subiectam colliquando (quod quidem, vt Galenus docet, ex morsu,

Gal. 3. meth. 6. ex rubro, & phlegmone quodammodo affecto vlcere, & labijs præaltis, & maiori cauitate, & aliquando ex mordicationis manifestæ sensu, & calore deprehenditur) hæc verò saniem ipsam parum abstergendo (quod ex contrarijs signis, &

Gal. 3. meth. cap. 3. morsus carentia dignoscitur) ob id monet Galenus fugienda esse, quæ habent, qualitatem amaram, aut salsam, vti sunt nitrum, aphronitrum, & ea omnia, quæ mordacitatis expertia non sunt, & item illa, quæ nimis mitia sunt. Idcirco si vulnus magnum sit, vt multa sordes in eo segregetur, & corporis natura sicca, laudatur abstergens iam dictum, quod ex melle rosato colato imponitur, & tanta hordei farinæ portione, quæ ad spissum reddendum pharmacum satis sit. In natura molli, & minore vulnere, loco mellis rosati, expedit syrupum ipsum rosatum assumere. Hæc autem medicamenta linamentis ipsis, aut turundis in vulneratam partem imponuntur, & circumiacentibus quadantenus partibus. Et

Cels. lib. 5. c. 26. in ijs persistendum donec vulnus purum appareat. Tale autem erit, vt docet Celsus, si rubeat, & neque nimis aridum, vel humidum sit, & sensum habeat moderatum: At quodcunque sensu caret, subdit ille, quod non naturaliter sentit, & sensum nimis exquisitum habet, quod nimium, aut aridum, aut humidum est, quod aut pallidum, aut albidum, aut liuidum, aut nigrum est, id purum non est. In vulneribus tamen ferè concoquentium, & abstergentium tempus septimam diē non excedit. Ad septimum autem diem protelari solet in magno vulnere, hyberno tempore, & molli corpore, aut superuacuis humoribus, prauisque scatente. Si autem oppositæ adsint conditiones, citius ad sarcotica deuenire licebit. Hęc autem, ut Sarcotica. in superiori capite asseruimus, ex primo ordine siccantium sunt: quicum latitudinē

Gal. 5. meth. 5. habeat, pro varia & vulneris magnitudine, & laborātis temperie, & ambientis nos aeris constitutione, varia quoq; erunt vsurpanda. De his itaque scribens Gal. Cuius

igitur

igitur ordinis(inquit)erit medicamentum quod carni producēdæ sit aptum,quodque modice tum siccare debere, tum detergere proposuimus? Certè primi ordinis. Quod enim super hunc fuerit,ita,vt non modo influentis redundantiam consumat,sed etiam affluentem sanguinem ipsum populetur,id refici carnem,ceu materiam eius absumens,prohibebit. Porrotalia ostensum est esse thus, & hordeaceam,& fabaceam,& erui farinam,& erui, & aristolochiam,& cadmiam, & panacem,& pompholygem.omnia verò hęc tum maioris,minorisque discrimine inter se differe,tum alia eorum simplices qualitates vincētes habere,alia compositas, monstratum est,nam aristolochia,& panax tum ceteris plus siccant,tum natura magis calent;hordeacea,fabaceaq; farina multò his minus siccant,nec vllum calorem obtinent;thus verò moderatè calet,minus tamen illis siccat, adeo, vt quasdam naturas omnino non siccet; erui farina,& iris,horum, atque aristolochiæ, & panacis medium locum tenent. Thus itaq; in humida corporis natura producere carnem potest;in sicca non potest: quia humidior natura minus siccantia postulat: Vlcus quidem quò est humidius,eo sanè medicamento,quod magis siccet,indiget. Quare si qua sunt vlcera,quibus par est humiditas, quod in sicciore corporis temperamento consistit, vtiq; magis siccari postulat: quod in humidiore hoc sane minus, quo natura naturæ interest. Si quidem productam carnem ei, quæ ante erat, similem esse oportet. Vbi igitur pristina siccior fuit, nouellam quoque sicciorem fieri conueniet. Quare vberius hæc siccari, & quanto magis sicca fuerit, tanto siccius medicamen expostulabit. At in humidiore natura tanto rursum ijs, quæ minus siccent,medicamentis est opus, quanto caro ipsa minus est sicca. Thus igitur vt ad humani corporis naturam tale habet temperamentum, quod cum temperatis, & medijs naturis consentit; humidiores autem paulo liberalius siccat: sicuti rursum ijs,quæ ad summum sunt siccæ, paulo est humidius. Merito igitur thus in quibusdam tum vulneribus,tum naturis pus quidem mouet, carnem verò non producit: in quibusdam etiam carnem producit: in humidiore enim natura carnem producere potest;in sicciore non potest.Preterea in modicè humidis vulneribus carnem creare potest;in ijs,quæ præhumida sunt, prorsus non potest. Quamuis autem sarcotica omnia potestate ipsa siccantia sint, eorum nihilominus quædam actu quoq; sicca sunt;nonnulla actu humida,& mollia sunt,licet potestate, & vi in primo ordine exiccent.Purgato itaq; statim vulnere,longè melius est his,quæ actu humida,ac mollia sunt,vti, quia sub his caro citius gignitur, imò sæpius adeo velociter excrescit,vt caro genita subiecta carne mollior sit: quò fit,vt tunc ad sarcotica,quæ actu sicca sunt,& ad pulueres sarcoticos uocatos deuenire cogamur. Actu vero humida sunt ex Hip.marrubij folia cum oleo contrita : qui etiam accipiebat caricarum partem interiorem siccatam,seminis lini leniter torrefacti, & benertrici ana partē j.aquæ partes ij,omnia diligentissime misceantur,& erit carnis generatiuum.Optimum etiam sarcoticum medicamentum est herbæ reginæ, quam tabacum uocāt, tum folia,tum succus. Alia quoque à Recentioribus valde congrua componuntur,& præsertim quod Recipit resinæ therebint.unc. 3.Turis, masthiches, fœnigræci an.unc.sem.ceræ unc.j.s.olei communis drach.x.Cera,& oleum igne liquantur, & alia adijciuntur,& ad ignem diligenter miscentur. Maximè quoq; probātur vnguenta, quæ parata inueniuntur, vt vnguentum de betonica, vnguentum Isidis à Galeno descriptum, necnon vnguentum ex cadmia, ex pompholyge, quod vulgo de rutia appellatur. His tamen non est indiscriminatim vtendum. Sed si tēpus æstiuum fuerit,& vulnus magnum,& temperatura sicca,conuenit vnguētum ex pompholyge,& cadmia: Si hyems,& vulnus magnum,& siccior temperatura,vnguentum Isidis maximè probatur:Si hæc medio modo se habeant, mediocria sunt adhibenda,vti sunt vnguentum de betonica, aut ei viribus consimile, quale superius ex therebinthina,thure,mastice,fenogręco,& alijs cōposuimus. Quæ verò tum potestate,tum actu sicca sunt,& quibus post humida vti cōuenit,sunt pulueres sarcotici cōmuniter dicti,& vsurpati. In mollibus itaq; corporibus,qualia sunt pueri,mulieres,eunuchi,& paruis vulneribus Gal.laudat thuris puluerem inspersum; in magno vulnere,& non ita molli tēperatura hordeaceam, & fabaceam farinam; in magno vulnere,& temperatura sicca,irim nēpe radicem pulverizatam extollit;in vulnere magno,& temperatura adhuc sicciore, panacē, & aristolochiam pulverizatā probat,in quo etiā concursu tum sarcocolla, tum cadmia,& pompholyx opportunissima esse solent. Potest quoq; medicamentum solidum,in puluere uidelicet, ex thuris vnc.j.& resinæ colophoniæ,& fenigræci semiuncia simul mistis, componi. His

Sarcotica duplicia.

Hipp. lib. de vlceribus.

itaque sarcoticis imbuta linimenta, aut eorum pulueres conspersi in vulneris sinū demittuntur, aut, si vulnus profundum sit sine partis amissione quod carnis egeat generatione, per turundam, seu tentam (quæ teres est, & in vna parte lata, in altera fastigiata) eis imbutam, vel intinctam vsque ad eius fundum deducuntur, & postea aliquod ceratum, seu emplastrum, siue sit diapalma, siue barbarum, ad iam dicta sarcotica detinenda, & partis temperiem salubrem seruandam, & ab aere tuendā supponitur: vel etiam linteum, aut stupæ, vel spongia, quæ vino nigro austero madue- rint, vel puro, vel si valentius repellere, & corroborare partem studemus, adstringentibus medicamentis superius propositis alterato: ac demum, quæ medicamina approbè continere possit, deligatura adhibetur. atque æstate bis, hyeme semel dun taxat auxilia eiusmodi permutantur, quousque vulnus purgatum, impletumque carne fuerit. Tunc enim ad ipsa epulotica, siue dicas cicatricem inducentia, transeundum: non tamē adeo expectandum, inquit Gal. vt caro genita vniuersam adæquet cauitatem, quia etiam sub epuloticis natura non cessat aliquam carnis portionem creare, & ita cicatrix non æqualis, sed eminens euadit; sed tunc ad cicatrizantia properandum, quando subest adhuc aliqualis vulneris cauitas. De ipsis itaque epuloticis in hunc modum loquitur Galenus. Quæ huius sunt facultatis, inquit, non detrahere, neque liquare carnem sunt nata, sicuti septica sunt, & cathæretica, quæ septicis propriè dictis imbecilliora sunt; sed indurare, & desiccare, & proinde frigida, siccaque, & adstringentia, seu in vnum cogentia, cuiusmodi sunt alumen, galla vocata omphacitis, æs combustum, præsertim lotum: quod enim illo tum est, quiddam continet cathæreticum, velut & æris squama: quod autem lotum est, omnium epuloticorum longè præstantissimum est, quippe quod cicatricem inducit, modicè adstringat oportet, atque desiccet. Quapropter spinæ Aegyptiæ fructus, & mali granati putamina sicca, & eius generis vniuersa cicatrici inducendæ sunt medicamenta. Ceterum confusa est apud plerosque Medicorum non solum appellatio, verum etiam omnium id genus medicaminum facultatis cognitio. Si quidem quæ carnem detrahere, ac colliquare sunt nata, ea nonnunquam nominant epulotica, quia sæpe horum vsu vlcera ad cicatricem perueniant; sed id neque primariò, neque peculiari eorum facultate, neque in omni vsu sequitur. Siquidem ad exactum pulueris læuorem redacta talia medicamina per specilli cuspidem carnem leuiter contingentia cicatrizare valent. At si paulo largius vtare, mordicant, colliquantque carnem; & vicus cauum efficiunt, contrà quàm in iis, quæ reuera sunt epulotica. Si quidem nisi satis magnam eorum copiam imponas, nihil proficies. Id enim est in planis vlceribus ad cicatricem ducendis consilium, vt caro alteretur, fiatque cutis: quod fit per ea, quæ illam contrahere, constringere, constipare, densare, præterea siccare, & calli instar indurare valeant: quippe cum cutis velut in callum durata caro fit. Quæ igitur sic agere possunt, primario, & propriè dicuntur epulotica, siue ad cicatricem perducētia; Cetera verò idest, cathæretica, seu detractoria secundariò, & per accidens: sicuti & ea, quæ absq; adstrictione desiccandi vim habent mordacitatis expertem. Nam hæc etiam ex accidenti cicatricem inducunt, cuiusmodi sunt myrrha, & lithargyrus, & combusta ostreum, & diphriges. Nam & ipsa sæpe cicatrizant sicca illita. Inter ea vero, quæ vere epulotica sunt, galla immatura, & malicorium, & balaustium, & Aegyptiæ spinæ fructus modice siccantia pharmaca sunt: chalcitis, & æs vstum, & æris squama, & misy, & fissum alumē multò his sunt fortiora: Misy quidem, & chalcitis præcipuè: mitior autem æris squama, atq; etiā hoc mitius æs vstum: quod si etiā lauabis, vtiq; minus mordens erit. Quāuis itaq; hæc epulotica omnia sint sicca in tertio ordine; attamen varia esse debent pro ægrotantis temperie, & cicatricis inducendæ magnitudine. In mollioribus itaque corporibus, & parua cicatrice probatur galla omphacitis, necnon mali granati cortex, spinæque Aegyptiæ fructus: in temperatioris non humidis, & cicatrice maiori, licet vti chalcitide, misy, ære vsto, necnon eiusdem æris squama, & alumine scissili: quæ etiam, vti dictum est, pro maiori vel minori vehementia differunt. ideo in siccioribus corporibus, & amplis cicatricibus misy & chalcitis magis conueniunt; in non ita duris corporibus, & non ita magna cicatrice æris squama; in minus adhuc duris, & parua cicatrice, æs vstum maximopere confert: quod si lotum sit, omnium cicatricem inducentium optimum est, vt superius cum Galeno monuimus. Inter cōposita verò laudatur diapalma, barbarum ceratum, necnon emplastrum de minio. quæ cū sint in forma solida, optima sunt & nul-

Galen. 13. meth. c. 5.

Epulotica.

Gal. 5. simp. 15. & 16.

Gal. 3. meth. cap. 5.

Galen. 5. de simp. med. superius cit.

& nullatenus subiectam carnem laxant. hyeme verò barbarum, ant emplastrum de minio; æstate diapalma conuenire sæpius diximus. Ex his verò, quæ sola siccitate, & ex accidenti cicatrizant, præter ea, quæ superius cum Galeno posuimus, & optima sunt, laudantur quoque ab eodem linamenta sicca. Sicuti non improbantur cornu cerui vstum, tutia præparata, &, nisi aliqua partis caliditas prohibeat, aqua vitæ soler fœliciter vsurpari; aqua uerò chalybeata magis in vlceribus ipsis competit. In ijs autem applicandis uult Galenus, ut circumcirca, & prope ora, seu labia uulneris, siue etiam ulceris caui quam citissimè cicatrix inducatur, & ob id in ijs partibus epulotica non solum potestate, sed etiam actu sicca, & proinde puluerizata imponantur: quia cum ea pars prope sanam sit, quia in ea magis viget facultas carnem generans, caro citius gignitur, & nisi actu sicca imponantur, nimis excrescit, & cicatrix inæqualis euadit: In medio autem propter oppositam causam, & quia pars debilior, epulotica actu humida, seu cerata, vel vnguenta ponenda sunt: quia sub his aliqua carnis portio etiam si epulotica sint, facilius gignitur. Dum autem his vtimur, semper supra ipsa, & supra vulneratã partem, circumcirca in partibus sanis circumiacentibus, vel diapalma, vel barbarum (quæ enim partis temperiem sanam seruant, cum epuloticis coincidunt) supra latius linteum ducta imponuntur, eo modo, quo, dum vtimur aut detergentibus, aut sarcoticis, faciendũ esse diximus, vt scilicet partis temperies salubris seruetur, medicamenta epulotica non decidant, & vulnus ab aeris frigiditate ei ex Hipp. inimica tueatur. Quidam verò, ad maius adhuc robur indendum parti, supra iam dicta, applicant linteum duplicatum, quo totum membrum, si fieri possit, obuoluat, madefactum in vino nigro austero tepido, in quo rubi extremitates, aut id genus alia adstringendi vim habentia fuerint incocta. Vinum enim tepidum partis calorẽ torpescentem viuificat, poros aperit, per quos acres materiæ possunt exhalare, humiditates exiccat, & repellit, & adstringit. Si verò in vulneribus caro supercrescat, quam multi hypersarcosim Græci vocant, quemadmodum ex Hippocrate colligimus, id duplici de causa potissimum contingit: vel enim caro luxuriat propter nimiam redundantiam humorum ad vulneratam, & affectam partem decumbentium, & tunc vel leuiore aliquo vtendum pharmaco, vel inedia ipsa iniungenda erit; vel id accidit, quia vulnus, aut etiam vlcus non fuit bene purgatum, & exiccatum, quia sub mitioribus sarcoticis, & siccantibus, & detergentibus caro superflua generatur: quod quidem cognoscitur ex eo, quod caro illa excrescens firma non est, sed laxa, & spongiosa, & tunc sufficit sola carnem minuentia, seu exedentia, & septica administrare, vt æqualis cicatrix induci possit. Hæc autem exedentia pharmaca, vt Gal. refert, proxima sunt tum ijs, quæ valenter detergent, tum ijs, quæ cicatricem inducunt, adeo, vt plerique per errorem medicamentum carnẽ minuens vel pro detergente, vel pro cicatricem inducente accipiant, vt exempli causa misy, & chalcitim, si humidæ naturæ applicabis, potius carnem demere, quam cicatricem inducere depræhendes. Vnde si quando ijs vti ad cicatricem inducendam in aliorum penuria cogimur, parcissimè ipsis vtemur; Sin minuere studebimus, liberalius imponemus. Sanè ærugo magis etiam, quam hæc, minuere carnem potest, ita vt epuloticorum genus sit egressa. At, si illa etiam aduras, vt minus acria, sic ad cicatrizandum reddes magis apta: Si verò etiam laues, adhuc fient mitiora. Ad pensum itaque redeundo, exedentia hæc, vt ex dictis colligimus, quemadmodum & reliqua, de quibus egimus, & pro varia laborantis natura, & pro carnis exedendæ copia, varia sint oportet. Proinde in humidiori natura, & pauca carne superexcreta, ab Auic. probantur stupæ canabinæ minutim concisæ, spongia vsta, sicca linamenta superposita. Si caro fuerit abundantior, in eadem tamen temperatura, commoda erunt misy, chalcitis, & ipsa ærugo. Si caro adhuc copiosior, ægrotantisque natura sicca, laudatur æs uiride, alumen ipsum: Et inter cõposita Aegyptiacum vnguentum, pariter chalcanthum vstum, nec non præcipitatum ipsum ualentissima sunt. Hippoc. uerò nigri ueratri radicibus siccis, puluerizatis, ac inspersis utebatur. Quibus eò usque utendum, quousque caro parum infra ęqualem superficiem fuerit absumpta. Et dum his utimur, optimum est supra hæc, & in partibus circumiacentibus aliquod refrigerans, & astringens apponere, quale diapalma est, aut vnguentum de solatro uel quid simile cum duplicatis linteis uino nigro stiptico madidis super impositis. Et postea epuloticis ipsis uulnus cicatrice obducendum erit. Quod si praua hæc cicatrix fuerit inducta, ita, ut deformis, aut indecora euaserit, si tenera adhuc, & recens sit, admoto diachylo, aut lithargyro

Marginal notes: Galen. 13. meth. 5. — Galen. 13. meth. 5. — Hip. 5. aph. 22. — Septica. — Hipp. lib. de vlceribus. — Gal. 3. meth. 6. — Auic. 4. 4. tr. 4. cap. 12. — Gal. 3. meth. 8. — Hipp. lib. de vlceribus. — De cicatrice praua corrigenda.

nutrita instauratur: crassior verò cicatrix, & iam inueterata reparatur oleo balsamite apposito, vel radice cucumeris syluestris trita, & apposita. Quod si his vel similibus non tollatur, id totum, quod supereminet, & excrescit, cultrò rasorio rescindendum, vel cauterio remouendum: Et crusta deinde admoto gallinæ, aut anatis adipe, vel etiam mastiche resoluenda. Vbi verò quis tum ferrum, tum causticum pharmacum timeat, vtendum medicamento mediocriter erodente, vel vsto chalcantho, vel oleo de sulphure: quibus ea portione, quæ conueniens erit, detracta, epulotica erunt admouenda: Non tamen expectandum vt vel caro superficiem adæquet, vel superemineat (hac enim de causa cicatrix supereminens fit) sed tunc cicatrix inducenda, quando caro aliquatenus caua est, vti superius monuimus. Eodem prorsus modo corrigitur eminens cicatrix vbi ab imperito aliquo labium vnum altero supereminens super ipsum fuerit agglutinatum. nam labium illud exeditur, & deinde agglutinatio fit. Simili modo, vbi cicatrix concaua est, idque accidit eò, quia nimis præproperè chirurgus epuloticis vsus fuit, aut scalpello, aut erodente medicamento tollenda est, deinde caro in decenti quantitate regeneranda, & postmodum cicatrix inducenda. Si verò cicatrix concaua euaserit, eò quia vulnus inueteratum est, & neruorum, aut venarum, & arteriarum propagines, aut id genus alia, quæ ex semine ipso, non autem sanguine orta sunt, deperdita, & consumpta fuerunt, hæc concauitas incorrigibilis est, nisi corpus puerile, aut iuuenile, & admodum robustum sit, multoque minus corrigi potest, si aliqua ossis portio emissa, ac deperdita fuerit: Vnde dicebat Hippocrates. In vlceribus annuis necesse est os emitti, & cicatrices cauas fieri. Si verò cicatrix prauo aliquo colore infecta sit, expedit prauum humorem cicatricem inficientem, siue bilis sit, siue pituita, siue melancholia, proprio, & electiuè ducente pharmaco euacuare, & probam viuendi normam instituere, & si cicatrix nigra sit, oleum, in quo radix bryoniæ tum albæ, tum nigræ incocta sit, donec siccum reddat, imponere, vel calamintham ex vino coctam, & tritam ad modum emplastri, aut argenti spumam cum albo rosaceo lotam admouere. Pariter ad nigras, liuidas, & fuscas cicatrices laudatur oleum de been albo; necnon ærugo, & plumbum elotum paribus portionibus mista cum oleo rosaceo decocta, quousque ad linimenti formam deuenerit medicamentum. Ad albas verò cicatrices corrigendas Celsus proponit plumbum album: nam siccat, & tingit. ita radix cucumeris syluestris, quia discutit, & pituitam allicit, idem præstare valet: Vel Recipe Elaterij partem vnam, spumæ argenti partes ij, resinæ therebin. quantum sufficit, vt medicamen emplasticam acquirat consistentiam. Si verò rugosa cicatrix euaserit, eò, quia vel non rectè labia fuerunt commissa, vel quia epulotica congruè non fuerunt apposita, pharmacis eminentias illas erodentibus superius enarratis, & deinde epuloticis corrigenda erit. Cicatrices autem multiformes, necnon etiam magnæ corrigi non possunt. Omnes autem prauas, & indecoras cicatrices pulchras, aut saltem minus turpes reddere potest humana ipsa pinguedo sæpius, & diutius illita; quod quidem ab ipsa proprietate potissimum prouenire censendum est.

Hippocr. 5. aph.

De ratione victus, quæ vulneratis est conueniens. *Cap. XII.*

Victus ratio.

AT Verò in vulneribus, quæ alicuius sunt momenti, & vel sutura, vel ligatura egent, & multò magis in punctura, quæ cum aliquo dolore inuncta sit, nec non in contusionibus notatu dignis, & præsertim capitis, aut alterius partis præstantis, aut quæ cum huiusccemodi parte consortium habet, victus ratio nedum refrigerans, & adstringens; verum etiam tenuis exactè debet imperari, imò dum malum vehementius vrget, & in primo septenario, & toto eo tempore, quo timor subest futuræ inflammationis, victus tenuissimus futurus est. Ideo iubebat Celsus, vt hoc tempore cibus, & victus ea forma, & copia exhiberetur, qui vulneratum tantummodo sustinere sufficiens esset: Et Hippocrates scribebat, vulneratos fame affligendos esse. Tunc enim reliquę partes adeo indigẽtes redduntur, vt non habeant aliquid, quod

Hipp. lib. de morb.

ad

ad partem vulneratam transmittere queant. Propterea vult Galen. vt hoc eodem tempore, quo timor aliquis adest phlegmones, vinum omnino caueant: Carnes quoque & oua eodem tempore vitare debent, necnon alia, quæ plenioris succi sunt alimenta, & multò magis ea, quæ vel salsa, vel acria sunt, vel quoquo pacto calefacientia. Cibus itaque conuenientissimus erit ptissana hordeacea non quidem integra in primis septem diebus, sed colata, cui si aliqua portio emulsionis seminum melonum, vt serosi humores, qui facile fluunt, per vrinam euacuentur, adijciatur, optima euadet. Panatellæ & ipsæ cum aqua confectæ conuenientissimæ sunt, vt etiam panis in aqua infusus: & si vires id exigant, panis coquatur in iure macro, seu tenui carnium laudabilium, de quibus post: Inter olera verò lactuca, chondrilla, intybus, borrago, portulaca, plantago, spinachia, & id genus alia eis concedi possunt: Et à cibo pirum coctum, vel cydonium non erit incongruum; in modica tamen quantitate. Pariter, post cibum, maximè congruus est vsus alicuius portionis, vt semiunciæ, saccari rosacei. In potu verò, inflammationis timore perseuerante, & primo septenario, à vino omnino caueant, dummodo, propter largum sanguinis profluuium, viribus non sint destituti, aut animi deliquij, vel syncopes periculum non immineat. Vbi enim hæc instent, & inter morientes appareant, tunc ante vllam curationem (ait Celsus) vino reficiendi sunt, cui pauca aqua rosacea addi potest. Pro potu itaque dum virtus sustiner, vtantur aqua cocta simplici, vel cum modico hordei, aut coriandrorum præparatorum alterata: cui voluptatis gratia aliquid vini vel granatorum, vel cydoniorum, vel cerasorum, quæ austera sunt, adijcere licebit, aut aliquid iulep rosacei, si dulcibus oblectentur. Si autem senes sint, & debiles, licet eis concedere aliquid vini nigri, quod austerum sit. Transacta die septima, illis, si nil prohibeat, vti sunt præsertim dolor, & inflammatio, innoxie vinum modicum, & aqua multum dilutum, aut oligophoron exhiberi poterit. Quo etiam tempore pleniore victu rectò vti poterunt, & ad pristinam consuetudinem paulatim redire. Si quis enim vsque ad septimum nec phlegmone, nec dolore tentetur, in posterum tutus erit: & vbi vulneratus à phlegmone, & quocunque abscessu omnino tutus erit, vino aliquo vinoso, & carnibus optimi succi, quæ vires recreare valeant, vti poterit: vti sunt carnes gallinarum, caponum, arietum castratorum, auicularumque potissimum montanarum, vt perdicum, francolinorum, turdorum, & aliarum paruarum auium. Vitent autem, quantum fieri potest, vigiliam, & omnem vehementem tum animi, tum corporis, & præsertim partis vulneratæ motum, & potissimum iram: necnon etiam coitum ipsum: & loco exercitationis ipsorum, partes ab ijs, quæ vulneratæ sunt remotæ, & oppositæ fricentur: & clysmatibus moderationibus, vel suppositorijs, si opus sit, aluus lubrica detineatur. Aer ad frigidum, & siccum vergat, & ob id si talis natura non sit, artè ipsa, & folijs salicum, rosarum, myrthorum, aut pampinis vitis, & aqua frigidissima inspersa talis paretur.

Gal. 4. meth. vlt.

Cels. lib. 5. cap. 26.

De carnosarum partium vulnere. *Cap. XIII.*

VNIVERSALI vulnerum sermone completo, ad illorum species, seu differentias transcundum, quæ ab ipsis vulneratis partibus desumuntur. Cum enim hę vulnerum omnium subiectum, ac fundamentum sint, non erit ab re pro exacta vulnerum omnium contemplatione eas tantummodo, quę ab ipsis emergunt, differētias pro reliquarum omnium subiecto, & fundamento suscipere, & accuratè contemplari. Potissimum cum Gal. de his verba faciens literarum monumentis tradiderit, eam vulnerum, ac vlcerum differentiam, quæ à vulneratis omnibus particulis sumitur, ad indicandum curationem esse maximè opportunam. A similarium itaque partium vulneribus exorsi, de illis primum dicamus, quæ in carne, & cute, eique substrata pinguedine contingere solent, sine alicuius aut venæ, aut arteriæ, quæ momenti alicuius sit, aut nerui, vel alterius durioris partis læsione. Vulnerum, quæ in carnosis partibus fiunt, species, seu differentiæ potissimæ, atque famosæ, & à quibus particulares quædam ad curandum indicationes sumuntur, & de quibus hoc capite solummodo seorsum tractare intendimus (quid enim aliæ horum vulnerum differentiæ indicent, & quibus

Gal. 3. meth. circa finem.

Differētiæ.

quibus præsidiorum materijs eis satisfaciendum sit, in sermone vniuersali abundè docuimus) sunt illæ, quæ ab instrumento vulnerante proficiscuntur, Incisio nempe, Ruptura, Punctura, Contusio, & Erosio. Et quoniam hæ omnes differentiæ signis non egent, & ab ipsis quoque vulgarib. leui negotio ab inuicem distinguuntur, ea verò, quæ ad prognostica, & indicationes ipsas attinent, in sermonibus vniuersalibus sedulo fuere declarata: idcirco his suppositis (ob id enim præcipuè vniuersales traduntur doctrinæ, vt inquit Auerr. ne scilicet cogamur eadem theoremata sæpius repetere) ad curationem ipsam quamprimum pergemus: id vnicum annotasse sufficiat, Hippocratem, vt Galenus nos admonet, contusionem appellare, quod à nobis Tlasma dicitur: Accidit autem hoc vitij, vbi graue aliquid decidit in corpus, quod quasi carnem abrumpendo atterendi vim habet. Verum vbi contusa caro ad regionem, quæ sub cute est, sanguinem transmittit, hæc sanguinis suffusio dicitur echymoma, sub qua cutis inuiolata seruatur; scindi autem tenues venas cum carne, vbi id exoritur, apertum est. Iam verò de incisione, & ruptione ipsa pauca omnino trademus, eò, quia omnia fere, quæ ad harum perfectam attinent curationem, in proximè superiori tractatu exactissimè fuere proposita. Similiter de punctura ipsa, quæ à pugione, aut stylo, aut sagitta, vel simili instrumento fit, nihil dicemus, quia de ipsa in sermone de neruorum punctura exactius agemus. De punctura autem, quæ à venenosorum animalium, & ferarum morsu fit, necnon de contusione, & erosione ipsa tanquam de carnosarum, extimarumq; partium vulneribus maximè proptijs, & peculiaribus, vberiùs agemus. In incisione itaque, & ruptura illud speciatim annotandum, vt præter alias indicationes in sermone vniuersali propositas, ad sanguinis profusionem oculos dirigamus, & ipsam cohibeamus; ea tamen lege, vt inquit Auicen. vt moderata sanguinis quantitas ante suppressionem exire permittatur. Satius enim est, ait ille, ipsum non omnino, & statim supprimere, sed si nimis abundè prorumpat, eius solum impetum moderatè cohibere. Nam moderata è recenti vulnere sanguinis euacuatio non parum sæpe multis profuit, quia & phlegmonas, & obstructiones, & febrem ipsam fieri prohibuit; quæ quidem vnà cum similibus symptomatibus vulneribus, nisi diligenter præcaueantur, superuenire, & agglutinationem impedire consueuerunt. Fit enim, ait Hippocr. ex sanguinis fluxione vulnus siccius, & proinde sanius; quia siccum sano vicinius est, humidum verò non sano. Si verò superfluè exeat, & cum his, quæ communiter vulneribus adhiberi solent, non cohibeatur, ijs erit occurrendum, quæ in capite sequenti proponentur. Si verò incisio, aut ruptura non modo fuerit simplex, id est sine alicuius aut partis deperditione, aut præter naturam affectus complicatione, verum etiam parua, sufficit vulneris labia sola ipsa deligatura ad mutuum contactum adducere, quia sic agglutinabitur: Communis tamen Chirurgorum vsus inualuit, vt oui albumen quassatum cũ leui stupata ei apponatur: Sanguinem enim sistit, dolorem sedat, & phlegmonem prohibet. Amoueri autem ab ipso vulnere non debet vsque ad tertium diem, quia hoc tempore coalescere labia consueuerunt. Quod si non succedat, amoto hoc præsidio, curandum erit vulnus, vti in sequentibus paulò post dicemus. Si verò incisio, & vulnus ita magnum sit, vt sola deligatura non sufficiat, non tamen profundum, si aut sutura, aut fibulis labia committantur, vt monet Galenus, proculdubio agglutinabuntur. Recentiores tamen in his vulneribus vtuntur puluere, quem rubrum seu incarnatiuum vocant, ac consetuatiuum, qui recipit thuris partes duas, sanguinis draconis partem vnam: misce. Guido autem his addit boli Armenę partes tres. Et hic puluis vel solus ponitur supra labia vulneris post factam suturam, cauendo tamen, ne vulnus ipsum ingrediatur; vel cum oui albumine permiscetur, vt medicamen mellis crassitiem suscipiat, & stupis leuibus exceptum vulneri admoueatur, supra quod aliæ stupæ solo oui albo imbutæ, & intra pannum eodem liquore madefactum inuolutæ apponendæ sunt. Verum ante huius medicaminis applicationem immediatè supra vulnus pannus lineus tenuis prædicto oui albo imbutus admoueri debet, ne, dum remoueantur stupæ, suturæ puncta rumpantur, aut dilacerentur. Quod si cum oleo rosaceo completo, ad prohibendum dolorem, partes circumstantes inungantur, optimum erit, & vulnus non est soluendum, & medicamenta iam dicta remouenda, & immutanda, nisi post quartum diem, dummodo aut dolor, aut pruritus notatu dignus, vel aliud accidens nos non cogat. Si autem post quartum diem labia non fuerint agglutinata, vino nigro austero calido vulnus lauetur, & eodem infusæ stupatæ, & expressæ

Marginalia (left): Auer. primo Phys. comm. — Gal. 3. de off. Med. comm. 30. — Gal. 11. simp. fer. de ouo. — Gal. 3. meth. 4. — Guido tract. 3. cap. 2.

Marginalia (right): Signa, Præsagia, & Indicationes. — Curatio. — Ad incisionem, & rupturam. — Ad vulnus simplex paruumq;. — Ad vulnus longũ, non tamen profundum.

pressæ applicentur, & ligentur, & singula quaque die immutentur, quia breui tempore vulnus coalescet. nam vinum omnis vulneris, qua vulnus est, ait Galen. optimum est medicamen, quia siccat, astringit, & roborat. Hinc Arnaldus scribebat, quòd recentia vulnera si abluantur cum aqua ardenti, seu aqua vitæ vocata, quæ ex vini fece, seu parte terrestriore conficitur, facilè coalescunt, quia strenuè siccat. Nonnulli verò post primam medicamentorum immutationem, quædam ad hoc peculiaria emplastra, & vnguenta applicant, & stupatam desuper ponunt. Galenus autem valde probat vnguentum, quod nigrum appellat. Alij pro diuersis anni temporibus, & pro temperaturarum varietate aut cerato de minio, aut barbaro magno, aut phœnicino vnguento, vt in superiori capite diximus, vti solent. Si autem vulnus profundum sit, atque reconditum, nonnunquam sutura, & ligatura conuenienti curatur. Si verò hoc pacto curari nequeat, quia scilicet pus in vulneris profundo colligatur, quod, cum expelli non possit, agglutinationem impedit, iubet Galenus, vt vel eiusdem loci, vel contrarij loci diuisione & apertione, seu incisione, vel conuenienti vulnerati membri figuratione puri, & saniei effluxus, & exitus pateat. Apta verò membri figuratio cum eodem Galeno & Auic. illa intelligenda est, in qua vulneris orificium semper inferius euadit, & fundum, reconditaque pars superius, vt collecta vulneris excrementa facile exire possint. Ex his autem tribus modis propositis, procul dubio, si fieri potest, tertius, nempe membri figuratio, eligendus est, ne scilicet aut vulnus maius reddamus, aut nouum vulnus in opposita parte moliamur, & malum geminatum fiat. Et propterea diuinus Galen. vt hæc euitaret, fatetur se vulnus profundum in coxa curasse, cuius fundum erat circa genu, orificium verò versus coxam, sola membri figuratione. Nam puluillorum merito genu eleuatum detinuit, & subinde fundum in decliuiori, & inferiori loco, & situ remansit. quod etiam in brachio præstati potest. Si verò sola membri figuratio non sufficiat, aut pars vulnerata hanc conuenientem figurationem non admittat, expedit excretionem saniei tentare cum ea deligaturæ specie, quam expressiuam vocant, & de qua in sermone de vlcerib. agemus. Incipit enim in fundo vulneris, & circa ipsius orificium desinit. Quod si hoc quoque modo saniei effluxus, & excretio parari non possit, cogimur ad reliquos duos propositos modos confugere, & vel vniuersam vulneris cauitatem, & vulnus vsque ad fundum incidere, & ampliare, vel solam partem, quæ orificio opponitur, & fundum ipsum solum diuidere, & scalpello incidere. Quemnam autem ex his duobus eligere debeamus, docet Gal. hisce verbis: at si vulnus, inquit, cauitatem altè reconditam sub cute habet, considerare oportet, vtrum ea in superiore parte sita sit, ita vt sanies ex ea prona effluat; an in inferiore, sic, vt in illa sistatur. Eius igitur, cui effluxus paret, eadem, quæ aliorum curatio est: Cui non est, huic ipsi moliamur effluxum quendam, oportet. Eius duplex ratio est: alias tota cauitate desecta; aliàs in fundo tantum aperta. Quando verò harum alterutra sit ineunda, docebit tum locorum ipsa natura, tum verò vulneris, seu vlceris magnitudo. Si namque & loca ipsa periculosam sectionem faciant (quia scilicet inibi sit neruus, aut vena, aut arteria) & vulnus magnum fuerit, in fundo aperire magis expedit: sin contrà se habeant, præscindere præstat. Deligatio verò eius incipiet quidem supernè, sed finiatur infra, vbi scilicet patet effluxus. Hæc ille. Dum autem fit contrarij loci, seu solius fundi diuisio, expedit vulnus dupliciter mundum reddere, & abstergere vel immittendo duas turundas, ex vtraque scilicet partem vnam, imbutam scilicet conuenienti medicamento, primum concoquente, mox abstersiuo, & deinde sarcotico: vel unà cum Guidone vnam tantummodo tentam imponendo ad modum setacei, quod per vtrumque foramen pertranseat, & dimoueri bis in die. nam melius abstergit, & minorem dolorem infert. Intromittitur autem per primum vulneris foramen aliquo instrumento intromissorio ad modum acus, sed ante intromissionem, & loci oppositi diuisionem melius est hastulam ligneam in cauum vulneris imponere, & super ipsam hastulam incisionem facere, deinde setaceum intromittere, & desuper aliquod abstersiuum medicamen, & stupatam apponere, & bis in die immutare. Si verò incisio, aut ruptura caua sit, & cum deperditione cutis vel carnis, quomodo curari debeat, ex superiori capite clarè liquet. Iam uerò si de morsu ferarum, & animalium punctura sermo fiat, hæc profectò duplex est: Vel enim est uenenositatis expers, quæ uel ab homine, aut cane non rabido, uel equo, aut simili animali non uenenoso fuit inflicta: uel uenenosa est, qualis à cane rabido, aut serpente aliquo, aut scorpione, uel crabrone, aut simili solet inuri.

In quo-

Marginalia: Gal. 3. meth. cit. — Ad vulnus profundū. — Gal. art. med. c. 90. — Galen. 2. ad Glauc. — Gal. 3. meth. 10. prope finem. — Ad animalium morsum seu puncturam.

In quocunque autem ferarum morsu, quicunque sit, has indicationes communiter explere oportet. Imprimis enim quæcunque desiccandi, & reprimendi vim habent, euitanda in principio sunt (nam morsus omnis quoddam virus habet) & semper attrahentibus, emollientibus, & laxantibus, abstergentibus, postea verò carnem generantibus, & agglutinantibus vti oportet. Speciatim autem differunt indicationes, quia in morsu non venenoso sufficiunt attractoria, quæ domestica passim vocantur, & maturantia: qualia sunt cœpæ, allia syluestria, necnon etiam fatiua cocta, & trita, & cum fermento, oleo, & sale permista. Si autem morsus, aut punctura venenata sit, quod cognoscitur ex dolore valido, & ex punctionis, mordicationisq; sensu vehementi in parte afflicta, & mutatione coloris vulneris (vel enim rubet, & inflammatur, vel liuet, vel nigricat) & ex angustia, & arsura, seu ardore, aut torpore, seu obstupescentia; quæ quidem in vniuerso corpore persentit ægrotans, ita vt vix tangentem persentiat (venenum enim sui natura semper cor ipsum præsertim petit, eiusque vires, & functiones destruit, & demolitur) & ex eo, quod à cane rabido fuit demorsus patiens (cuius venenum nonnunquam per mensem, & annum, imò per septem annos absque eo, quod aliquod ex dictis signis appareat, delitescit, cuius quidem signa, curationemque diligentius in lib. de morbis occultis conscribemus) tunc pro huius virulenti morsus curatione duplex à Galeno proponitur indicatio, nempe virulenti ipsius liquoris euacuatio, extractioque, & eius, quod dolorem creat, alteratio. Vbi enim ex animalis punctu, morsuve dolor incidit (ait ille) duplex sedandi doloris ratio est, vel virus ipsum vacuando, vel, quod dolorem excitat, alterando. Sanè vacues id eorum medicaminum ope, quæ vehementer attrahunt: alteres ijs, quæ sunt contraria, idq; vel qualitatibus, vel tota substantia. Monstratum namque est in libris de medicamentis quædam esse totis substantijs inter se contraria; quædam solis qualitatibus. Sed & illud indicatum est, quod eorum, quæ contraria qualitate sunt, methodus quæpiam sit: eorum, quæ tota substantia sunt aduersa, methodus non sit; sed omnia sint per experientiam inuenta. Tu igitur quæcunque methodo curandi explorentur, hinc disces: quæ experientia tantum deprehendit, ea in his operibus de medicamentis sunt collecta: in quibus ostendimus, quænam ex sola experientia: quænam ex sola ratione: & quæ nam ex ambabus inuenta sint pharmaca. ergo methodus præsens in doloribus vniuersis, qui vel ex animalium, vel medicamentorum noxa excitantur, duplicem indicationem habet, nempe eius, quod dolorem creat, vacuationem, & alterationem. Vacuant id tum calefacientia omnia: tum quæ citra calefactionem vehementer trahunt: veluti & cucurbitulæ, & caua cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum vice vtuntur. Sunt autem & qui ore suo virus extrahunt, ægræ videlicet particulæ admoto, ipsamque labijs complexi. Huc sanè pertinet & cauterium, & medicamenta, quæ cauterijs similiter escharam efficiunt. Atque hæc omnia totam eius, quod infestat, substantiam exinaniunt. Alterum auxiliorum genus est eorum, quæ qualitatem per contraria alterant, scilicet exhibentibus nobis, si vehementem calorem æger vel in ipso demorso loco, vel in toto corpore sentiat, auxilia refrigerantia: sin frigus sentiat, calefacientia. Hæc ab illo. Quibus cum quatuor attrahentium, & euocantium ab alto remediorum genera proponat, nempe calfacientia pharmaca, cucurbitulas, & cornua, oris suctionem, & cauterium, quod vel igne ipso, vel caustico medicamine administrari potest, illud de his in vniuersum primum animaduertendum est, hæc quamprimum adhibenda, & administranda esse, antequam scilicet virus altius serpat, & altiores partes inuadat: Vnde si primis diebus omissa sint, proculdubio frustra postea adhibentur: pariter ne tam cito venenum partes altiores petat, ante horum, quæ dicta sunt, vsum, membrum supra vulnus versus cor deligandum; non tamen ita arctè, vt membrum torpore, aut, quod sæpius imperitorum Chirurgorum culpa contingit, gangræna corripiatur. Si itaque lenior morsus fit, oris suctio valde probatur, dummodo fiat ab eo, qui aliquo vlcusculo oris non laboret, & ante suctionem cibum sumpserit, & os vino abluerit, nam tunc olei exiguum in ore continens, ictum exugere, & venenum exuctum exspuere statim debet. priusquam verò locus exugetur, spongia posca calida imbuta fouendus, & abluendus erit: Alij ipsam imbuunt aqua, in qua chamæmelum, & lapathi syluestris radix sint decocta. Nonnulli verò, vt Guido refert, podices gallinarum, aut aliarum auium deplumant, & morsui applicant, & si pereunt, arguunt venenum fuisse extractum; cum tamen id non arguat vniuersum, sed partem tantummodo ipsius fuisse extractam:

Commvnes indicationes.

Ad morsũ venenosũ expertẽ.

Signa morsus venenosi.

Gal. 13. metho. 6.

Ad morsũ virulẽtum, seu venenosum.

Guid. tract. 3. cap. 2.

huic

huic tamen soli auxilio fidendum non est. ideo post huius remedij applicationem, cinerem, præsertimque sarmentorum vitis, aut ficulneæ, vel lauri lignorum aceto subactum pro cataplasmate imponunt. Aetius enim consulit, vt inflammatio in loco demorso excitetur, & materiæ ad locum læsum trahantur. In morsibus autem magnis ac vehementioribus cucurbitula cum copiosa flamma, & altis circum stantium partium (si membrum id ferat) scarificationibus, vt vnà cum copioso sanguine etiam virus foras trahatur, vulneri admouenda erit: Et statim post admotam cucurbitulam, vel aliud vas concauum ei simile expedit paruos pullos, potissimum gallinaceos, eosque mares, aut palumbium turrialium recentissimè viuos per medium dissectos, & naturali calore calentes adhuc eidem morsui applicare. Quod si locus neruosus non sit, & maiores sectiones patiatur, & morsus maior sit, potissimumque à rabido cane inflictus, carnes vulneri circumstantes, & labia vulneris scalpelli acie incidere, & carnem ipsam hamo præhensam amputare summopere expedit. Quinimò Gal. refert vinitorem quendam à vipera morsum, vbi fetam agnosceret, confestim læsum digitum falce abscidisse, atque in totum sic periculum euitasse, & euasisse. Cauterium quoque, & vstio ipsa, si locus neruosus non est, strenuum est remedium, potissimum si igne ipso fiat, qui quidem virulentiam quàm maximè domare valet, &, ne ad intima feratur, prohibere. Si verò ignem non admittant, ad pyrotica, & escharotica medicamenta, aut ad ea, quæ vehementer exedunt, & adurunt, confugiendum. quomodocunque verò crusta inducatur, dum ea decidit, animaduertendum, ne vlceris oræ præproperè coalescant, sed ad longum præfinitum tempus vlcerationes sordidæ adhuc, & inflammationem minantes prorogate conuenit, vt virus semper exeat, & partes intimas non inuadat. Et ob id ipsis vlcerationibus vel cœpæ, vel allium syluestre tritum, vel id genus alia applicentur. Et si labia ante præfinitum tempus coeant, rursus scalpello diuidenda, aut iterum pars cauterizanda. Debito autem tempore transacto, vlcus cicatrice obducendum erit. Simili modo in ictibus venenatis magnis, & vehementioribus commodè illinuntur cœpæ cum sale, & ruta, & sinapi, & stercore columbino præsertim, necnon nuces iuglandes cum allio, sale, & melle. Emplastra quoque, & cataplasmata ex dictamno, & alijs validè calefacientibus, & attrahentibus maximè probantur, quia virulentiam trahunt, & vulneris oras (quod potissimum in rabidi canis morsu desideratur) hiantes seruant. In magnis pariter, & vehementiorib. morsibus Guido tanquam valde potens probat hoc emplastrum, quod Recip. galbani, sagapeni, opponacis, assæ fœtidæ, myrrhæ, piperis, sulphuris ana vnc. semis, stercoris columbini, stercoris anatis ana vnc. ij. calaminthæ, mentastri ana vnc. j. dissoluantur gummi ex vino, & in vnum misceantur omnia, cum melle, & oleo antiquo, & fiat emplastrum, quod vulneri calidum admoueatur. Quemadmodum autem testatur Conciliator, septem sunt herbæ, quarum vnaquæque sua proprietate à venenosis cibis, & potibus, & lethali veneno ex vulnere, siue morsu, homines liberare potest: videlicet hypericon, vincetoxicum, henula, siue helenium, raphanus, dictamnus, aristolochia longa, & rotunda, & lactucella. *Concil. lib. de remed. venen. cap. 4.* Vnaquæque enim theriacæ æquipollere dicitur. Succus enim alicuius prædictarum in potu exhibitus vulnera veneno infecta purgat, & sanat: Et eodem modo morsus ab animalibus venenosis quælibet prædictarum demorso loco superposita percurat. Quod etiam asserit idem Conciliator de theriaca morsui, & loco affecto adhibita. Theriacam tamen ipsam, quemadmodum intus exhibitam (& in his casibus ad ij. & iij. drachmas) omnes valde probant; ita foris, & vulneri, seu morsui applicitam quidam quadantenus suspectam habent, quia etsi manifesta aliqua caliditate attrahere virulentum succum possit; attamen frigida quoque medicamenta, vt opium ipsum recipit, quæ repercutere valent, & ab occulta proprietate omnia venena procul pellere potest. Post venenum autem extractum ad vulneris ipsius exsiccationem, & conglutinationem, cum vehementer siccet, non improbatur. Veruntamen ad vulnus ipsum sanandum tutius & melius est vnguentum à Dino de Florentia propositum, quod Recip. ceræ, picis nigræ, resinæ, axungiæ arietinæ, olei antiqui ana quartum vnum, galbani vnc. j. fiat vnguentum, quo quidem tum in venenatu morsu, & ictu, & punctura vtebatur. *Dinus in com. 4. 4. Auic. tr. 2. cap. proprio.* Quid autem indicet contusio ipsa, in sermone vniuersali abundè docuimus. *Ad contusionem.* Diximus enim, quòd si cum vulnere (siue incisiò sit, siue ruptura) coniuncta sit, non potest vulnus agglutinari, & curari, nisi primum contusio tollatur. Diximus præterea in quacunque contusione dolorem, inflammationemque, & subinde fluxionem ipsam summopere attendam esse, atque prohi-

prohibendam. Et propterea in contuso, præsertimq; doloroso, ac phlegmonoso vulnere, præmissa totius corporis euacuatione, suppositoq; victu tenui, & congrua diæta, quamprimum fluxionem arcere, necnon consolidationem vulneris prohibere debemus, si verum est, quod diximus, contusionem prius esse tollendam. Vt igitur humorum confluxus prohibeatur, statim in partibus circunstantibus (non tamen supra locum læsum) vtendum oleo rosaceo, vel myrthino, vel vnguento, quod ex bolo Armena, aceto, oleoq; conficitur: In loco autem læso, & supra partem dolore vexatam, atque contusam aliquod quod leniendi, vel emolliendi, vel concoquendi vim habeat, imponendum. Vult enim Hippocr. vt quam celerrimè suppuratio fiat, quia sic minus phlegmone pars vrgebitur: Et necesse est carnes contusas putrescere, & in pus verti, liquarique, & tandem nouam carnem gigni. Quò fit, vt duæ speciatim indicationes exoriantur, scilicet suppuratio, & nouellæ carnis generatio. Suppuratio verò ijs, quæ calida, & humida sunt, & aliquo lentore prædita, perficitur: qualia sunt maluæ decoctæ, radix altheæ, tetrapharmacum, panis triticeus, hordei farina ex aqua, & oleo: aut panis ex aqua, & oleo. Summopere quoq; probatur hoc emplastrum: Recipe folior. maluar. & violarum ana manip. j. radicis altheæ lib. sem. decoquantur in iure carnis laudabilis non salitæ, postea in mortario subigantur, cribroque incernantur, & ex cribratura cum prædicta decoctione, & farina hordei, & tritici ana quant. satis est, fiat emplastrum, seu malagma, addendo butyri, & olei communis ana vnc. iij. duos ouorum vitellos, & croci parum: & super locum contusum ponatur: In vulnere autem ponatur digestiuum vnguentum, quod ex rosaceo, terebinthina, & ouorum luteis communiter componitur. Pure autem confecto, ad detergentia transeundum ex hordei farina, aqua, oleo, & melle, aut etiam ex apij succo parata. Et in omnibus his vulneribus immittatur tutunda melle rosaceo, vel vnguento apostolorum imbuta: & supra vnguentum, aut emplastrum absterſiuum ponatur stupata sicca, & deligatura ad retinendum idonea ligetur vsque ad perfectam vulneris absterſionem, & purgationem, Quo facto alia indicatio erit explenda, & caro ipsa regeneranda, & vulnus consolidandum. Si verò caro valde dilacerata sit, & sutura vtilis videatur, consuatur laxa quadam sutura, labia retinente. Quod si vulneris labia ab aere alterata sint, & dura ac callosa appareant, & pars aliqua neruosa, aut vas aliquod non prohibeat, scalpello incidenda, & remouenda sunt, & postea sutura iam dicta adhibenda. Quod si cæsa, contusaq; caro his auxilijs ad suppurationem perduci non possit, & in gangrænam abire videatur (quod ex tarda maturatione, & liuido, aut nigro colore dignoscitur) Aegyptiacum, vel consimile vnguentum ei admouendum erit. Si verò contusio in carne quidem contingat, sed absque vulnere extrinseco, quod sit momentaneum, tunc è venis exiguis in contusa carne diuortium expertis sanguis exilit, & vitium, quod Gal. ecchymoma, seu ecchymosin vocat, sub cute collectum exoritur: Cuius notæ sunt tumor mollis, & tactui cedens, liuidus, & si contusio ingens sit, aut satis vehemens, ei sæpissimè subsequitur dolor, & sanguis multus effunditur: Vnde nonnunquam phlegmonem, & abscessum parit; fere tamen, & vt plurimum resoluitur, & vestigia, liuoresque parit, & nonnunquam excoriationes. Magna autem contusio vbi facta fuerit, periculo non caret, & membri contusi, & ex consequenti totius corporis corruptionem minatur. Quod si cutis separata pendeat, rarò agglutinatur. Vnde melius est, vt incidatur, & exsiccantia adhibeantur. In hoc itaque malo omni ingenio humorum ad affectum locum fluxionem, ac decubitum arcere debemus: Vnde quamuis corpus excrementis vacet, sanguis nihilominus detrahendus, & alia omnia, quæ in vniuersali sermone fuere proposita, peragenda. Dolor quoque omnino leniendus. Vnde pro vtraque intentione explenda, & vt humorum fluxus prohibeatur, & vna dolor sedetur, Rases laudat inunctionem cum oleo rosaceo, super quam pulueres myrtillorum inspergit medio cri ligatura vtens: Communiter tamen in principio ouorum albumina cum oleo rosaceo apponi solent, quia fluxio arcetur, & vna dolor mitigatur. His duabus expletis indicationibus, tertia nobis statim sese offert, vt sanguis ille extra venas effusus, & sub cute collectus digeratur: Optimum tamen erit consilium, si in digerentium vsu in principio ea, quæ aliquatenus adstringunt, eis permisceamus propter venularum, à quibus sanguis profluxit, tunicas contusas adhuc discissas, atque patentes: quæ quidem adstringentia, & roborantia exigunt, vt noua sanguinis effusio omnino tollatur, & ea, quæ digerunt, discutiuntque, quippe quæ calida sunt, & sicca, & tenuium partium, tutò applicari possint. Nam quando venæ ad naturalem statum

Si cũ vulnere iuncta sit.

Si sit absq; vulnere notabili partiũ extimarũ: & ad ecchymosin.

Gal. 4. meth.

flatum redierint, tum citra astrictionem ad sola digerentia medicamenta deueniere tempestiuum fuerit. Si itaque materia discutienda tenuis, & magis in superficie, & recenter effluxa sit, laudantur resoluentia mitiora. Quorum vnum, vt ait Guido, fit cum vino, melle, & sale: Secundum fit ex hordei farina, calamintha, & vino: Tertium ex cera, & cimino: Quartum porrò ex floribus chamomeli, meliloti, stœchade, & cymino, omnibus in vino decoctis componitur: Quintum maluas, furfures, absynthium, & cyminum, aut anethum in vino decocta recipit: Sextum ex farina hordei, fœnigreci, croco, & modico auripigmenti, omnibus aquæ calaminthæ incoctis conficitur. Verum in primis diebus his, quæ modicè adstringunt, adijcere oportebit, vti si in vino, aut aqua, in quibus supra scripta decoquuntur, aut componuntur, vel myrti folia, vel rosæ, vel balaustium, vel rubi extremitates ebulliant, & vinum sit potius nigrum, & austerum, aut vnà cum ijs aliquid menthæ, vel pilularum cupressi, vel mastix misceatur, & absynthij dosis augeatur, prout expediens erit, & prout partis natura, & caliditas naturalis, vel extranea, aut frigiditas nobis indicabit. Nonnulli in principio verbasci, albiq; præsertim succum, aut folia, vel radices tritas, & impositas extollunt. Quod si horum merito sanguis, & materia non extrahitur, quia vel in profundo hæreat, & crassior sit, aut malum inueteratum, vsus cucurbitulæ cum altis incisionibus summoperè probatur. Medicamenta verò tanto acriora, magisque dissipantia, & efficaciora sint, quanto magis a cute in profundum materia recessit, & rebellior fuerit: Ideo maximè laudatur thapsiæ tum succus, tum radix trita & emplastri modo apposita: hæc enim contusiones, & liuores insignes perpaucis horis profligare potest: Ex alto enim, vt ait Galenus, violenter extrahit, &, quod extraxit, digerit. Vult tamen Dioscorides, vt radix, succusque cum æquis ceræ, thurisq; portionibus ad sugillata admoueatur: Sed non plus binis horis dimittantur, & locus deinde aqua maris calida foueatur. Vt enim refert Plinius, thapsia à Nerone Imperatore claritatem accepit, quia magno sibi vsui fuit sui imperij initio, quod nocturnis grassationibus conuerberatam faciem illinens sibi cum thapsia, thure, & cera, sequenti die contra famam cutem synceram circumferret. Laudatur quoque radiculæ succus cum micis panis inductus. Si hæc nihil prosint, affectus more abscessuum curandus erit. Insuper ad ecchymomatis discussionem prodesse solent potiones intrinsecus per os assumptæ, quę quidem sanguinem valenter attenuant, atque discutiunt: veluti sunt bdellium, costus, centaurea cum syrupo acetoso. In his autem, qui verberibus cæsi sunt, ex ipsius Galeni, omniumque fere recentiorum Chirurgorum consensu, maximè probatur pellis ouina, aut arietina ex animali recenter enecato statim detracta, & ita calida verberatis partibus applicita. Nam pellis ouina ita vsurpata omnium luculentissimè adiuuat, adeo, vt die, ac nocte vnà illos curet: Concoquit enim & digerit, quæ sub cute sanguinem habent. Cum autem totum ecchymoma per halitum digestum est, si quid ruptum subsit, illud vehementius siccandum, & agglutinandum, & decenti deligatura coniungendum, & omnia efficienda, vt vulnus coalescat, ne scilicet pars rupta leui de causa, aut dolore, aut tumore afficiatur. Quid autem à quacunque erosione indicetur, in vniuersali sermone docuimus. Cum enim à re vel dura, & aspera, vel à re etiam molli, & liquida, aut etiam tenuissima, qualis est ignis, sed acri, & mordente, & nonnunquam exurente proficiscatur, in omnib. his cum in vulnerandi, seu erodendi tempore extranea caliditas parti imprimatur, refrigerans auxilium indicatur. Et quia ratione caliditatis impressæ, vbi intensa sit, multi humores attrahuntur, indicatur auxilium reprimens; sed citra morsum, ne dolor augeatur: tale autem erit refrigerans, & hoc auxilium cum primo coincidit: Et quia erosio ab igne facta, siue actualis sit, siue potentialis, est maximè dolorifica: ob id dolor cum attractionem humorum maximè adiuuet, quantum fieri potest, remouendus. His autem indicationib. absolutis, ex consequenti absoluta erit illa, quam in combustione in sermone vniuersali explendam esse diximus, quæ erat vesicationem prohibere. In erosione itaque à re dura, & aspera producta maximè probantur vnguentum rosMesues, linimentum simplex, vnguentum de solatro, necnon etiam vnguentum album dictum, siue de cerussa cum camphora confectum. In puerulis pariter dum ab acri vrina circa nates, & coxas eroduntur, eadem maximè probantur; sed potissimum eis conferre maximè solet vsus linteorum, seu linamentorum in vino nigro austero madefactorum: & applicantur erosę parti, & alijs, quę circunstant, locis. Valde etiam probatur puluis florum rosarum inspersus, necnon puluis tenuissimus, & cribratus, qui à li-

Gal. 6. simp. *Diosc. lib. 4. cap 151.* *Plin. lib. 13. cap. 211.* *Gal. 11. lib. de simp. medic.*

Ad erosionem.

gnis ipsis, & tabulis antiquis propter paruorum animalium, quæ caries passim vocantur, erosionem, segregari solet. Sed vt in combustionis curatione methodicè progrediamur, oportet perpendere, quidnam habeat rationem antecedentis, & quid consequentis. Rationem itaque antecedentis habet tum id, quod vrget, tum id, quod habet rationem causæ, sine qua combustio curari non potest. Id igitur, quod vrget, est dolor ipse; Vnde si is vehemens sit, & per ea, quæ intensè refrigerant, non mitigetur, hæc procul dubio relinquenda sunt: quia intensè frigidum sui natura vulneribus, vt ait Hippocrates, mordax est: & repentinæ ac maximæ ad contraria mutationes dolorificæ sunt: & confugiendum ad humida (quippe quæ partis vnitatem maximè fouent) anodynaque. Et ob id præstantissimum remedium ad tollendum dolorem in ambustione (ratione cuius sæpe conuulsio, & mors subsequitur) erit admouere vitellos ouorum cum oleo rosaceo completo quassatos, & agitatos. Pharmacum enim anodynum est, & mitigans validissimum, & moderatè refrigerat, & partis ambustæ poros aliquatenus aperit, & subinde caumа, & fuliginosa exhalatio facile expirat. Et Galenus de ouorum facultate agens inquit, ouum ad ambustiones protinus impositum esse vtile, siue quis seorsum albumen duntaxat molli lana excipiat, siue etiam cum vitello commiscens, confundensq; applicet: mediocriter enim refrigerat, & citra morsum desiccat.

Quod autem victus valde tenuis, & vniuersi corporis euacuatio potissimum per sanguinis missionem supponenda sint, cuicunque patere arbitramur. Ad dolorem

Auic. 4. 4. fe. 2. cap. 12. itaque respiciens Auicennas dicebat, quòd omnia medicamina in combustione conuenientia debent esse cuiuscunque mordacitatis expertia, qua etiam de causa optimum est, omnia quæ in vnguentis ad combustionem ponūtur, vsque ad ipsam ceram diligenter abluere. Quocunque autem, aut omni ferè dolore sublato, calida partis intemperies, quippe quæ habet rationem causæ, sine qua non, frigidis remouenda: Et vltimo loco si pars à combustione vlcerata sit, aut vesicæ iam contractæ sint, vel paulò post combustionem, propter maximam ignis vehementiam, vel etiam longius post ipsam, dum infrigidantibus pharmacis eæ nullo modo prohiberi potuerunt, remoto dolore, & inflammatione, vesicæ, & exulcerationes abstergentibus, & siccantibus, sed absque mordicatione, erunt tollendæ. Vnde vesicæ prius aperiendæ, vt humiditas egrediatur, & deinde abstergentia, & siccantia erunt admouenda; quæ tamen in actiuis sint temperata, non autem frigida, sicuti priora, quæ vesicationem prohibebant, & inflammationem, seu calidam intemperiem tollebant; Nam frigidum vlceribus mordax, vt dictum est, & præsertim hyberno tempore. Ad hæc animaduertendum, quod dum refrigerantia ad vesicas inhibendas, & partis feruorem tollendum applicamus, hæc debent esse varia pro ratione & temperaturæ totius corporis, & partis ægrotantis, & anni temporis, aerisque ambientis, necnon remissioris, seu intensioris combustionis, & im-

Gal. 2. simp. cap. 2. pressæ caliditatis. Vt enim ab ipso accipimus Gal. calida, quæ crassarum sunt partium, quoniam plus vlcerant, idcirco vehementius etiam affligunt: tenuiorum itaque partium aer est, crassiorum terra, medium eorum tenet aqua. Sed aer accensus fit flamma; terra autem pruna; at aqua vehementem sanè caliditatem accipit, sed nec flamma, nec pruna propter innatam humiditatem efficitur: Si quidem flamma, & pruna ignis sunt genera: ignis autem omnis calidus est, & siccus; at aqua sicca vt sit, fieri nequit, & proinde ipsius ignis exactè qualitatem, sicut aer, & terra, non accipit. Pharmacorum verò nullum æquè calidum est, vt flamma, aut pruna, aut feruens aqua: imò etiam si calidissimum sit, omnino tamen plurimum ab illis vincitur. Si ergo de his, quæ vesicas prohibent, sermo fiat (is enim *Quæ vesicas fieri prohibent.*

Gal. 9. simp. fer. de terra Samia. dum dolor non viget, est primus in ambustionibus scopus) Galenus de terris, & speciatim de Cimolia terra loquens scribebat ipsam ambustis conuenire, & idioras quosdam protinus aceto maceratam illinire; acetum tamen non impensè acre sit, oportet; aut, si tale sit, aquam miscere præstat. Sed illud mihi semper memoria teneto (subdit ille) ceu commune omnis terræ leuis, omnes ambusta iuuare, si continuò ex aceto, aut oxycrato illinantur, nimirum bullas existere prohibentes. Cæterum contemplandum insuper est, quæ sit curandi corporis natura, & habitudo: durane, an mollis; id in vniuersum præ oculis habendo, corpora mollia valētium medicamentorum vim non posse perferre; dura verò posse.

Gal. 9. simp. fer. proprio. Quò fit, vt idem Galenus alibi dixerit; atramentum scriptorium aqua solutum vlcera igni ambusta protinus illitum iuuare; at, si acetum quoque habeat, multò magis: quod quidem in durioribus corporibus, non autem mollibus accipiendum.

Verum

Verum inter auxilia composita Galenus maximè probat phœnicinum vnguentum, quod diacalcitheos, nostris diapalma dicitur, inquiens, quòd si acetum acceperit, ambustis optimè facit, & statim, & postea, quolibet tempore impositum, siue illa iam pustulas, seu vesicas habeant, siue non. Constat autem si quis in aqua feruenti vstus fuerit, hunc etiam affectum, pyricauton, id est, ambustum igne nominari. Porrò, si pharmacum ante imposueris, quàm phlegmone sit orta, nihil adeo ipsius generationem prohibet. Rases verò pannos lineos infusos in aqua rosacea super niuem infrigidata protinus imponebat, eosque sæpe immutabat, quamprimum scilicet ægrotans ipsos calfactos percipiebat. Auicennas autem probat folia maluarum, siclæ, lentes, ac rosas cum aqua dulci coctas, & cum oleo rosaceo impositas, necnon bolum Armenam, & terram sigillatam cum aceto: quod quidem à Galeno desumpsit, vt ex dictis patet. Is pariter laudat lithargyrum conditum: tale autem dicitur, dum teritur, & abluitur potissimum aqua endiuiæ, vel solatri, quæ vesicas valentius prohibet, etiam si quis ipsa sola, aut etiam aqua endiuiæ vtatur. postquam autem lithargyrum fuerit ablutum, deinde ducitur in mortario cum oleo rosaceo, quoad usque fiat album, & postea siccatur. Ab eo quoque cerussa probatur. A plerisque verò ceratum Galeni ex cera, & oleo rosaceo confectum vsurpatur. Alij extollunt axungiam suillam cum folijs sambuci ad ignem liquatam, & deinde cum aqua, vel succo aliquo refrigerante diligentius ablutam, & applicitam. Multi verò vtuntur populeone vnguento cum vitellis ouorum, quibus, dum dolor valde vrget, ex Alexandro aliquid opij adijcere expedit. Valde quoque probatur dolore vrgente, emplastrum Azanitæ, quod Heras descripsit, ita scribente Galeno. Recipit autem picis aridæ vnc. j. ceræ, adipis suilli vnc. iij. aut (si dolor magis adhuc vrgeat) vnc. vj. sæui taurini, œsypi ana vnc. iij. resinæ piceæ vnc. v. Cum autem præparas, picem, ceram, seuum inijcito; vbi fuerint liquata, adipem suillum, mox resinam, postremo œsypum, vbi refrigeraueris, totum autem igne, non flamma liquefacit. Maximè enim valet etiam in quibus nerui, vel musculi læsi, aut percussi sunt. Inter ea verò, quæ post prohibitas, aut etiam cum forficibus apertas vesicas abstergunt, & siccant, vlcusque sigillant, & claudunt, à plerisque probatur vnguentum album cum albuminibus ouorum, & camphora confectum: Vnguentum de calce septies, aut etiam pluries lota, quousque omnem mordacitatem exuerit. Pariter, vt ait Galenus, lilij radix, ac folia per se trita siccant, & abstergunt, & moderatè digerunt, & proinde ambustis valde competunt: hæc enim moderatè siccantem, & extergentem facultatem postulant. Radicem ergo tostam, & deinde cum rosaceo contritam ambustis, quoad obducatur cicatrix, imponunt: quippe cum etiam aliorum vlcerum omnium bonum sit epuloticum: & idem de folijs præcoctis asserendum. Pariter, vt idem scribit, terra Selinusia & terra Chia pulcherrima sunt ad ambusta vlcera remedia. Ea enim postulant moderatissimè extergentia absque insigni, aut calefactione, aut refrigeratione, quod vtique inest tum Selenusiæ, tum Chiæ, tum Samiæ terræ. Mysius autem quidam Medicus, vt refert idem, stercus ouillum cerato rosaceo commiscens, vlcerum ambusta ad cicatricem ducebat. Idem præstabat caprino stercore combusto, sed pauculum eius multis numeris maiori cerati moli admiscebat. Idem Galenus de hedera pertractans ait, viridia eius folia in vino decocta vlcera grandia conglutinate, & etiam, quæ maligna sunt, sanare, necnon igne factas exulcerationes cicatrice includere. Piceæ quoque cortex ambusta sigillat, vt idem scribit: necnon platani pilulæ cum adipe illitæ; Qui etiam inquit, coriorum veterum cinerem tum ambusta curare, tum ea vlcera, quæ vocantur intertrigenes in foraminibus existentes.

(*)

Galen. 1. de compo. med. per gen. c. 4.

Auic. 4. 4. tr. 2. c. 13.

Galen. 5. de cõp. per gen. c. 2. post medium.

Quæ vlcus ambustũ exsiccant, & claudũt, seu cicatrizant.

Gal. 7. simp. fer. proprio.

Gal. 9. simp. fer. de terra Samia.

Gal. 10. simpl. ferm. proprio.

Gal. 7. simp. ferm. prop.

Gal. 8. simp. proprijs fer.

De Venarum, & Arteriarum vulnere cum sanguinis profusione. Cap. XIIII.

Gal. 5. meth. 2.

QVONIAM venarum, & arteriarum non quidem capillariũ, sed quę momentaneę, aut magnæ sunt, vulnerib. sanguinis fluxus, quem hęmorrhagiam vocant, superuenire solet, propterea antequã horum vasorum vulneris curationem tradamus, necesse est vt prius de sanguinis profluuio sistendo, tanquã de eo, quod multò magis vrget, & vitæ periculũ minatur, sermonem instituamus. Ne autem in hac doctrina vlla oriatur confusio, animaduertendum, nos hoc loco, non de quacunq; sanguinis profusione loqui, sed de ea tantummodo, quæ ratione vulneris, & ipsius quidem manifesti, & extrinseci, oriri solet. Et hoc ad differentiã diuisionis, aut rupturæ, aut apertionis, aut erosionis vasorum internorum, quæ non ratione extrinseci vulneris; sed vel ex violenta motione, aut vociferatione, aut casu ab alto, aut sanguinis copia, aut flatulentia, aut acrium, & erodentium humorum redundantia contingunt, de quibus tum in 1. tum in 2. libro, & potissimum in vitijs natium, & olfactus læsione, in morbis pulmonis, in sanguinis sputo, necnon in superflua menstrui purgatione abundè diximus: Non negamus tamẽ, quin hæc eadem curatio, quam hoc cap. trademus, ei sanguinis profusioni, quæ propter casum, aut percussionẽ, aut ob alias causas intrinsecus exoritur, magna ex parte accommodari possit. Sanguinis itaque fluoris causa, quamuis in genere vnica sit, nempe vasorũ diuisio, siue, vt clarius adhuc loquamur, soluta vnitas, multiplex tamen in specie statui potest, videlicet, eorundem vasorum sanguinem continentiũ sectio, punctura, ruptio, contusio, & erosio, de quarum causis aliàs diximus. Huius porrò differentię ab eius forma, atque subiecto, seu loco, à quo exit, desumũtur. Nam sanguinis fluxus magis vel minus impetẽs, & copiosus esse potest, & nonnunquam adeo immodicus, vt animi deliquium, & syncope, aut etiam alia praua symptomata, de quibus post, subsequantur. Profunditur autem vel à vena, vel arteria; & ab earum aliquando vna tantummodo, nonnunquam ex pluribus; iisdemq; vel maioribus, vel minoribus; & nonnunquam in profundo, nonnunquam in summis partibus, & in propatulo situatis; & interdum citra alicuius earum particulæ amissionem, aliquando cum aliquali ipsarum substantiæ deperditione, aut erosione. Dum autem sanguis è vasorum soluta vnitate profluẽs per vulnus suprapositarum partium, cutis scilicet, aut carnis egreditur (neque enim vas aliquod vulnerari potest, quin caro, vel saltem cutis ipsa vulneretur) fluor hic tunc temporis, eiusq; forma, & impetus, seu magnitudo ab vnoquoque facilè cognoscitur. Sed si vulnerata pars organica sit, & ampla cauitate donata, quales sunt thorax, abdomen, aut id genus alia membra, quæ spatiosa capacitate donata sunt, & sanguis è vasis prosiliens non per vulneris primum orificium exeat, sed in illorum membrorum spatijs, & cauitatibus colligatur, ab ijs tantummodo, qui peritiores sunt, dignoscitur. Idq; potissimum ex vulneris ipsius magnitudine, profunditate, situque, ac subsequentibus symptomatibus. Si quis enim in anatomicis administrationibus versatus viderit vulneris sedem ac locum esse in parte, per quam venæ aut arteriæ vel magnæ, vel plures progrediuntur, & ægrotantem ipsum in pulsus prauitatem, & potissimum imbecillitatem, paruitatem, frequentiam, inæqualitatemq;, ac nonnunquam intermittentiam incidere, eiq; animi deliquium, & syncopen, & extremarum partium refrigerationem, & frigidum earundem partium, ac capitis sudorem, & conuulsionem, aut singultum, aut delirium, & motus imbecillitatem, vocisq; paruitatem sub sequi, iure optimo suspicabitur in intimis capacitatib. è vasis ipsis sanguinem profluere. Quæ quidem multò magis, ac vehementiora contingunt, vbi ex aperta egreditur arteria: tuncq; symptomata nullo fere præsidiorum genere, etiam si per vulnus ipsum immittantur, cedere, ac mitigari consueuerunt: & nisi sanguis ille putrescens sibi viam paret, & statim, vel paulò post per vulnus exeat, aut piulci, vel consimilis instrumenti merito extrahatur, mors facile subsequitur. Dum extrahitur, symptomata per tempus aliquod mitigari solent, sed si ex arteria prodeat, rursus recurrere, ac reuerti consueuerunt, donec tandem pereant. Quod si sanguis manifestè, & extrinsecus profluat, si ab arteria proficiscatur, cum impetu, ac saltu; & tenuis, flauus, clarus, spumosus, seu cum spiritu mixtus, ac præcalidus, & feruens, nec citra magnam virium, & pulsus iacturam, & imbecillitatem protumpit: Non tamen

Marginalia: De Sanguinis profluuio sistẽdo. — Nomen. — Causæ. — Differẽtiæ. — Signa. — *Gal. 5. metho. 7.*

tamen tunc eijcitur sanguis in arteriarum dilatatione, vt ex Recentioribus nonnulli existimarunt, sed potius in earum systole, & pulsus constrictione: quia arteriæ distentio ad attrahendum, contractio ad expellendum, vt tum Galenus, tum alij omnes fatentur, à natura tributa fuit. Si autem è vena profluat, crassior, nigriot, obscurior, minus calidus, ac quietè, ac sine pulsu, vniformiterque fluens, cumq; minore virium iactura exire conspicitur. Est autem sanguinis profluuium maximi momenti vitium, quod nisi supprimatur, mortem affert ineuitabilem, potissimumque, si sanguinis sit arteriosi. Nam præter id, quod arteriosus sanguis est vitalibus dictis spiritibus refertissimus, in quibus naturalis, & influens calor, cui animal vitam acceptam refert, potissimum residet, arteriæ, vt in vniuersalibus vulnerum præsagijs asseruimus, ægrius, quàm venæ vniuntur, & id tantummodo merito cuiusdam vinculi, & aliorũ ope, propter ipsarum duritiem, ac densitatem. Non debemus tamen aut Guidoni, aut Ioanni Tagaultio eius asseclæ adstipulari, dum Arnaldum virum in arte Medica exercitatissimum male carpunt, & ipsum irridentes, inquiunt, quòd subit admirari, quod ille scriptis prodidit: nempe, quod arteria per transuersum dissecta promptius coalescit, & agglutinatur, quàm si secundum longitudinem esset diuisa. Nam præter id, quod hoc verissimum est, nempe, quod arteria per longum dissecta difficilius vnitur, quàm si per transuersum secetur, vti nos docuit experientia, isti boni viri nec experientiam obseruarunt, neque huius euentus rationem assequuti sunt. Ea verò nulla alia est, nisi quia arteria cum assidua tum constrictione, tum dilatatione moueatur, huius motus, & dilatationis merito longè magis vulneris arteriæ labia dilatantur, ac inuicem perpetuo, ac in singula diastole distantia redduntur, dum per longum secta est, quàm vbi per transuersum fuit dissecta. facta enim transuersa sectione dum arteria dilatatur, vulnus non ita distrahitur, & aperitur, & subinde facilius eius labia sese perpetuo contingentia coalescere possunt. Animæ autem defectum, ac syncopem, necnon mentis alienationem, conuulsionem, singultum, & frigidas membrorum intemperantias sanguinis profusionem minari, ex dictis satis apparet. Quinimò, dum hæc superueniunt, vt ait Hippocrates, malum portendunt. Vt itaque sanguis sistatur, tutissimum arbitratur Galenus, vt non vnicum tantum scopum, sed duplicem respiciamus; & subinde, & ad sanguinem ipsum fluentem, & ad vasis diuisionem, & aperturam, tanquam locum, per quem sanguis fluit, oculos dirigamus. Ratione itaque sanguinis fluentis oportet ea omnia præstare, quę eius motum, & impetum, seu fluxum cohibere, & impedire possunt. Iam verò vehementius, ac facilius sanguis effluit, & quia propter vasis apertutam egrediens, ad locum vulneratum prauum motum, & impetum suscipit, & quia ab expultrice membrorum, quæ in vniuerso sunt corpore, vehementius propellitur, & quia membris expellentibus, & alijs causis ipsum mouentibus minus resistit, & quia à parte, per quam exit, vel attrahitur, vel facilius suscipitur. Impetum autem capit ad motum, & concitatè mouetur, dum propter vasis apertionem egreditur propter successionem ad id, quod vacuatur, &, vt vno verbo dicamus, ne detur vacuum. A membrorum excretrice vi expellitur, dum ipsa vel ab eius immodica copia, vel eius praua qualitate, feruore scilicet, & acrimonia irritatur. Quæ quidem praua qualitas quamuis non semper in vasorum vulneribus locum habeat (vti nec ipsa nimia copia) attamen nonnunquam solet adesse, præsertim dum vulneratus febre corripitur, vel dum propter nimiam sanguinis effusionem flaua bilis inualescit. Parum autem resistit sanguis tum expultrici, tum alijs causis ipsum mouentibus, dum is tenuior existit, & viæ latiores sunt. Attrahitur autem ad vasis diuisionem, & vulnus ipsum, dum vulnerata pars aut dolore, aut calore nimio vexatur. Facilius verò ab eadem suscipitur, nedum propter ipsius imbecillitatem, & laxitatem; verum etiam propter eiusdem decliuiorem situm, dum scilicet deorsum spectat. His itaque rationibus diligenter subductis, clarum est, quod propter prauum sanguinis motum, & impetum Galenus iubet, vt auertentibus, seu conuertentibus, siue dicas aliorum transferentibus auxilijs occurramus. Auertitur autem dupliciter, & cum ad contraria reuellitur, & cum ad vicina deriuatur; hoc Parocheteusin, illud Antispasin Græci vocant. Deriuatur autem, & reuellitur potissimum vena in ea parte incisa, quæ profusioni directo respondet, quamquam ipsis membris sanguinem fundentibus coniuncta est. Reuulsio verò in ijs omnibus, quæ supra sunt, deorsum semper agitur: Sursum in his, quæ sunt infra. Præterea à dextris ad sinistra, sicut ab his rursus ad illa.

Prognostica. Indicationes. *Hippocr. 5. aph. 3.* *Gal. 5. metho. 5.* *Gal. 5. meth. 3. & 5.*

Similiter ex ijs, quæ intus habentur, ad ea, quæ foris sunt: contraq; ab his ad illa. Propter sanguinis copiam expultricem irritantem idem præcipit, vt minuens sanguinem auxilium adhibeatur. Si enim apertum vas ex abundantia etiam amplius rumpatur (ait ille) ea permanente, vacuanda quàmprimum abundantia est: ab hinc sanguis supprimendus: mox vlcus curandum. Vbi verò fouens causa iam desijt, primum sistere sanguinem expediet, post vlcus sanare. Propter sanguinis feruorem totius corporis refrigerationem præcipit, à qua etiam refrigeratione tum sanguis incrassatur, & ad motum ineptior, & causis mouentibus magis resistens euadit, & viæ ipsæ constringuntur, & vasa densantur. Propter earundem autem viarum laxitatem, & sanguinis tenuitatem, & propter affectæ partis calorem, & imbecillitatem, tum aliarum partium, tum partis potissimum affectæ refrigeratione, & adstrictione vtitur. Et hac ratione, scribebat ipse, quod frigida pota sæpe hæmorrhagias suppressit: Et idem facit frigida foris in fotu affusa: sed & posca, & vinum acerbum, & alia, quæcunque vel astringendi, vel simpliciter refrigerandi vim habent. Ne autem ratione doloris particulam affectam affligentis, sanguis ad ipsam trahatur, omnino dolorem arcendum esse voluit. Vitandum enim dicebat ille, ne dolor incidat, ac rursus profluuium excitet: cum nihil sit, quod profluuium magis, quam dolor, proritet, & phlegmonas augeat. quod etiam ab Auicenna proditum fuit, dum dixit, quod nulla est causa fluxionis, & apostematis, sicut dolor. Demum ne pars & propter eundem dolorem attrahat, & propter decliuiorem, & deorsum spectantem situm facilius suscipiat, scribebat, quod præter omnia iam dicta inter hæmorrhagiæ remedia censendus est etiam appositus vulneratæ partis situs. Porrò appositus, & accommodatus erit, si ad geminum hunc finem fuerit directus, nempe, vt & dolore pars careat, & sursum spectet: Si verò vel prona spectet, vel doleat, non solum profluuium non sistetur, sed etiam si non sit, prouocabitur. Dolore autem vacabit potissimum, si in media inter extremos motus vndequaque collocetur figura. Ratione autem loci, per quem fluit sanguis, & aperturæ ipsius vasis, oportet, inquit Galenus, confugere ad auxilia, quæ claudere possunt id, quod perruptum est. Porrò vulnus ipsum claudetur, subdit ille, vel labris eius, quæ dissident, in idem adductis, vt scilicet contrahatur, conniueatq; id, quod diuisum est: vel osculo eius obstructo. Adducentur autem in idem labra eius tum manuum nostrarum opera, vbi sic ad manum vulnus se exhibet: tum per deligaturam, tum vinculo vase excepto: tum per ea remedia, quæ refrigerent, & adstringant. Neque enim fuere fas est venæ, arteriæue vulnus. Obstruetur autem vasis osculum, vel intrinsecus, vel extrinsecus. Intrinsecus quidem à sanguine concreto, qui thrombos Græcè dicitur; non tamen in arteria, quæ sanguinem continet tenuissimum, & perpetuò agitatur, sed in vena id consequi potissimum possumus. Extrinsecus tum hoc ipso concreto sanguine, tum ijs omnibus, quæ foris illi imponūtur. Possunt autem superimponi tum carnosæ ipsæ, quæ circa vulnus sunt, partes: tum in nonnullis vulnerib. ipsa cutis: ad hæc quæcunq; ipsi comminiscimur: ea sunt & linamenta, quæ Motos Græci vocant, & spongiæ, & medicamenta ea, quæ idcirco, quod ex lenta crassaq; substantia constant, meatus obstruunt (Græci emplastica vocant) præterea, quæ crustam, quam Græci escharam vocant, efficiunt. Quippe hanc quoque ceu septum quoddam huiuscemodi vulnerib. veteres excogitarunt. Efficiunt hanc tum ignis ipse, tum quædā medicamina, quibus ignea vis est. Si itaq; de materia præsidij sanguinis motum, ac impetum cohibentis sermo fiat, hæc vel cū euacuatione manifesta administratur, vel citra euacuationem. De priori sermonem habens Gal. scribebat, quòd si ratione profluentis sanguinis resolutus adhuc æger non sit, vena in eo loco aperienda est, quę vulnerato vasi, & fluenti sanguini e directo respondet, vulnerateq; parti coniuncta est, siue reuellere, siue deriuare studeamus. Oportet enim semper partium, vel vasorum rectitudinē, ac communicantiam seruare, ac in reuulsione contrarietatem vnà cum debita distantia, eodē prorsus modo, quem in vniuersali vulnerum curatione, dum egimus de venæ sectione, proposuimus: Et dum institutū nostrum est, magis, ac valentius reuellere, & præsertim, vbi sanguinis copia iam sufficienter sublata sit, vbi paulum detraxerimus, mox vnam horam intermittentes rursus detrahemus, post iterum, atq; iterum pro laborantis viribus, & quod de sanguinis missione per venā sectam enunciauimus, idem prorsus de cucurbitulis incisis statuendū est, quę non solum, dum virtus, & ætas venę sectionē non ferunt, in partib. contrarijs affigi possunt, pro facienda reuulsione; verum etiam post venæ sectionem, ijsdem partib. eademq; de causa admouentur,

Dum

[Margin notes: Gal. 5. meth. 3. — Cap. 5. — Cap. 4. — Auic. 4. 4. — Gal. 5. meth. 3. & 5. — Curatio. — Gal. 5. meth. 3. — Chirurgica præsidia.]

Dum autē deriuare ftudemus,tum hæ,tum venæ fectio,vti diximus,partib. vulne-
Topica. rato vasi vicinis,ac coniunctis adhibentur. Quæ verò citra euacuationē fanguinis impetū reuellendo cohibent, vti docet Gal.funt ftictiones contrapofitæ partis po- Gal. loc.cit. tiffimum per ea medicamenta, quæ calefaciant: prętetea vincula valentius adducta: fed inter ea remedia,quæ ad contrarium reuocant,annumerandæ quoque iniunctiones calidæ, ac digerentes iifdem contrarijs partib. admotæ,necnon cucurbitulæ non incifæ, quæ quidē,ficut etiam frictiones,primum in propinquioribus, deinde in remotioribus fiunt partibus. Non fecus profecto & naturalium meatum,qui pofiti ex aduerfo funt, reclufio, quæ medicamentis fit, fanguinis impetuum maximè cohibet.De genere autem eorum,quę vafis aperturam obturant,eft ipfa futura, quæ vbi ad manum vulnus fe exhibet fanguine concreto integrè pofca ipfa vel vino nigro auftero repurgato, communi modo adminiftratur, vel ea, qua pelliones vtuntur, præfertim fi magno impetu fanguis prorumpat, tuncque altè acus in carnem demittenda eft, & poftea puluis adftringens, de quo poft, fuperponendus erit: deinde ftupæ oui albo,& puluere illo imbutæ fuperimponendæ,& membrum deligandum, & appofitè fituandum. Sutura autem competit,vbi nulla facta eft fubftantiæ deperditio. Si enim facta fit aliqua fubftantiæ deperditio, potiffimum accommodatur modus ille fupprimendi fanguinem, qui fit per linamenta. Fit autem fic: imprimis vulnus puluere adftringente refpergitur: deinde linamentis, vel ftupis hians plaga oppletur,ficcis quidem imprimis,deinde,fi hæc parum proficiunt, aceto, vel medicinis fanguinem fiftentibus madefactis: fupraque fpongia ex aqua frigida expreffa imponitur, ac manu fuppofita, ea comprimitur, vel alligatur, membrumque appofitè collocatur. Pariter inter ea, quæ vafis aperturam claudunt, quodammodo eft & vinculum ipfis fluentibus vafis iniectum: ipfique noftri digiti, dum ea committunt, ftringuntque. Eft & alia huc pertinens ligatio, quam Græci epidefim vocant: quamquam ipfum vas circulo non complectitur, ficuti vinculum:verum cum ex parte complexu fuo committat quodammodo vulnerati membri diffidentia labia, &, quæ fuperimpofita funt, contineat, merito inter claudentia remedia numeratur. Prœter omnia iam dicta fubdit Gal.inter hæmorrhagiæ remedia cenfeatur & appofitus vulneratę partis fitus: appofitus autem fuerit, fi ad geminum hunc finem fit directus, nempe vt & dolore pars careat, & furfum fpectet. Ergo qui hæc norit, fi quando afliterit ei, cui ex vulnere fanguis profluit, ilicò digitum fuper os vulneris vafis imponat, blandè innitens, ac fine dolore comprimens: quippe fimul tum fanguinem fiftet, tum eum concrefcere in vulnere faciet. Quinimo fi vas, vnde fit profluxus, altè fit demiffum, certius ipfius tum pofitum intelligat, tum etiam magnitudinem: præterea vena ne fit an arteria: poft hæc iniecto vnco attollat, ac modicè intorqueat. Quod fi ne tunc quidem fiftitur fanguis,fi uena fuerit, tentet citra vinculum fanguinem fupprimere aliquo ex his medicamentis,quę fanguinis fupprimendi facultatem habeant. Sanè optima horum funt emplaftica ea, quæ ex frixa refina, & farinæ triticeæ tenuiffimo polline, & gypfo, & alijs id genus, de quibus mox dicemus, funt confecta. Sin arteria fit, duorum alterum, aut vinculo amplectens, aut totum vas præcidens profluuium fiftes. Sanè vinculum magnis quoque venis inijcere interdum cogimur:atque etiam interdum totas præcidere vtique tranfuerfas. Incidit autem huius neceffitas in ijs,quę ex profundiffimo loco rectę affurgunt,præfertimque per anguftas,vel principes particulas.Quippe ita terrahitur ex vtraque parte pars vtraque,celaturque,ac integitur à circumiacentibus corporibus vulnus: Nam poftea puluis aliquis fanguinem cohibens fuper vulnus imponitur, & ftupæ, vel fpongia medicamentis fanguinem fiftentibus imbuta fuperalligatur. Tutius tamen eft vtrumque facere, & uinculum uafis radici inijcere, & quod deinceps habetur præcidere. Radicem vafis voco priorem eius partem, quæ uel iecinori propior eft, uel etiam cordi: hæc in collo ab inferiore eft parte; in brachijs,& cruribus à fuperiore, in fingulifque reliquarum partium,prout ex diffectione intelligere licet. Vinculum uerò præfertim competit arterijs, quæ in penitioribus delitefcunt: nudandæ autem funt, ac hamo apprehendendæ, mox filo, præfertim ferico excipiendæ, & fortiter ftringendæ. Et infuper non folum uinculum uafis radici iniiciendum; uerum etiam inferiori, feu alteri uafis parti inijcere maximè expedit,fiue uena fit,fiue potiffimum arteria, & hoc quia fæpius uas unum cum altero uafe per anaftomofim cōnectitur,& dum
Pharmaca. inciditur, ex utraque parte fanguis profluit. His peractis implendum carne vulnus quam-

quàmptimum est, priusquam vinculum à carne decidat: Et ob id medicamen incarnatiuum vulneri apponendum, & membrum fascijs deligandum, & apposité collocandum. Nisi enim producta caro prius locum, qui circa precisam arteriam est, impleuerit, sed locus aliquis vacuus superfuerit, vtique quod Græci aneurisma dicunt, sequitur. Quamobrem eo potius genere sanguinem sistentium vtendum suadeo, quod sua lentitia meatus obstruat (emplasticon vocant) quàm quod crustam efficit: propterea, quod & citius, & minore cum periculo post ipsum impletur vulnus. Quippe periculum in altero est, ne, si defluat crusta, rursum sanguinis profusio ex vase excitetur. Optimum igitur omnium, quæ noui, medicamenrorum, quo etiam ad cerebri membranarum hæmorrhagias tutissimè vtemur, est, quod nunc subijciam: Thuris pars vna aloes partis vnius semissi miscetur, mox, cum vtendi tempus instat, tantum huius cum oui candido subigitur, quantum mellis reddat crassitudinem (nam medicamen nimis crassum non adhęret; nimis autem liquidum à sanguine superatur, & minus adhæret.) Hoc dehinc leporis mollissimis pilis excipitur: deinde tum vasi ipsi, tum vlceri toti liberaliter imponitur. Alligandum autem id forinsecus fascia est ex tenui linteo, cuius fasciæ primi quatuor, quinqueve amplexus ipsi profluenti vasi inijcientur: abhinc vasis radicem versus ducentur, in quibus scilicet partibus radicem versus ducere licet. Licet autem ferè in omnibus, præterquam cerebri membranis. His factis, vbi tertio tantummodo die solueris, si tuto adhuc medicamen vlceri adhæret, aliud rursus super impones; ac veluti linamentum id, quod ex pilis factum inhæsit, madefaciens deligabis ita, vt initio deligasti: Sin prius sua sponte linamentum decidat, radicem vasis digito blandè comprimens, quatenus scilicet nihil confluat, hoc quidem suspensa manu adimes, atque alterum impones: (quousque enim medicamen fuerit à sanguine remollitum, non est probè sedata fluxio.) Ad hunc modum, quoad carne munietur, curare vas debebis, vtique à principio ad finem vsque particulam supinam seruans, custodito tamen, in hac situs figura, modo: Vitandum enim ne dolor incidat, ac rursus profluuium excitet. Hoc autem medicamento multifariam vtitur Galenus: alias duplum thuris aloe admiscens; alias pari modo ambobus vtens; alias paulo superante aloen thure, aut etiam plusculo, sed nondum duplo: Etiam mannam (ea thuris purgamentum est) pro thure (& hoc, dum carnem gignere magis adhuc studebat) aliquando inijciens: Est autem manna medicamentum, quod magis, quam thus, adstringat: thus uerò, quam manna, magis emplasticum. Porro constat in duris corporibus plus aloes esse immiscendum, vti si capiamus tum thuris, tum aloes æquam portionem, vt v. g. vtriusque vnc. j. In mollibus autem plus thuris, vti recipiendo thuris vnc. j. aloes vnc. semis: In temperatis verò thus aloen paulo superabit, veluti si thuris drach. vj. cum aloes semiuncia permisceamus, eritque alterum eorum magis astringens; alterum lentitia, & crassitudine sua tenuibus spiramentis magis inhœrens, quod emplasticoteron vocant. Itaque etiam magis tenax, ac (vt sic dicam) resinosius deligas thus oportet, vbi magis esse emplasticum medicamentum studebis: id sanè tum mollius est, tum albidius, tum quod mansum ritu aloes, & mannæ non comminuitur, sed partes suas sibi cohœrentes defendit, veluti Chia mastiche. Et quia hoc medicamen adeo celebre est, vt dixerit Gal. se mirari, si cui melius inuenire continget: ideo tum in cerebri membranis semper: tum in colli vulneribus eo vtebatur: etiam ipsarum venarum ingularium, quas sphagitidas vocant: vt porecum harum quoque profluuium citra vinculum sistat. Non est autem in his committendum, vt in opere properes, veluti quidam stolidi Chirurgi faciunt: sed altera manu inferiorem vasis partem comprimes, aut complexus tenebis, altera medicamentum vulneri impones, ac blande ei apprimes, donec concretum adhœserit: mox deligabis supernè deorsum, non (vt in artubus) inferne sursum. Siquidem radicem versus valorum ducere deligationem oportet, ac, quod confluit, reprimere. Sunt porro & alia non pauca pharmaca, quæ citra omnem dolorem emplasticam vim obtinent, & adstringendo quoque sanguinem sistunt: potissimumque illud, quod ab Auicenna, & omnibus vsurpatum, Recipit boli Armenæ, sanguinis draconis, thuris, aloes succotrinę pares portiones: quibus puluerizatis, fit medicamen, & apponitur, vt dictum est: necnon id, quod à Rase, & Albucasi descriptum, Recipit calcis viuæ (hæc enim sola sanguinem cohibet) sanguinis draconis, gypsi, aloes, thuris, vitrioli (quod chalcanthum vocant) ana pares portiones; quibus in puluerem redactis cum oui albo, & tela araneorum miscentur, do-

Admirabile Galeni medicamē sanguinem sistens.

Modus vtēdi medicamento iam dicto.

nec

nec incorporetur,& superponuntur. Alij plurimum laudant gallam combustam maceratam in vino,& aceto,& tritam super arteriam admouent. Alij his pulueribus consolidam adijciunt. Quidam tanquam maximum arcanum retinent interni corticis castanearum lanuginem puluerizatam, & admotam. Alij corigiarum, seu corij rasuram. Quemadmodum nos ab alijs mirificè probari audiuimus lanuginem illam albam puluerizatam, quæ in fine veris, & æstatis principio ex populis arboribus in terram sponte decidere solet: quamuis plerique tum lanugine iam dicta,tum corij rasura,tum stupæ floccis,potissimumque gotoni vsti flocculis, non quidem solis, sed ad medicamina iam proposita, & potissimum illud, quod à Galeno traditum est, loco pilorum leporis recipienda vtantur. Verumtamen nullum ex iam enumeratis ita carne implet, sicuti primum, quod Gal.ex thure, & aloe composuit. Expedit enim quam maximè in eiusmodi casu, vt priore medicamine cadente,caro circum vas ipsum fit producta: qui a caro, quæ gignitur, est illa, quæ sanguinem tandem sistit: Et ob id omnes fere Galeni medicamen vsurpant, licet Almansor sanguinem draconis; Rhases tum hunc, tum sarcocollam ei addiderit: quemadmodum nonnulli æquam cum aloe gummi Arabici portionem duplo thuris resinosi addiderunt. At quæ crustas generant,vbi crusta decidit, magis nudam partem,quam pro ipsius naturali habitu,derelinquunt. Est enim ipsius crustæ generatio ex subiectis,circumpositisque corporibus,vt sic dicam, semi vstis. Quare quantum particulæ adustum ad crustam est, tantum profectò ipsi de naturali carne deperditur. Id itaque omne particulæ decedit, cum crusta cadit:& ob id nuda, & sine carne visitur: multisque postea, quàm crusta decidit, profusio sanguinis, quæ ægrè supprimi potest, superuenit. Quare modi omnes sistendi sanguinem longè ante considerandi sunt, & tum is deligendus, qui minus sit cum periculo, vtendumque non minus reliquis omnibus, quoties necessitas vrgebit. Maximam autem necessitatem vel crustificis medicamentis, vel ignitis ferramentis,vtendi animaduertit Galenus,vbi ex erosione putrescentis alicuius profluuium sanguinis concitatur. Quin etiam, vbi in tali affectu totum,quod computruit,est sublatum,tutius est,vel ipsius veluti radicem adurere, vel certè crustificis medicamentis vti. Hac verò ratione tum in pudendis,tum sede ad talem necessitatem sępe deuenimus, quod scilicet hæ partes tum propter naturalem caliditatem, tum quod excrementorum sunt canales,ex leui causa putrescant. Id verò,quo,pro incrustantium pharmacorum delectu,consilium diriges, erit non vtique solus calor, sed cum quo astringendi facultas sit coniūcta, qualis in chalcitide, & misy, & atramento sutorio (chalcanthum vocant) siue vstis his, siue non vstis vtere, visitur. Quæ verò ex calce non extincta conficiuntur, ea vtique valentiora his sunt; ceterum calx astringendi vim non habet. Excidunt igitur citius,quę ab his fiunt,crustę; hærent autem corporibus diutius, quæ ab astringentibus: Quod vtique longè est vtilius: quando ita prius nascitur in imo earum caro, efficiturque profluenti vasi velut operculum quoddam. Vnde nec nosmet pręcipites esse ad crustas,vbi hęmorrhagiæ periculum imminet, detrahendas oportet,nisi in illis tantum affectibus, in quibus propter putredinem candens ferrum corpori hominis admouere coacti fuimus. Appellant autem eum affectum omnes Medici noma, seu nomin, quod pascere,seu pascendo pergere significat. Ne itaque crusta, seu eschara facile decidat, & ut diutius hęreat, præcipit Auicennas adustionem faciendam esse ferro vehementer ignito,ualenterque in profundum adacto:Nam longè tutius, & melius est ferrum ignitum,quam causticum medicamentum: ut crassior, & profundior, & diutius adhęrens eschara fiat. Hac quoque de causa Recentiores escharoticis omnibus arsenicum, quod sublimatum uocant, præferunt: nec ab re: cum protinus omnem sanguinis profusionem sistat, & altam, ac diutius hœrentem crustam inducat. Auicennas verò proponit medicamen, quod nedum cauterizandi, uerū etiam carnem gignēdi,& adstringendi vim habet,& admirabile est, ac maximi momenti. Recipit autem chalcanthi, gypsi subtilissimè puluerizati,& setaceo cribrati ana drach. xx. thuris minuti drach. xvj. aloes, glutini sicci ana drach. viij. arsenici drach. iiij.omnia tenuissimè puluerizata,& mista inspergantur super linamentum,& super uasis orificium imponantur. Nonnulli huic Auicennæ medicamento sanguinem draconis, & hypocystidem addunt. At uerò præter illa,quæ dicta sunt, ad partem ipsam uulneratam, ne suscipiat, roborandam, & ad sanguinem ad ipsum fluentem repellendum, & incrassandum, & refrigerandum, & ad uias angustiandas opportunissima sunt adstringentia,& refrigerantia medicamenta,

Caustica.

Auic. 4. 4. tr. 2. cap. 18.

Sāguinem in via intercipiētia, ac defensiua, & partē affectam refrigerātia, & roborantia.

ta; quæ tum supra partem ipsam affectam, tum in locis superioribus versus vasis radicem, & in articulis, ac locis excarnibus, in quibus venæ manifestæ apparent, imponuntur. Qua quidem ratione Gal. partis affectæ, præsertim refrigerationem præcipit, ne dum frigida foris in fotu affusa, sed etiam posca & vino acerbo, aut id genus alijs, quæ astringendi aut simpliciter refrigerandi vim habent. Et Hipp. dicebat, frigido vtendum esse, vnde fluit sanguis, aut fluxurus est, non ad ipsa (inquit ille) sed circa ipsa, vnde influit: Et ob eandem causam Rhases supra partem læsam semper niuem imponebat: Imò dum absente Medico sanguis medicamenta superabat, vel, Medico etiam præsente, nihil præsto erat, quod superponeretur, docebat Albucasis, vt vel aliquis astantium vel Medicus apponeret digitum sinistræ manus super vas vulneratum, & aperturam obturaret, & deinde manu dextra aquam frigidissimam subinde sæpius affunderet, donec concreto sanguine fluxus ablatus fuisset. Sed valde ad hæc omnia opportunum erit medicamentum, quod Recipit foliorum solani, plantaginis, hyoscyami an. Manip. j. farinæ hordeac. myrtillorum pulverizatorum an. vnc. j. his omnibus contusis, & bene tritis, ac simul mistis adde aceti quantum sufficit, vt fiat emplastrum, quod versus radicem vasis diuisi, non ita tamen procul à vulnere imponi potest. Sed omnium præstantissimum in sanguinis profluuio est illud, quod ab omnibus vsurpari solet, quod quidem fit ex boli Armenæ, sanguinis draconis, mastiches, balaustiorumque paribus portionibus, si omnibus in tenuissimum puluerem redactis, oui albo excipiantur, & cum stupis imponantur supra labia vulneris, vbi hæc prius sutura ad mutuum contactum fuerint redacta: Nam & labia ipsa constringunt, & sanguinem sistunt, dummodo sutura sanguinis suppressoria administrari prius potuerit, quæ repurgato vulnere à sanguine concreto adhibetur, & dummodo vulnus non sit cum carnis aut alterius partis deperditione. Admoto autem, vti diximus, hoc medicamento affecta pars fascia deligatur, & per duos, & tres, aut etiam quatuor dies, prout exigit necessitas, ita applicitum medicamen irresolutum relinquitur. Si enim citius sistatur sanguis, citius resoluitur, & innouatur medicamentum. Illud autem animaduertendum, vt, non solum post admotionem prædicti pharmaci, uerum etiam cuiuscunque pulueris adstrictorij in omni sanguinis ex vulnere profusione, tres aut plures, prout videbitur, panni linei, aut ex stupis puluilli, oxycrato primum madefacti, & posca expressi medicamento sanguinem supprimente imbuatur, vulneri agglutinentur, & supra ipsum alligentur. Verum propositum medicamentum, quod ex bolo Armena, sanguine draconis, mastiche, & balaustijs constat, sicuti etiam alia omnia, quæ degestiua vocantur, non solum supra partem læsam, sed etiam longè ab ipsa, non tamen admodum, imponuntur. Ob id tum circa articulos, tum præsertim in locis excarnibus, in quibus venæ apparent, vtiliter ponuntur. Si autem vulnus sit cum carnis deperditione, cōfugiendum ad alium modum claudendi vas, & ad ipsius obturationem cum medicaminibus & modis superius propositis. At verò quæ de profundo sanguinis profluuia erumpunt, ait Gal. ea nec vinculo, nec deligatura sanes, veluti nec ignitis ferramentis, nec (vt semel dicam) ijs, quæ diuisum ipsum corpus, partemve contingere machinamur, imò per reuulsionem, ac deriuationem ad vicina: præterea cibum, potionemque qui & emplasticam vim habeant, & refrigerent, & medicamenta, quæ astringant, Eapropter si perruptum vas magnum est, aut vehementer reclusum hiat, vtique adstringentibus medicinis est opus, veluti balaustio, & hypocystide, & rhoe, & omphacio, & acacia, & gallis immaturis, & malicorio. Si verò vel exiguum vas sit, quod perruptum est, vel modicè reclusum, sic, vt non multus sit, qui in eo profluit, sanguis, etiam aloe & manna, & pini cortex, & Lemnium sigillum, & spinæ Aegyptiæ fructus, & crocum, & lapis hæmatites, & id genus alia ex vino nigro austero vtilia medicamina sunt. Quod si nec genus id vini præsto sit, nec plantago, nec solanum, (quippe hæc quoque sunt idonea) coquemus in aqua, & rubi germina, & cinosbati, id est, rubi canini, & myrti, & lentisci, & hederæ, & omnium, quibus adstrictoria vis inest, siue radix sit, siue fructus, siue cortex, siue germen: ideoque etiam adstringentium malorum, maximeq; cotoneorum, itemque myrtorum, & mespilorum decoctum idoneum ad proposita præsidium est. At verò quæ extrinsecus profluenti particulæ admouentur tum adstringentia, tum citra adstrictionem frigida, hæc ipse non vbique probo: quia ipsum sanguinem intrò compellere, ac venas, quæ in alto sunt, implere videntur. Si verò sanguis intus remaneat, ea, quæ ipsum euacuant, qualis est potissimum calaminthæ succus, adhi-

Margin notes: Gal. 5 meth. 5. — Hippocr. 5. aphor. — Gal. 5 meth. 5. — Si sanguis ab internis, & profundis vasis erumpat. — Cap. 6.

adhibenda sunt: Et si fuerit concretus, ea propinentur, de quibus in sanguinis sputo, & vomitione sanguinis locuti fuimus. Probatur autem præsertim bdellium cum acoro, cuminum puluerizatum, necnon decoctum seminis apij, quod etiam per vrinam euacuare potest. Victus autem ratio in omni sanguinis profusione, qua præsertim vtimur in ea, quæ à profundis, internisq; vasis prorumpit, & refrigerans, & adstringens, & crassefaciens esse debet. Qualis per tales potissimum cibos ac potus administratur: veluti sunt pedes, & rostra castratorum, ac vitulorũ, lentes, otiza, iuiubæ, mala cidonia, corna, & fructus omnes austeri, ac stiptici: ita aqua frigida epota refrigerando, incrassandoque, ac stupefaciendo hæmorrhagias sistit. Decoctum autem berberis, necnon aqua chalybeata, decoctum plantaginis, siue etiam aqua destillata, vinum granatorum, & cydoniorũ, & ipsa conserua corniolata tum refrigerando, tum potissimum adstringendo, ac sanguinem ipsum in proprijs conceptaculis detinendo, sanguinis profluuium cohibent: Sicuti deliquiũ animi refrigerando, & ad interiora reuellendo, idem præstare potest: quod tamen non est prouocandum, quia tutum non est. Vt autem res fœlicius succedat, & alijs præsidijs facilius cohibeatur, patiens in maxima tum animi trãquillitate, tum corporis, & potissimum membrorum, per quæ sanguis fluit, quiete detinendus. ac in obscuriore cubiculo collocandus, ne vel proprium sanguinem, vel rubrum quippiam videre possit. ac ipsius cubiculi ambiens aer vitium capreolis, myrtorum, ac salicum folijs, & rosarum floribus, & aqua frigida alterandus. Guido, & alij volunt, vt patienti assertiuè affirmemus sanguinis profluuium, etiamsi adhuc fluat, constitisse, ac prorsus restrictum, ac cohibitum esse: aut si ægrotans fluxum quoquo pacto percipiat, ei dicamus, magno ipsius commodo id fieri. Nos tamen aliter sentiendum esse arbitramur, &, dum sanguis ex imo, aut thorace, aut abdomine non prorumpit, si æger forti animo præditus non sit, timorem ipsum non improbamus, cum non solum refrigerandi, verum etiam ad intimas partes spiritus, & sanguinem reuellendi, non secus, ac ipsum animi deliquium, non instrenuam vim obtineat. Quod quidem diutius animo voluens, id ipso experimento probare volui: Et dum aliquando cuidam, qui sanguinis ex naribus profluuium valde diuturnum, & immodicum patiebatur, præsto essem, pulsui manum admouens data opera vni ex assistentibus submissa voce (non tamen adeo, quin ægrotans omnia verba clarè percipere posset) dixi, vt quàm citissimè sacerdotem aliquem vocarẽt, qui ei extremam unctionem exhiberet: quia adempta omni spe quàm citissimè esset moriturus. Qua de re ægrotans ipse adeo ingenti, ac repentino timore fuit concussus, ut ilicò ferè profluuium, quod tot auxilijs exhiberi non potuit, sublatum sit. Aluus autem si non sponte fluat, saltem arte, & clysmatibus mollioribus lubrica seruetur: & urina præsertim emulsione seminum frigidorum in ptisana hordeacea, uel panatella imposita promoueatur. Repletio omnino caueatur: nam uictus ratio minuens, ac tenuis esse debet: dummodo uires omnino non langueat, & prosternantur: nam tunc etiam carnes, quæ tamen magis ad siccum uergant, concedere debemus, uti sunt turturum, perdicum, phasianorum, & passerculorum, aliarumque auicularum montanarum carnes, & oua recentia: quæ cum omphacio, & cum rhu obsoniorum, & granatorum succo erunt condienda. Et si cogamur propter uires uinum exhibere, sit nigrum, & stipticum seu austerum. Somnus omnino concilietur, & prouocetur, nedum lactuca ipsa, uerum etiam si opus sit, emulsione seminum papaueris albi, & nigri, & dum dormiunt ægrotantes, optimum est, ut aliquis eis assistat, ne forte inter dormiendum in latus affectum conuertantur. A proprietate uerò sanguinem sistũt stercus asininum aceto feruefacto ad emplastri formã redactum supra membrum uulneratum appositum, nec non succus, aut aqua stillatitia ocymi maioris, vt quidam tradunt. Alij dixerunt iaspidem lapidem in manu, quæ uulneris è directo est, detentum idem præstare. Nonnulli apem uiuam linteo inuolutam supra membrum uulneratum ligant. Sanguine suppresso ad uulneris, quod in ipso consistit uasc, curationem properare debemus. Et si uasis uulnus cum alicuius ipsius substantiæ deperditione est, quæ carnem generare, & implere, & uas ipsum non per simplicem coalitum, & agglutinationem, sed per unionem, quæ per medium quoddam corpus heterogeneum fit, unire nos decet, de qua superius abunde tractauimus. Si uerò uulnus ipsius uasis fine partis deperditione, ac simplex omnino sit, etiam si uas uulneratum arteria sit, tentanda nihilominus perfecta agglutinatio est: quia ut in sermone uniuersali declarauimus cum Galeno, Si uulnus siue incisio arteriæ parua sit, & corpus molle, perfectè agglutinari

Victus ratio. *Guid. trac. 3. cap. 3.* *A proprietate agẽtia.* *Curatio vulneris vasorum.* *Gal. 5. meth. 7.*

tinari potest, potissimum si quis exacta utatur diligentia, quemadmodum Gal. in eo, qui ab imperito barbitonsore in cubiti arteria, quæ sub basilica est, uulnus accepit, usus fuit. Cum enim hoc infortunium animaduertisset, statim præparato ex emplastrorum genere, quod sanguinem supprimit, medicamine, tum incisionem curiosè coniunxit, tum superipsam medicamen ilico imposuit, ac spongiam mollissimam extrinsecus super illud deligauit, ac iussit, ne quis uel solueret ipso absente, uel ante quartum diem id aggrederetur, sed ita, ut erat, deligatum haberet, spongiam duntaxat desuper madefaciens. Postea uerò quàm in quarto soluēs planè agglutinatam incisuram inuenisset, rursus idem medicamen imponere iussit, tum simili modo deligare, nec multis postea diebus soluere: Et ita percurata fuit hominis arteria incisa sola omnium, quas in cubito incisas uidit. Nam reliquis omnibus aneurysma alijs maius, alijs minus superuenit. Cum autem sanatu difficilior sit arteria, quam uena; non tamen est medicamentorum admodum diuersus in vtraque vsus, imo specie planè idem, maioris, minorisque ratione euarians. Quippe tanto siccioribus pharmacis eget arteria, quanto siccioris est temperamēti, quam vena. Quod si carnem circa gigni opus est, eadem ambæ requirunt. Siquidem ad eundem modum prouenit carnis generatio in his circundandis, quo in cauis vlceribus prouenire est traditum. At quæ in vtero, vesica, intestinis venæ, arteriæque sunt, cum eadem genere medicamina, vbi exulceratæ sunt, requirant, etiam instrumenta, quibus infundantur, metrenchytas, id est, vterinos clysteres, & syphonem rectum, & clysterem desiderant. Variabitur itaque remediorum consistentia pro instrumentorum specie; neque enim fas est ijs instrumentis crassa medicamina infundere, sed humidiora postulant, atque idcirco mediocriter plerunque calida. Proinde sicca medicamenta magis sunt idonea, quam ea, quæ liquabilia vocantur, quoniam facile vel plantaginis, vel alterius eius generis succo misceantur. Talia sunt & crocum, & pompholyx, & aloe, & quæ cephalica Græci vocant. In ipso autem primo producendæ carnis tempore, quod suppressionem sanguinis continenter excipit, etiam Lemnia terra salutare auxilium est. Tentandum itaque, vt in arteriæ incisione siccioribus pharmacis caro quoque ficciot, ac durior gignatur: Quod quidem fiet, si in vulneribus, quæ ad manum se exhibent, & profunda non sunt, loco molliorum pharmacorum & ipsorum vnguentorum, puluores sarcotici vocati inspergātur. Et dum caro super arteriam creatur, sępius digitus vulneri admouendus, vt percipiamus, an subtus insignior pulsus sentiatur: quia is non probæ curationis, sed aneurysmatis est indicium.

De Vulneribus Neruorum, Tendinum, & Ligamentorum. Cap. XV.

ANTEQVAM De neruorum, tendonum, ac ligamentorum vulneribus aliquid dicamus, ne aliqua oriatur ambiguitas, circa nomen illud prescire oportet, nos vnà cum Galeno illos, qui à cerebro, & spinali medulla oriuntur, neruos appellare, quæ ex ossibus procedunt, ligamenta, nerueas autem musculorum tenuitates, quæ partim ex neruis, partim ex ligamentis conflatæ sunt, & à Græcis aponeuroses vocantur, tendines nominare. Quod enim tendonum natura (inquit Galenus) ex ligamentis, & neruis mista sit, ex eo liquet, quia tendo tanto durior est neruo, quanto ligamento mollior: quin & mole corporis talis, vt qui ex ambobus maximè factus sit. Et ligamentum quidem omne insensile; neruus autem omnis sensu præditus; tendo verò neque insensilis, quia etiam nerui est particeps, nec ita sensilis, vt neruus: non enim neruus est tantum: Quatenus igitur particeps est ligamenti naturæ, eatenus hebetatur acrimonia sensus: quin etiam quia oritur tendo ex fine musculi: inseruntur autem in caput ipsius musculi & neruus, & ligamenta; deinde in totum musculum disperguntur, rationabile est tendonem ex duobus esse factum. Præterea caput musculi magis neruosum est; media pars carnosior; inde rursus candem, qua prius, proportione multo semper neruosior efficitur: tandem eò magis neruosus apparet finis inferior, quò etiam apparet in capite. Neruus autem perueniens ad ipsum in prima quidē insertione in pauciores distribuitur portiones: illis rursus

Nomen.

Galen. 1. de anat. administ. c. 13.

Gal. 1. de mo. musc. cap. 3.

rursus in alias scissis, hisque iterũ sectis in alias, eò vsque tandem scissura procedit, vt in membraneas, & valde tenues fibras desinat: rursus hæ particulæ inuicem coeunt, ac neruos mole quidem prioribus maiores, ceterum numero pauciores generant: qui in fine musculi & numero, & magnitudine pares ijs, qui initio primo locantur, euadunt. Quoniam verò rursus tendo nascitur multò maior neruo, qui in musculum descendit, clarum est, quod etiam aliquid ex natura ligamentorum assumpsit, nec sanè hoc modicum: multis enim locis sexcupla: multis etiam decupla crassitudine neruum superat. & merito sanè tantus, ac talis est factus, vt qui & ligamenti, & nerui vsum exhibiturus erat. Alligat enim musculum subiectis ossibus, in quæ inseritur, & hac ratione nil differt à ligamento. Sentit autem, & mouetur: qua ratione nerui est particeps. Maior autem factus est neruo: quippe qui os moturus sit. Inseritur enim, vt plurimum omnis tendo in ossis terminum cartilagine illatum. Cum itaque nedum neruus, verum etiam tendo sensu prœditus sit, & cũ cerebro, vti & neruus, communicantiam habeat, quippe qui partim nerueа prœditus substantia sit; Ligamentum verò tum sensus omnis sit expers, tum nullam cum cerebro colligantiam habeat, nec proprias ei passiones communicet, nõ erit ab re, si de neruorum, & tendonum vulneribus simul, eodemque discursu pertractemus, de ligamentorum autem soluta vnitate postea separatum sermonem instituamus.

Differẽtiæ, & Causæ. Sub nomine itaque nerui etiam tendinem ipsum posthac comprehendentes dicimus cum Auicenna, quod omne vulnus, quod fit in neruis, aut est punctura, aut incisio, seu dicas scissura, aut est contusio, quàm etiam attritionem, & conquassationem vocant. Et sicuti punctura ab instrumento pungente, incisio ab incidentes ita contusio à contundente producitur. Punctura rursus duplex est: Vel enim hiat, & aperta est, vel cęca, & occlusa. Pariter incisio & ipsa duplex existit; Vel enim per nerui longitudinem, vel per transuersum inflicta est. Et harum vtraque vel est sine deperditione substantiæ superpositæ, & carnosæ, vel est cum carnosæ, & superpositæ partis deperditione, ita, vt neruus denudatus sit. Non enim potest neruus vulnerari, quin cutis, aut etiam caro superpositæ vulnerentur, & nonnunquam venæ, ex quibus aliquando sanguinis quoque fluxio suboritur. Incisio autem per transuersum duplex adhuc est, prout vel non ex toto, sed ex parte tantum neruus dissectus est; vel ex toto, & vndequaque præcisus fuit. Demum cum neruorum vulneribus quandoque dolor vehemens, & inflammatio, & conuulsio complicatur; quandoque non. Et hæ sunt propriæ ac peculiares vulnerum neruorum differentiæ, a quibus præsagia, & curatiuæ indicationes hauriuntur. *Auic. 4. 4. tr. 4. cap. 2.*

Signa. Cum autem nerui munus sit, aut sensum, aut motum, aut vtrumque reliquis, quæ sensu, & motu prœditæ sunt, partibus deferre, & nullus reperiatur neruus, qui sensu tactus eximio prœditus non sit, ideo tũc vulneratum neruum esse cognoscimus, cum dolor ingens patientem excruciat, & statim post acceptum vulnus in sensu ipso, ac motu læsionem manifestam conspicimus. Diximus autem statim post vulnus inflictum: quia nonnunquam ratione doloris ex solutione continui, & vulnere ipso exorti, humores ad partem affectam attrahuntur, & vicini, ac circumstantes neruі aliquam noxam per consensum, & humorum replerionem perpeti possunt, etiamsi vulnerati aut puncti, aut incisi, aut contusi non sint. Insuper circa dolorem illud annotare liceat, hunc neque inseparabilem, neq; proprium nerui vulnerati signum esse. Si enim neruus ex toto præcisus sit, nullus ratione incisi nerui subsequitur dolor, sed solum stupor, & paralysis exoritur eius membri, in quod neruus insertus est: ita dolor ipse etiamsi puncturam aliquam comitetur, & adeo vehemens sit, vt inflammationem pariat, non tamen semper neruum punctum indicat. Fingamus enim, inquit Galenus, quempiam ad nos venire, cui tantum cutis acu sit puncta, hunc hominem, si is sit, cui facile vlcera sanescant, etiamsi citra medicamentum nudoque membro ad opera consueta dimittas, nihil sentiet mali: sin cui difficulter sanentur, primum quidem dolebit, post etiam tum pulsu particula infestabitur, tum phlegmone. qui enim vel plethoricus est, vel vitiosis succis premitur, vel acris est sensus, vel horum quibusdam, vel omnibus premitur, phlegmone tentabitur: qui contra est affectus, nihil mali sentiet. Quare tunc potissimum ex dolore neruum vulneratum esse iudicamus, dum is valde eximius est, & patiens neque plethora, neque cacochymia obsidetur, & sensum potius obtusum, qui quidem frigidam & humidam potius insequitur temperaturam, obtinet. Insuper quia nerui à cerebro oriuntur, & cum eo colligantiam ac commercium habent, dum vulnerati dolore, & inflammatione vexantur, has passiones ce- *Gal. 6. de loc. aff. cap. 2.*

rebro facile communicant, & proinde tum conuulſiones, tum deliria, ac mentis alienationes inferre conſueuernnt. Quocirca ſcribebat Gal. quod neruoſis partibus inflammatis, promptius, quam reliquis, delirium ſuperuenire ſolet, idq; aſcendente ad caput interdum per continuas partes ſolo calore, interdum verò ſpiritu vaporoſo, vel fumoſo, aut fuliginoſo. Cuius autem generis ea conuulſio ſit, quæ, neruis vulneratis, ſubſequitur, in primo libro patefecimus: niſi hoc in loco illud addamus, ſpaſmum in vulneribus factum eſſe potius ſpurium, eò, quia cerebri facultas expellens vel à flammeo, & acri calore, vel à prauo, virulentoque ac fuliginoſo vapore à neruo vulnerato ſurſum elato irritetur, & ſubinde cerebrum, vt noxam à ſe expellat, concutiatur, & proinde ſpaſmus, & conuulſio ſuboriatur. Tendines nihilominus, quia compoſitum ex neruo ac ligamento ſubſtantiam ſortiti ſunt, minus, quàm ipſi nerui propriè dicti conuulſionem accerſunt; excitant tamen & ipſi quia quatenus neruea ſubſtantię participes ſunt, eatenus ex cerebro oriũtur, & cum eo conſortiũ habent. Ligamenta verò vulnerata licet ſimillimam tendonibus ſpeciẽ habeãt, nihilominus quia nõ à cerebro, ſed ab oſſibus prodeunt, & ſenſu carent, nullũ neq; delirium, neq; ſpaſmũ inferunt. Simili modo propter neruorũ dolorem, & inflammationẽ, quę cerebro, vt diximus, cõicatur, & propter maximam inter cerebrũ, & cor tanquam membra principaliſſima ſympathiã, febris & ipſa continua ſuboriri facilè ſolet. Nonnunquã etiam in alijs quoque vulneri circũſtantib. locis, ac particulis, inflãmationes, & abſceſſus ſuper ipſum vulneratum neruum propter earum cũ ipſo vicinitatẽ accidere ſolent. Demum, vt inquit Guido, ad dignoſcendum neruũ vulneratũ ſummopere cõducit cognitio loci neruoſi, videlicet quia vulnus in eo loco fuerit inflictũ, in quem multa, eæq; ingentes neruorũ propagines deriuentur, ac recipiantur, & proinde anatomes cognitio in neruis præſertim vulneratis curandis, valde neceſſaria eſt. Videntur enim in huiuſmodi affectuum curationibus anatomes imperiti, ſimiles ijs, qui iter in lectica cęci faciunt, eoq; vehementer errant. Verum quoniam dignotio hæc ſolis anatomes peritis inſeruire poteſt, idcirco qui huius facultatis (chirurgis alioquin pernecesſariæ) ſunt ignari, conſiderent, an vulnus vel in capitibus muſculorum, & ſtatim poſt oſſium dearticulationes, vel potius in muſculorum finibus, & ſupra articulos, & in articulis ipſis, & locis excarnibus conſiſtat. Si enim in muſculorum capitibus ſit, neruorum; ſin in eius finibus, & prope articulos, tendonum vulneratorum ſuſpicio adeſt. Differentiæ verò adeo apertæ ſunt, vt oculis ipſis maiori ex parte percipi poſſint. Cur autem neruorum vulnera ſui natura & propter affectæ partis vſum & colligantiam, & ſenſum exquiſitum grauia ſint, & periculoſa in ſermonibus vniuerſalibus aperuimus: Minus tamen periculoſa ſunt ea, quæ in tendonibus ipſis contingunt: Omnium minimè lethalia ſunt, quæ in ligamentis fiunt. Quidam tamen, ait Gal. cum non ualent ligamenta cognoſcere, ea tanquã neruos, & tendines vulneratos ſuſpecta habent, à periculo alioquin remota, quomodocunque afficiantur, vtpote inſenſilia, & ex oſſibus non ex muſculis ſicut tendines orta, vel ex cerebro, ſpinaliq; medulla, vt nerui. Si differentias perpendamus, omnium maxime periculoſa eſt nerui punctura, non quia, vt ait Ariſt. vulnera orbicularia ægrius perducuntur ad cicatricem, vt quidam dixere: nam Ariſt. non ad vitæ diſcrimen, vt nos, ſed ad difficilem curationem reſpexit: Et inſuper orbicularia vulnera ægrè ſanantur: quia omniũ maximè diſtantia obtinent labia; in punctura verò propinquiſſima ſunt: quemadmodum eius quoq; nomen indicat. Dicitur enim punctura, quia in quodam ueluti puncto cõſiſtit, cuius quidem ex ſe nulla pars eſt. Sed punctura nerui idcirco periculoſa, & contumax eſſe ſolet: quia ſaniei, & excrementis virulentis, quæ in ipſius profundo generantur, efluxus difficilè patet, & medicamina ægrius in profundo & anguſto loco penetrare poſſunt. Minus periculoſa eſt ſciſſura, ſeu inciſio neruorum, quæ per tranſuerſum non tamen ſecundum totum facta eſt, quia ſaniei exitus facilius patet, & medicamina facilius ad vulneris profundum permeant; non tamen periculo vacat, quia maior conuulſionis metus impendet; quam ſi per longum, aut totus per tranſuerſum præciſus neruus eſſet: noxa ſcilicet, & inflammatione in ijs, qui per tranſuerſum ſecundum partem præciſi ſunt, à deſectis fibris ad non ſectas communicata: ceterum conuulſione ab ipſis non ſectis excitata. At vbi totus neruus ſectus, & ex toto inciſus eſt, conuulſionis metus nullus inſtat, nec periculum vllum ſequetur: debilis tamen particula, vt Galenus & Auicen. inquiunt, in ſenſu, & motu ipſo remanebit. Quod etiam in contuſione neruorum, dum coram ſubſtan-

Gal. 3. de loc. aff. 7. poſt princ.

Guido trac. 3. c. 4.

Gal. 3. de cõpoſ. med. per gen. cap. 2.

Gal. 3. art. med.

Galen. 3. de compoſ. per gen. c. 2.

Gal. 6. meth. 4. Auic. 4. fr. 4. c. 1.

Prognoſtica.

substantia prorsus atteritur, consequi solet: quia sensus, & motus delatio ad destinatas partes prorsus aboletur: Et quia ex attritione neruorum continuitas dissoluitur, quapropter humorum ad contusam partem confluxum, affectum veluti scirrhosum contrahere consueuerunt. quo fit, vt spirituum, quos vocant, animalium irradiatio omnino impediatur. Pariter dum contusioni eorum inflammatio succedit, delitij, ac conuulsionis metus imminet, & in summa contusorum, ait Gal. & vulneratorum vel neruorum, vel tendonum curatio communis est, & periculum æquale. Simili modo, vbi in neruorum vulneribus tumor apparet, & postea disparet, & euanescit, conuulsionem, ac delirium minatur. Quinimo omnes illos tumores vulneribus superuenientes damnauit Hipp. qui de repente detumescunt: quia significatur prauas illas, & virulentas materias retrocedere, ac principes partes adire. Sed & ingens malum portendi ibidem ait, cum paucis vulneribus (qualia sunt, quæ in capitibus, ac finibus musculorum præsertimque neruorum fiunt) tumores omnino non adueniunt. Si enim, inquit, in vulneribus fortibus, & prauis tumor non appareat, ingens malum, & hoc propter causam allatam. In sequenti autem aphorismo subdit, tumores omnes prauis maximè vulneribus (qualia sunt in neruosis partibus inflicta) superuenientes, quicunque molles sunt, optimos esse, crudos verò, id est, duros, ac renitentes, prauos. De scopis autem curatiuis, & præsidijs omnibus, eorumque materijs adeo exactè, & accuratè locutus est Galenus, vt nihil amplius, quod in neruorum vulneribus peculiariter conueniat, desiderari possit. Quare longè melius est, vt omnibus alijs posthabitis, ipsum loquentem audiamus. Qui ab ipsa nerui punctura, tanquam omnium maximè periculosa, exorsus, ante omnia nos admonet, vt in hac punctura, etiam si acu sola cutis puncta sit, homo tamen aut propter plethoram, aut prauorum succorum redundantiam, aut exquisitum sensum doleat, & phlegmone tentetur, glutinatoria pharmaca, Enæma Græcis dicta, omnino fugiamus, & molli, & blando, & quod dolorem mitiget, medicamine occurramus. Vbi enim inquit, magna diuisio est, ibi studium impendi debebit, vt magis siccantibus remedijs labia vlceris vniantur: Vbi autem acu, styloue facta diuisio est, id duntaxat curandum est, ne phlegmone particula tentetur: idque multo magis faciendum, dum sub diuisa cute aliquid neruorum subiacentium pungitur. Aduerti namque, subdit ille, vbi punctus neruus esset, ei propter sentiendi acumen necesse esse tum dolorem incidere, quam reliquis partibus, maiorem, tum ex necessitate phlegmonem consequi, nisi quis, & dolori medelam inueniret, & phlegmones generationem prohiberet. Rationabile igitur mihi est vitum, cutis quidem vulnus apertum, inglutinatumque relinquere, & custodire, quò per id ex neruo vulnerato sanies afflueret: totum verò corpus superuacuis humoribus liberare: ac ne quis dolor vulneratam partem vrgeret, imprimis solicitudinem habere. Itaque etiam medicamenta excogitaui non pauca, quæ vulneri imposita ad vtrumque mirè sint comparata, tum vt dolorem mitigent, tum vt exitum saniei patefaciant. Præcipua siquidem danda opera est, vt oræ angustiorum punctuum apertæ sint, vt calidum medicamen extrinsecus applicatum per eas vapores educat, attrahens humiditatem circa affectum locum in alto latentem. Ob quam rem in id genus puncturis orificium duabus in cutem sectionibus secundum rectos angulos diuidere oportet. Tutius igitur fuerit, etiam si quis non modo cutem latius incidat, sed totum corpus præterea sanguinis missione inaniat, vtique si fortis sit virtus: Si verò vitiosis succis repletum corpus sit, protinus purgar. Vnde tutissimum erit in neruorum punctura, vniuersum corpus tum sanguinis missione, tum acrium, & calidorum, ac tenuium humorum purgatione protinus inanire, ac omni reuulsionum genere vti, si opus sit, & dolor vrgeat, quæ etiam per cucurbitulas, & frictiones, ligaturas, & calidas inunctiones, & lotiones oppositarum partium administrantur, de quibus in sermonibus vniuersalibus diximus. Aqua vero calida (subdit Gal. de topicis auxilijs loquens) licet reliquas phlegmonas valde mitiget; vulneratis tamen neruis est inimicissima: cum præsertim eorum substantia ex refrigerata, concretaque humidiore materia sit condita: Talis enim à calfacientibus, & humectantibus resoluitur, ac putrescit. Vtilius itaq; est eos oleo calente fouere: Si enim frigidum applicetur, tenues meatus obstruit; sin calidum, digerit. Porrò fugi ex huius quoq; generibus & crudum, quod omotribes Græcè dicitur, & quod deniq; adstringendi vim haberet. Delegi autem tenuissimum, cuius ge-

[Left margin notes:] Indicationes, ac præsidiorũ materię ad nerui puncturam. — Indicatio potissima. — Totius corporis inanitio. — Reuulsoria præsidia. — Topica medicamenta.

[Right margin notes:] Galen. 3. de comp. per gener. c. 2. — Hip. 5. aph. — Galen. 6. method. 2. — Galen. 3. de comp. per gener. 2. 6. meth. 2.

neris Sabinum est: quod etiam utilius fuerit, si bimum, aut trimum erit: quia magis, quàm recens, per habitum digerit, quòque magis est antiquum, hoc semper magis digerit; verum dolorem minus sedat. Quod autem de Sabino oleo dixit Gal. idem de oleo costino, de castoreo, de scorpionibus, de lilijs albis, de lumbricis, necnon de eo, in quo ruta, vel anethum sit incoctum, statuendum est, cum omnia tenuium sint partium, calefacientia, & siccantia. In pharmacis autem (subdit ille) huc omne consilium direxi, vt esset eorum facultas tum tenuis, tum modicè excalfaciens, & quæ siccare citra dolorem posset: Nam sola hæc trahere ex profundo saniem, neque contracta, neque demorsa particula potest. Vsus sum autem primū therebinthina resina tum etiam paulum euphorbij admiscens: & per se quidem in pueris, & mulieribus, & generaliter ijs, qui molli essent carne: cum euphorbio in ijs, qui dura. Non secus autem ex propoli non per se modo, verum etiam cum euphorbio ipsam molliens: quod si durior esset, cum tenui quopiam oleo. Quin & Sagapeno in duris corporibus sum vsus, vtique cum oleo, & therebinthina id miscens: Sed & oppoponace ad eundum modum, quo & sagapeno. Mihi vero, & lacryma cyrenaica non inutilis fore videtur: si quis emplastrum ex ea faciat, cuiusmodi est quod nos ex euphorbio composuimus. Verum nondum id experientia, quemadmodum reliqua omnia, comprobauimus. Quippe præcedere oportet eam, quæ à vera methodo proficiscitur, remediorum inuentionem, huic verò experientiam ad certiorem etiam fidem subscribere. Si quidem ex tali methodo etiam sulphur, quod ignem expertum non sit, quodque lapidosum non sit, sed omnino tenuium partium, ei, cui vulneratus neruus esset, conducturum sperauimus, tantum tenui eius oleo miscentes, dū quod vtriusque mixtum erat, sordium haberet crassitudinem. In valentioribus verò, durioribusque corporibus etiam si ad mellis spissitudinem redigas, sic quoque iuueris. Nam id quoque comprobatum experientia est. Quin etiam lotam calcem similiter oleo admistam his applicandam excogitauimus: quæ etiam, si mari lauetur, magis proficiet. Lauatur optimè per æstatem in æstu caniculæ. Quod si bis, terue eam laueris, vtilius medicamentum efficies. Quinimo cum accersitus aliquando essem ad quendam, qui a Thessalijs medicis putris fuerat factus, vbi nullum ad præsens mihi medicamentum erat, poposci ex figulo quodam aquam lixiuam, seu lixiuiam, quam stacten, idem stillatitiam dicunt: tum coquens in ea farinam hordeaceam (non autem vt illi perperam faciebant in oleo, & aqua triticeam) imposui. Postea vero farinam erui simili modo coctam, iam phlegmone inflammato, & putri ex bella horum curatione neruo imponens, vindicaui ab ea putrefactione hominem. Et sanè ex ijs, quæ ipsi inuenimus, plurimi vno illo emplastro vtuntur, quod ex euphorbio, & cera, & pice, & fricta resina est compositum. Immiscuimus autem ex cera partem vnam, ex therebinthina, & pice, vtriusque partis vnius dimidium, sic, vt quod ex vtrisque conflaretur, ceræ par esset. Licet autem interim & plus sit, quod ex ambobus consit, quàm cera: licet rursus & alterum eorum tantum ceræ admiscere. Quin etiam in penuria therebinthinæ tum humidam pineam, tum & frictam commodè admisceas: non minus etiam his & abietinam in mittas. Strobilina verò duris tantum corporibus idonea est: ad mollia verò immiscenda non est. Si itaque humidam resinam immiscebis, sensum, cribratumque euphorbium reliquis immittes liquatis. (Esto verò pondus eius, ceræ pars duodecima, etiam plus aliquando: vbi scilicet valentius efficere est in animo.) Sin siccam, sicuti, quæ fricta est, vtique olei pusillum desiderabit euphorbium. Quare ego tum id cum oleo contundens, ac ad sordium spissitudinem redigens, mox reliquis post liquationem refrigeratis terens misceo. Sæpe etiam tantulum aquæ immiscui medicamento conficiendo, quantum in mistis ipsis liquaudis tum absumi, tum euanescere prorsus potuit. Vulnerati itaque nerui curatio medicamenta postulat, quæ & tepidum calorem excitent, & valenter siccent; tum quæ ex substantiæ suæ natura & trahendi vim habeāt, & tenuium sint partium: qualia sunt potissimum iam dicta: necnon panacis, & tithymalorum liquores, & opobalsamum, quod non adeo ex calfacit, & nitri spuma, & aphronitum, & nitrum bereuicium, & asiæ petræ flos, & auripigmentum, & misy, & æris squama, & chalcitis vsta: Cum enim sub calidis, & humidis pharmacis nerui putrescant, ait Galenns curatio per siccantia, & refrigerantia molienda. Sed quia ex Hippocrate neruis ipsis frigidum est inimicum, ideo optimum erit medicamentum neruis vulneratis quod & siccet in actiuis temperatum, vel nō multum à me-

Epilogus.

Galen. 3. de comp. per gener. cap. 2. in princ.

dio ad calorem recedat: calidum etiam esse satis potest, modo siccandi potestate polleat, quia calor citra humiditatem putrefacere nihil habet. Et quia multum refert nudæ parti affectæ medicamen afferre, & per alia corpora ei præposita: ideo sicut in nudato neruo medicamen adhibetur, quale ab effectu indicatur; ita in neruo puncto, & præpositis partibus saluis, tenuius pharmacum inueniendum, cuius virtus interiacentes particulas permeando non dissoluatur, sed in altum penetret. Vt autem iam dictis probè vtamur, & ea, quibus inter initia vsi sumus, vel intendere, vel remittere sciamus, subdit Gal. quod cum quidam medicamentum ex euphorbio confectum, & sic vocatum vulnerato neruo statim imposuisset, idque subinde prius prosperè fuisset expertus, tertio die sibi indicauit vulneratam partem tum dolentem, tum phlegmone tentatam, miratus medicamen nihil contulisse. Percontatus itaque fuit laborantem, num primo die, cum impositum esset medicamen, calorem quempiam velut ex Sole suauem sensisset: is se quicquam eiusmodi sensisse negauit. Rursus igitur percontabatur & Medicum, quanto iam tempore præparatum apud se medicamen habuisset, ac quos eo sanasset. ille plus anno apud se habuisse: sanatos verò à se aiebat pueros duos, & adolescentem vnum. Cum autem de corporis habitu ipsius rogasset, album eum, mollique corpore fuisse affirmabat. His auditis, cum intelligeret, vt ad propositi adolescentis temperiem, euphorbium deesse, postulans tum ipsum emplasticum medicamentum, tum etiam euphorbium, sumensque ex his, quantum ad ea inter se miscenda satis putauit, iussit manibus medicamen subigere, & euphorbium diligenter contundere. Postea miscere ea simul iussit. & ipse oleum sabinum vtique subantiquum modicè calfaciens, fouit vulneratam partem. Resectoque leuiter puncturæ, quod conniuebat, foramine, imposuit medicamentum: ac homini inediam iniunxit. Medico autem præcepit, vt vesperi rursus eum solueret, ac simili modo, quo Gal. ipsum viderat, oleo vteretur. Et his peractis, apparuit postridie pars ægra & sine dolore, & sine phlegmone: intellexeruntque adstantes verissimum esse, non esse adeo magnum, quod medicamen præstare possit, nisi nactum sit, qui eo dextrè vtatur. Et idem alibi scriptum reliquit, quod cum compositum medicamen nullum haberet, dedit cuidam familiari vetus euphorbium, iniunxitque læue factum ex oleo veteri donec humiditati cerati spissitudinem haberet, tendinis puncturæ in manu admoueret. Reuersus igitur interrogauit vulneratum, multumne caloris in parte affecta sentiret: ille mediocrem respondit. Rursus igitur quæsiuit, an mordicationem à medicamine in vulnere sentiret: ille cum se non morderi, sed veluti prurium quendam sentire dixisset, pharmacum ad noctem vsq; adhęrere permisit. Quoniã verò cum imposita abstulisset, calor in affecto loco mediocris sibi apparuit, neq; punctura hians, satius sibi visum est eodem vti medicamento: Et verò cum vulneratus altero die prosperè haberet, item tertio, & quarto, ad finem vsque idem pharmacum vsurpauit: quod contemplatus quidã in alio vulnerato similiter euphorbio, sed eo recẽti ineundẽ modum vsus est. Quare necessario calor multus ægrũ, & commorsus, & dolor in vlcere subsequutus est. Sed Gal. re intellecta, statim, quod impositum erat, abiecit: fotu autem per oleum ipsi adhibito, medicamentũ ex aceto imposuit: quod si nõ in procinctu fuisset, pharmacum ex euphorbio copiosioris ceræ particeps admouisset. Euphorbium. n. cum principio bonũ fuerit, & probe repositum, asseruatumq; etiam anno tertio adhuc vim aliquam retinet, interim & quarto: quinto autem & sexto iam exoluitur: Et procedente tempore in totum elanguescit. Vetus autem nouo flauidius & pallidius apparet: sed consistentia durius, & siccius. Gustui verò eius ætas, & calor exactè cognoscitur. Porro illud, quo Gal. vsus fuerat, quinque aut sex annorum erat. Vnde vsum ipsius mensuræ comprehendere nemo potest. Nam recens oleo decuplo cum cera tripla commiscetur, vt Recipiendo euphorbij vnc. j. ceræ vnc. iij. olei vnc. x. vel etiam xij. ita vt oleum, quam ipsa cera, quadruplum sit: Veterascens copiosius ei immittendum est, vt partem vnam, ac dimidiam inijciendo, interim duas: trimum verò, & quadrinium vel duplicatum prioris pondus, vel æquale ceræ. Primus autem vsus ad secundum te deducet. Si enim & vulneratus ipse morsum sensisse dicat, & partes puncturam ambientes calidæ appareant, tum ipsa punctura magis, quam par est, elata, & oræ inflammatione subafficiantur, vel olei copiosioris mistura vim pharmaci remittes, vel compones aliud ad priorem symmetriam, aut euphorbio vetustiore moderatum efficies. Si contra eueniat, vim pharmaci adaugebis: Sin mediocriter omnia habere videbuntur, seruabis.

Gal. 6. meth. cap. 2.

De vsu, & modo conficiẽdi medicamenti ex euphorbio.

Galen. 3. de comp. per gener. cap. 2.

Itaque confectura ceram triplo euphorbio, eique recenti copiosiorem continens aliarum est valentissima: quintuplo habens inualidissimum: quadruplo capiens mediocris. Cum igitur pharmacum consistentia simile acopis vocatis vnctionibus habere volueris (quæ spissitudo etiam liquidi cerati est) oleum ceræ quadruplum esse curabis. Vbi verò ad emplastri speciem fiet, ceram omnino æqualem oleo miscere oportet, maximè si sicca fuerit, & vetusta: sicut recens, & pinguis pauciore oleo indiget, vt ceratum in emplastri modum efficiat, idque magis adhuc per æstatem. Itaque si ceratum emplastri formula facere statueris, ceræ ex oleo liquefactæ, qua dixi symmetria, sextam recentis euphorbij partem admiscebis, vt illius vna sit drachma, ceræ sex, olei item sex, vel quinque. Sed quoniam cera glutinans, & viscosa non est, quemadmodum resina, & pix: ideo hanc, vel illam, vel vtriusque partem cerato admisceto. Sed dum hæc miscentur, non amplius oleum pari illis portione affundendum. Etenim cera ad liquiditatem multo pingui eget: at resinæ, quæ quidem aridæ prorsus sunt, pauco: liquidæ, & siccam quandam substantiam ad emplastri crassitudinem assumere postulant. Ex his autem tribus resinis strobilina, abietina, & therebinthina, principem certè strobilinam calore, secundam abietinam, postremam therebinthinam esse dixi. Potes autem vbi triplicatam ceram therebinthinæ commiscueris, intelligere, emplastri ne spissitudinem iam medicamē acceperit, an adhuc siccius sit, & copiosiorem resinam desideret. Ideo vbi hunc in modum experienti tibi mediocriter habere visum fuerit; miscebis tunc medicamento, quod conficis, duodecimam partem euphorbij. At si ignores, an euphorbium exactè sit calidum, an nonnihil a tali discedat, post confectionem linteo paululum illius medicamenti illitum tuæ ipsius tibiæ, vel cubito horis aliquot imponito: postea si modicè calfacere deprehendis, bene temperatum puta. Quod si nullum sensilem calorem dat, vel iusto feruentiorem, remittendum quidem pharmacum mistura cerati, intendendum apposito euphorbio. Atqui si propolim pinguē habeas, eam omnibus resinis aptiorem fore tibi intelligito, vt quæ vaporosam spiritus crassitiem, humoresque superfluos elicere, ac ex alto foras ducere queat. nam resinæ cum cera emplastris spissitudinis gratia, non tanquam curationis consilio assumuntur; propolis verò curationis scopo continetur. atque hac aliquando sola, sed recenti, quantum ad humiditatem attinet, vsus fuit Galenus in agricola quodam duro corpore, ac mirum est, quomodo sola ad vsque finem adhibita adiuuerit: adeo, vt nullius pharmaci præterea venerit necessitas. Alteri, qui puncturam profundiorem haberet, tithymalli cuiusdam exiguum quid liquoris admiscuit: mollioribus verò corporibus medicamentum tactu durius apparet, nisi olei mistura vehementer ipsum mollias. Quin & alia medicamenta omnia, quæ neruorum vulneribus adhibentur, liquida, & mollia esse conuenit. Mollitiem igitur quouis oleum conciliare; robur verò medicamenti vetus oleum tueri potest. Vt autem propolim, ita fermentum Gal. ipse rursus in alio medicamenti inopia vsurpauit, quoniam hoc quoque in alto fixa extrahere, & discutere sciebat. Quanto autem vetustius est, tanto præstantius. Ita sulphur viuum facile reperitur, quo nonnunquam vsus est miscens tetrapharmaco. Huic igitur & aphronitrum, & berenicium litrum, & aphrolitrum, non lapidosum, sed vere aphrolitrum, quod spumæ consistentiam habet, adijciens frequenter vsurpauit: ac vulneratus talis rei solo vsu conualuit; fotus scil. oleo. Hoc enim commune tibi esto in omnibus medicamentis, quæ hic dicuntur, neruorum vulneribus conducere. Iam verò & quod a Medicis vocatur arsenicum adiunxit tetrapharmaco: rursus cum id non adesset, sandaracham, sicut calcem restinctam, & viuam, lotam, & illotam; minus autem viuæ, plus restinctæ, & plus adhuc lotæ adiecit. Priusquam autem cuiusque simplicis medicamenti virtutis quantitatem exactè pernosceret, parauit medicamentum ex multis eiusdem generis compositum: iniecitque nonnihil arsenici, sulphuris, misyos, calcis lotæ, & illotæ, pompholygis, similiter spodij, item squamæ æris, chalcitidis vstæ, lotæ, & illotæ, adhæc non vstæ. Hæc igitur prius in aceto quam acerimo diebus multis, sole æstiuo læuia reddidit. Quæ superinfundi his debebant, cera erat necessario, & mellis nonnihil prius expurgati: resinæ propemodum omnes, propolis, pix, & ladanum: liquida cyprinum, susinum, opobalsamum, amaracinum, gleucinum, cedrinum, & oleum ricininum, & vetustum. Verum simpliciora singula nihilo inferiora esse hoc pharmaco composito, experientia tandem animaduertit. Vnde dum sæpe in itinere, in nauigio, aut agro esset, nec medicamenti ex

Propolis in neruorum punctura omnibus resinis præstantior.

Galeni cōpositū pharmacum.

Quæ facile habentur, & parātur, medicamēta.

euphorbio

euphorbio copia adesset, propolim recentem liquidam, & pinguem vulneri imposuit, interim fermentum solum, interim ambo commista. at fermentum quam vetustissimum esse, propolim verò contra habere conuenit; sin autem vetustior sit, ex oleo iuxta ignem, vel in Sole emolliatur. Rursus in alio succum tithymali fermento mistum imposuit. Quippe fermentum recens contemnebat. Nonnunquam & propolim ex oleo liquefactam fermento subegit, sed prius aceto quàm acerrimo dissoluto. Præstat autem oleum esse vetus in huiusmodi mistionibus, puta ex oxymelite, & fabarum farina, vel eruorum, vel lolij, vel ciceris, sed lupinorum amatorum, vel tenuiori polentæ puluere, vel hordeacea farina, quibus in vrbibus vsus est cataplasmatis, non solum in his, quos iam phlegmone præhenderat; sed etiam protinus ab initio. In agro cum & picem liquidam apud fabrum inueniffet, fermento mistam imposuit. item apud alium eruorum farinam illo subactam: cuius penuria etiam prædictarum quæuis misceri potest. Quin etiam oxelæum solum, quod caleret, lana exceptum statim, dum aliud nihil haberet, obtulit, confisus aceto abundè acri, & vetusto. In alio refrigerato, quod ante horam vnam vel longius etiam tempus neruus contusus esset, donec idoneum adferretur medicamen expectans, partem oleo foueri præcepit: interim aceto prius admisto: quoniam aer per æstatem calidissimus erat, mistura ex vtroque diutissime fouit, donec aliud allatum fuit. Singulis autem prædictis farinis permistam quoque stacten. i. aquam ex lixinio stillatitiam, sæpe illeuit, & mox à principio, & postea, cum homo medicamine, quod cruentis imponitur, non probè vsus esset. Hæc itaque omnia, quomodocunque applices, calida qualitatibus offeras. Quod si neruus vel tendo putredinem iam contraxit, eo modo occurrendum, quem hisce verbis docet Galenus. Cum adolescens quidam (inquit ille) mihi ostensus esset, in primo articulo medij dextræ manus digiti, totum circa neruum locum humentem adeo ex contusione habens, vt iam computrescerer: partem sanè putrescentem verò, cataplasmate ex lixinia stillatitia, & hordei farina foui: non putrescentem verò, sed tensam, dolentemque oleo calente liberaliter perfudi: inde cum lana sicca madorem exhausissem, ceratum tam humidum illeui, quàm in fracturis vtimur, cui euphorbium sit admistum. Euphorbium autem cum oleo triui, & ceram liquatam immiscui. Itaque homo ille putredine iam circa primum medij digiti articulum orta, cum superiacentium tensione, doloreque infestaretur, multò melius habere cœpit die postero, quo vice hordei farinæ, eruorum farinam stactæ lixiuiæ commiscuimus. Ac tertio sane cum similiter etiam curaretur, iam quidem in alijs particulis dolorem omnino non percepit; ex contusione verò neruosum quoddam corpus crassæ membranæ persimile exertum est: quod mediocriter me commouente, facile totum semiputridum excidit. Videbatur omnibus contemplantibus hoc corpus neruus totus esse, qui computruisset, vt qui ignorarent, quo pacto tendones hi neruosis membranis conuelari per brachiale procedunt, & super totos digitos extenduntur. Mihi verò putridum ex contusione attollenti tendo saluus apparuit. Cum igitur vel pastillo vno, vel trochisco, quorum in numero est & ille Polyidæ, soluto ex hepsemate vel sitæo, id est, sapa apparentem nerui particulam prius inunxissem: rursus eodem modo & cataplasmate, & vnctione ex euphorbio in ijsdem locis, sicuti prius, vtroque vsus sum. Quarto iam die omnia complicata circa contusum quidem antea, vlceratum verò tunc primum digiti articulum intuitus considerabam, quorsum à cataplasmate transgrederer. Visum igitur est, si neruus inflammatione prorsus vacaret ad cicatricem ducentia transire: Si verò phlegmones ipsius scirrhosum quicquam remaneret, aliquod ex abundè siccantibus exhibere. Quoniam igitur non nihil ex ea reliquum esse videbatur, medicamentum ex dracunculi radice confectum prius vsurpaui, quod alia eadem cum Aegyptio pharmaco, quæ Isis vocatur, continet: assumpsit autem dracunculi radicem. Ab hoc verò deinceps Minerua dicta vsus: inde ad ea, quæ cicatricem ducunt, perrexi. At cum alium curarem pastillo sapa diluto nudatas vlceris partes illinens, euphorbium extrinsecus imponebam, tantum ceræ, & resinæ admiscens, vt emplastri crassitudo simul fieret, & euphorbij vires consectarentur. Hæc Galenus. Mineruam autem vocatum emplastrum tradit ex Andromachi descriptione in libro secundo de compon. medicam. per geneta cap. 2. prope finem. Simili modo vbi neruus inflammatus fuerit, siccantibus, & modicè refrigerantibus, quæ inflammationi, & putredini obsistunt, occurrendum erit, veluti sunt potissimum fabacca farina, aut hordeacea, aut eruorum, vel cicerum, ex oxymelite decocta.

Si nerui putrefacti sint curatio.

Galen. 3. de comp. per gen. ner. cap. 2.

Ad nerui inflammationem.

decocta. Et dum dolor cum inflammatione valde vrget, fabarum, vel eruii farina cum modica sapa decoquenda erit, paucissimo acero adiecto; prius tamen, vt Galenus nos admonet, pars oleo moderatè calido foueatur. Si autem non punctus, inquit Galenus, sed planè cæsim vulneratus neruus sit, considerandum est, quo pacto facta vulneratio sit, vtrumne per transuersum neruum, an per longitudinem eius: tum verò quantum interuenientis diuisum sit cutis. Proponatur igitur primum multum esse cutis adapertum, adeo, vt neruus nudus appareat, isque per directum diuisus. Huic neruo nullum iam memoratorum medicaminum, quæ ex euphorbio, ac similiter acribus, emplastri specie fiunt, applicabis. nudatus enim non feret eorum vim ita, vt, cum interposita cutis erat, tulit. In puncturis autem acrioribus pharmacis est opus, quæ vulnus apertum perpetuo seruent: denudatis autem, mediocri adstrictione cum digerendi virtute absque morsu prædita afferre conuenit. Optimè igitur eo casu calce elota in multo oleo soluta vtere. Salutare verò est, & quod ex pompholyge fit medicamentum, si in largo rosaceo sit liquatum: quod vtique melius fuerit, si tum rosaceum ipsum, tum oleum salis sit expers. Siquidem in nudato neruo, omnis curationis consilium huc tibi dirigendum est, vt minima cum mordicatione sicces. Possunt verò id præstare paucissima medicamenta. Esto igitur hoc casu calx salubri aqua æstatis tempore sæpe elota. Esto præterea & pompholyx elota. Quæ enim ex metallis consistunt, ea elota esse omnia oportet, si modo citra morsum vllum sint siccatura. Salubre verò medicamentum est, & quod ex melle sub emplastri specie componitur, vtique cum ex optimo sit melle. Solui verò & id rosaceo oportet, quod optimum sit, & salis omnino expers. Quin etiam ceram, quæ eiusmodi medicamentis sit miscenda, elotam esse conuenit. Aequè & si aliquid resinæ terebinthinæ inijcies, hæc quoque abluenda: atque hac magis, si alterius cuiusque resinæ quid immittes. quippe omnibus, quas laueris, acris sanies abstergitur. Si verò robustus sit, qui vulnus accepit, & corpus sit à superuacuis humoribus mundum, in hoc fas est etiam valentioribus remedijs nonnullis vti: veluti ipse aliquando in carpo hoc modo vulnerato ex Polyidę pastillis sapa solutis, postea supra calida aqua tepefactis linamenta imbuta imposui. Nam id etiam semper habendum curæ est, ne quid ex ijs, quæ vulnus contingent, frigidum sit. Laborans enim pars & sensilis maximè est, & principum patrium primati continua, & temperamento suo frigida: quorum omnium occasione & ex facili à frigido offenditur, & suam offensionem impertit cerebro. Quod si ex ijs fuerit, quæ in musculos perueniant, etiam conuulsionem facilè accersit. Musculi enim voluntarij motus organa sunt. Idem fore & in tendonibus expectabis, ijsdem de causis. Cęterum cum memoratum remedium tum vulneri ipsi iuuenis imposuissem, tum verò partium, quæ supra erant, non parum eodem complexus fuissem, quæ circa axillas, collum, caputque eius erant, omnia calente oleo assiduè madefeci. Detraxi verò illi, & primo statim die sanguinem scarificata vena. In quarto igitur hic quoque iuuenis rectè habuit, adeo, vt & rugosum, & paruum vlcus iam cerneretur. Consultius tamen visum est, vsque ad septimum nihil nouare. post quem diem planè redditus est sanus. Sanè oleo perfundere tale vulnus non oportet, præsertim cum, vt nunc quoque comprehensum est, curatur. Nam oleum pastilli huius viribus est aduersum, ac sordidum vulnus reddit. Neque enim parum interest, nudone neruo oleum, an per interpositam cutim admoueas. Abluenda igitur à vulnere sanies est molli lana specillo circumuoluta. Madefacere verò lanam, si placet, ne scilicet sicco vulnus attingas, sapa sufficerit. In hac igitur lanam intingens mox exprimens vlcus detergebis. Esto verò hæc ipsa quoque tepida primis maximè diebus. Quod si omnia ex sententia successerint, etiam vino dulci madefacere citra periculum licebit. Verum dulce id omni mordente qualitate careat, cuiusmodi tum Theræum est, tum Scybelites, atque ab his, quod Caryinum vocant. Quæcunque verò dulcia pariter, & fulua sunt, velut Falernum, inutilia sunt: quia acria sunt omnia talia, & supra modum calida. Vlcere verò iam ad cicatricem veniente, quæ alba planè sunt, & tenuia, nec multam aquam tolerant, nec odora sunt, ea dulcibus præstant. Aequè verò visum ad neruum vulneratum semper fugies, sicuti etiam relaxans cataplasma. Ad iam dicti pastilli vsum prope accedit & medicamenti, quod Diachalciteos, aut etiam phœnicinum vel diapalma vocamus, quo publicè vtimur. Liquari verò etiam hoc debebit æstate rosaceo, hyeme Sabino oleo. Si autem Polyidæ pastillus omnibus fere notus, & à Galeno 5. de comp. per gener. descriptus, præsto non sit, Andronis, vel Pasionis

Gal. 6. meth. cap. 3.

Ad neruorum incisionem præsidia, eorūq; materiæ.

Si vulnus fit per nerui longitudinem.

Gal. 3. de cōp. per gen. 8.

Gal. 6. meth. 3.

Cur frigida neruis vulneratis aduersa.

proeo

pro eo est sumendus, vel noster, qui omnibus illis est valentior, quorum descriptiones in tractatu de vlceribus trademus. Sanè iam dictum est robustis corporibus valentiora medicamenta, imbecillis mitiora esse adhibenda. Cum enim in nudatis neruis admodum tenuia, exedentiaq; cauenda sint, prædicti pastilli, qui ad Andronem, Polyidam, & Pasionem referuntur, necnon quartus, & quintus illis valentiores, quibus Gal. vtebatur, celebres admodum sunt, & in talibus vulneribus maxime conuenientes, quia nonnulla astringentia quoque assumpserunt. Nunc autem de eorum vsu explicasse sufficiat, quod tritos ipsos aridos, postea rursus sapa adiecta ita terere conuenit, donec sordium spissitudinem recipiat medicamentum, & æqualiter leue fiat, vt mellis spissitudine linamentis excepti, neruis denudatis imponantur, maximeque ex ipsis temperatiores qualis Polyidæ est. Ac multò magis si corpus sit tenerum, ac molliusculum: in quo & prorsus à pastillorum vsu abstinere tutius est, & alijs iam dictis, atque dicendis vti. Neruo autem nudo linamentis cooperto, extrinsecus vnum aliquod ex ijs, quæ ad angusta vulnera conueniunt, superdandum est. Quorum sunt quatuor genera. Vnum hoc, quod ex metallicis conficitur; alterum quod ex liquoribus: inter quæ refertur & illud, quod ex euphorbio constat. Tertium ex columbarum stercore in rusticorum turribus agentium, cuius compositio, & vsus idem est cum medicamine ex euphorbio, alijs nimirum eodem modo habentibus, sed euphorbij loco stercore indito. Et quartum praon, id est, mite à Galeno appellatum, quo etiam ad neruos tenerorum corporum omnino denudatos vtebatur. Ex his quatuor toti affectæ particulæ circundandum est, ita vt sanarum quoque partium multum vnà comprehendat, præsertim suppositarum: quas bis in die vel ter, si necessitas vrgeat, perfusione fouere oportet. Quin etiam nocte interim linamentis quidem denudato neruo impositis, cęterum eo, quod extrinsecus admotum erat, ablato. Porrò cum permagna corporum sit differentia, in temperaturis, ætatibus, ac vitæ studijs, medicamen, quod componitur, omnibus conuenire non potest. Quare duo in promptu habeto: alterum valentius eiusdem generis reliquis: alterum mitius, quibus inuicem mistis, dum vsus postulat, permulta inter hæc media iuxta misturæ quantitatem constituas. Si enim parem vtriusque portionem confuderis, mistum exactè medium amborum erit; quod si alterius plus adijcias, tantum à medio ad illud summum recedet, quanto mistura superauerit. Esto igitur metallicum valentissimum ex his constructum vnam partem crudæ chalcitidis habens, duas misyos similiter crudi, tres æris squamæ: Inualidissimum vnam item misyos, & chalcitidis, sed vtriusque combusti, squamæ quatuor. At verò amborum medium, quo subinde vsus est Galenus, tale esto: Misyos, chalcitidis, æruginis, cuiusque vsti pars vna, æris squamæ partes tres, his aceto acerrimo nullatenus vini qualitatem referente, & quam vetustissimo, substantiaque tenuissimo in Sole æstiuo exactissimè contritis, ac leuigatis, ceræ in valentissimo duplum; in altero duæ partes, & semis miscentur: In medio, quod intra hæc consistit, partes duę, & quarta: sicuti in primo triũ, quod valentissimum esse diximus, omnes partes numero sex ex misy, chalcitide, & squama collectæ nascuntur, quibus duodecim ceræ partes adijciuntur. At in medicamine inualidissimo, si metallicorum sex partes sint, ceræ octodecim appones; in mediocri quatuordecim. Itaque prædictis pharmacis omnibus iuxta cerę proportionem oleum immittatur, superetque in singulis ipsis dimidio, vt si cera vncias octo compleat, oleum duodecim pondeat. Esto autem id Sabino simile partium tenuiorum, minimeque adstringens, potissimumque vetus. Cęterum omnibus medicamentis commemoratis, vbi metallica ex aceto pluribus diebus in mortario trita fuerint, thus candidissimum & pingue admisceatur: deinde rursus vnà cum metallicis diebus aliquot leuigetur, priusquam ceratum ei immisceas. Quanto verò ex omnibus metallicis copia colligitur, huius partem dimidiam thus contineat. Quod si mollius pharmacum facere vis amplius quàm dimidiam: sicuti vbi acrius expetis, minus dimidio adiungas. Et verò etiam ceræ liquatæ cum oleo resinam quandam ex dictis misceas licet, sciens acrius ipsum adiecta strobilina fieri, mollius terebinthina, medium vtriusque abietina. Miscebis igitur cerę sextam superiorum resinarum partem, volens pharmacum emplastri figuram induere. Nam vni ceræ pondo resinæ vncias duas adijcias: sin autem liquida insigniter fuerit, vna miscere sat est. Si emplastri figuram nihil curas, resinam addere non admodum opus est. Præterea chalbani æquale thuri pondus indes, vbi mitissimum reddere medicamentum statuis: dum valentius, dimidium; quando ipsorum medium,

Galen. 3. de cõp. per gen. cap. 3.

dium, id quod inter æquale, & dimidium est: Verbi gratia, si quatuor thuris denarij fuerint, duos chalbani impones, validum permanere postulans: mite, quatuor medium tres. Vt enim molle, & dolorem lenans quippiam habet, ita quoque putrificum; quod sanè & plurimis mollientibus accidit. Quare cum neruo denudato pharmacum adhibes, non adeo chalbanum esse commistum oportet. Quod si nudus ille non est; haud mediocriter ipsius admistio dolori auferendo conuenit: ideoque tale etiam medicamen acuto sensu præditis, teneris, & cacochymis paratum habere expedit, in quo plus chalbani adiectum sit. Omnia enim metallica exasperant, doloremq; concitant, & ex liquidis acetum: vnde quæ ex his fiunt pharmaca, aspera videntur, & dolorifica: ob quam rem & fotus ex oleo, & chalbani mistura ipsis idonea est: nihilo autem minus adeps tenuium partium chalbano dolorem sedat. quare aliud ex his paratum medicamen habendum; quod composito ex metallis misceri possit, tum in dictis corporibus, tum in his, quæ asperum, & dolorificum quandoque medicamen perceperunt. Deligendus autem adeps tenuium partium, vti sunt agrestium animantium, maximè leonis, pardi, hyenæ, & vrsi; ad hæc volatilium, maximè anserum, & agrestium gallinarum. Eorum enim quæ in vrbibus aluntur, & otiosorum humidior est adeps, & crassior. Sed vt pharmaci consistentia cerati spissitudinem habeat, ceræ tertia, vel quarta pars admisceatur, vel si adeps nimium humidus videatur, licet & ceræ dimidium adijcere: quemadmodum & vbi sicca fuerit consistentia, quartam; cum mediocriter habet, tertiam. Porrò tale ceratum, quod vtile nobis futurum est, diasteaton, id est, ex seuis nominetur. In horum pariter medicaminum genere sunt etiam medullæ:

Cap.5.] longè enim præstat ceruina, & vitulina. Itaque & tale aliquod pharmacum habere te consulo, vt cum a forti aliquo medicamento supra modum morsam partem vulneratam indignatam offenderis, oleo prius fotam huiusmodi quopiam conregas. Sic enim placata ea rursus ad acrem curandi modum redire poteris. Galenus enim dum partem in neruo vulneratam quandoque soluisset, vulnus irritatum contemplatus, pharmacum liquidum forte fortuna præsens, quod ex adipe constat, Ad aures inscriptum, in vase duplici calfactum affectæ particulæ illeuit, ac subito inde auxilium ipso ægrotantis sensu accessisse percepit: quippe statim omnis dolor quieuit, & deinde soluta ab ipso secundum naturam habere visa est. Si verò *Ad vulnus nerui per transuersum.*

Gal.6.meth. 3. de transuerso nerui vulnere iam agamus, quoniam in hoc maior conuulsionis metus impendet, phlegmone scilicet à desectis fibris ad non sectas communicata, cęterum conuulsione ab ipsis non sectis excitata, quæ ad vulneris curationem quidem attinent, iam dictis sunt prorsus eadem; sed detrahere largius sanguinem, & omnia reuulsionū genera curiosius, & accuratius adhibere, ac tenui magis, quàm in vulneribus per eorum rectitudinem, vti victu, tum in quiete omnino, ac lectulo molli, hominem continere oportet: tum oleo calenti vbertim in axillis, collo, tendonibus, ligamentis, & capite vti. Quod si vulneratus neruus ex ijs sit, qui in crure habentur, sicuti cum in manu erat, alæ, ita in his bubones largo oleo imbuendi, tum per totam spinam ad collum, & caput ascendendum. In quacunque verò neruorum incisione illud communiter obseruandum, vt in loco vulneris magis decliui mollis turunda suauiter, ac blandè imponatur, vt per emissarium veluti quoddam sanies assiduo effluat, ne retenta neruorum corruptelam, inflammationem, & conuulsionem pariat. Vt autem dolor, quantum fieri poterit, mitigetur, turunda, vnguento potissimum digestiuo vocato, & ex terebinthina, oui luteo, & paucissimo croco confecto, illinatur, donec phlegmonis, & conuulsionis metus omnino pertranseat: Et insuper quousque metus hic perdurat, ad arcendum dolorem lana mollis succida, vel oleo calente imbuta super alia medicamenta blande alligetur, & calida seruetur. Demum medicamentum in quacunque neruorum incisione præstantissimum est illud, quod vulgò vnguentum de vermibus vocatur: cuius descriptionem Guido in tertio tractatu in proprio de neruorum incisione sermone scriptam reliquit. Contusi autem nerui vbi cum his vna *Ad neruorum contusionem.*

Gal.6.meth. 3. cutis quoque contusa exulcerataque est, medicamenta postulant, quæ in siccando quidem commune nerui vulnera sanantium consilium seruent; cęterum quæ partes, quæ per contusionem à se dissideant, contrahere, constringereque sint apta: Et ob id in principio probatur oleum rosarum cum albumine ouorum; & post sedato dolore, vinum crassum stipticum. Qui verò absque cutis simili affectu sunt contusi, hos oleo calente, cui euocandi facultas insit, quale præsertim anethinum, rutaceum, aut irinum, vel amaracinum est, sæpissimè perfundere oportet, ac to-

tius

tius corporis similem curam habere. Semel hoc incidere vidit Galenus, sanauitq; id maturè ipsa ex oleo perfusione. Verum vnà cum cute neruos contusos sæpenumero vidit, & propter eius symptomatis frequentiam athletæ ipso vsu edocti habebant cataplasma, quod ex oxymelite, & fabacea farina conficitur: quod planè salutare medicamentum est. Laudantur pariter vini folia oleo incocta, & applicita: necnon cinis sarmentorum vitis oleo, & gallinæ pinguedini, & aceto permistus. At si dolor vnà cum contusione vexat, etiam picem liquidam cum oxymelite, & fabacea farina immiscere, ac bene coquere, tum calens medicamen imponere oportet. Vbi verò magis siccans efficere voles, erui farinam inijcies. Quod si vt amplius quoque siccet, desiderabis, irim Illyricam immittes. ita dum vnà cum contusione, & exulceratione dolor vrget, locus oleo chamemelino, irino, anethino, rutaceo, & in aere frigidiore etiam de castoreo perfundendus. Si verò dolor absque exulceratione molestus sit, tum iridis, tum acori decoctum probatur, necnon narcisci cœpa cum melle trita, & in modum cataplasmatis affecto loco applicita. Totius autem corporis cura his quoque communis est. At si totus præcisus neruus sit, metus præterea nullus instat; debilis tamen particula manebit.

Curatio verò eius communis est cum ea, quæ aliorum carnosarum partium vulnerum existit. Quæ autem neruorum vulneribus sæpe subsequuntur symptomata, ea sunt dolor, conuulsio, & paralysis. De dolore autem submouendo in hoc capite multa diximus, & rursus in conuulsione curanda, nunc alia quoque, quæ omnium efficacissima sunt, erunt repetenda: Vbi prius supposuerimus hanc ex difficili partium motu, ex colli tensione, labiorum contractione (ac si patiens rideret) maxillarum, ac dentium, gutturisque strictura, & oculorum, totiusque faciei peruersione, ac intenso admodum dolore cognosci, & ex Hippocr. admodum periculosam esse atque lethalem, vbi vulneribus succedit. Vt enim ait Galen. admodum crebrò mortem affert. Ex vulneribus enim, ait, fiunt conuulsiones ratione sequentis ipsa inflammationis, vbi partes neruosas attigerit. Nam primò videntur conuelli, quæ è directo sunt partium inflammatione laborantium: deinde, postquam & principium attigerit, passio ad totum extenditur corpus. Vbi autem conuulsionis noxa membris respirationi dicatis communicatur, desperata salus est, & mors est in ianuis. Quomodo igitur conuulsio, quæ non solum imminens; verum etiam iam præsens est, auferri debeat, docuit Galenus, dum his verbis cuiusdam vulnerati historiam nobis scriptam reliquit. Memini, inquit ille, cuiusdam ex huiusmodi vulneratis (de nerui enim punctura loquitur) qui cum diem quartum citra omnem dolorem ageret, partemque affectam absque phlegmone videret, multo in frigore domo egressus ad opus quoddam necessarium, eique diu immoratus domum rediit, membro vniuerso ad ceruicem vsque renso, idque cum ingenti ipsius dolore. Postquam verò profectus ad eum, vidi quibus in malis esset, oleum ex itinere refrigeratum à particula auferri iussi; calente verò totum membrum foui: Deinde ceruicis partem aduersam lanis oleo respersis, & medicamẽto liquido ex euphorbio simul cum castoreo hominem statim mitigaui, & somno accedente vsque ad vesperam omnia cessarunt symptomata. Præ omnibus igitur danda opera est, vt lana permaneat calida, siue oleo tantum, siue oxelæo quoque imbuta fuerit. fiet hoc, si aliæ lanæ siccæ extrinsecus circumponantur, & æger intra rectum, cum hyems fuerit, ad quintum vsque vel septimum morbi diem sese contineat. Nam si eò vsque nec phlegmone aliqua tentetur, vacetque prorsus dolore, & nullam sentiat tensionem, in posterum tutus erit. Curabis autem ne in aceto vinosum aliquid appareat, quemadmodum oleum quoque, vt omni astrictione vacet. Optimum autem est tenue, quale in Italia Sabinum est. Huius itaque ægrotantis exemplo, suppositis tum valde tenui dieta, tum omnibus reuulsionum, ac diuersionum generibus, quæ per sectam venam, largioremq; sanguinis euacuationem, cucurbitulas, frictiones, ligaturas, purgationem, ac eiusmodi alia in vniuersalibus sermonibus & superiori capite proposita administrantur, hominem in quiete omnino ac lectulo molli continere oportet: ac oleo calenti, ac potissimum liliorum alborum, vbertim in axillis, collo, præsertimq; tendonibus, ligamentis, & capite, & locis circa aures, & mentum, quia hæ partes maximè tenduntur, vtendum est. Quod si vulneratus neruus, vel tendo ex ijs sit, qui in crure habentur, sicuti cum in manu erat alæ, ita in his bubones largo oleo imbuendi, tum per totam spinam ad collum, & caput ascendendum. Et si hyems sit, membrum affectum, & ceruix, & nucha, quæ principium est spinalis medullæ, præsertim vnà cum alijs partibus iam

Ad symptomata, quæ vulneribus neruorum accidere solent.

Hippocr. 5. aphoris. 2.

Gal. in com.

Ad conuulsionem.

Galen. 3. de comp. medic. per gen. c. 2.

iam dictis, medicamine liquido ex euphorbio, & castoreo foueri debent. Quinimò optimum erit, si patiens vniuersum membrum conuulsum ac dolens in vase oleo calido repleto tanquam in balneo detineat: quod quidem pręstantius euadet, si in eo terrestres lumbrici, & castoriū incoquātur. Neque minus probatur oleum ex hyperico: nam ea, quæ dolorem, & tensionem leniunt, sunt admouenda: dolore enim mitigato, placatur conuulsio: Si is perduret, metus est phlegmones, qua facta, & perseuerante, æger decedit: quia materiæ interclusio intercipitur: vnde gangræna: indeque illicò cerebrum in consensum ducitur: vnde conuulsio, & deliria. Vulneri verò ea sunt adhibenda, quæ tergent, & siccant sine morsu, præsertim si neruus sit nudus. Aretæus coquit althæam ex mulsa, & castorium vlceri inspergit. Sed primum oleum therebinthinæ cum aqua vitæ vulneri vtiliter immittitur: & si nudus sit neruus, vitellum oui, & ipsa therebinthina addenda sunt. Balsamum quoque morsus expers idem potest. Si profundior sit neruus, ab infuso balsamo, pars tegatur emplastro diachalciteos, quia virus exhaurit, & humorum influxum prohibet. Si punctura fuerit angustior, vulnus aperiendum, dum virus exhauriatur, & infundendum oleum hyperici cum aqua vitæ in principio læsionis: mox fiat emplastrum ex lumbricis terræ cum oleo rosato. Sed vulnus ipsum perpetuo apertum, & hians seruandum, & sanies ex alto tum superius propositis foras trahenda, & euocanda erit, & dum nil aliud prodest, neruus, vel tendo, aut musculus, ex quo conuulsio, quæ cerebro impartitur, exorta est, ex toto per transuersum, aut parte vulnere altiore, præcidere oportet, vt aliàs diximus. Galenus enim vulneratos in priore, ac inferna femoris parte hoc inuento præsidio curabat: In ijs enim qui per transuersum percussi erant, reliquum tendinis ipse amputabat, vt sibi tuta esset curatio: Qui verò paruum, vel per directum vulnus acceperant, cum securitate simul, ac metu totam sanandi deductionem exercebat. Melius enim est inferioris partis actionem, & robur, quàm totum hominem perire. Nonnulli, dum sæuus adest à punctura dolor, oleo therebinthinæ, & rosaro lumbricos incoquunt: aut conficiunt cataplasma ex folijs sambuci, maluę, oxylapathi, furfuribus cum decocto papaueris: aut aliquid opij inungunt. Et dum hęc non prosunt, secant neruum antequam inflammetur, & crocinum oleum Mesues infundunt, aut consimile citra morsum siccans. Vbi verò putredine fœdati sunt nerui, cauterium remedio est. De paralysi verò verba facturi, illud ante omnia monere lectorem volumus nos in hoc loco non de quacunque paralysi loqui velle; sed de ea tantummodo, quæ neruorum vulnus insequitur. Quare reliquis omnibus omissis, quæ propter neruorum angustiam ab alijs causis dependentem, proueniunt; Si de illa, quæ vel attritionem, vel contusionem, vel incisionem neruorum comitatur, verba fiant, hæc siue ad sensum, siue ad motum partis ablatum, aut imminutum attineat, vt dignoscatur, signis non eget. Cæterum si à neruo ex toto inciso per transuersum prodeat, nullam prorsus curationem admittit: Quæ autem ab eius contusione proficiscitur, licet sui natura affectus sit pertinax, ac rebellis, nihilominus, si ab ictu vel casu non vehementer neruos atterente, contundenteve producatur, curationem nonnunquam recipit, præsertim si prius occurramus, quam materia ad contusum locum influxa scirrhosa euadat, ac veluti lapidescat. Pausanias enim à Galeno ab hoc affectu fuit curatus. Cum enim e curru excidisset, & in dorsi initio contusionem accepisset, & secundum duos minores sinistræ manus digitos, & medij partem dimidiam sensum in primis torpidum habuisset, deinde malè à Medicis pertractatus sensum omnino amisisset, hunc Galenus breui tempore sanauit, remedia, quæ ab imperitis Medicis digitis fuerunt adhibita, initio spinæ, tanquam loco primariò, ac principaliter affecto, admouendo. Quæ autem ab insigni, & effatu digna neruorum contusione oritur paralysis, omnino insanabilis existit. Dum autem volumus de rei euentu aliquid certius præsagire, resolutum membrum contemplandum. Si enim non imminuatur, nec contabescat, & ipsius calor non immutetur, spes aliqua curationis subest. Si verò marcescat, & gracilescat insigniter, eiusq; calor natiuus pereat, & à seipso plurimum euariet, malum incurabile esse portendit. Supposita itaque totius corporis euacuatione tum per sanguinis missionem, tum peccantium humorū expurgationem, quæ ita administrari debent, vt vna ab affecta parte quarumlibet influentium humorum reuulsio fiat: necnon tecta victus ratione instituta, de qua in primo lib. abundè egimus, Chirurgus in solis topicis auxilijs, quæ sola, atque potissimum ad ipsum spectant, occupari debet. Quamuis autem multa in promptu sint, siue

Galen. 3. de comp. per gener. c. 2.

Ad paralysin.

Galen. 3. de loc. aff. in fine.

Curatio.

siue emplastra,& cataplasmata,aut vnguenta, fomenta,ac illitus, siue cucurbitulæ, & id genus alia, quæ ex alto attrahere, emollire, digerere, & sub halitus specie discutere, & sensibiliter euacuare possunt: Guido nihilominus vno tantum liquore, *Guid.trac.3.* tanquam reliquorum omnium præsidiorum efficacissimo contentus fuit. Quem *sermone proprio.* quidē ab ipso Mesue in medica materia tradenda omniū tum Arabum, tum Græcorum accuratissimo,atq; doctissimo desumpsit,ab eo in sermone de cordis passio nib. propositum. Licet autem hoc vnguento pars affecta,& contusa potissimum ac principaliter fouenda,ac illinenda sit:ipse nihilominus Mesues ceruicem quoque, ac vnà totam spinam dorsi irrorare, ac largiter inungere consueuerat. Spinalem enim medullam,ac spirituum per ipsam transeuntium substantiam, neruosque ipsos, & ossa adeo roborat, vt in paralysi, & omnibus neruorum malis, cordis tremore, & palpitatione, necnon etiam manifesta lassitudine mirum in modum opitulari possit. quinimò, vt ipse ait, vbi cor eget celeri refocillatione, nullum præstantius præsidium ipso excogitari potest. Vnde cum ipso Mesue valde mirari subest, Priscos illos adeo celebres Medicos nullam in suis scripris eiusmodi inunctionis spinæ, quæ in homine veluti carina nauis est, & sub qua spinalis medulla, necnon vena caua, & arteria magna immediate ferè pertranseunt, mentionem fecisse. Tria autem hæc,nempe spinalis medulla,vena caua,& arteria magna, vt norunt omnes, sunt prima, atque præcipua germina trium principiorum, a quibus vniuersi humani corporis dispensatio, ac gubernatio proficiscitur. Adde quod in vertebris quædam parua foramina inueniuntur, per quæ intrò venæ, & arteriæ; foras verò nerui deferantur, qui sensum,ac motum vniuerso corpori deferunt: & demum spina ipsa veluti lectus quidam spiritalibus partibus substernitur. Liquoris autem tam eximij, adque tam multa perutilis compositio talis est. Recipe myrrhæ electæ, aloes hepaticæ, spicæ nardi, sanguinis draconis, thuris, mumiæ, oppoponacis, bdellij, carpobalsami, ammoniaci, sarcocollæ, croci, masticheS, gummi Arabici, Styracis liquidæ, Styracis rubeæ, ladani electi, succi castorij ana drach. duas & semis,musci drach.semis,therebinthinę ad pondus omnium.omnia hæc puluerizata cum therebinthina permisceantur, & in destillatorio, seu alembico ponantur,& lento igne, ac secundum artem destillentur: liquorque destillatus vase vitreo forti excipiatur. proxime enim accedit ad verum balsami succum. his autem Guido nonnunquam trissaginem, stœchadem, saluiam,& alias herbas, quæ paralysi dicantur,addebat,vt f.efficacius euaderet.Similiter vbi post neruorum cōtusionem in loco contuso aliqua remanet durities,quæ stuporis, & paralysis causa est,omnia, quæ emolliendi, ac digerendi vim habent, post totius corporis euacuationem affectæ parti,& duririei applicata valde probantur,qualia sunt taxi,timalli, necnon mutis montani pinguedo illita, medulla ceruina, & vitulina, oleum de semin.lini,de lumbricis, præsertim chamœmelinum, oleum ex ouorum vitellis,cochlearum terrestrium caro cum farinæ polline imposita, dracunculi radix cū melle,& fimo caprino illita,chalbanum,bdellium, & euphorbium cum fece olei adhibitum: radix liliorum alborum trita cum sapa,necnon ipsorū oleum: sicuti etiam: oleum de Narcisso, & oleum, in quo sphondilij folia fuerint incocta: & alia multa,de quibus in scirrhosis tumoribus curandis diffusius loquemur.Non desunt,qui in neruis contusis quædam per os assumpta proponant: veluti sunt gentianæ radix ad drach.j. per plures dies epota,necnon scordij, aut acori, aut chamædryos decoctum bibitum. Ligamenta verò quamuis simillimam habeant tendonib. speciem, *Gal.6.meth.4.* valentissimorum nihilo secius remediorum vim tolerant: quia nec ad cerebrum pertingunt,& sensus sunt experria. Ligamenta namque cum ex osse ortū habeant, quæcunq; rotunda sunt, ea neruis assimilia sunt, duritie tamen plurimū dissident. Verum in eo,quod alba sunt,& exanguia,& cauitate carentia, & in fibras diuiduntur,similitudo illis cum neruis,& tendonibus constat. Ergo vbi reretia ligamenta, tendonesq; visuntur,qui dissectionum sunt ignari,neruos eos imaginantur,porissimum qui multò duriora ea neruis esse non intelligunt. Ligamentū itaq; vulneratū si id est,quod ab osse ad os permeat,& maxime sine periculo est,& quod omnino siccans quibuslibet medicamentis,nihil hominem lædes:Sin id,quod in musculum se inserit,quanto est neruo, & tendone minus periculo opportunū, tanto vtique,nisi ritè curetur,reliquis ligamentis magis terrere debet.Insuper in eorū ligamentorum vulnere, quæ ossa inuicem connectunt, luxatio, & articuli motus læsio pertimescenda. In ijs autem ligamentis vulneratis, quæ in musculum se inserunt, & vnà cum neruis tendones generant, doloris alicuius motus subest; non tamen

Ad ligamētorum vulnera.

adeo intensi, & cui adeo seua subsequantur symptomata, quemadmodum in tendonibus, ac neruis vulneratis contingit. Ligamenta itaque quia & sensum obtusum habent, & non à cerebro, sed ab ossib. oriuntur, & neruis, tendonibusq; duriora, ac sicciora sunt, valentissimè siccantia perferunt, ac postulant. Qualia potissimũ sunt Andronis, aut Pasionis, vel Polyidæ pastilli cum oleo veteri liquati, & appliciti. Theriaca pariter quia valentius exsiccat si nedum iam fermentata, verum etiã inueterata aliquantulum sit, ita vt ad decimum annum, vel circiter peruenerit, in his vulneribus fœlicissimo cum successu vsurpari solet. Si verò ligamentorum vulneri inflammatio superueniat, cataplasmata ex oleo, & triticea farina, necnon perfusiones ex aqua calida, & in vniuersum humectantia omnia propter licciorem eorum temperiem, omnino fugienda, & olei myrthini inunctione cum linteo madefacto in vino nigro austero calente superposito, occurrendum est. Dum autem contusa sunt citra phlegmonem, siccantibus similiter, & astringentibus; sed citra
Auic.4.4. tr.4.c.5. frigiditatem, quæ partibus exanguibus obest, erit vtendum: qualia sunt, vt ait Auic. olea, in quibus est virtus aromaticorum stipticorum actu calida, aut oleum de spica, vel nardinum, vel masticinum; necnon emplastrum barbarum magnum, quod à Gal. in fine tertij libri de componendis medicamentis per genera componitur.

De Vulneribus abdominis, ac membrorum, quæ in ipso continentur.

Cap. XVI.

Gal.6.meth. 4. GALENVS post neruorum, tendinum, ac ligamentorum vulnerum explicationem, statim abdominis vulnerum tractationem subintulit, idq; propter causam in sermonib. vniuersalibus à nobis assignatam. Vt autem horum vulnerum curationem methodicè, à reiq; ipsius natura nobis aperiret, omnium, quæ in abdomine continentur, partium naturam, colligantiam, ac situm declarare hunc in modum exorditur. Cutis, inquit, extrinsecus omnibus ante stat. hæc verò in membranam finitur. A cute medio circiter loco, neruea tenuitas musculorum (quam aponeurosin Græci vocant) gemina tenditur, membranarum ritu, quæ adeo cohærent, ac tenues sunt, vt labor sit eas separasse. Post has deinceps habentur duo musculi recti, & carnosi, qui à pectore ad ipsa pubis ossa proueniunt. Atq; hęc quidem memorata omnia & sibi cohærent, coalescuntq;, &, quod conflatũ ex ipsis est, Gręci, qui, quemadmodum diuisum ventrem sui conueniat, prodiderunt, epigastrion, id est abdomen nominarunt. Quod verò hoc deinceps excipit, ab illis vocatur peritonęon, putantibus s. vnum & simplex id esse corpus, sed falsò, cum sit ex duobus corporib. conflatum, seu compositum, quorum vtrumq; & exangue, & neruosum sit. Verum alterum eorũ neruosa tenuitas eorum musculorũ est, qui per transuersum se agunt: alterũ membrana prætenuis, velut araneæ tela, quæ vtiq; verè est peritonęum. Ac tale quidẽ in medio sui est abdomen. Partes verò eius quæ vtrinq; ad latus ad quatuor quasi digitos recedunt, hæ statim à cute obliquos musculos habent: priores quidẽ, qui a pectore demittuntur: secundos, qui ab ilibus ascendunt: deinde post hos transuersum musculum, sub quo est peritonęon. Sub hoc autem adest omentum. Huic autem supra vmbilicũ subiacet ventriculus; infra ipsum verò eidem omento intestina primũ crassa, deinde tenuia substernuntur. Sub intestinis in infima abdominis capacitate vesica vrinaria, & in mulierib. vterus magis adhuc prope os sacrũ cõtinetur. Sub ventriculo, & intestinis versus spinã ipsam per ipsius longitudinẽ exporrecta tum vena caua, & arteria magna, tum seminalia, & vretera vasa consistunt. Ad dexteram porrò ventriculi regionem iecur, & vesica fellea ei connexa; ad sinistram verò lien eidem ventriculo incumbunt. Ex his autem facilè Differẽtiæ. colligimus abdominis vulnera inuicem differre quatenus vel ipsius cauitatem nõ permeant, quia scilicet peritonęum illæsum sit; vel eius capacitatem inuadũt, dum scilicet diuisum est peritonœum. hoc enim soluto atque vulnerato propter ipsius tenuitatem, impossibile est vulnus cauitatem abdominis non permeare. Rursus penetrante vulnere, vel est sine exitu alicuius interni visceris, vel cum eiusdem exitu: quod quidem duplex esse potest: vel enim omentum, vel intestinum aliquod exire solet. Insuper vulnus penetrans vel fit sine alicuius interni visceris læsione, vel cum læsione, & soluta vnitate, vel vnius, vel etiam plurium membro-

rum

rum organicorum, quę in abdominis cauo subsistunt. Tuncq; nonnunquam vulneratur ventriculus, aliquando iecur, aut intestinum aliquod, aut aliud viscus ex his, quæ fuere proposita. Ex candelæ autem, vel styli immissione facilè vulnus penetrans à non penetrante distinguitur. Dum enim horum multa ingreditur portio, vulnus penetrans significatur, dummodo vulnus obliquũ non sit, quod sæpius contingit, quia dum homo vulneratur, in vulnerandi actu sæpius contorqueri solet, & tunc candela, vel stylus inter cutim, & musculos, vel inter musculos, & peritonęum ingreditur. Vnde tunc temporis, vt huius rei certior habeatur cognitio, expedit, vel vinum, vel huiusmodi alium liquidum liquorem per orificiũ vulneris immittere, quia, dum vulnus penetrat, facile capacitatem abdominis permeat; sin minus retro cedit, & per vulneris orificium egreditur. Similiter nonnũquam vulnus penetrans est, quamuis parua candelæ, aut styli portio ingrediatur. hoc autem contingit vel quia ab aliquo subiacente corpore foramen occluditur, vel quia propter causam assignatam vulnus in abdominis cauum obliquè penetrauit. quare & vini immissionem, de qua diximus, & ad collationem instrumenti vulnerantis, si haberi potest, cum vulneris foramine, ac latitudine confugiendum. Membri verò exeuntis diuersitas facilè cognoscitur, ex quo pariter indubitatam penetrantis vulneris indicium vnà elicimus. Quemadmodum verò ex carentia signorum, quæ læsa interna viscera nobis indicant, vulnus absque ipsorum noxa penetrare cognoscimus: ita ex proprijs læsorum membrorum signis, hoc vel illud diuisum, seu vulneratum esse conijcimus. Iecoris enim vulnerati notæ sunt, inquit Celsus de horum membrorum vulneratorum signis loquens, multus sub dextra parte profusus sanguis: ad spinam reducta præcordia: in ventrem cubandi dulcedo: punctiones doloresq; vsque ad iugulum: scapularum os intentum, id est, sublatum: Coguntur enim elatis scoptulis opertis spirare, abdominis musculis, & diaphragmate per consensum affectis: Nonnunquam biliosus vomitus his accedit: vulnus est in parte dextra prope nothas costas, vbi iecur situatum est. Renibus autem percussis, & vulneratis, dolor ad inguina, testiculosq; descendit: difficulter vrina redditur, eaq; aut est cruenta, aut cruor fertur, & vulnus est in parte posteriori sub diaphragmatis regione, & prope lumborum vertebras. At liene icto, sanguis niger à sinistra parte prorumpit: præcordia cum ventriculo ab eadem parte indurescunt: sitis vrgens oritur: dolor ad iugulum sicut iecinore vulnerato venit: & vulnus in sinistro hypochondrio sub nothis costis inflictum est. Vbi autem ventriculus percussus est, singultus, nausea, & bilis vomitus insequitur, præsertim dum vulnus lethale est: Si quid cibi, vel potionis assumptum est, id redditur cito: arteriarum motus elanguescunt: sudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes frigescunt. Communes autem ieiuni intestini, & ventriculi vulnerati notę sunt: Nam chylus, & assumpta per vulnus egrediuntur: precordia indurescunt: nonnunquam bilis per os redditur: intestinorũ tantum feces inferior est: & vomitus biliosissimus, ac copiosissimus subsequi solet: necnon intolerabilis testiculorum dolor: naturalisq; facultatis labefactio, cui consentit vitalis, & pulsifica, animali virtute parum patiente, ita, vt ægri prope mortem sint, & nihilominus loquantur, ac moueantur, ac si nullatenus affecti essent. Crassa autem intestina icta aut stercus, aut odorẽ eius exhibent. Quibuscũq; verò lęsis intestinis, nonnunquam intestinum, aut zirbus egreditur: & sequitur aliquando ventris solutio, propter labefactatã intestinorum retentricem, & feces nonnunquam sanguine respersæ excernuntur. Cum autem vulua percussa est, dolor in inguinibus, & coxis, & fęminibus est: sanguinis pars per vulnus, pars per naturale descendit: vomitus bilis insequitur: quædam obmutescunt; quædam mente labuntur: quædam sui compotes, neruorum, oculorumque dolore vrgeri se confitentur, morienteśq; tandem eadem, quę corde vulnerato patiuntur. Vesica verò vulnerata, dolent inguina: quod super pubem est intenditur: pro vrina sanguis, aut ex ipso vulnere vrina descendit: stomachus, & ventriculi os afficitur: & ob id bilem vomunt, aut singultiunt: frigus, & ex eo mors subsequitur. Quemadmodum autem diximus de iecore, liene, & renibus: ita & reliquorum membrorum situm semper considerare oportet. Iam verò si de præsagijs sermo fiat, scribebat Gal. quod cum abdomen in medio sui neruosum sit, partes verò eius, quæ vtrinque ad latus ad quatuor quasi digitos recedunt, musculosæ, ac proinde carnosæ, minus periculi in hoc loco vulnus affert, quàm in medio, cum tenuem eiusdem membranam, qualem aponeurosin vocant, nullam habeat, & sutura in medio difficulter administratur: quippe cũ & procidant hac parte maxime intestina, & ęgrè inibi contineri queant.

Margin notes (left): Signa. — Iecoris signa. — Signa renum. — Signa lienis. — Signa ventriculi, & ieiuni intestini, & aliorũ crassorum. — Signa vteri. — Signa vesicæ. — Prognostica.

Margin notes (right): Cels. lib. 5. cap. 26. — Gal. 6. meth. 4.

Qui enim constrinxerant, contraxerantq; ea, recti illi, carnosiq; musculi erant, qui
ex pectore ad pubis ossa demittuntur, ac recti, longitudinalesq; à nonnullis vocan-
tur. Et quoties horũ aliquis est vulneratus, duplici de causa procidere intestinum
est necesse, à partibus quidem, quę sunt ad latus, propterea quod musculis, qui istic
sunt, constringitur: à medijs verò, quod nec musculum eum, qui contineret, habeat
etiamnum validum, & quod locus opportunè ad procidentiam sit comparatus.
Quod si maius etiam vulnus fuerit, tum plura necesse est intestina excidere, tum
difficilius denuo immitti. Porrò alia ratione parua vulnera tractatu sunt difficilia:
Nam, nisi, quod procidit, illicò in locum suum reponas, inflatur, surgitq; in tumo-
rem: quo euenit, vt per angustum foramen immitti nequeat. Minus igitur graue in
eiusmodi vulnerationibus mediocre foramen est. Atque hæc quidẽ præscisse opor-
tet. Ex quibus Galeni dictis elicimus, quod dum exeunt intestina, nisi citò intromit
tantur, facilè inflantur, & flatibus replentur, ac distenduntur, propter aeris frigidita
tem, & proinde difficile postea intromittuntur. Omentum pariter nisi quam citissi-
mè intropellatur, vt inquit Hippoc. celerrimè alteratur, & corrumpitur, quod sit, vt
Hipp.6.aph. 18. necessarium sit, ipsum totum, quod alteratum, ac liuidum est, præcidere. Quemad- **An iecoris vulnus sanari possit.**
modum verò abdominis vulnus non penetrans, nisi valde magnum, & latum, vel
longum admodum fit, periculo vacat; penetrans verò alioquin sine internorum vi
scerum noxa aliquod affert periculum: ita dum penetrat cum partium internarum
offensa, vt plurimum lethale est: magis tamen, vel minus pro læsi visceris substan-
tia, actione, vsu, atq; situ, colligantiaq; diuersa, quemadmodum in sermone vniuer
sali diximus. Vberioris doctrinæ causa, si iecur ictum sit, propter subsequentem san
guinis profusionem, priusquam vulnus consolidetur, homo perire solet: hocq; po-
Gal.aph.cita to com.18. tissimum fit, inquit Gal. cum ipsius venæ notatu dignæ incisæ sunt: quæ quidẽ præ-
sertim in eius concaua consistunt parte. Quocirca, si vulnus ad hanc partem non
penetret, licet vt plurimum lethale sit; potest tamẽ sanari, quia tantus non sequitur
sanguinis fluxus: præsertimq; si vulnus paruum sit, ac superficiale. Ob hoc igitur ip-
sum (sanguinis s. fluxum superuenientem) ait Gal. qui vulnera in sima ipsius parte
consistentia aiunt sanari, & fibras hepatis abstulisse, & patientes fuisse sanatos, verũ
non videntur dicere, præsertim cum iecur naturalis animæ facultatis præcipuum
organũ sit: & inter membra principalia à Platone, & Gal. ipso connumeretur. nam
propter altricis facultatis languorem, cor labefactatur, & vitalis facultas, & homo
perit: quod tamen longiori tempore, quàm si cor læsum, & percussum sit, subsequi-
tur. Non tamen desunt quidam, in quorum numero fuit Falloppius, qui asserunt he
patis substantiam facillimè regenerari, nec tolli sanguificationem ablata eius sub-
stantia dimidia: quia in eo facultas nutrix maximè veges est; & materia ex qua fit
nutritio, sanguis nempe, facile suppetit. Vnde videmus inquiunt, homines diu viue-
re, etiam si hepar à scirrho obsessum sit. quare, aiunt, idem potest in vulnere contin
gere, quoniam vna vulnerata parte, reliquæ officio suo perfungi possunt. & ideo
circa cauam venam inflicto vulnere, necessario pereunt; sin minus, seruari possunt:
& plurima testimonia se habere affirmant, & locum Galeni malè intellectum, & à
nobis superius descriptum obijciunt. Veruntamen decipiuntur: quia propter san-
guinis nimiam effusionem superuenientem, cui propter situm visceris occurrere
non possumus, facilè pereunt. Et ob hanc causam Gal. non quidẽ approbare, sed po
tius irridere visus est sententiam Auctoris illius libri de vulnerib. exitialibus, po-
tissimum dum gloriabatur, se fibras hepatis (eius s. extremitates quasi digitos emi-
nentes) abstulisse, & ægrotantes sanasse. Iecore autem à scirrhis obsesso, non mi-
rum est, si diu viuere possint, cum nulla sub his sanguinis effusio oriatur. De Ventri- **Vulneris vẽtriculi re**
Gal.loc.cit. culi verò vulnere dubitatur, inquit idem Gal. Nam quosdã in eo vulneratos dicunt **nuiũ intestĩ**
aliquando, sed rarò fuisse sanatos. Tenuium enim intestinorũ natura, & magis ad- **norũ, & re-**
huc ventriculi ipsius (ad differentiam vesicæ vrinariæ, & partis septi, seu diaphrag- **num præsa-**
matis neruosæ) non parum participant carnosæ substantiæ: & ideo in summa parte **gium.**
vulnerata sæpius agglutinantur: tota autẽ discissa (vt intelligendus est Hipp.) vsque
s. ad eorum cauitatem rarissimè. Hoc autem subdit Gal. non tam propter eorum
substantiã mihi videtur accidere, quàm quod non possimus ęquè intrinsecus, sicut
extrinsecus, medicamẽ vulnerib. imponere. Quapropter is, qui librum de vulner.
perniciosis conscripsit, siue Hipp. fuerit, siue quiuis alius, sanare ventriculũ per po-
tiones conatur. Quo fit vt vẽtriculus vulneratus minus difficulter, quàm tenuia inte
stina, curetur: quia ad hęc refracta; ad illũ verò irrefracta medicamẽta perueniunt,
presertim si vulnus in illius fundo, non aũt in ipsius orificio sit. nam sicuti fundum
magis

magis carnosum est, & medicamina in eo moram trahunt: ita orificium magis neruosum est, & sensus acumen sanationi obstat, & remedia solum in transitu agere possunt. Dum tamen vulnus vsque ad eius penetrat cauitatem, & admodum exiguum non est, vt plurimum pereunt, tum ob dictas causas, tum etiam quia ab ipsis esculentis aggrauatur, & in eorum attractione, ac retentione, ac excrementorum, & chyli expulsione eius fibræ laborant, & mouentur: motus autem agglutinationem impedit. Quia tamen pharmaca per os exhibita ad ventriculum perueniunt, integris viribus audacter aggredienda curatio. Vnde scribebat Gal. quòd ventriculi partes infernas, quæ carnosæ sunt, curare cum fiducia tentandum. Nam fieri potest etiam, vt bene cedat, non solum, quod hæ crassiores sunt; sed etiam, quod medicamina facile hoc loco ipsius subsistant: præsertim cum aliquando veluti miracula succedant: quemadmodum vidit Falloppius, qui testatur se tum hominem, tum meretricem quandam persanasse, à quibus egrediebatur & cibus, & chylus. Fatetur tamen mulierem illam glande percussam plumbea in interiori & posteriori parte, à Deo optimo potius fuisse seruatam, cum ex meretrice castissima, ac sancta mulier postea euasisset. In ore autem ventriculi vulnus insigne citam mortem affert propter affectæ partis præstantiam, & eximium sensum, ac connexum, quem cum corde, cerebroque, & vniuerso neruoso habet genere. Vnde illicò, aut paulò post vniuersi corporis, ac virium languor, ac defectus, & syncope, & mors succedit. Cum autem tenuia intestina vulnerata sanatu difficilia sint, ieiunum insuper omnino incurabile est, vt ait Gal. tum propter magnitudinem, multitudinemq; vasorũ: tum quod tunica eius prætenuis, neruosaq; est, adde quod tum bilem synceram hoc intestinũ recipit vniuersam, tum quod omnium iecinori maximè est vicinum. Si autem Ren in propria substantia vulneretur, etiamsi latum vulnus sit, dummodo non penetret, ac tangat neruos, non est necessaria mors: Vt plurimum tamen pereunt propter inflammationem, quæ suboriri solet, & quia renum seruitus, & vsus continuo est vitæ necessarius, & substantia densa est, & compacta. Si autem penetret vsque ad eorum cauitatem, breuissimo tempore mors subsequi solet, nisi vulnus paruum admodum sit: Rarissimè tamen agglutinatur propter vrinæ assiduam percolationem. Non tamen improbandus Auic. dum scriptum reliquit renum vulnera minus difficulter sanari, quàm vulnera vesicæ, quoniam renes magis carnosi sunt. Intestina autem crassa, quia non ita densa, & dura, ac magis adhuc carnosa sunt, dum vulnerantur, non ita ægrè agglutinantur, idque non solum in puerili, verum etiam in aliis ætatibus ob causam assignatam, & quia pharmaca clysteribus iniecta ad ipsa facile perueniunt. Vnde mirum non est, si dixerit Gal. crassa quidem intestina facilia sanatu esse, sicuti difficilia, quę tenuia sunt. Dum tamen eorum vulnus consutum est, inquit Falloppius de crassis intestinis loquens, est periculosum, & ad vtrumque, tum ad mortem, tum ad vitam. Qui etiam testatur se mulierem vidisse, quæ, dum hernia laboraret, ab imperito quodam dissecta, ei intestinum quoque dissectum fuit: Et ex eo loco per plures annos feces emittens superuixit. De vesica verò scribit Gal. quòd si eius tunica vsque ad interius spacium fuerit diuisa, apud omnes confessum est, ipsam non coalescere: quia neruosa est, ac tenuis, & exanguis. Mollium enim corporum tantum est in vnum coeundi habilitas, vt tum in externis videre licet, nullo nec lapide cum lapide, nec testa cum testa vnquam coeunte. Eius autem collum videmus quotidie sanari, cum lapis extrahitur, quoniam carnosum est. Si tamen vesicæ incisio parua sit, & in ætate puerili, ac humida temperatura, nonnunquam coalescere potest: Sed, dum Gal. ait collum vesicæ sanari, dum ab eo, qui vesicæ lapidem extrahit, inciditur, per collum vesicę debemus vrinarij meatus partē illam intelligere, quę inter scrotum & anum sita est, quæ cum carnosa sit, potest facilè coalescere. intimius autem collum, neruosum omnino cum sit, si incidatur, agglutinari est impossibile. Vnum autem notat Falloppius animaduersione dignum, quod sicuti vulnera in eius parte maximè neruosa lethalia sunt: ita si sint in parte illa, in qua vesica ligatur à lateribus, quia per ligamentum illud caro concrescit, potest coalescere. De liene porrò in aphorismo non meminit Hippocrates, quia sui natura substantiam satis mollem, & spongiosam habet, quæ facilè coalescit; Veruntamen eius vulnera, ac præsertim notatu digna maximè periculosa sunt, nedum quia medicamina ægre admodum eis apponuntur; verum etiam, quia lien habet officium, quod vniuerso corpori perutile est, nempe fecis vniuersi sanguinis expurgationem, & quoniam innumeris refertum est arteriis, quarum aliqua si incidatur, ægerrimè conglutinari potest.

Gal. 6. meth. cap. 4.

Gal. loc. cit.

Crassorum intestinorũ ac vesicæ præsagia.

Gal. 6. aph. 18.

Gal. 5. meth. cap. 7. 6. aph. 18.

Aliarum abdominis partiũ præsagia.

His pariter de causis, & insuper quia sanguinis profluuium ingens suboritur, tum venæ cauæ, tum multò magis arteriæ magnæ vulnera ac diuisiones insanabiles sūt. Quinimò propter animi deliquium, & syncopem, quæ ilicò subsequuntur, propter nimium sanguinis fluxum, breui tempore, & paulò post acceptum vulnus perire solent. Vreteribus autem vasis vulneratis, non tam citò pereunt, sed quia, neruosa cum sint, coalescere vix possunt, & ab excrementis serosis, acribus, atque mordentibus assiduo irrigantur, hydrops tractu temporis subsequitur: quoniam in abdominis cauo vrina paulatim à renibus percolatur. Et licet aqua vel pharmacis, vel alijs auxilijs extrahatur, & euacuetur, rursus nihilominus colligitur, & tandem visceribus nutritioni inseruientibus ab hac labefactatis pereunt. Vteri demum vulnera, & ipsa sæua admodum, & vt plurimum lethalia sunt, quia neruosa pars est, & huic vulneratæ praua admodum, vt superius diximus, subsequuntur symptomata. Non tamen adeo lethalia sunt, vti vesicæ vulnera, quia præter id quod vterus non ita tenuis, exanguis, & neruosus est, vti vesica, assiduo à prauis, & acribus excrementis non vexatur. Iam verò de vulneribus non penetrantibus Gal. ne verbum quidem facit, quia diuersum ab illa, quam de reliquis carnosarum partium vulneribus superius tradiderat, curationem non exposcunt. Nisi quis vnà cum Guidone, & Henrico agglutinatoriam eis addat deligaturam, quæ fit cum fascia longa, & lata, incipiendo à parte vulneris opposita, & ducendo, reuoluendoque duo capita supra vulnus in modum crucis, deindeq; ducendo, reuoluendoq; toties, quoties satis sit. Capita autem vittæ, seu fasciæ in parte anteriori lōgè à vulnere fuantur. Vult autem Henricus, vt annectatur fasciola vna, quę super humeros pertranseat, & altera sub coxis. Quæ verò abdominis vulnera penetrantia quidem sunt, sed nullum ex interioribus membris egreditur, neque vulneratum, aut ictum aliquo pacto est, eodem prorsus modo curantur, vnica tantummodo eis adhibita sutura, quæ ipsis peculiaris est, & de qua statim post in penetrantibus cum egressione alicuius partis agemus. De his itaque Galenus sermonem habens, Principio quidem, inquit, id agendum est, vt intestina, quæ exciderunt, in suum locum recondantur: secundo loco, vt vlcus suatur: tertiò, vt medicamen imponas: quarto, vt ne qua præstantior pars simul afficiatur, prospicias. Age iam de primo horum agamus. Cum igitur triplex, vt dictum est, discrimen horum vulnerum in magnitudine sit, propriam à quoque indicationem sumere tentemus. Esto autem principio vulnus adeo paruum, vt inflatum iam, quod excidit intestinum, remittere amplius possibile non sit. Nunquid igitur hoc loco alterum è duobus est necessum, aut flatum educere, aut vulnus ampliare? Præstiterit autem (vt arbitror) prius, si modo id consequi liceat. At non alia potius id ratione consequare, quam si causam, vnde excitata inflatio est, submoueris. Ea igitur quæ demum est? Certè ambientis aeris refrigeratio. Itaque etiam sanatio excalefaciendo paretur. Ergo spongia molli, & ex calente aqua madente, ac mox expressa calefacere intestinum conueniet. Præparetur verò interea vinum austerum calidū: quippe id magis calfacit, quam aqua, ac robur intestino acquirit. Halyabbas autem præcipit, vt per manus & pedes suspendatur patiens in balneo, & concutiatur: Sic enim spina incuruatur, & intestina intus trahuntur, præsertim si cum axungia porcina calida prius foueantur. Rogerius autem, & Theodoricus scindunt porcellos, aut alia animalia per medium, & calida, quantum fieri potest, intestino admouent, idque toties faciendo, quoadusque flatu discusso, intestinum ingrediatur. Quod si huic etiam præsidio intestini inflatio non cesserit, incidendum peritonæi tantulum est, quantum ei, quod excidit, reponendo sit satis. Accommodata porro ad eiusmodi incisionem sunt ea, quæ Græci syringotoma vocant (chirurgorum turba Gamaut nuncupare consueuerunt) id est, quę ad fistulas incidendas sunt comparata. Scalpelli verò, quibus acies vtrinque habetur, aut quibus cuspis acuta est; omnino fugiendi sunt. Situs verò laboranti appositus fuerit, cum in inferiore parte factum vulnus est, si sursum vergat: Cum verò in superioribus, si deorsum. Vnum autem vtrobiq; cauetur, ne quod exciderit, ab alijs quicquam intestinis degrauetur. Itaque ex hac ratione conueniet, vt, si in dextris vulnus sit, corpus in contrariam partem inclinetur: sin in sinistris sit, in dextrum, sic, vt, quæ vulnerata pars est, semper altiorem locum occupet. Atque hoc tum in magnis, tum in mediocribus quoque vulneribus conducibile fuerit. Quippe id omnibus commune consilium est. Ceterum repositio intestinorum in suum locum, vbi ex magno exciderunt vulnere, planè ministrum postulat dextrum. Debet enim

Indicationes, & curatio.

Gal. 6. meth. c. 4.

enim ubi manibus suis totum vulnus extrinsecus apprehenderit, intrò reprimere, tum constringere, ac exiguum semper fuenti prænudare. Quin etiam ad ipsum quod assutum est, modicè comprimere, quoad totum persuatur. Iam verò, quæ commoda ratiò fuendi abdominis in talibus vulnetibus sit, deinceps doceamus. Quoniam coire, coalescereque cum peritonœo oportet abdomen, incipiendũ quidem à cute est, atque ab externo introrsus acus inijcienda. Vbi verò tum cutem, tum rectum musculum totum transierit, præterito, quod ei subest, peritonœo, per teliquum peritonœum eam ab interno extrorsus inijcies, atque inde per reliquum abdomen ab interno extra transmittes. Vbi hoc penitus transmisit, rursus ab externo introrsum idem abdomen est perforandum. Mox, vbi peritonœum, quod illi quoque subhœret, prætericris, atque ad contrarium veneris, hoc quoque ab interno extrorsus perpungendum, unaque cum eo totum ipsi vicinum abdomen. Deinde ab hoc rursus incipiendum, atque id eum contrario peritonœo consuendum. ac rursus uicina quoque cute transmissa, iterum ab ea parte acus introrsus est inijcienda, consuendumque abdomen id cum contrario peritonœo, etiam inibi vicina cute transmissa. Atque hæc iterum, iterumque facienda, quoad totum vulnus similiter consuerimus. Interuallum vero, quod futuris interuenit, quod ad compescenda pertinet ea, quæ subsunt, breuissimum esse postulat: quod uerò ad firmitudinem ipsius cutis, quæ in interuallis futurarum est, nec vbi rumpatur, breuitas parum tuta est. Quare vtriusque uitato excessu, eligenda mediocritas inter vtrumque est. Iam hoc quoque omnium vlcerum commune quodammodo est: sicuti ipsius etiam, quo fuuntur, fili consistentia. Nam quod iusto durius est, cutem rumpat, necesse est: quod mollius, ipsum prius rumpitur. Aequè verò, si proximè summas oras acum transegeris, quod reliquum est cutis, quoniam minimum est, dum violenter adducitur, cogitur perrumpi. Si plurimum ab ijs recesseris, multum cutis inglutinatum relinques. Hæc tametsi omnium sint vulnerum communia, maximè tamen fugienda in abdomine fuendo sunt. Ipsa verò abdominis futura aut iam dicto modo administrabitur, vtique si quis huc studium dirigat, vt peritonœum abdomini coalescere faciat (vix enim cum eo coalescit, vtpote neruosum) aut sicut nonnulli faciunt, qui, quæ cognatæ naturæ sunt, ea committunt, vtique peritonœum peritonœo, abdomini abdomen. Id fiet ad hunc modum. Oportet à vicino nobis abdomine incipere atque ab externo introrsum per id rãtum acum transmittere: post præteritis vtrisque peritonœi labris, ex aduersa parte ab externo introrsum per vtrumque eius labrum acum reuocare, deinde rursus hanc reuocare, atque ab interno extrorsum per aduersum abdomen traijcere. Hic modus à publico & exprompto, quo videlicet vno adactu per quatuor labra acũ transmittunt, hoc discriminis habet, quod totum peritonœon intra abdomen prorsus recondit. Sed tum hic, tum secundus modus postponendi, & primus eligendus, quia sub reliquis duobus modis peritonœon prorsus inglutinatum relinquitur, & post abdominis coalitum intestina nihilominus prorumpunt, & tumorem indissolubilem creant. Sub primo autem modo peritonœum cum musculis coalescere potest: quia in primo puncto acus ingrediens per vnum labium non tangit peritonœum, & post ab intrò pungendo aliud labium penetrat per ipsum, & vniuersum abdomen, & supra vulnus fit nodus: in sequenti autem puncto acus ingrediendo per vnum labium penetrat abdomen vnà cum peritonœo, & regrediendo per aliud labium peritonœum dimittit, & penetrat abdomen, & extrà fit nodus: & ita per alia puncta progreditur, quousque totum vulnus sutum sit. Deinceps verò de medicamentis præcipiamus. Sanè hæc quoque eiusdem materiæ esse debebunt, cuius sunt ea, quæ enæma dicuntur: quæque aliarum quoque partium vnire vulnera superius. ostendimus. Deligatio uero extrinsecus, uel præcipuè in his necessaria est. Quarta uerò curationis in his pars non paulo ab alijs dissidet. Si quidem quod inter bubones, & axillas est, id totum molli lana ex oleo medioctiter calido imbuta circundare oportet. Satius item fuerit & si per clysterem intestinis aliud simile infundas. Quod si quid ipsorum intestinorum sit uulneratum, quæ extrinsecus fieri debent, omnia similiter, ut diximus, sunt peragenda. Ceterum quod inijcitur, uinum nigrum, austerum & tepens erit, eoque magis, si totum perforatum usque ad internum meatum sit. Et quoniam uentriculi pars inferior, & crassa intestina, quia carnosa sunt, tum suturam, tum curationem suscipiunt: idcirco, dum hæc extra non prominent, & uulnus sufficiens est, extrahi debent; sin minus, ampliandum ea cautela, & modo superius tradito, & eo prorsus modo suenda sunt, quo pelles suuntur.

Marginalia: Ratio, & modus suendi. — Primus modus, qui cõnectit peritonœum cũ musculis, & musculos cum peritonœo, ceterisque præferendus. — Secundus modus, qui suit peritonœum cũ peritonœo, & musculos cum musculis. — Tertius modus, & quid differat à secundo. — Medicamẽta. — Si aliquod intestinorũ sit vulneratum.

suuntur. Consuto autem intestino, & eo à sordibus mundato, supra suturam ipsam ab extra imponatur puluis suturarum conseruatiuus, qualis est, qui ex mastiche, aloe, sarcocolla, sanguine draconis, myrtillis, balaustijs, & id genus alijs conficitur, & infra abdomen, ea ratione, quam superius tradidimus, reducatur. & vulnus abdominis statim suatur, vt dictum est. Si verò vulnerato peritonæo, omentum excidat, si iam liuet, aut nigricat, portio ea, quæ excidit, præcidenda. Verum post nigrum eius absciſſum, quod integrum est, vinculo complectendum, ut sanguinis profluuium caueatur. Eius enim vsus non adeo est animali magnus, & substantia ipsius ex membrana renui, arterijsq; ac venis composita cōstat: quarum tamen initia ex maximis tum arterijs, tum venis oriuntur. Quare quod supra nigricans positum est, vinculo exeipiemus: quod post vinculum est, amputabimus: atque vt in imo fine iam comprehensæ abdominis suturæ, vinculi fines pendeant, curabimus, quò nimirum facilè eas, cum ex vulnere suppurante euomentur, recipiamus. Nam ilicò post ligati omenti intromiſſionem (dicant, quicquid velint, nonnulli) abdomen sueudū, ne omentum, & intestina rursus excidant, & aeris frigiditas interna viscera non lædat, & tormina, vel id genus alia praua symptomata suboriantur. Sicuti verò extrinsecus medicamenta, quæ enæma dicuntur, sunt accommoda: ita intrinsecus Auicennas probat centaurium, ac terram sigillatam: necnon illa, quæ in vulneribus thoracis proponentur. Equisetum verò summopere probatur ab ipso Gal. & præsertim in vesicæ, & intestinorum vulneribus. Clysteria pariter ex vino nigro austero tepido, vti diximus, ab ipso Gal. probātur, præsertim vbi intestina vsque ad internam cauitatem fuerint perforata. Nam clysteria hæc fœces educunt, & indurari, & intestinum tendere, & suturam lacerare non finunt. Et vbi uolumus clysteria magis agglutinare, vino iam dicto pulueres addimus adstringentes. Vbi magis feces emollire studemus, elysmata cum iure pedum vitulorū, vel castratorum, & iam dictis pulueribus paramus. Victus autem ratio sit in primo septenario valdetenuis, & cibi sint minimum, quantū fieri poterit, excrementosi, ut fœces in minima copia creentur. & proinde sorbitionibus potius erunt nutriendi: potiſſimumque ipsa ptisana hordeacea in aqua chalybeata decocta. Guido porro laudat pulmentum à quatuor magistris propositum, quod Recipit furfur triticeum, quod quidem ponitur per horam in aqua calida, præsertim pluuiali, & deinde colatur, & additur puluis amyli, tragaganthi, gummi arabici, sanguinis draconis, consolidæ maioris, pilorum leporis, & singula quaque die ter, vel quater exhibetur. Et si virtus esset imbecilla, ius gallinarum exhibeatur, quod quidem optimum euadit, si in eo tragaganthum, & gummi Arabicum, quæ saporem non peruertunt, imponantur. Gulielmus autem de Saliceto aquam decoctionis thuris, & mastiches in hoc casu maximè probat. Similiter saccharum rosatum antiquum ad vnc. semis vnà cum semidrachma masticis, thurisve, aut etiā boli Armenæ, & balaustiorum puluerizatorum per tres vel quatuor horas ante prandium exhiberi potest. Pro potu verò vino granatorum, aut cydoniorum, vel equiseti, & pilosellæ, aut plantaginis decocto vtantur. in quo quidem decocto reliqua cibaria, siue sorbitiones decoquendæ erunt. Et dum ventriculus vulneratus est, extrinsecus in eius regione emplastrum diaphœnicon, vel de crusta panis ad mouendum: aut inunctione cum oleo rosato omphacino, vel cydoniorum, aut mastichino, & myrthino vtendum, & turunda ex oleo de hyperico, & therebinthina, vnà cum oui vitello imbuenda. Simili modo ne aliquod aliud viscus in abdomine lædatur, lana mollis oleo calido imbuenda, & abdomini adhibenda, ita ut totam regionem, quæ est inter bubones, & axillas, comprehendat. ita si dolor, aut tormina subsequantur, mirificè prodest effusio olei anethini, aut chamæmelini circa vulnus ipsum. Henricus autem ad sedanda tormina, ac dolores superuenientes, probat fimum, in quo sal ebullierit, si ei tantum furfuris addatur, vt spiſſum medicamen euadat. quod quidem in sacco impositū omnes partes ab eo comprehendi iubet. Ponitur autem calidum supra ligaturam iam adhibitam, quantum æger potest sustinere. Et dum refrigeratur, statim immutari debet, quoadusque dolor fuerit sublatus. Quod si aliqua sanies, aut alia materia à vulnere segregata in abdominis cauo colligatur, ab ipsa natura facilè digeritur: quia pauca est de neceſſitate, cum partes vulneratæ potius exangues sint. Quod si non resoluatur, saltem ad inguina delegatur, tuncque vti reliqui tumores præter naturam curari postulat.

Si omētum exciderit.

Gal. 6. simp.

Victus ratio.

Potus.

De Vul-

De Vulneribus thoracis, & earum, quæ in eo continentur, partium. Cap. XVII.

Differētiæ. THORACIS Vulnerum differentię eodem prorsus modo sunt hauriendæ, quemadmodum eas, quæ abdominis vulnera distinguunt, desumendas esse docuimus. Quædam enim ipsius cauitatem non permeant, eò quia pleura, seu membrana, quæ costas succingit, illæsa est: alia uerò eius cauitatem penetrant: quia scilicet membrana, seu pleura iam dicta omnino perforata, & prorsus diuisa est. Hæc porro, quæ penetrantia sunt, rursus duplicia ab omnibus statuuntur, prę ut vel sine alicuius interni visceris, seu partis, vel cum alicuius intrinsecæ particulæ, seu organi, viscerisve læsione sunt inflicta. Et dum læditur aliquod internum viscus, aut eorum plura, potest esse vel pulmo, vel cor, vel gula, vel arteria magna, vel cauæ venæ truncus, vel spinalis medulla, vel diaphragma. Quibus duas alias differentias addit Guido: Dum enim vulnus thoracis cauum inuadit, siue sit cum læsione, siue absque læsione internorum viscerum, nonnunquam parum sanguinis in thoracis spacio defluxit; quandoque multus sanguis collectus est: Et ab his differentijs cum præsagia ipsa, tum etiam curatiuæ indicationes hauriuntur. *Guid.intrac. 3.cap.5.*

Signa. Tunc autem vulnus cauitatem thoracis permeasse certò scimus, cum spiritus ipse per vulnus egreditur: qui quidem præsertim exit, & cum strepitu quodam, quando os, & nares ægrotantis clauduntur, & quando tussiunt. Spiritum autem exire clarè percipimus, dum prope vulnus, aut gossipium, aut lanę floccum, aut candelam paruam accensam, quæ sæpius ab exeunte spiritu extingui, semper autem flamma dimoueri solet, admouemus. Verum circa spiritus egressionem illud annotandum, quod sæpius in principio exit quidem spiritus per vulnus ipsum, sed postea ab influētibus humoribus foramen obstruentibus exire prohibetur: quibus imminutis, & eductis, paucis post diebus rursus egreditur. Arguit insuper vulnus penetrare egressio copiosæ materiæ, vt primum sanguinis, deinde in progressu saniei, & colluuiei aquosæ, & copiosæ. Dum tamen vulnus est in osse pectoris, quod sternonem vocant, potest nō penetrare, quamuis tum spiritus, tum copiosa materia, seu sanies egrediatur. Hæc enim intra membranas intersepiētes, quæ in angulum desinunt ad ipsam capsulam cordis, copiosa colligi potest. Insuper cognoscimus vulnus cauitatē thoracis penetrare, dum symptomata, ac signa sanguinis, aut alterius materiæ collectæ, de quibus post dicemus, superueniunt. Ex immisso autem stylo, aut candela, non ita tuto vulnus penetrans à non penetrante interstinguere licet, quoniam sæpius multa candelæ, aut styli portio per vulnus ingreditur, & nihilominus non penetrat cauitatem. nam corpus potest esse pingue, & locus vulneratus musculosus: ita vulnus potest esse longum, & per obliquum incedens: & candela inter costas, & pleuram, aut inter sternonem, & intersepientes membranas ingredi, ac recondi potest. Altera ex parte parua candelæ portio ingredi potest; & tamen vulnus poterit esse penetrans: & hoc quia corpus macrum sit, & locus non musculosus; aut quia vulnus retortum sit, & obliquè inter musculum, & musculum incedens, sed penetratio non reperiatur. Si verò aliquod ex internis membris læsum sit; id ex aliquo symptomate hoc indicante nobis innotescit.

Signa cordis vulnerati. Vnde si tale fuerit cor, sanguis, vt ait Cellus, multus, isque calidissimus, ac niger effertur: arteriarum pulsus languidi fiunt: vulnus ad thoracis medium peruenit: faciei, totiusque corporis color pallidissimus euadit, quia natura vna cum toto sanguine ad cor ipsum læsum tanquam ad totius corporis arcem tuendam quā citissimè currit: & subinde sudores frigidi, malique odoris, nec non frigiditas extremarum partium suboriūtur: paulò post syncope, ac ipsa matura mors sequitur. *Cel.lib.5.ca. 26.*

Signa læsi pulmonis. Pulmone autem vulnerato, tussis, spirandi difficultas, & anhelitus frequens adest: sanguis ex ore spumans; ex plaga verò ruber, spumosus, vel subalbidus, simulque etiam spiritus cum sono fertur: in vulnus inclinari iuuat: quidam sine ratione consurgunt: Multi, si in ipsum vulnus inclinati sunt, loquuntur: si in aliam partem, obmutescunt, patientis color mutatur, & pallescit: Vasa, & venę, quæ sequuntur collū, in nonnullis intumescunt: Quamuis autem magnum, & altum spiritum ducant, frigidi nihilominus aeris attractionem quærunt. At si septum transuersum percussum sit, præcordia sursum trahuntur, spina dolet; sanguis spumans fertur; respiratio

Signa læsi septi transuersi.

ratio admodum difficilis, & inæqualis est,ita vt nonnunquam rara fit,& parua(hæc enim minus dolorosa est) aliquando verò admodum crebra; rarò autem magna: quia crebritate coguntur vsui,qui vrget,satisfacere. Velox autem spiritus,& multò magis magnus, dolorosus admodum est; quo tamen, vrgente vsu,nonnunquam vti coguntur:quomodocunque autem fiat, semper eum vehementi dolore, ac suspitio, & vtriusque scapulæ commotione editur: tussis adest tonans, ac molesta, dolorosaque,mentis alienatio,sputum liuidum,sitis,& cibi fastidium cum eructuatione, & pungitiuus rigor: vulnus autem præcipuè prope paruas seu nothas costas inflictum est. Si autem œsophagus,siue gula vulneretur, ex læsa deglutitione, ex vomitu sanguinis,& præsertim cibi & potus, & ipsius bilis ex sede vulneris, quod vsque ad regionem,quæ prope thoracis vertebras est,& pertingit,& dolore, quem prope spinam, inter vtramque scapulam, percipiunt; & ex eo,quia nonnunquam neruorum distentio oritur,& venę,& arteriæ languescunt,& sudores tenues oriuntur,& extrema frigent,haud difficulter cognoscitur. Si verò spinalis medulla percussa sit,nerui resoluuntur, aut conuelluntur, partes autem infra vulnus vt plurimum paralysi corripiuntur, & subinde tum sensus tum motus intercidit: interposito tempore aliquo, sine voluntate inferiores partes, vel semen, vel vrinam emittunt,vel etiam stercus excernunt.Dum verò aorta arteria,uel caua vena icta est, & magna admodum sanguinis fluxio,& ob id animi deliquium, ac syncope ilico suboritur,& nisi uulnus admodum exiguum sit,mors quoque non ita multò post subsequitur. Si uerò sanguis, isque plurimus in thoracis cauitatem descendat, uel ibi collectus sit,necesse est,ut corrumpatur,ac putrefiat,uel in saniem uertatur: Et ob id ægrotantes statim febrire incipiunt: grauitatem uerò, & pondus, doloremque illius lateris iuxta nothas costas percipiant:& sputum sanguineum, putridumque cum frequenti uehementique tussi per os excernunt:spiritus autem, qui per os, & per uulnus ipsum egreditur,intolerabili fœtore præditus est: & panni, qui imponuntur, sanguine concreto, seu grumoso, & putrefacto infecti educuntur: pulsus paruus, compressus, quia uitalis facultas opprimitur, ac inæqualis admodum percipitur: uigiliæ autem accedunt: deijcitur appetitus:respiratio angustatur:& dum diutius collecta materia immoratur, in externa parte eiusdem lateris liuor apparet. Quemadmodum autem non penetrantia thoracis cauitatem uulnera periculo uacant: ita penetrantia periculosa sunt,& sæpius in fistulas insanabiles, nisi Medicum prudentem nacta sint,abire solent: multò autem magis periculosa sunt, propter praua,quę sequi solent,symptomata,fistulisque insanabilibus adhuc magis obnoxia,vbi multus sanguis in thoracis capacitate vnà collectus fuerit:Sed magis adhuc perniciosa sunt,& plurimum lethalia,si aliquod internum viscus ictum sit. Ad hæc illa, quæ penetrant à parte dorsi periculosiora sunt ijs, quæ in parte anteriori fiunt, propter venas, arterias, neruos,œsophagum,tracheam arteriam,& cordis ligamenta, quæ in ea parte sita sunt, & nucham ipsam,quæ magni momenti est, & vulneribus dorsalibus facile consentit.Quod autem cor vulneratum mortem afferat necessariò,inquir Gal.vnum ex ijs est, quæ in confesso habentur: non tantum propter assiduum, vt subdit ille, ipsius motum; verum etiam, idque multo magis propter rationem,quam attulit Philosophus, cuique subscribit Auicennas. Cor enim,inquiunt illi,continui solutionem,& apostema perpeti non potest in propria sui substantia vita permanente.Facta enim in principio permutatione,etiam si pauca sit, maxima in principiatis; & ab eo principio ortis, permutatio de necessitate consequitur. Permutato siquidem, ac corrupto principio non remanet amplius, ex quo prodeat alijs ab eo ortis. Sed cor, vt omnes philosophi concordant,& nos sæpius,præsertimque in primo libro demonstrauimus, est principium vitæ, totiusque corporis radix,ac fundamentum.Ergo facta in ipso dissolutione,ac corruptione,corruptio quoque dissolutioque,in toto corpore fiet. Ob id,si magnum vulnus fiat in corde,hominem statim interire necesse est;si autem paruum,& superficiale, potest per diem vnam,vel noctem seruari. Totus enim sanguis, ac spiritus proprio naturæ motu ad cor defertur,quo fit,vt hæmorrhagia,vitium resolutio, & apostema suboriantur,necnon obstructio prohibens vitales spiritus ad vniuersum corpus delegari. Quare & propter partis maximam omnium præstantiam, & propter assiduum ipsius motum,& propter ipsius duritiem, & densitatem, quæ vix agglutinatur,& propter ipsius temperiem calidissimam,quæ facilimè inflammari potest,nunquam visum fuit,cordis vulnus,quod uel subitam,uel citam mortem non intulerit. Si autem vulnus in pulmone fit,& recens,ita ut nondum pus in eo genitum sit, si paruum

Marginalia: Signa læsæ gulæ. — Signa spinalis medullæ, & aliarũ partium. — Signa collecti sanguinis in cauitate. — Præsagia. — Cordis vulnerati prognosticum. — Galenus 6. aphor. 18. Arist. 3. de par. animal. Auic. 4. 4. trac. & c. cit. — Pulmonis præsagium.

paruum sit, ac superficiale, vti colligimus ex Galen. agglutinari potest, maxima tamen cum difficultate, idque tribus potissimum de causis: quarum vna est propter assiduum ipsius motum: secunda quia propter viæ longitudinem medicamenta non nisi in proprijs virtutibus refracta ad ipsum perueniunt: tertia est, propter nimiam ipsius mollitiem, & humiditatem. Nam vlcera, & vulnera omnia, vt agglutinentur, exiccationem postulant. Adhæc propter nimiam caliditatem, quæ facilè suscipit, facilimè inflammationem concipit: qua subotta, apud Galen. curatio redditur impossibilis. Insuper icto pulmone, tussis excitatur, quæ vulnus adhuc magis dilaniat. Si verò vulnus magnum sit, aut saniem iam contraxit, curatio apud omnes statuitur impossibilis, quoniam, vt aiunt Galen. & Auicennas, sanies, seu pus abstersionem, & expurgationem postulat; hæc autem non nisi cum tussi fieri potest, sed tussis auget vulnus, & dolorem, & attractionem humorum concitat. Si autem vulneris curationi per exiccantia velimus incumbere, saniei expurgationem cohibemus. Ne tamen decipiamur, animaduertendum Galenum non quidem dixisse eiusmodi vulnera omnino esse insanabilia, sed ait vel difficulter, vel planè nunquam curari posse: quia, cum plegmone soluitur, eluenda pus vlceris, & sanies sunt: Atque ex vtero quidem, & vesica tum sua sponte excernuntur, quia scilicet pronis delabi licet, tum elui præterea à nobis possunt: In pulmone neutrum omnino fieri potest. quare vna reliqua purgatio est ea, quæ fit per tusses. At si rectè his tum reliquam omnem quietem suademus, tum, vt sensim respirent, nec quicquam loquantur, vt vulnus glutinetur, iniungimus, quæ potest tussientibus esse sanationis spes? Et tandem subdit, quod non ob id, quod propter respirationem perpetuò mouetur, desperata curatio est, vt antiquiores putarant, sed propter saniei, & puris vacuationem. Quæ quidem Galeni dicta si diligentius perpendantur, ambiguitate non carent. Nam præter id, quod non omnis ipsius inflammatio de necessitate suppurat, cum possibile quoque sit, vt discutiatur, & reprimentibus, ac resoluentibus tollatur: Videtur quoque absurdum in vulnerato pulmone non posse per vulnus ipsum, ipsius saniem & pus expurgari. Nam & sua sponte delabi, & excerni, & per iniecta per ipsum vulnus à nobis elui possunt. Quare Galeni dicta solum de vulneribus vasorum pulmonis, quę ad extra ipsius superficiem non perueniunt, veritatem habere videntur; non autem de vulnerata ipsius substantia ab extrinseco aliquo instrumento. Vnde non ita arguendus Rolandus, qui iactauit se curasse partem pulmonis abscissam cum puluere rubeo, quemadmodum alij quoque se idem uidisse affirmarunt. Aegerrimè tamen agglutinantur hæc uulnera propter iam dictas rationes. Vnum autem addit Fallopius, quod quidem ab ipso Celso desumpsit, quod si vulnus pulmonis, alioquin non saniosum, sit in parte crassa venæ arterialis, necessario pereunt, quia sanguis supprimi non potest. Cognoscitur autem hoc ex sanguinis exeuntis natura, qui quidem erit niger, quia à uenæ cauæ ramo effunditur. Simili modo septum transuersum uulneratum, ut scribit Galen. propter iugem ipsius motum difficilimè agglutinatur. Quod si uulnus sit in parte eius neruosa, quę scilicet in medio est, coalescere non potest, partes enim laterales cum carnosæ magis sint, consolidationem suscipere possunt: id tamen rarò accidit propter assiduum motum, & nerueam ipsius substantiam. Difficilis uerò, ac grauis, ait Galenus, curatio est eorum uulnerum, quæ in carnosis sunt partibus, si has iam phlegmone occupauit: rarò itaque sanantur etiam carnosæ diaphragmatis partes: hocque in paruo uulnere, ætate puerili, ac humido temperamento potissimũ accidere solet. In parte autem neruosa si factum sit uulnus, mors necessaria est. nam circa thoracem maximè fiunt inflammationes: & semper deliria succedunt, & quandoq; conuulsiones. Medicamenta autẽ apponere nequaquam possumus, quemadmodum nedum Gal. sed etiam omnes alij testantur. Quid autẽ de aorta arteria, & caua uena præsagiendum sit, ex dictis in vulnerib. abdominis liquet. Quemadmodũ etiam clarum est, tracheã arteriam tum ob alias causas, tũ precipuè propter duritiem, & cartilagineam ipsius substantiam, si fuerit discissa, coalescere nullo pacto posse. Vulnerata autem spinali medulla, mors propter sæuissima superuenientia symptomata, & potissimum propter corporis paralysim, facilè subsequitur. Non tantum imminet periculum, si gula icta fuerit; quia & aliquatenus carnosa est, & medicamina saltem in transitu ad vulnus ipsum irretracta peruenire possunt. Si tamen vulnus alicuius momenti sit, quia alimentotum deglutitio perit, animal ex consequenti perire necesse est. Omissa autem vulneris non penetrantis curatione, quia communis est cum ea,

quæ

Marginalia: Gal. 5. meth. 8. — Gal. 5. meth. c. 8. & 13. — Gal. 5. meth. 8. — Diaphragmatis prognosticum. — Gal. 6. aph. 18. — Gal. 5. meth. 9. — Reliquarũ partiũ præsagia. — Indicationes.

quæ reliquis carnosarum partium vulneribus competit, & nihil habet propriũ, nisi illud agglutinatoriæ deligaturæ genus, quod in abdominis vulneribus administrandum esse in superiori capite diximus, ad eam, quæ vulneris penetrantis propria, ac peculiaris est, quam primum deueniemus. In qua reliquorum vulnerum communissimis indicationibus suppositis, inter eas duas præsertim ante omnia præ oculis habebimus, vt monet Celsus, videlicet ne sanguinis fiat fluxio, & ne aliqua suboriatur inflammatio: idq; non ab re, cum in his vulneribus sanguis non extra, sed intra cauitatem thoracis maximo cum periculo colligatur, & thoracis partes propter abundantem ipsius calorem, & assiduum motum facile phlegmone corripi possint. Reliquæ autem indicationes, quæ incisionis, ac rupturæ propriæ sunt, & vulneris labra ad mutuum contactum adducenda esse, & ita adducta conseruanda, & ne quid inter labia vulneris intercidat extraneum prospiciendum esse iubent, prorsus despiciendæ sunt, propter propriam, quam vulnera thoracis penetrantia indicationem habent, quæ maximi momenti est, & ad quam per petuo respicere debemus. Ea autem est, vt omni ingenio, omnique adhibita diligentia vniuersa materia, quæ ab ipso vulnere segregata, & in thoracis cauitate collecta est, accuratè euacuetur. Quamuis enim per plures alias vias, vti nos docuit Gal. euacuari possit (quia licet rarissimè per secessum thorax euacuetur; attamen non ita rarò per vias vrinæ, frequentissimè autem per os, & sputum euacuetur) nihilominus & tutius, & facilius, & expeditius per vulnus ipsum educitur; reliquæ autem viæ difficiles, & minus tutæ, ac minus expeditæ sunt: quo fit, vt cogamur nedum vulnus inconsutum relinquere: verum etiam, si nimis angustum fit, aut a carne, vel alia materia obstructum, illud ampliare, atque recludere. Nec est, vt Theodoricus, & Henricus nobis obijciant caloris vitalis per vulnus exhalationem, & frigidi aeris ipsum vitalem calorem, & spiritualia viscera labefactantis per idem vulnus ingressum, dicantque abdominis vulnera ab ipso Galeno, & omnibus consui, & nihilominus a materia in eius cauitate collecta nullum incõmodum subsequi. Nam his obiectionibus haud difficile est respondere: quoniam & turundis ipsis, & aliorum medicamentorum adhæsu, ac impositione, & tegumentis ipsis, & ambientis aeris calefactione, & tegula potissimum calfacta his incommodis occurrimus, & frigidi aeris ingressum, natiuique caloris egressum prohibere possumus. Non est autem par ratio de vulneribus abdominis, atque thoracis. Illa namque consui possunt, & debent: quia propter impetum & impulsionem, quam intestina, & reliqua viscera, quæ cibo, potu, & flatu implentur, & distenduntur ad vulnus faciunt, nunquam conualescerent, sine sutura, & labiorum vulneris ad mutuum contactum adductione. Materia verò, quæ a vulnere segregatur, pauca est. quia partes illę exangues vt plurimum sunt, & ab iis segregata in abdominis fundo, & ima parte colligitur, quæ multis ductibus, iisque satis magnis peruia est, & proprio ipsa emunctoria constituta: & partes illæ laxæ sunt, & ignobiles, & a membris nobilibus remotæ, in quibus excrementa diutius; absque patientis interitu, vt nobis hydrops ostendit, contineri possunt. In imo enim abdomine vt docuerunt Hipp. & Gal. materiæ excrementitiæ rarius putrescunt, & suppurantur. Ventris enim tumores ait Hipp. minus abscessus faciunt, quam qui hypochondria occupant: minimè verò omnium, qui sub vmbilico sunt, in suppurationem vertuntur: quia locus ille minus calidus est. In thorace verò tanquam ventre reliquorum omnium calidissimo materia collecta facilimè inflammatur, suppuratur, atque putrescit, & putrefacta viscera, quæ tangit, putrefacit, & febres vehementes, spirandi difficultates, & suffocationes, vigilias, & alia multa mala accersere solet, vt quotidiana fere nobis ostendit experientia. Insuper materia hæc in loco nobilissimo concluditur, & periculum est, ne materia illa petat cor, & pulmonem membrum mollissimum labefactet, atque corrodat, & vias spiritus obstruat, ac respirationem intercipiat, & membranas illas intersepientes, mediastinum & pleuram, ac pericardium, quæ ab ipsius peritonęi robore, & firmitatę valde recedunt, maximè lędat. Cum itaque materia in hoc ventre collecta tanti sit momenti, & aliæ viæ ad ipsam expurgandam non semper sufficiant, & natura ipsa per has euacuare materiam non semper affectet, iure merito vulnus apertum detinendum est, quousque tota materia fuerit educta, quia via, & expurgatio hæc nunquam fallax euadit: & expedita est, in nostraque potestate constituta. Quinimò quamuis vulnus in superficie agglutinetur, attamen sæpius in profundo inglutinatum remanet. Sed quid verbis est opus? si Medicus est naturæ minister, & natura ipsa viam hanc non-

nunquam

Ad vulnus penetrans.

Indicatio præcipua.

Hip. & Gal. 1. prognos. tex. & com. 37.

nunquam adinuenit? Germanus quidam Baro cum multis ab hinc annis thoracis cauum penetrans vulnus accepisset, à chirurgis nimis præposterè ipso agglutinato, mense vno iam elapso, propter materiæ collectionem, in febrem vehementissimam, vnà cum symptomatibus superius exaratis, incidit. Cumque Medici omnes nedum propter febrem intensam, quæ nullo præsidiorum genere mitigari poterat, verum etiam propter difficilimam respirationem, & pulsuum malitiam, de eius salute omnino desperarent, natura vulnus iam antea cicarrice obductum aperuit, per quod copiosa admodum, purulenta, prauaque materia euacuata, ilicò à febre, & reliquis omnibus symptomatibus liber euasit: Cum autem non longè post conualuisset, & vulnus rursus agglutinatum esset, non multo post tempore, iisdem prorsus malis fuit correptus: At ille ab ipsa natura doctus iussit vulnus à Medicis adaperiri: quo facto iterum à morte vindicatus fuit: Cum autem ter, & quater hæc omnia contigissent, coactus tandem fuit, cannula argentea thoracis vulnus in fistulam cômutatum apertû detinere, vt assiduo materia per ipsum effluens non amplius in thoracis cauitate colligeretur: quod quidem ei facilè successit, cum per plures annos postea à febre, & aliis malis immunis vixerit. Hæc autem historia mihi in mentem reuocauit id, quod de Telepho perpulcrè cecinit Homerus: Cum enim ab Achille vulneratus oraculum consuluisset, an ab ipso vnlnere sanus euasurus esset, nec ne? habuit in responsis ipsum quidem conualiturum, dummodo Achilles in eodem loco ipsum iterum vulneraret. Et hoc quia in thorace vulnus acceperat. *Homer. in Iliad.*

Reliquæ indicationes peculiares, Reliquæ vero indicationes quæ in thoracis vulneribus penetrantibus eliciendæ erunt, ex dictis de vulneribus abdominis pariter penetrantibus clare sunt. Siquidem & conuenientia medicamina sunt imponenda: & ne præstantior pars simul afficiatur, prospiciendum; & si quod viscus internum læsum, & vulneratum sit, illud, si fieri id quidem possit, persanandum. *Curatio.* Ad materias itaque præsidiorum descendentes, quamprimum eas proponere, & administrare debemus, quæ sanguinis profusionem tollunt, & potissimum phlegmones generationem prohibent. Nam sanguinis fluxio nô ita periculosa & imminens est, quemadmodum inflammatio. Quamuis enim intercostales musculi necessario vulnerentur, & vnà cum iis pleura membrana; attamen tum hæc, tum illi non habent venas admodum magnas: ideo dum aliquod internum viscus læsum non est, in primo impetu sanguinis profusio non ita excitatur; nisi forte incidatur vena, aut arteria illa, quæ per inferiorem costarum partem reptant; hoc tamen rarò accidit: quia vasa hæc in eo sinu, & cauitate occultata sunt, quæ in inferna costarum parte ab ipsa natura fuit insculpta. Sed *Chirurgia.* inflammatio, nisi accuratè procedamus, necessario superuenit. Quamprimum itaque vt influens materia euacuetur, & reuellatur, reuulsoria præsidia, quæ non solum alio auertere, atque reuellere, verum etiam euacuare valent, adhibenda e- *Vene sectio* runt. Inter hæc autem primum locum tenet venæ sectio. Secunda verò iecoraria vena est, & ea eiusdem lateris, & brachii, quod è directo est partis affectæ, dummodo tanta in vniuerso corpore plethora non sit, vt primum oppositi lateris basilicam, deinde per sex vel quinque horas potest, eandem basilicam, sed affecti laris incidere non cogamur. Dum autem pulmo ictus erat, quia viscus calidissimum, magnisque vasis refertum est, Galen. bis, & ter venæ sectionem iterabat. *Gal. 6. meth. 8.* Si tamen uirtus repetitam sanguinis missionem per sectam uenam perferre posse non uideretur; Post sectam venam secunda vice scarificatæ cucurbitulæ infernis partibus, vt coxis, uel natibus; non autem scapulis affigendæ essent: Vel, quod in *Hyrudines* his vulneribus adhuc magis arridet, hyrudines venis hæmorrhoidalibus admouendæ. Vt enim ex Hippocr. coniicimus, hæmorrhoides reseratæ thoracis affectibus ualde opitulantur. Et quod de sanguinis missione diximus, idem prorsus de cucurbitulis non incisis infernis partibus applicitis, de crurum ualidis frictionibus ac uinculis, quæ supra genua administrantur, & lotionibus ex rebus digerentibus paratis audiri uolumus, cum omnia hæc maioris reuulsionis gratia adhibeantur. *Hip. 3. de hu mor. 26. & in 6. epid. 37* Demum inter chirurgica præsidia Guido ex mente quoque Guilielmi de *Thoracis perforatio quomodo adhibenda, & quo casu.* Saliceto proponit thoracis perforationem: quæ fit inter quartam, & quintam costam cum rasorio in parte inferiori, ac decliuiipsius thoracis in affecto latere egro tantis prope diaphragma uersus spinam. Hanc autem thoracis perforationem à Galeno desumptam fuisse profitentur, qui in quinto methodi fatetur, se ipsam administrasse in quodam Romano, qui empyemate correptus erat, in quo nedum hoc præsidium adhibere, uerum etiam os costæ putridum abscindere coactus fuit. Quinimo in plurimis, inquit ille, etiam membrana, quæ costis intra subten- *Guid. trac. 3. cap. 5.* *Galen. 5. me thod. 8.*

ditur, unà cum corrupta costa inuenitur putrefacta. Solemus ergo in curatione mulsa per vlcus infusa, iubere aliquando quidem, vt inclinati in laborantem partem tussiant; sæpe verò molliter concutere: interim etiam organo, quod pus extrahit (pyulcon Græci vocant) educere, quod intus ex mulsa reliquum est. Hoc facto, vbi tum pus vniuersum, tum etiam saniem vlceris eluisse confidimus, mox medicamenta inijcimus. Hæc Galenus: quibus supplet Guido, & inquit, quod quando thorax fuerit conuenienter abstersus, & mundus redditus, tunc cessandum, & vulnus nouiter factum claudendum. Huius autem perforationis thoracis vsus, atque necessitas est, aiunt illi, quando vulneris penetratio ambigua, & occulta fuerit, & neque per turundas, neque alia re poterit adinueniri; vel æger iniecta medicamenta absterforia, & tum horum, tum collectæ materię expulsionem sustinere non potest: & nihilominus thoracis affectæ partis grauitatem, tum febrem, aut alia symptomata collectam materiam indicantia presto sunt, & ęgrotans robustus existens huic operationi consentiat. Facta autem perforatione seu incisione, tenta oleo rosaceo calido infusa vsque ad profundum imponenda, quousque pus emittere vulnus incipiat. dum autem immutatur, id quàm citissimè, & cum caute la agendum est, ne aer ingrediatur, & vitalis calor expiret. Pure autem apparente locus intrinsecus per factam sectionem abstergatur, infusa per clysterem libra vna huius medicamenti, quod Recip. florum chamomeli manip.ij. farinæ lupinorum, thuris, myrrhæ ana vnc.ij. mellis rosati vnc.j.s. coquantur omnia in sufficienti vini quantitate, & fiat colatura pro clystere. quo immisso.s. ad libr.j. voluatur, & reuoluatur æger, & postea supra vulnus reclinetur, vt prædicta decoctio exeat: Postea ponatur turunda melle rosaceo imbuta, supra quam iam dictum abstergens medicamen ponatur. Et hoc tempore antiquum vulnus claudi, & agglutinari permittatur. Turunda autem in sui radice, & vltima extremitate, quæ foras vergit, satis lata sit, vt thoracis cauitatem ingredi, & subinde necem ægrotanti afferre non possit: Et hac quoque de causa valido filo, & strictè ligetur. Quod si clystere iniecto, & ægrotante supra latus apertum inclinato, pus, aut abstergens medicamen non exeat, iam proposito organo, vt Gal. iubet, pyulco nempe vtendum est. Qui quidem pyulcus, vti nos sæpissimè vidimus, mirificè, & quam facilimè ab ipso thorace nedum pus, & sanguinem ipsum; verumetiam medicamenta, & quamcunque materiam fluxilem in eo contentam, educit. Sed quidnam apud veteres, & Gal. ipsum fuerit pyulcus, & cuius formæ, moderni Scriptores, nostra quidem sententia, prorsus ignorarunt. Veteres autem tanquam eorum tempestate notissimam, vti etiam fibularum formam, eam literarum monumentis tradere contempserunt. Ex neotericis vero Gabriel Fallopius pyulci figuram, ac formam ignorare fassus est, & se nunquam ex Galeni scriptis, quid fuerit pylcus haurire potuisse, sæpius affirmauit. Alij tamen putarunt, pyulcum esse organum quoddã ad parui clysteris, quo pilæ ventosæ inflantur, similitudinem factum: quippe quod, aiunt isti, ex thorace pus, & sanguinem aut alium humorem vi vacui attrahit. Nos tamen vt ex cuiusdã seniotis chirurgi traditione casu quodam accepimus, & postea experientia, ac fœlicissimo vsu comprobauimus, existimamus pyulcum esse cannulam quandam satis oblongam, cuius extremitas, quæ vulnus ingreditur, quadantenus oblonga sit, & pluribus foraminibus donata; reliqua verò extremitas, quæ extra vulnus remanet, ita orbiculariter inuertitur, ac dilatatur, vt etiam si in vulnere ipso cannula diutius dimittatur, nullo tamen pacto vulnus ingredi possit; quemadmodum in margine depicta figura clarè ostendit. Debet autem esse potissimum argentea, & eius crassitudinis, quæ vulneris orificio, & educendæ materiæ, quę nonnunquam crassior est, proportione respondeat. Iam verò ad inflammationem ipsam, & sanguinis fluxionem arcẽdam, præter phlebotomiam superius propositam, & post venam sectam, maximè expedit vti pharmaco purgante, præsertim biliosos, & alios excrementitios, eosq; potissimũ tenues redundantes humores. Quod quidem si diurenica quoque recipiat, & pectori amicum sit, adhuc magis proficuũ erit: Et ideo summopere prodesse poterit leniens, quod ex cassiæ flore ad vnc.j.s. vel vnc.j. elect. lenitiui, & tribus, uel quatuor vncijs mannę electæ, aut etiam syrupi, uel mellis violati solutiui parari poterit cum violarum, aut hordei, & capillorum veneris, & endiuiæ decocto. Quod si corpus robustum sit, aut difficile solubile, electuarium de succo rosarum, aut electuar. rosatum Mesues ad drach.j.s. vel etiam duas, aut diaprunum solutiuum ijs adijciatur. Diacatholicum pariter ad vnc.s. vel solum, uel cum drach.j. elect. de succo rosarum, si opus sit, offerri potest. Post exhibitum autem primum

Gal. loco cit.

Pyulci vsus & forma.

Pharmacia Medicamẽta totũ cor pus euacuãtia.

hoc

hoc medicamentum purgans, singulo mane per quatuor horas antè cibum exhibeantur syrupi, qui & refrigerandi, & incrassandi vim habeant, quales sunt syrupus de endiuia, de cichorio, violatus simplex, de portulaca, & id genus alij, cum decoctis eorundemque simplicium medicamentorum, & ipsius hordei decorticati. Vel si ægrotantis temperatura biliosa sit, relictis syrupis, sola decocta exhibeantur. His autem per quatuor, vel quinque dies assumptis, medicamentum purgans ex iam propositis, aut etiam quadantenus valentioribus, quale Rhabarbarum est ad drach. j. vel scropulos quatuor reperendum erit. Pharmaca verò, quæ præci-
Topica. Thoracem euacuantia. puam, ac propriam horum vulnerum indicationem respiciunt, cuique semper incumbere omni ingenio debemus, sunt illa, quæ materiam in thoracis cauitate collectam, siue cruor, siue pus, siue alia materia sit, euacuare possunt. Cum autem triplici potissimum via euacuari possit, & ab ipsa natura expurgari cōsueuerit, nempe
Euacuantia per vulnus. per vulnus ipsum, per os, & tussis merito, & vias vrinæ: Si de prima, quæ omnium facilima, expeditissima, & tutissima est, sermo fiar, imprimis foramen vulneris apertum seruari debet, imò si apertum non appareat, & vel ob influxum humorum, vel adnatam, & superiacentem carnem occlusum sit, illud perfectè reserare debemus, dummodo prius vulnus ipsum penetrare certò sciamus. Multa itaque repida per vulnus adapertum infusa, quemadmodum Gal. docet, iubendum aliquando quidem, vt inclinati in laborantem partem tussiant: Sepe verò molliter concutiendi: interim etiam organo, quod pus extrahit, Pyulcon Græci vocant, educendum, quod intus ex mulsa reliquum est: quia vna cum ipsa tum cruor, tum pus facilè educitur. Guido loco mulsæ, vti superius diximus, vtebatur quoque vino albo, in quo concoquentia, & detergentia erant incocta, vti sunt chamæmelum, thus, myrrha, & mel rosatum de quibus supra meminimus. Qui etiam præcipit, vt turunda ab extra, & in sui radice ampla, & crassa sit, ne aliquo pacto intus cadere possit: & quia intus cadens esset causa mortis, si non posset extrahi, ideo iubet, vt extra cum forti filo exactè ligetur, quod quidem longum foris seruetur, vt intus decidens facilè extrahatur. Debet autem turundæ, quo tempore thoracis cauitatem euacuare, & expurgare volumus, oleo calido imbui: Sed vti diximus tum puris, aut sanguinis, & abstergentis medicamenti eductio, tum turundæ immissio celerius, quo fieri poterit, peragenda, ne aer thoracem ingrediatur. Huic autem nedum turunda ipsa ad extra crassiori, & alijs medicamentis, verum etiam aeris ambientis calfactione, calefactisque linteaminibus, & tegula calfacta resistimus. Supra turundam autem expedit imponere medicamina, quæ saniem ex alto trahendi vim habeant, qualia sunt oppoponax, ammoniacum, pix, resina, & id genus alia. Vnde nonnulli hoc medicamento vtuntur. Recipe olei communis, seui arietini ana vnc. j. picis naualis vnc. ij. picis Græcæ drach. iij. mastiches, thuris, chalbani, ammoniaci, oppopanacis, sagapeni ana drach. ij. ceræ quantum sufficit, misce, & triris terendis, liquatisque liquandis fiat medicamentum ad cerati formam. Mirificè quoque saniem ex alto trahit ceratum sacrum, si ei addatur aliqua portio resinæ pini: vti si vnciæ diadictamni duæ vel tres drachmæ resinæ pini adijciantur. At uerò dum melicratum, aut certa uini quantitas per uulnus in thoracem infunditur, & corpus huc, & illuc soluitur, vti superius diximus, & liquor deinde extrahitur, oportet & quantitatem, & qualitatem illius diligenter perpendere; & quando in minore quantitate egreditur, quam fuit immissus, & mundus purusue egreditur, atque clarus, abstergere cessandum est, & vulnus agglutinandum, & supra tentam detinere oportet, vti faciebat Albucasis, cotonem vetustum, vt humiditatem à vulnere segregatam statim exugat: Et ob id, vt melius ab eo combibatur sanies, optimum est, vt patiens super vulnus ipsum dormiens decumbat. Si autem, inquit idem, præterierint tres dies vulneris, & non superuenerit spasmus, nec tremor cordis malus, nec spirandi difficultas, & uulneris, ac patientis dispositiones bonæ apparent, tunc sciendum uulnus esse sanum, & naturam robustam, & propterea sensim turunda imminuenda, & uulnus cicatrizandum. Imò melius est, ut, quamprimum uidemus uinum, aut melicratum purius exire, studeamus carnis generationi, turundamque ipsam sarcotico aliquo medicamine, quale est unguentum Isidis, uel de betonica, aut æstate de cadmia, imbuamus. Non enim agglutinatio diutius protrabenda est: quia partes illæ spirituales refrigerantur, & imbecillæ euadunt, & diuturna hæc uul-
Euacuantia per os. nera ex facili in fistulas insanabiles migrant. De euacuantibus autem per os, & tussim non est, ut pluribus agamus: quia de istis in capite de Empyemate dif- Gal. 5. method. 8.

fusè pertractauimus. Illud potissimum hoc in loco repetendum est, vt scilicet hæc pharmaca, & sanguinem concretum, ac pus crassum attenuandi, ac inciden-di, & spiritus vias laxandi, & emolliendi, seu lubricandi, & tussim mouendi vim habeant. Ad primum itaque scopum, necnon ad tussim ciendam respiciens Galen. poscam dilutam, eamque tepidam, bis & ter singula die, nempe singulis ternis horis exhibebat: Acetum enim valenter attenuat, & discutit. Præcipimus autem ægrotantibus, vt ipsam sensim, ac sensim deglutiant. Thoracis autem vias laxant, ac lubricant syrupus violatus simplex, syrupus de liquiritia, penidiæ, diacodion, syrupus de farfara, qui quidem pectori, ac pulmonibus familiarissimus est, & nunquam prætermittendus, syrupus iuiubinus, & id genus alia: quæ etiam cum rerum pectoralium decocto permisceri, propinarique possunt, aut syncera paulatim ac sæpius deglutiri. Sed vt vnà tussim moueant, & expultricem irritent, bechica permisceri debent, & potissimum oxymel simplex, vel syrupus acetosus simplex. Si vero euacuatio per os succedat, & virtus in materiæ assidua eiectione labefactetur, iure pulli, vel ouo aliquo sorbili, & si necessitas id exigat, aliqua portiuncula vini albi, sed dulcis, tenuis, ac pauciferi roboranda erit: nam euacuatio hæc est admodum difficilis, & vires deijcere solet. Vnde si propter virium languorem materia non possit euacuari per tussim, cum materia hæc maximè vrgeat, ne dum per vulnus ipsum; verum etiam per vrinam educere tentandum est, potissimumq; si in vrinis vel aliquis cruor, vel pus appareat. Oportet enim vt nos monet Hippoc. semper naturæ motum, & inclinationem obseruare, & per quam viam ipsa natura vergit, materiam euacuare. Itaque inter diuretica laudatur syrupus de capillis veneris, de duabus radicibus, de betonica, decoctum apij, petroselini, radicum fœniculi, & eorum omnium, quæ diuretica cum sint, non tamen vehementer calfaciunt: imò dum febris patientem vexat, quæ calidiora sunt, decoctis cichoraceis, aut alijs refrigerantibus, quæ diuretica sunt, contemperanda erunt. Aut febre ipsa inualescente, & vrgente, solis refrigerantibus diureticis, qualia sunt semina melonum, & alia semina diuretica minora, & maiora, erit vtendum. Quæ etiam in ipsa victus ratione propinanda erunt: & præsertim vna cum ptisana hordeacea assiduo seminum melonum emulsio erit permiscenda. Similiter porus radice petroselini, vel consimili erit alterandus. Si verò pulmo sit vulneratus, præter reliqua omnia, quæ sanguinis fluxionem, & inflammationem arcent, præsidia, necnon ea, quæ materiæ in thoracis cauitate contentæ expurgationem respiciunt, quæ supponenda omnino sunt, & nullo pacto prætermitti debent, ea curatio aggredienda est, prout sæpe aggressus fuit Galen. cui vtique non raro successit. Igitur laboranti ipsi iniungendum est, vt nec magno vtatur respiratu, ac semper agat silentium: præterea vena cubiti interna protinus incidenda: a qua bis, terque postea sanguis detrahendus est, vtique eius auertendi causa: tum artus omnes fricandi, vinciendique sunt ita ut ipsi solemus. Vbi hæc sunt facta, primum posca tum diluta, tum tepida potui est offerenda, quò, si quis in viscere trombus, id est, cruor concretus latitet, resolutus expuatur. atque hoc nihil vetat, bis terue ternis horis facere. Ab ijs verò etiam aliquod eorum, quę tum emplasticam vim habent, tum adstringunt, medicamentum exhibendum: idque aut ex posca diluta primum, aut ex malorum, myrtorumve, vel alicuius eiusmodi adstringentium decocto. Rursusque vesperi medicamentum hoc similiter dandum, circumciso, si valentior sit, omni nutrimento: Sin aliter, sorbitionis, quod satis sit, exhibendum. Maximè verò ad rem pertinebit, si etiam postero die, modo fortis cubans sit, parum sanguinis ab incisa iam vena rursum detrahatur: aut saltem hirudines hæmorrhoidibus admoueantur: tum victu medicamentisq; eodem modo in quartum vsq; diem vtatur, pectore interim, si æstas sit, vndique melino, rosaceoue madefacto: sin hyems, nardino vnguento. Quod si emplastico aliquo vti medicamento placet, habes a Gal. optimum, quo etiam ad reliqua vulnera cum fiducia vtare. Constat id ex bitumine, & aceto, & alijs, quæ illis misceri solent, quæ enæma barbara à Medicis dicuntur. Quod si mulieri mederis, pueroue, aut deniq; corpori, quod mollis sit carnis, quod ex chalcitide fit (diapalma vocant) satis habile medicamentum fuerit. Hoc enim maximum est, cuique te attentum esse summopere oportet, vt cruentum adhuc vulnus, priusquam phlegmonem excitet, glutines. Nam si ea semel inuaserit (id autem ex febre superueniente, & quia purulenta, cum phlegmone soluitur, tussi expuunt, cognoscitur: Si quis enim nec febricitabit, nec tussiet, nec saniem aliquã ex vlcere, & phlegmone spuet,

quæ

Galen. 5. methods. 8.

Diuretica.

Ad pulmonis, & diaphragmatis vulnus.

Gal. 5. meth. 8.

quæ ratio eſt, vt huius in eſſe pulmoni phlegmonem dicas?) exigua ſpes eſt eius poſtea glutinandi: in longius tamen trahere poteſt tempus. Simili prorſus modo & in tranſuerſi ſepti vulneribus danda opera eſt, vt ea quacunque ratione ſiccemus tum per ea præſidia, quæ extrinſecus imponuntur, tum per ea, quæ ex aqua, vinoue tenui bibuntur. Porro horum maximè idonea ſunt, & quæ propterea, quod ex ſeminibus fiunt, diaſpermaton Græcè dicuntur: Et quod ſolenne ipſi Galeno fuit, quoque in pectore perforato ſemper vtebatur, quod ex caſſia componitur. Pariter tum in pulmone, tum in diaphragmate vulnerato ſummopere probatur recentis theriaces circiter quatuor menſes ante confectæ vſus. nam (vt etiam diaſpermaton facit) quamcunque fluxionem ſiſtit, humores incraſſat, & ad fluendum ineptos reddit, dolorem leuat, ſomnum conciliat, & vehementer exiccat: ideo in pulmonis incipientibus vlceribus ea Galen. bis, & ter vtebatur: ſed prima vice in maiori copia, alijs vicibus ad fabæ noſtratis magnitudinem exhibebat. Vt autem ad pectus facilius deducatur, ſecunda vice, & omni fluxione prorſus ſedata cum remedijs ſuperius propoſitis, cum melicrato copioſo poterit exhiberi. Guido autem dum horũ ulcerũ vulnera agglutinare volebat, tũ cibarijs tum medicamẽtis utebatur, quę ſunt auſtera, & viſcoſa, ſeu emplaſtica; mordacitatis tamẽ expertia: veluti ſunt hypociſtis, balauſtium, galla, cytini punicorum, malicorium ſeu cortex granatorum, terra Samia, terra ſigillata, ſumach, roſarum ſuccus, acacia, & ſimilia. Hæc autem cum alicuius aſtringentis decocto exhibebat, vti ſunt mala cydonia, extremitates rubi, vel vitis, vel myrthi, & dum plegmones ſuſpicio nõ adeſt, vinum auſterum, & interdũ aliquid gummi Arabici permiſcebat. Dum autem abſtergere volebat, mel coctũ offerebat, & vniuerſaliter cum omnibus medicamẽtis ipſum permiſcebat, tanquam optimum omnium præſidium non ſolum ad abſtergendum; verum etiam pro reliquorum vehiculo, ac celeri tranſitu. Pectori enim amiciſſimũ eſt, & vlceribus non nocet. Dum autẽ magis glutinare ſtudemus, loco mulſæ, quę ſolum detergit, vinum mulſum per vulnus ipſum infundimus cum paruo clyſtere. Pariter vinum nigrũ, in quo bullierint myrtus, balauſtium, galla immatura, hypociſtis, & agglutinare, & abluere poteſt, ſi eodem modo infundatur. Poſt euacuationem autẽ cruoris, ac deterſionẽ operæ precium eſt pulueres actu quoq; ſiccos, & adſtringentes, ac præſertim bolum Armenũ, ſanguinem draconis, & maſtichem æquis portionibus miſtos per vulnus ipſum: aut, ſi id minus apertum, ac peruium ſit, per cannulam immittere, & inſufflare; & idem quoque in ſepti tranſuerſi vulnere prorſus faciendum. Ex quibus obiter colligimus optimum eſſe uulnus ipſum apertum conſeruare. Ad thoracem autem roborandum, & exſiccãdum, & tuſſim mitigandam, eius partes oleo melino, & roſaceo ſimul miſtis æſtiuo tempore; nardino uerò, ſi hyems ſit, ut ſuperius diximus, erunt inungendæ. Expurgatio autẽ per tuſſim, dum hæc uiſcera uulnerata ſunt, pulmo ſcilicet, & diaphragma, omnino caueri debet, ne uulnus reddatur maius. Si autem non poteſt tuſſis cohiberi, ſaltem mitior reddatur lambitiuis oblinientibus, & contemperantibus, dilaniantibuſque thoracem, qualia ſunt ſyrupus de farfara, ſyrupus uiolatus, deliquiritia, & eiuſmodi alia. Victus autem ratio ex his, quæ relata ſunt ex Galeni ſcriptis clariſſima eſt. Debet enim eſſe ualde tenuis, atque refrigerans, & ex alimentis, quæ pectori familiaria ſunt. Idcirco præter panatellam in iure cum ſaccaro confectam, & panem infuſum in aqua, ſaccaroque reſperſum maximè probatur in quibuſcunque thoracis uulneribus, ptiſana hordeacea. Sed dum uulnus penetrans eſt, ei emulſio melonum adijcienda omnino erit. Potus uel aqua ſaccarata, uel mulſa diluta ſit, ubi præſertim thoracem abſtergere cupimus. Motus, loquela, & magna reſpiratio, quantum fieri poteſt, euitanda. Venter ſi non ſponte, ſaltem arte fluidus ſeruetur. Et loco exercitij reuulſionis cauſa cruribus frictiones, uincula, & balnea ex rebus digerentibus adhibeantur. Nonnulli autem traſlacto inflammationis timore, ſingulo mane per quatuor horas ante cibum, in penetrantibus quibuſcunque thoracis uulneribus, exhibent uinum album, tenue ſubdulce, in quo prius bullierint chariophyllata, potentilla, Alchimilla, biſtortæ, & tormentillæ radix, ſolidagines omnes, ſanicula, quam quidam auriculam urſi uocant, & magnis ſaxis affixa reperitur, & piloſella. Alij amarinthi purpurei florem ad portandum exhibent. Sunt qui pirolam mirum in modum extollant. exiccandi namq; & agglutinandi uim habet: Vnde nedum folia illita, aut eorum ſuccus unguentis uulnerarijs additus, aut per ſeſe recentia uulnera ſanant, inquit Matthiolus; ſed etiam eorum decoctum ex uino potum ea quoque curat, quæ in thoracis cauitatem

Gal. 5 meth. 13.

Victus ratio.

Matthiol. in lib. 4. Dioſc. cap. 16.

in viscera, aut intestina penetrarunt. Mira enim vis est in huiusmodi potionibus. Parantur enim, subdit ipse, non ex hac solum planta; sed ex multis alijs ex vino, & aqua simul decoctis, nempe ex pirola ipsa, alchimilla, beronica, fragaria, equiseto, agrimonia, cariophyllara, tormentilla, vinca per vinca, pimpinella, quam sanguisorbam vocant, pilosella, virga aurea, & symphiti maioris, rubiæque radicibus. Huiusmodi enim potionibus vidit ille cum thoracis, tum intestinorum vulnera sanari, quæ lethalia, & nullo prorsus auxilio curari posse censebantur. Er hæc de thoracis vulneribus satis. Nam quemadmodum gulæ vulneris curatio ex his, quæ de vulnere ventriculi, & potissimum eius oris in superiori capite fuere conscripta, facile elicitur. Ita spinalis medullæ vulneratæ sanatio ex neruorum vulnerum curatione, & arteriæ, aut venæ cauæ ictæ curatio ex dictis in capite de vasorum vulneribus hauriri facilimè potest.

De Vulneribus Capitis, & primum de ipsorum nomine, differentijs, causis, signis atque præsagijs. Cap. XVIII.

PRIVSQVAM Vulnerum capitis differentias tradamus, eos, qui nostrum hoc commentarium perlegent, admonitos esse volumus nos in presentia per vulnus non illud propriè dictum, quodque mollibus infligitur partibus, intelligere, quemadmodum huc usque in toto de vulneribus sermone perpetuò intelleximus, sed Hippocratem ipsum imitati, qui libellum de capitis vulneribus inscripsit, etiam si cranei quoque fracturas comprehendat, per capitis vulnus quamcunque solutam vnitatem capitis, siue in partibus ipsius mollioribus, siue in craneo ipso contingat, ita vt ipsius fractura suboriatur, audiri volumus. Quamuis enim quamplurima capitis vulnera, seu, vt rectius loquamur, quamplurimæ ipsius solutæ vnitates ex vulnere propriè dicto, & fractura ipsa compositæ, & complicatæ sint, & quod magis est, præcipua nostra intentio sit, de cranei fracturis, & incisionibus pertractare, cum reliquarum partium soluta vnitas iisdem ferè præsidijs, quæ reliquarum corporis partium communia sunt, submoueri possit: Nihilominus quia cranei fractura, & penes cognitionem atque prognosticum, & longè magis penes curationem diuersissimam disciplinam, ac contemplationem desiderat, atque expostulat, & nihil ferè cum reliquorum ossium fracturarum curatione commune habet; & altera ex parte maximam cum thoracis vulneribus penetrantibus, penes materiæ collectæ, & in cauitatem fluentis conuenientiam nacta est, & item cum reliquis vulneribus penes medicamenta, & reliqua omnia maximam habet affinitatem. Ea propter de capitis ictibus percussionibusque omnibus non in sermone de fracturis, sed hoc in loco, & vna cum reliquis vulneribus, tractare decreuimus, quemadmodum propter rationes iam dictas ab omnibus recentioribus, & ab ipso quoque Fernelio factum fuisse cernimus. Galenus vero me dendi methodum ad vnguem seruare volens, quæ quidem a simplicium curando rum morborum ad compositos, & complicatos depellendos progreditur, de cranei fracturis post vulnera ipsa, & reliquorum ossium fractura sermonem habuit. Solennis namque (dicebat ipse) veteribus doctrina maxime naturalis est. Quippe ij simplicis cuiusque affectus propriam curationem dicunt, præcipueque omnium Hipp. Medendi namque methodus ad hunc modum bellissimè procedet, si de singulis simplicibus seorsum præceperimus: post deinde de compositis omnibus alteram aliquam methodum indicauerimus. Hæc ille. Nos verò, qui non methodum hanc semper ad vnguem seruare statuimus; sed affectarum partium naturam, ac ordinem, posituramq; magis respicimus, cum in præsentia organicarum, dissimilariumque partium vulneratarum doctrinam profiteamur, cogimur in hoc postremo de vulneribus tractatu ipsius quoque capitis vulnera atque fracturas enodare. Capitis itaque vulneris eo modo, & significatu, quem explicauimus, accepti differentiæ propriæ atque potissimæ vel ab ipsis vulneratis particulis, vel a vulnerante ac percutiente instrumento, vel ab ijs, quæ cum capitis ictibus, atque vulneribus complicata sunt, hauriri possunt. A particulis quidem diuisis, prout vel sola cutis vulnerata est, uel unà cum cute pericranium, aut etiam unà cum ipso cranium ei subiectum, vel cum his dura quoq; meninx, aut præter hac tenuis membrana,

[Margin notes: Nomen. — Fern. lib. 7, cap. 8. — Gal. 6. meth. c. 5. & 6. — Gal. 6. met. 4 — Differētiæ. — A vulneratis partib.]

brana, quam piam matrem vocant, & cerebrum ipsum ictum fuit. Hoc enim ordine capitis partes colligatæ sunt, & sese mutuo consequuntur. Adhæc vel in sincipite vel in occipitio, vel in anteriori capitis parte, vel in partibus lateralibus, quę tempora passim appellantur, vulnus consistere potest. Magis adhuc propriæ, ex vsuque differentiæ, vt docet Paulus, sunt illæ, quæ ab instrumento vulnerante exoriuntur. Quod quidem in capitis vulneribus triplex potissimum est, incidens nempe, perforans, atque contundens. Vnde ab incidente instrumento incisio vocata procreatur, siue diffectio, ab Hippoc. sedes dicta. quæ si ad os ipsum non perueniat, sed cutim solum, & pericranium comprehendat, incisio simplex nuncupatur ab omnibus: Si cranium quoque incisum sit, hanc Paulus Rogmen appellabat; & si vsque ad secundam tabulam exclusiuè perueniebat, eam Arabes Aleriam, & Agin nominabant, & dum incisio cum ossis deperditione facta erat, Rhases axialem, quippe ad axiæ instar incisa erat, nuncupabat: Galenus autem dedolationem in suo de medic. definit. libro vocat: Recentiores nonnulli echcopiam, id est excisionem nominarunt. Species verò, quæ ab instrumento fiunt perforante, pro rerum perforantium discrimine variæ sunt, & quodam modo ad incisionem, & sedem ipsam redigi possunt: quia in perforationibus rei perforantis sedes in capite relinquitur: Et ob id de hac Hippoc. speciatim non fuit loquutus: quia sub sede ipsam comprehendendam esse existimauit. Dum autem os ipsum perforatur, teredon quædam, id est, foratio ex Galeni statutis nuncupari potest. Sedes itaque est vestigium derelictum ab instrumento feriente in osse secundum latitudinem, longitudinem, & profunditatem, dummodo ossa, quæ sunt ad latera non dimoueantur, sed maneant in suo loco, & solummodo sit teli sedes: Si enim aliter accidat, vt scilicet os locum mutet, & intrò secedat, depressio fit, non sedes. Est autem sedes vel simplex, vel composita: Simplicis sedis species aut a longitudine, aut a latitudine, aut profunditate, aut a rectitudine, aut curuitate capiuntur. Tales autem fiunt, quia præsertim tales sunt figuræ teli vulnerantis, vt ait Hippo. Vnde telum latum latam sectionem facit, & sic de ceteris: Et nonnunquam sola caluariæ superior lamina læditur; interdum una cum superiori inferior simul afficitur, & diuiditur, dum scilicet telum aciem valde acutam habet, aut magna ui capiti adigitur, aut caput imbecillum est, molliorique & humidiori, laxioriuè constat temperatura. Si verò sedes composita sit, tunc vel cum contusione coniungitur, vel cum contusione, & rima, & quomodocunque id accidat, ab acuto quidem, sed simul graui, ac ponderoso instrumento, præsertimque a gladio graui, oriri solent: Et in summa tot erunt species, quot contusionis, & rimæ, de quibus nunc agemus. Nam sedem coniungi nonnunquam cum ossis deperditione, quam excisionem vocabamus, superius diximus. Ab instrumento itaque contundente, quod quidem corpus retusum est, ac graue, fit contusio ipsa, a Galeno collisio quoque dicta. Nam etiam collisio, dicebat ipse, sub ruptione, vel ruptura, dum in osse fit, continetur, quæ magna ex parte in partibus fit carnulentis; nonnunquam verò, & in ossibus capitis, in pueris præsertim. Nam in seipsum cedat oportet, quicquid colliditur. Hoc autem & molle esse expostulat, ac non perfectè durum. Quare aut ex carnosis partibus, aut ex tenera ossium natura existet, quæ duri, ac validi corporis extrinsecus occursantis, violentum sustinet impetum. Cum igitur exterior superficies eius, quod ita paritur, corporis continuitatem seruauerit, multæ verò diuisiones in profundo constiterint, collisio, ac contusio vocatur hoc ægritudinis genus. At cum cauitas aliqua apparet, quam rei collisæ percussor impresserit, tunc illisio dicitur. Necessarium est igitur omnino, vt sub ipso ictu in seipsum impellatur, & cauum fiat id, quod colliditur: alioquin non collideretur: vt verò abeunte causa cauitatem retineat, non est necessarium. Nam magna ex parte mollia omnia ad naturæ suæ locum regrediuntur, vbi percussor discesserit. Ex quibus Galeni verbis duas imprimis contusionis species clarè colligimus. nam pars, quæ contunditur, vel solummodo in se ipsam cedit, ac subsidet, ad spongiæ similitudinem absque eo, quod proprium locum immutet, vel ita in profundum cedit, ac flectitur, vt priorem locum immutet, quemadmodum plumbea vasa in profundum cadentia cauitatem contrahere consueront. Quod autem capitis cutis, & molliores partes vtramque contusionis speciem perpeti possint, nemo ambigit. At de capitis osse ac cranio ipso non parua apud auctores existit controuersia, vtrum scilicet cranium vtranq; contusionem, collisionem scilicet, & illisionem, eamque simplicem, ac sine aliqua rima pati possit. Nam Hippo. quemadmodum apertè

Marginalia: A causa vulnerante. — Sedes. — Paul. lib. 6. cap. 90. — Sedes quid. — Gal. lib. de caus. morb. cap. 11. — Sedis species. — Hipp. lib. de vuln. cap. — Collisio. — Galen. lib. de caus. morb. cap. 11. — Illisio.

apertè statuit os capitis posse collidi, id est pati contusionem in sua substantia, idque sine rima; ita non videtur admittere, quod cranium cedere in profundum possit, &, vt ipse inquit, desidere, sine aliqua fissura, vel rima. At Gal. & Paulus aliter sentire videntur. Si quis enim eos perlegat, videntur velle, quod collisum cranium in profundum cedere possit, absque eo, quod rimam, seu fissuram contrahat. Veruntamen ex Galeni verbis paulò superius descriptis difficultas hęc facilè diluitur, si dicamus, puerorum capita, cum ipsorum ossa prope generationis primordia mollia, ac veluti cartilaginea sint, vtramque contusionis differentiam, eamque simplicem admittere; non autem adultorum, de quibus Hippocrates intelligendus. Horum enim ossa, & cranium, cum durius sit, subsidere, & flecti non potest, absque eo, quod vnà fissuram aliquam contrahat: quinimò, dum in profundum adultorum ossa secedunt, vt plurimum non vnicam, sed plures rimas contrahunt.

Gale. lib. de fin. medic.
Paul lib. 6. cap. 90.

Si itaque à contundente instrumento sola contundatur capitis cutis, fit contusio simplicissima. Si etiam cranium collidatur, rursus aliæ sunt species. nam vel simplex fit contusio, & sine rima, vel fissura aliqua; ac sine alicuius internæ partis læsione; vel cum rima, & fissura complicata est; aut alterius internæ particulæ læsione. Quæ simplex est, & sine rima, inuicem differre potest & penes remissionem, & intensionem, & penes maiorem, vel minorem profunditatem, & ratione multitudinis, vel latitudinis. Contusio verò, quæ composita est, vel complicatur cum alicuius particulæ, quę intra caluariam est, læsione, & diuisione, vel cum ipsius cranei fissura, & rima. Si sit absque rima, sed cum internæ alicuius partis noxa, tum duplex malum potest suboriri. Nonnunquam enim ob validam concussionem capitis, siue ex casu ab alto, siue ex grauioris corporis contusione accidat, nedum venæ, verum etiam arteriolæ, & nerui, qui quidem intra cranium ipsum mollissimi sunt, rumpuntur, fitque contusio maximè periculosa, de qua meminit nedum Celsus, verum etiam Galenus dum scribebat, quòd quamuis raro, nonnunquam tamen euenit, vt cranium contundatur, & non contrahat rimam, sed venula rumpatur, & sanguis effluat: qui postea corruptus est in causa, vt æger pereat. Aliquando verò, vt notat Carpus ex vehementi cranij contusione, vnum os aliud os sibi commissum percutit, & dura meninx, quæ per suturas pertransit, & vasa per easdem suturas transeuntia, vnà grauiter contunduntur, in saniemque conuertuntur, & sub ipsis commissuris, seu suturis capitis putrefactio suboritur. Verum circa venulas, & arteriolas, quæ intra caluariam rumpuntur, animaduertendum, quod potissimum id accidit in parte contusioni opposita, propter causam, quam paulò post assignabimus. Ad hæc fieri potest, vt cranio in vna parte percusso, & contuso, in alia parte, quæ tamen contuso ossi vicina, & conterminalis sit, aliqua sutura dissoluatur, ita, vt ossa, quæ per suturam inuicem vnita erant, inuicem laxentur, seu dissoluantur, & hient, & fiat rima, quam Hippocr. dissolutionem vocat: Et inter rimas potest quoquo pacto connumerari, licet impropriè, rima, & fractura sit. Si verò contusio cum ipsius caluariæ fissura, & rima composita sit, huius pariter duæ sunt species. Vel enim rima contrahitur in parte contusa, atque percussa; vel in alia parte, vt testatur Hippocrates. Verum circa partem hanc à contusa diuersam digladiantur tum veteres, tum recentiores Medici. Sorranus siquidem in suo de Vulneribus capitis tractatu, necnon Celsus, Auicennas, Gentilis, Nicolaus Florentinus, & Ioannes de Vico, vt plerosque alios omittamus; hi omnes dicunt, rimam contrahi in parte, quæ contusæ opposita est. Horum autem rationibus tanquam probabilibus prætermissis, ipsorum (si lubet) testimonium possumus accipere. Hi enim omnes affirmant se hoc contingere nonnunquam vidisse, & præ cæteris Nicol. Florent. inquit, se hoc obseruasse in quodam artifice, qui funes faciebat: qui cum in capite fuisset percussus, facta in loco contuso apertione, nihil fuit repertum, in tertia postea die, cum febris fuisset subsequuta, dissecta, apertaque parte opposita, copiosa sanies fuit adinuenta. Gabriel autem Falloppius se in multis id expertum esse testatur, quorum caput, cum post mortem dissectum fuisset, nihil prorsus in affecta parte existente, in opposita copiosa sanies collecta fuit reperta. Altera autem ex parte Paulus, Guido, & Dinus de Florent. inquiunt hoc esse falsum: quibus plerique ex recentioribus adhærent, præsertim cum non ita difficile sit alterius sententiæ rationibus respondere. Falloppius concedit hoc fieri posse, sed rarissimè: quia id solum accidit in capitibus, quæ suturis destituta sunt: rarissima autem sunt capita sine suturis. sed id quod sæpius accidit, & quod animaduersione dignissimum est, illud est, quod sæpe, aut

Contusionis species.

Celsus lib. 8. cap. 4.
Galen. 2. de comp. medic. loc. cap. 1. & lib. 8. c. 9.

Rimæ seu fissuræ species à loco desumptæ.

Hipp. in lib. cit.
Soran. lib. 8. cap. 4.
Gent. lib. 4. F. 4. tract. 5.

Fallopp. in comm lib. de vulnerib. ca. 14.

saltem

faltem non ita rarò in parte ei, quæ percussa est, opposita, vt superius cum Gal. notauimus, rumpuntur vasa intima, effluitque sanguis, qui in principio solet soporem inducere, si multus est, quemadmodum etiam compressio facit: si non fuerit multus, contracto grumo, cum sit in parte sui natura frigida, tardè putrescit, vt in vndecima, aut quartadecima, vel parum ante vndecimam. antequam verò grumus ille in saniem vertatur, non adsunt symptomata, vt deliria, vigiliæ, febris, capitis grauitas, aut dolor: Sed eo in saniem verso, subsequi solent, & tandem mors, quæ ex disrupto illo vase causatur. Solent autem hæc interna vasa non in percussa; sed in ei opposita parte disrumpi: quia fit quidam impetus in partibus internis, cerebro scilicet & eius membranis: & ita cerebrum, cum in caluaria tanquam in vase contineatur, percusso craneo in vna parte, non solum in oppositam potest vehementer impelli; sed etiam ab eadem valenter reflecti: propter quam impulsionem, ac reflexionem vasa in opposita parte lacerantur. Facillimum enim est, vt verbi gratia caluaria in posteriori parte vehementius percussa, cerebrum vnà cum tenui meninge in duram membranam, quæ ab illis quadantenus distat, violenter impingatur, & dura subinde meninx in ipsius caluariæ partem anteriorem, quippe quæ percussæ è diametro opposita est, impellatur, & aliquod vasculum vel in cerebro, vel eius inuolucris in illa parte frangatur. Vnde mirum non est, si nonnulli, cum fracturam in parte capitis posteriori accepissent ex magno ictu, postea per magnam sanguinis effluxionem per nares sanati sint: is enim sanguis non potuit, nisi ex vasis disruptis in parte anteriori effluere. Si autem contusa anteriore parte, vasa in posteriore rumpantur, necessariò pereunt: quia sanguis ductus non habet, per quos effluat. Sed, vt ad pensum redeamus, dum contusio cum rima complicatur, quæ non in percussa, sed in alia parte, vt ait Hippocr. contracta est, per aliam partem non debemus oppositam audire, sed solum distantem à loco affecto, contusoque, eiusdem tamen ossis. potest autem id contingere, quia ossis superficies in medio robustior sit, quàm in extremis, & ideo fieri potest, vt percutiatur frons in media parte, & contrahatur rima in alia parte eiusdem ossis frontis, potissimumque prope futuras: quia hæ partes debiliores sunt. ita potest fieri in futura eiusdem ossis contusi futurarum dissolutio, & apertio, de qua superius diximus. & quicquid accidat, hoc pacto Hippocratis sententia verificatur, dum inquit hanc calamitatem, vbi facta est, nulla re, vel consilio iuuare nos posse. Si quis enim, subdit, passus est hoc malum, non est, quod ex ipso exquirere possis, an passus sit hoc malum, neque qua capitis parte. hæc autem sententia de parte opposita veritatem non haberet: quia pars opposita vna est, & determinata, ac circumscripta, vnde quum videremus sæua illa symptomata superuenire, & ictam partem læsionem non habere, statim sciremus in opposita rimam fuisse contractam: in qua apertione facta, ægrotantes facilè hanc calamitatem effugerent. Ex quibus colligimus illos strenuè se gerere, qui, dum in percussa parte ab ictu validiori rimam non inueniunt, superuenientibus symptomatibus, oppositam partem statim aperiunt. At verò rimæ non solum penes locum inuicem differunt; verum etiam penes alias quamplurimas differentias. Quas vt melius assequamur, sciendum ex Hippocrate rimam, seu fissuram nil aliud esse, quàm diuisionem quandam tenuem sensibilem tamen in osse, à graui corpore, contundenteque profectam. Vnde vt plurimum, & ferè semper habet os circumpositum contusum. diximus ferè, quia nonnunquam, rarissime tamen, potest contrahi rima in loco à parte contusa separato, atque diuerso, vti paulò suprà ex Hippoc. traditis docuimus. Semper autem à re contundente proficiscitur: sed nonnunquam ab instrumento contundente, & simul incidente, vt à gladio aliquo pergraui: interdum verò, & id vt plurimum, à causa, quæ solum contundendi vim habet, vt à corpore retuso, & graui procreatur: adeo, vt ab eodem corpore tum rima, tum contusio fiat: Sed quanto ossa duriora sunt, tanto sunt aptiora, vt rimam contrahant; quanto autem molliora tanto aptiora sunt tum ad collisionem, tum ad sedem ipsam contrahendam. duriora tamen non contrahunt rimam, nisi violenter, & magna vi percutiantur. & ideo in parte, quę tota est dura, potest fieri sola rima: in parte autem, quæ tota non est dura (quædam enim partes aliquando vel ob ariditatem, vel densitatem, vel ob aliam causam duriores sunt) potest in duriori parte fieri rima; in alijs, quæ non ita duræ sunt, cum ipsæ cedant, & facile subsideant, fit contusio, non autem rima. Quatuor autem rimæ species, siue dicas differentię ab Hippocrate proponuntur; quarum vna à latitudine, seu angustia desumitur: secunda

Hipp. lib. cit.

Rimæ natura, causæ, & aliæ differentiæ.

Hipp. lib. de vuln. cap.

cunda

cunda à longitudine, vel breuitate: tertia à rectitudine, & curuitate: quarta ab ipsa profunditate. Quæ autem angustissimæ sunt, capillares vocantur: has trichismos Græci vocant, de quibus sermonem habens Hippocr. inquit, quòd solent accidere, vt non appareant ad sensum, nec statim post vulnerationem, nec in his diebus, in quibus possumus afferre solamen laborum (sic enim Hippocratis verba, quę malè à Cornario interpretantur, sunt transferenda) & miserum ægrotantē à morte eruere. Hi autem dies sunt illi, in quibus symptomata contingunt, vt sopores, deliramenta, & alia id genus accidentia miserum patientem excruciantia. Si enim aperiatur hoc tempore locus fissuræ, & sanies educatur, liberatur homo: quemadmodum Falloppius vir in hac facultate præclarus sæpius se fecisse testatur. Qui quidem interdum post trigesimum diem ab osse resecto, & vbi iam caro concreuerat, fregit cranium, & secuit carnem, & homine pedibus ipsis ad superiora inuerso, educta sanie corrupta, ipsum pristinæ sanitati restituit. Rimæ autem, quæ latæ sunt, & statim, vel opportunis diebus apparent, non sunt periculosæ. Species autem rimæ, quæ penes profunditatem spectatur, tres alias habet differentias, prout caluaria triplici ratione rimam contrahere potest. interdum enim sola exterior lamina, quandoque vnà cum hac etiam interior (quam barbitonsorum turba vitream vocant) nonnunquam verò sola hæc interior rima afficitur. Vnde si exterior sola findatur, periculo vacat; imminet autem periculum si vtraque rimam contraxit: nam sanies tunc in duram membranam descendere potest: Sed si sola interna findatur, periculosissima est, quia latet anguis in herba, & conspectum nostrum omnino effugit. Neque opinari debemus, id fieri non posse, vti nonnulli perperam arbitrantur: quia si pars ossis exterior à graui corpore, vel etiam gladio contundatur, cum molliot sit, potest melius contusionem sustinere sine fissura; contusio tamen interiori laminæ communicatur, quæ cum durior sit, & ob id vitrea dicta, facile finditur, etiam si externa in eodem ictu cedat in seipsam. Quare optimum est, in quocunque magno vulnere nobis oblato, etiam si ab incidente instrumento factum sit, & sedes ad meditullium vsque peruenire non videatur, optimum est, vsque ad internam laminam scalpellis abradere. His ab Hippocrate traditis rimæ differentijs possumus illas addere, quæ ad numerum spectant: quatenus rima vel vna est, vel duæ, aut etiam plures, &, dum plures sunt rimæ, non solum cum contusione ipsa de necessitate; verum etiam cum alio morbi genere, in quo os à proprio loco, & sede dimouetur, ferè complicatæ reperiuntur. Duæ verò potissimum huius mali tunc temporis suboriuntur species. Vnà cum os intrò detruditur: & dum adeo deprimitur, vt membranam comprimat, ista species à Græcis enphissomi, quasi inhęrentia, aut ecphiesma, quasi compressio nuncupatur. Sub hac autem, quæ frequens admodum est, membranarum puncturæ contingunt. Altera, cum os extra diducitur, & excluditur, quod in extractione ferri, vel instrumenti ferietis accidit, & hanc camarosin, seu concamerationem vocant: cuius, quia rara est, & curatu facillima, Hippocr. non meminit. Dum tamen non solum introcesserit capitis os; verum etiam ruptio aliqua in superficie exteriore fuerit adiuncta, tunc (vt Galenus inquit) est ægritudo composita, neque ei nomen aliquod inditum ab antiquis auctoribus habemus: Sed potius est oratione explicanda, quam nominibus extremè barbaris, quibus plerique iuuenes Medici vti con sueuerunt. Ex his autem per breuissimum epilogum colligamus, quod dum a causa extrinseca vulnerante in capitis osse, seu caluaria, soluitur continuitas, & subinde fractura, seu ruptura suboritur, huius tres sunt species, nempe sedes, contusio, & rima: quarum prima sensui omnino euidens est; alia verò latens; tertia aliquo modo apparens, aliquando latens. Ex quibus quamplurimæ aliæ, compositę fiunt, de quibus sufficienter diximus. Sunt demum differentiæ, quæ ab his, quæ cum ictu capitis coniungi solent, eliciuntur. Interdum enim icto capite, detentio, & caros, profundusque sopor cum stertore, nonnunquam syderatio, & resolutio, siue hæmiplegia, & conuulsio, quæ potissimum partibus omnibus, quæ affectę oppositæ sunt, solet inuri (solet enim in parte læsa propter cerebri vulnus, & propter humorum comprimentium cerebrum influxum, fieri paralysis in parte affecta; conuulsiui autem motus fiunt in parte opposita, quia sanæ cerebri parti praui vapores à læsa parte prodeuntes communicantur) aliquando desipientiæ, & capitis, partisque potissimum affectæ dolor, ac tumor, & febris ipsa, vt alia multa præteream, de quibus post, oriri consueuerunt: Cum autem hæ differentiæ, ac mala omnia, quæ cum capitis percussione connectuntur, ex his, quę de ipsorum natura in supe-

Gal. lib. de caus. morb. cap. 11.

Epilogus.

Differentiæ ab his, quæ cum capitis ictu compli cantur.

Signa.

in superioribus libris scripsimus, facillimè cognoscantur: illæ autem, quæ ab instrumento vulnerante sumuntur, adhuc facilius ad inuicem distinguantur, sed solum, dum in caluaria ipsa fiunt, aut alijs internis partibus sub ipsa reconditis, exactissima inquisitione, certissimisque notis opus habeant: Ideo pro virili laborandum est, vt eas potissimum differentias ad vnguem exploratas habeamus, quæ a vulneratis capitis particulis eliciebantur. hæ siquidem sunt, à quibus vniuersa ferè curatio ac indicationes desumuntur. Et quoniam vulnera, quæ in capitis cute consistunt, etiam vulgaribus aperta sunt; quæ autem in osse fiunt, sæpissimè latent: propterea ea imprimis indicia sunt tradenda, quæ cranium ipsum fractum, aut quocunque modo ruptum, ac diuisum indicant. Siue itaque ab incidente, aut perforante, siue à contundente instrumento soluta vnitas, siue fractio aliqua cranio inusta sit, id ex triplici signorum genere nobis potest innotescere. Nam quædam ex symptomatibus, quæ statim ab ictu superuenire consueuerunt; alia à prægressis ictus causis; nonnulla à sensu ipso tanquam adhuc certiori nota tum ab Hippocrate, tum Celso, tum alijs omnibus hauriuntur: Et ideo de his Celsus verba faciens, Pertusa, inquit, caluaria, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit, num oculi eius obcæcati sint, num obmutuerit, num per nares, aures ve sanguis ei effluxerit: num conciderit, num sine sensu quasi dormiens iacuerit. Hæc enim non nisi osse fracto eueniunt. Hæc ille. Quibus Auicennas, & Halyabbas tum oculorum rubedinem, tum vertiginem, ac scotomiam addunt. Nam & Hippocrates ipse scribebat, quod tunc suspicandum os ruptum esse, si vertigo, & caligo vulneratum corripuerit, si in soporem profundum inciderit, & si ceciderit. Augetur autem suspicio, si æger in vulnerandi, seu contundendi actu, & percussione ipsa, veluti streporem quendam fracti ossis percepit. Si verò, subdit Celsus, etiam torpor accesserit, si mens non constat, si neruorum resolutio, vel distentio secuta est, verisimile est etiam cerebri membranam esse violatam, & subinde longè certiorem ossis fracti cognitionem habemus. Sed certissimam, & magis adhuc indubitatam de hac re nobis fidem faciunt ea superuenientia symptomata, quæ cerebrum ipsum diuisum, ac læsum indicant, de quibus post dicemus. Verum nos admonet Celsus, quod, etiamsi nihil eorum, quæ ossis fracturam, aut membranæ cerebrum inuoluentis læsionem indicare diximus, nobis appareat; potest nihilominus dubitari, an os fractum sit? quia quamuis signa hæc, & superuenientia mala sint signa propria; non tamen sunt inseparabilia, quia fieri potest, vt vel ossis fractura sit parua, vel caput patientis sit robustum, & his omnibus resistat. Quare vnà cum Hippocrate & Celso ad causarum ipsius ictus contemplationem descendere oportet, & subinde tum agentis præcipui, & eius, qui percussit vim, & vulnerandi modum; tum passi, & eius, qui percussus fuit, resistentiam, ac dispositionem; tum instrumentum ipsum, quo percussio facta est, exactissimè, si fieri potest, perpendere oportet. Interrogandum igitur an qui percussit, fuerit robustus, vel imbecillus, magnus, vel paruus, iuuenis, vel senex; num cum vehementia, vel absque; num directè vel obliquè; num de industria, ac studio, vel ex improuiso, aut irato animo, vel cum pauore; num ex alto, vel ex imo, num ex propinquo, vel ex remoto loco percusserit. In eo verò, qui fuit percussus, & totum corpus, & caput, & locum affectum perpendimus: & proinde inquirimus, an corpus robustum sit, an debile; an durioris vel mollioris, humidiorisq; temperaturæ; an caput languidum, ac laxum, & molle, & fluxionibus, & dolori obnoxium nactum sit, vel ne; Et qua parte vulnus fuit inflictum: nam in sincipite facillimè rumpitur os: ita in suturarum regione facilè patitur; ægrius rumpitur os frontis, difficilius adhuc occipitis os, quod crassissimum est, necnon ossa temporum, quæ durissima sunt. Organum pariter protinus considerandum, & an lapide, an ligno, an ferro, an alio telo percussio facta sit; & hoc ipso leni, an aspero; mediocri, an vastiore; an magis, vel minus duro, & graui, & solido, & denso; an æquali, vel angulofo: ab hoc enim magis frangitur os, quàm à rotundo, & æquali. Hæc autem omnia sub hisce verbis perstrinxit Diuinus Hippocrates, quæ cum ad rimas, ac contusiones, & sedes in osse discernendas mirificè faciant, ea nos transcribere non piguit: Rumpitur autem os, ait ille, & obscuris scissuris, & manifestis: & contunditur obscuris contusionibus: & intrò ex sua natura maximè cedit, quum alter ab altero sauciatur, de industria sauciare volens: aut quum ex altiore loco sit iactus, aut plagæ ictus magis, quàm ex plano: & si contineat manu telum, siue iaciat, siue percutiat: & si fortior debiliorem vulnerat,

Signorum genera tria.

Symptomata superuenientia.

Celsus lib. 8. cap. 4.

Causæ prægressæ.

Hippocr. & Cels. loc. cit.

Hipp. lib. cit. prope med.

Ex his

Ex his verò, qui cadentes vulnerantur ad os, is, qui ex altissimo loco cadit, & in durissimum, ac obtusissimum, huic periculum est, ne os & rumpatur, & contundatur, & intrò cedat ex sua natura, id est ex naturali suo loco, & superficie. Ei verò, qui ex plano magis loco cadit, & in molliorem, os minus hæc patitur, aut etiam non patitur. Quæcunque verò illabentia in caput tela ad os vulnerant, ex his id quod ex altissimo loco illapsum est, & minimè ex plano, & quod durissimum, ac obtusissimum, & grauissimum, ac minimè leue est, & quod minimè acutum, ac molle, hoc & rumpit, & contundit, præsertim si e directo aduersus telum os sauciari contingat, siue ex manu percutiatur, siue iactum suscipiat, siue quid ipsi incidat, siue ipse collapsus saucietur, ita, vt, quomodocunque sauciatus, osse aduersus telum occurrat. Quæ verò tela ex obliquo os sauciant, minus & os rumpunt, & intrò ad caput contundunt, etiam si carne fuerit os denudatum. Ex telis autem maximè os rumpunt, & manifestis, & obscuris fissuris, & contundunt, & intrò cedere faciunt, quæ sunt rotunda, & orbiculata, & plana vndequaque, & obtusa, & grauia, & dura. At tela oblonga, multum tenuia, & acuta, & leuia carnem magis dissecant, quàm contundant, & os eodem modo: & ita sedem inducunt. Verum non valde os contundunt talia tela, neque rumpunt, neque intrò cedere faciunt. Hæc Hippocrates. Tertio loco sunt indicia, quæ sensu ipso comparari possunt: Et imprimis ad artis ostentationem vult Hippoc. vt capillos circa vulnus consideremus, an dissecti sint à telo, & an intus sint in vulnere: Si enim id est, periculum est os carne nudum esse: & dicere oportet, os à telo læsum esse: idq; prædicendum, antequam hominem contingamus: deinde vulneris ipsius magnitudo nobis sese offert consideranda, num scilicet latum sit, vel angustum, & si latum, num fractura hians, ac patens appareat. & dum vulnus ab incidente instrumento factum est, ita, vt dissectio seu sedes (idem enim sunt apud Hippocratem) contracta sit, oportet & vulneris magnitudinem, longitudinemque potissimum, & cutis, quæ parti affectæ circumposita est, crassitiem, & tenuitatem, & ossis rotunditatem accuratè perpendere. Vnde scribebat Auicennas, quod aliquando deuenimus in cognitionem ossis læsi ex vulneris sola longitudine. Si itaque vulnus longum sit, & in sincipite, quo in loco cutis tenuis est, iure optimo dubitamus de fractura, quia os rotundum ibi est. In temporibus verò, quia multa caro inibi est, & os non rotundum, sed depressum est, etiam si vulnus longius; tamen adhuc ambigimus, & putamus potius os incisum non esse. certiorem verò huius rei notam acquirimus, si instrumentum incidens, vel perforans vnà cum ipso vulnere conseramus. Magna itaque incisio, atque contusio ossis læsionem arguere valent. Verum nihil melius est, inquit Celsus, quàm certiore id nota explorare. Ergo quà plaga est, demitti specillum oportet, neque nimis tenue, neque acutum, ne quum in quosdam sinus naturales inciderit, opinionem fracti ossis frustra faciat: neque nimis plenum, ne paruulæ rimulæ fallant. Vbi itaque specillum ad os venit, si nihil, nisi leue, & lubricum occurrit, integrum id videri potest. Si quid asperi est, vtique qua futuræ non sunt, fractum os esse testatur. Potest autem sutura eo nomine fallere, quia æquè aspera est, vt aliquis hanc esse (etiam si rima est) existimet eo loco, quo subesse hanc verisimile est. Ergo eo nomine decipi non oportet, sed os nudare tutissimum est. neque enim certa sedes suturarum est, & potest idem & naturaliter commissum, & ictu fixum esse, iuxtave aliquid fissum habere. Verum ante Celsum Hippocrates ita scriptum reliquit: Quum os (ait) carne denudatum à telo fuerit, & circa suturas vulnus sit, difficile est sedem teli deprehendere, quæ in alio osse manifesta est, an insit in osse, aut non insit, & an sedes facta sit in ipsis suturis. Occultat enim ipsa sutura asperior existens reliquo osse, & non satis clarum est, vbi in ipso sutura est, & vbi ossis sedes, si non valde magna sedes fiat. Accedit etiam ruptio ad sedem, sæpe & ipsa in suturis contingens, & fit etiam hæc ruptio cognitu difficilior, eò quod circa suturam fit, si rumpitur, vt plurimum. Procliue enim est, hac parte os rumpi, ac dissolui propter ossis hac parte debilitatem, ac raritatem, & quia parata sit sutura, vt rumpatur, ac dissoluatur. Nam reliqua ossa suturam ambientia ruptionis expertia manere possunt, eò, quod robustiora sunt, quàm sutura. Verum ruptio circa suturam facta etiam dissolutio suturæ est, & non facile est deprehendere, neque si à teli sede fiat in sutura, vbi rupta fuerit, ac dissoluta. Verum difficilius est deprehendere fissuram ex contusione. Fallunt enim & mentem, & visum Medici hæ suturæ fissuræ speciem referentes, & reliquo osse asperiores existentes, nisi vehementer dissectæ fuerint, ac dissolutæ.

Auic. 4.4. cap. proprio.

Celsus lib. 8. cap. 4.

Specillo quo fractura sit exploranda.

Hippocratis animaduersio, ne fallat nos futura.

Proinde

Proinde si circa suturas vulnus factum fuerit, & ad os telum incubuerit, animaduersionē habere oportet, & inuenire, quod os passum sit. Nam ab æqualib. magnitudine telis, & similibus, & multò minoribus, & similiter, & multò minus vulneratus, longè magis malū accipit, qui in osse in suturas telum recepit, quàm qui non in suturas. & pleraq; horum perforare oportet; non tamen ipsas suturas, sed secedendo in propinquo osse perforare. hęc ille. Quibus adhuc non contentus Celsus, scribebat, quod vbi ictus fuerit vehementior, quamuis specillo nihil inueniatur, tamen aliquid ossis nudare, vulnusq; magis aperire cōmodius est, præsertim cum suturarū certa sedes non sit, periculumq; sit, ne nos fallant, quemadmodum magnus Hippoc. à suturis se deceptū esse fatetur. Et si nudato osse ne tum quidem rima manifesta est, inducendum super os atramentum scriptorium, deinde scalpro id deradendum. Nigritiem enim continet, si quid fissum est. Quod quidem eiusdem Hippocratis fuit præceptum. Si enim scribebat ille, suspiceris os ruptum, aut contusum esse, aut ambo hæc; coniectura facta, quod vehementer quis sauciatus sit, & quod à forti id contigit, & quod telum ex maleficorum ordine fuit, & quod vertigo, & caligo ipsum corripuerit, aut altus sopor, & quod ciciderit; his ita contingentibus, si non cognoscas, an os ruptū sit, an contusum, an ambo hęc, etiam si, nudato osse nihil aut rimæ, aut contusionis videas, super os tamen aliquid maximè nigri coloris nigro medicamento liquato subactū imponere oportet: & sub extento linteo oleo imbuto super vulnus, & deinde mazæ cataplasmate apposito deligare: postridie verò exsoluto, ac expurgato vlcere deradere. Et si sanū non fuerit, sed ruptum, ac contusum, reliquū quidem os rasum album erit, fissura verò, & contusio, quę nigrū medicamentū eliquatum in seipsam recepit, in reliquo osse albo nigra erit. Cæterum hanc fissurā conspectam rursus secundum profunditatē radere oportet: & si quidē radens fissuram hanc conspectā nigram exemeris & deleueris, è conspectu sublatā, contusio minor facta fuit, & minus timenda hæc est, & minus negotij exhibuerit, fissura deleta: Si verò, dum raditur, deleri nolit, ad perforationē deuenit hæc calamitas, & perforare oportet, ac de cætero vlcus curare. Vult itaq; Hipp. vt primò os atramēto aliquo nigro inficiamus; secundò, vt superponamus linteū extensum oleo imbutum; tertiò, vt cataplasma ex maza superponamus; quartò, vt postridie, resoluto vulnere, deradamus caluariam: quia si deraso osse albū appareat, læsum non est; si nigritie infectū, fractum est. nam in rimis latentib. atramentum in ossis substantia imbibitur. Alij autē volunt, vt sumantur thuris, ladani, & ceræ an. ℥. iij. resinæ therebin. farinæ fabacæ an. ℥. ij. & omnia simul mista imponantur, & si etiā cutis craneo superposita sit, capillos deradendos esse iubent; postridie verò resoluto vulnere, si in aliquo loco medicamentū fuit exsiccatum, asserunt ibi fracturam reperiri. Nonnulli autem contusionem ipsam per nigredinem ossis cognoscendam esse iubent. Hos tamen iure merito reprehendit Fallop. quia ossa, si bene tractentur, non semper nigrescunt, & contusa in externa potius superficie, & rarò in interna nigrescūt, idque post longū tempus. Vnde ipse satis efficax indicium nobis scriptum reliquit, & inquit, quòd vbi os caluariæ contusum fit, in eo quædam nubeculæ, seu maculæ, seu puncta quædam alba, ad instar macularum, quæ in vnguib. albæ (quibus rubicundæ partes vnguium circumstant) conspiciuntur, & mendacia vulgò dicuntur. dum enim contunditur os, in primo contusionis termino, vel per duos dies post contusionem, vel etiam tres, adhuc viuit, & nutritur pars ossis continens sanguinem: post triplicem autē diem sanguis exhalat, qui in contusis partib. continetur, quia partes contusæ ab integro osse sano latenti separatione segregatæ sunt, & ob id communicationē alimenti ab his non habent: hincq; cessat in eis rubedo. nam ossa mortua sui natura terrestria, candidaq; sunt: & ita albæ illæ maculæ superstites relinquūtur. His autem addit Guido dolorē, quem in affecto loco persentiunt ægrotantes, ratione cuius affecto loco sępe manū admouent: necnon dentium stridorem. dum enim percutitur filum, quod dentib. apprehensum tenent, strident: & dum paleæ nodum frangere conantur, aut aliquid, quod durum sit; non tamen frangibile, sed tenax, vt telam, vel chartam triplicatam vtraq; maxilla comprimunt, strepitum, seu stridorem in parte fracta percipiunt, & sæpe læduntur. Verum quoniam, vt dictum est, solet etiam euenire, vt altera parte fuerit ictus, & os altera fiderit: ideo, vt id saltem in progressu (quia in principio id fieri nequit) cognoscamus, inquit Celsus, dum aliquis grauiter percussus est, & mala indicia, de quibus suprà, subsequuta sunt, & ea parte, qua cutis discissa, aut contusa est, rima non reperitur, non incommodum est, parte altera considerare, num quis locus mollior sit, & tumeat, eumque aperire.

Margin notes: *Celsus lib. 8. cap. 4.* — Atramentū scriptorium quō fracturam patefaciat. — Falloppij signum certum contusionis. — Guidonis, & aliorum signa. — Signa fracturę in parte contusioni opposita. — *Celsus lib. 8. cap. 4.*

Siquidem ibi fissum os reperietur,nec tamẽ magno negotio cutis senescit,etiamsi frustra desecta est. Os antem fractum,nisi succursum est, grauibus inflammationibus afficit,difficiliusq; postea tractatur. Raró,sed aliquando tamen euenit,vt os totum integrum maneat; intus veró ex ictu vena aliqua in cerebri membrana rupta aliquid sanguinis mittat,isq; ibi concretus magnos dolores moueat,& oculos quibusdã obcęcet.Sed feré contra id dolor est,& eo loco cute incisa pallidũ os reperiť: ideoq; id quoque os excidendum est. Si veró fractura non in opposita, sed in propinqua potius,& fere sibi conterminali parte fiat, osq; contusum fuerit nudatũ, vt à viris magni nominis satis longa experientia fuit probatum,his signis dignosci ac manifestari consueuit. Vulnus in alijs quidem partib. cicatrice obducitur,in ea veró,quæ fracturã latentem respicit,nullo pacto sanatur: Hac eadem parte caro mollis,& flaccida supercrescit,ac luxuriat: Ab eadem parte ichor,& sanies quædam tenuis defluit: Sanies,quæ ab ipso vulnere segregatur,copiosior est,quàm pro vulneris ipsius magnitudine fieri deberet: per interualla febricula quędam oritur: Si specillum angustum,seu tenue,vbi apparent omnia signa iam dicta inter cutim,& cranium immittatur,hæc inuicẽ separata inueniuntur,& vsque ad fracturę locũ peruenit, ibiq; fracti ossis asperitas persentitur: Et postremo in eodẽ fracturæ loco cutis intumescit,ac mollis fit.

An fractura pueniat vsque ad cauitaté, vel ad vnam solam cranij laminam.

Vtrum autem fractura perueniat vsque ad cranij cauitatẽ, & duram ipsam meningem,vel ad primæ solum laminæ cauitatẽ, & vsque ad vocatam vitreã exclusiuè,quatuor præsertim signis id assequimur. Si enim præcipiamus laboranti,vt ore,& narib. obturatis,spiritum,& anhelitum comprimat,si ambæ laminæ sint pertusæ, ac fractæ, humor, vel spiritus vnà cum ipso mixtus per rimam exire, & pullulare conspicitur. Secundo præcipiunt Guido, & alij complures, vt accipiamus puluerem mastiches, & oui albo exceptum, ac linteo extensum super rimam imponamus. Si enim sequenti die ea vnguẽti pars,quæ rimæ superponitur, est magis sicca,& arida,signũ certum est,rimam,aut incisionem vsque ad totius cranij cauitatem deuenire. Contrà si non siccetur,& magis inibi arescat: quia calor ex intimis partib. expirat,& exhalat. Tertiò,vti etiam superius ex Hipp. docuimus,rima scriptorio atramento est inficienda,& deinde scalpro deradenda: quia si in derasione semper nigredo perseueret, rima, & fractura vsque ad intimiorẽ cranij cauitatem permeat. Quarto,si caluaria virga percutiatur,hæc sonitum quendam raucum,& obscurũ reddit.

Signa duræ membranæ læsæ.

Celsus lib.8. cap.4.

Si veró etiã dura cerebri membrana sit violata,iis omnibus symptomatib. quæ fractæ caluariæ superuenire superius diximus, vt inquit Celsus, accedit torpor,mentis inconstantia alienatiove,neruorum vel resolutio,vel distentio: Insuper facies,& oculi rubent,febris sequitur acuta,dolor infestus est,& præter nauseam,ac vomitũ appetentia prosternitur, & vigiliæ vigent. Quod si membrana ab aliqua ossis squama prematur,vel pungatur,ægrotantes affirmãt se punctionem quandã in ea parte persentire;aut,si loqui non possint,vel delirent,sæpe manus,vbi est frustulum ossis,admouent. Pariter dum premitur membrana,sæpe vomitus,vel delirium superuenit subitò,& depressio sensui apparet. ex qua cum cerebrũ opprimatur, stupor etiã superuenit.

Signa vulnerati cerebri.

Celsus lib.5. cap.26.

Demum tenui mẽbrana ac cerebro ipso vulnerato, inquit idem Celsus,sanguis per nares,quibusdã etiam per aures exit,fereq; bilis vomitus insequitur. Quorundam sensus obtunduntur,appellatiq; ignorant,quia non audiunt: Quorundã trux vultus est; quorundam oculi quasi resolui,huc atq; illuc mouentur: Fereq; tertio,vel quinto die deliriũ accedit. Multorum etiam nerui distenduntur. Ante mortem veró plerią; fascias,quibus caput deligatum est,lacerãt, ac nudum vulnus frigori obijciunt. Vulneris autẽ excrementum crassum,& album medullæ,aut pulti simile exit.

Hipp.6.aph. 50.

Gal. in com.

Vult autem Hipp. vt præciso cerebro tum febris,tum bilis vomitus necessario superueniat: febris quidem,ait Gal. ea ratione communi, qua quolibet membro principali patiente inflammatio ipsa subsequitur; bilis veró vomitus compatiente ventriculo propter eius cum cerebro communicationem, ore præsertim ipsius,ad quod terminatur neruorum coniugatio notatu digna.

Paul. lib. 6. cap.88.

His Paulus addit capitis dolorẽ, oculorumq; inflammationem cum linguæ rubore. Si veró membranarũ,ac cerebri vulneri inflammatio ipsa superueniat,mẽbranæ ipsæ intumescunt,extraq; vulnus eminent,& rubent,& immotę seruãtur. Oculi rubent, ac inflãmantur,ita,vt a capite egredi videantur,mobiles redduntur,& obliqui non nunquã,ac distorti fiunt. Febris,& inquietudo valde molesta sunt,delirant,& conuellũtur.

Præsagia.

Quamuis autem in lib. de capitis vulner. qui Hipp. ab omnibus,& ab ipso quoq; Gal. fuit adscriptus, legamus in Cornarij translatione,nullũ capitis vulnus leuiter contemni debere,cũ reliquis,quæ sequuntur,vsque ad illa verba { Hominum

capita

capita nihil inter se similiter habent) sciendum nihilominus hæc non ab Hipp. ipso scripta, sed ab alijs posterioribus fuisse superaddita, quemadmodum etiam apud Græcos quosdam codices varia addita sunt: quinimò ita referente Gal. vltima istius libri pars Hippocratis legitima non est. Quare sententia hęc, quæ in principio libri circumfertur, & ad prognosticum attinet, tum quia falsa est, tum quia Hippoc. non est (si enim id dixisset, valde inordinatè fuisset loquutus) omnino expungi debet. Nam vulnera, quæ in capite absq; cranei, musculorumq; temporalium, & internarum partium læsione contingunt, omni prorsus periculo vacant. Si autem caluaria læsa sit, vulnus periculo non caret, & nullo pacto vel leuiter cõtemni debet; minus tamen periculi affert, si superior, seu exterior tantũ lamina icta sit, & minus adhuc, si solum incisa sit. Nam contusa maiorem metũ inuehit, potissimum si rimam contraxit, quæ vsque ad meditullium permeet. Si verò vtraq; lamina diuisa fit, ita vt vel sectio, seu sedes, vel contusio, & rima vsq; ad concauã internæ laminæ superficiem perueniat, & tota caluaria aperta sit, maius periculum imminet; minus tamen si sedes sit, & lata, ac satis patens, qualis est etiã concameratio dicta: Nam fissuræ latę, & amplę, quę apparent statim, vel opportunis diebus, negotij, atq; periculi minus exhibent, vt ex Hipp. scriptis colligimus: maius, si angusta: maius adhuc, si sit contusio, & rima, & multò maius si rima angusta sit, maximum verò, si fit in parte diuersa, & longinqua ab ea, quæ contusa fuit, quam Hipp. calamitatem vocat. Verum vt in caluaria penes ambas laminas, & vsque ad intimã superficiem fracta, certius pro gnosticum proferamus, oportet ambientem aerem, & potissimum regionẽ ipsam, & locum vulneris, & capitis dispositionem, & potissimum ea, quæ superueniunt, symptomata exactè contemplari. Sicut enim æstate vulnera hæc magis periculosa sunt propter superuenientis inflammationis periculum, & hyeme, quia cerebrum sui natura frigidũ est; ita in humidis regionib. magis periclitantur ægrotãtes, quàm in siccis, quia cerebrum ab humidis valde læditur. Ob id quædam sunt regiones, in quibus capitis vulnera alioquin magna etiã ab ipsis mulierib. curantur, quemadmodũ Romæ, & alijs Campaniæ, ac Romandiolæ locis contigisse certò scimus: In alijs verò vt plurimũ lethalia sunt. Nos enim Patauij vidimus vt plurimum simplicem cranij penetrantẽ fracturam sine membranarum læsione sub manib. alioquin præstantissimorũ Chirurgorum necem attulisse. Neapoli pariter capitis vulnera periculosissima sunt. Ad hęc vulnera, quæ in sincipite, ac media capitis parte fiunt, maximum minantur periculũ, tum quia nullus ibi reperitur ductus, per quem materia excrementitia, quæ à vulnere segregatur, expurgari possit, & quomodocunq; æger decumbat, & sese vergat, nullus saniei commodus effluxus patet; tum quia ibi copiosum residet cerebrum. in posteriori capitis parte propter causas oppositas res contrario modo sese habet: quæ in anteriori fiunt parte, mediam habent dispositionem, dummodo cætera sint paria, & nulla in internis partib. sit læsio. quod dictũ sit, quia dum os occipitis vsque ad internã superficiem frangitur, per viam signi potest magnum metum, & periculum afferre, quia causam, potissimumq; cõtundentem, valde magnã, ac violentam arguit, à qua dum os ita durum, & crassum fractum est, potuerunt quoque in opposita præsertim, aut alia cerebri, aut membranarũ parte & venulæ, & arteriæ disrumpi. In temporibus verò, ac lateralib. capitis partibus vulnera sæuissima, ac maximè periculosa euadere solent propter musculi temporalis læsionem, cuius vi & deliria, & conuulsiones, & alia sæua symptomata excitantur. Quod autem vulnera, quæ in suturis contingunt, valde quoque periculosa sint, & propter duram meningem per ipsas transeuntẽ, & propter caluariæ imbecillitatẽ, superius cum Hipp. declarauimus. Similiter vbi caput sui natura imbecillum sit, ac destillationibus obnoxium, quemadmodũ sunt capita senum, malum valde periculosum est: Sicuti pueri è conuerso propter innati caloris affluentẽ copiam, magnas quoque cranei fracturas sustinent: Inter hos mediant iuuenes, & alij in media ętate constituti, qui quanto magis ad hos vel ad illos declinant, tanto vel minus, vel magis periclitantur. Non debemus itaq; in cranei fractura semper mortẽ pronunciare, vti nonnulli faciunt: neq; ita audaces esse, vt futurã salutem polliceamur, vt alij consueuerunt. Itaque si nullum ex iam dictis symptoma superueniat, & possumus omnia exactè agere, possumus prædicere vulnus quidem periculosum esse, non tamen per se lethale, dummodo æger Medici præceptis obtemperans sit, & assidentes, ac Medicus strenuè se gerant. Si superueniant accidentia, vt verbi gratia febris, vulnus ex Hippocratis sententia periculosissimum euadit: Et idem dicendum, si caput præter modum calidum, ac destillationibus, & grauedinibus obnoxium sit.

Quod si patiens sui natura erysipelata in capite patiatur, maximũ quoque ex eiusdem decretis periculum imminet. Quod si vulneris labia depressa, & non tumida in secunda visitatione appareant, malum grauissimum est. In vulneribus enim *Hippocr. 5. aph. 66.* fortibus, ait Hipp. nisi tumores superueniant, malum. Pariter si contingat, vt os in principio denigratum appareat, mors prædicenda est: ita si vigiliæ superueniant, &. corpus cacochymum sit, lethale vulnus existimandum: Quemadmodum etiam vbi sopor, vel vertigo superuenit, mors timenda est. Si nihil ex his adsit, vulnus periculosum quidem; non tamen mortale pronunciandum, dummodo rectè pertra- *Celsus lib. 8. cap. 4.* ctetur. In omni siquidem cranij fractura timendum est, &, vt ait Celsus, difficilis curatio sese offert. Quod si interior lamina fracta sit, exteriore superstite remanente, adhuc maius imminet malum, præsertim si spiculũ ossis è contusione recedens duram membranam pungat. Sed maximum instat malum, si rima in alia parte ab ea, quę contusa est contrahatur, aut aliquod vasculũ intus rumpatur in parte, quàm ignoramus. Quod si cerebri dura membrana violata sit, in angusto spes est. Sed si tenuis membrana, & cerebrum ipsum incisum sit, adeo exigua relinquitur spes, *Hippocr. 6. aph. 18. Gal. in com.* vt dixerit Hippoc. hoc esse lethale: Non tamen necessariò moriuntur, vt eius interpres Gal. ait; sed vt plurimum. Cerebrum enim vulneratum, inquit ille, sæpe sanatum vidimus, semelque in Smyrna Ioniæ, viuente adhuc præceptore Pelope, è vulnere effatu digno. Hoc itaque rarissimum est. Verum autem est, quod magna vulnera, quę discissiones consueuit Hippoc: appellare, afferunt mortem, fatenturq; omnes vulnera cerebri, quæ vsque ad aliquem eius ventriculum penetrant, afferre mortem. Ex quibus Galeni dictis colligimus, quod dum cerebrum non prope ventriculos, neque circa basin ipsius vulneratur, homo potest euadere, quia cerebrum non est vitæ principium, neq; durum, neque calidum, nec in motu perenni, quemadmodum est ipsum cor: & cerebro vulnerato tum manus, tum medicamenta facilè possumus admouere. Veruntamen quia cerebrum inter præcipua membra connumeratur, & sensus, & motus, omniumq; neruorum principiũ est, eius vulnera vt plurimum lethalia sunt. ei siquidem omnes nerui facile compatiuntur, ac subinde omnes partes corporis conuelluntur. conuulsio autem ex vulnere lethalis est, vt ait Hippocr. Quod si aliqua eius particula ex toto abscissa, & separata sit, longè magis lethale est tale vulnus; & ferè desperata iam salus est. Quamuis autem nonnunquam Chirurgi quidam imperiti affirment, se vidisse à vulnere exire substantiam cerebri, & vulneratos euasisse, nihilominus decipiuntur sæpissimè eò, quia dum capitis vulnus vsque ad cerebri substantiam pertingit, humiditas quędam excrementitia, eaq; viscida per vulnus expellitur, quam, cum cerebri substantię persimilis sit, cerebrum esse arbitrantur: Sed falluntur: quia impossibile est, vt cerebri substantia adeo tenui meningi cohærens, tam copiosa, & alba, per vulnus egrediatur. Ad hæc cerebri, & eius membranarum vulnera vt plurimum lethalia sunt; quia ad læsionem cerebri, sępius thoracis, ac membrorum respirationi inseruientium lęsio subsequitur, ratione cuius cordis temperies labefactatur, atque corrumpitur, & subinde totum animal, vt Gal. asserit perire necesse est.

De Capitis vulnerum indicationibus & curatione. Cap. XIX.

HIS autem de pręsagijs exaratis, tempus est, vt indicationes *Indicationes, & curatio.* iam subijciamus, in quibus licet auctores diffideant, non possumus nihilominus eorum sententiam non approbare, qui nullum capitis vulnus per agglutinationem ipsam, *Si vulnus sit sine ossis fractura.* & simplicem coalitum, qui merito futuræ, aut ligaturę fit, curare aggrediuntur. Si enim sola capitis cutis incisa sit, propter capitis rotunditatem vulnus est adeo breue, vt eius labia inuicem distantia adeo esse non possint, quin & facilè vniri, & ambientis aeris noxam arcere valeant. Agglutinatoria autem deligatura ex omnium consensu propter eandem capitis sphęricitatem adhiberi nullo pacto potest. Si verò etiam pericranium dissectum sit, tum sit tenue neruosum, ac durum, vt in sermonibus vniuersalibus docuimus, nequaquã per se vniri, & per simplicem coalitum adhęrere; sed solum aliorum ope colligari potest. Insuper inciso pericranio, necesse est, vt caluaria ei subiecta, quæ firmissime ei adhęret, aliquam noxam patiatur, quę quidẽ proculdubio aut scalpro aut alio auxilio auferenda est: alioquin corrumpitur, & est in causa, vt vulnus ad

cicatri-

cicatricem perduci nequaquam poſſit. Hinc Galenus ſecto pericranio, iubet, vt os ſubiectum deradatur, tum vt noxa, quam ab inſtrumento vulnerante, & ambiente aere paſſum eſt, auſeratur (ſi enim ſine deraſione permittatur, ſquamam emittit, & vulneris curatio protrahitur) tum vt ſcalpro læuis illa ſuperficies auſeratur, & os aſperum reddatur, eiq́ue caro copioſior genita facilius adhæreſcat. Copioſior autem, ac facilius caro gignitur: quia ſub hac deraſione venularum ora aperiuntur, ſanguisq́; facile ſuppetit. Si itaque ſola cutis, & pericranium inciſum ſit, os autem noxam, quæ momentanea ſit, non contraxit, ante omnia capilli circa vulnus raſorio remouendi ſunt, capite cum aqua, & oleo prius humectato: Deinde pus mouentibus, detergentibus, ſarcoticis, ac tandem epuloticis, de quibus vberius in vniuerſali ſermone diſſeruimus, curatio peragenda eſt: Id vnum tanquam peculiare huic loco annotare debemus, quod dum os deraditur, vt caro facilius in eo gignatur, antequam pharmacum ſupra labia vulneris ponatur, ſarcoticum valentius, & proinde tum poteſtate, tum actu ſiccum, & in forma ſolida ſuper os ipſum, quod ſui natura terreum, & ſiccius, ſicciora medicamina exigit, imponendum eſt: Vnde inſpergendus puluis à Galeno capitalis dictus, & ex æqua radicis iridis, ariſto- *Gal.6.method.6.* lochiæ, thuris, maſtiches, orobi, ſarcocollæ, myrrhæ, aut alterius, quod ſine morſu valenter ſiccet, portione confectus. In humidioribus autem naturis thus reliqua ſuperare debet. Quinimò in pueris ſolum inſpergi poteſt. Præſidia verò, quæ ſanguinem ſiſtunt, dolorem remouent, & inflammationem prohibent, ex alibi dictis ſupponuntur. Pro ſedando autem dolore omnes roſaceo oleo, eoq́ue calido vtuntur, quo partes circumcirca vulnus madefiunt. Et quia ſanguinis profuſio potiſſimum ſubſequitur, dum vulnus eſt in temporibus propter vaſorum illius loci multitudinem, & magnitudinem, ideo præter reliqua præſidia, de quibus ſuo loco diximus, lintea aqua frigida aut ſimplici, aut cum aliqua aceti portione permiſta, infuſa collo eiuſdem lateris admouenda, & prout calfiunt, ita ſubinde immutanda, ac frigida adhibenda.

Si os fractũ ſit, & diuiſio vſque ad internã cranij ſuperficiẽ nõ permeet.

Si verò os quidem fractum, ac diuiſum ſit, fractura tamen ad intimam ipſius ſuperficiem, & duram membranam non perueniat, ſuppoſita ac præmiſſa ſectione cephalicæ, vel communis venæ eiuſdem lateris, ſi vires, & ætas ferant; aut cucurbitulis ſcarificatis dorſo, & partibus infernis applicitis, dum hæc venæ ſectionem non permittunt, cutis ſuppoſita, ſiue ſolum contuſa, ſiue inciſa ſit, ſi nondum ſatis pateſacta eſt, latius aperienda eſt, donec quicquid læſum eſt, in conſpectu ſit. In quo ipſo, vt docet Celſus, videndum eſt, ne quid ex ipſa membrana, quæ caluariam ambit, & pericranium vocatur, ſuper os relinquatur. *Celſ. lib.8. cap.4.*

Chirurgica præſidia.

Siquidem hæc ſcalpro, terebrisve lacerata vehementes febres cum inflammationibus excitat. Eius enim noxæ duræ membranæ, à qua ortum trahit, facillimè communicantur. Itaque eam vel lato ſpecillo, vel potius digitis ac vnguibus ipſis commodius eſt ex toto ab oſſe diduci. Plagam verò, ſi ex vulnere eſt, talem neceſſe eſt habeamus, qualem accepimus. Si manu facienda eſt, ea ferè commodiſſima eſt, quæ duabus tranſuerſis lineis crucis, ſiue literæ X figuram accipit, vt deinde à ſingulis procedentibus angulis cutis ſubſequatur: Inter quos ſi ſanguis fertur, ſpongia ſubinde in aceto tincta, ſi corpus ſiccius, ac robuſtius ſit, cohibendus eſt, occupandusq́ue obiectis linamentis, & caput altius excitandum. Hæc Celſus. Sed quia ipſe medebatur Romæ, vbi erant homines robuſtiſſimi; noſtra autem tempeſtate homines imbecilliores, ac molliores ſunt: ideo melius eſt ſanguinis fluxioni, ac dolori linamentis oui albo imbutis occurrere; &, ſi dolor magis vrgeat, etiam oui luteum permiſcere. Ita ad dilatandum vulnus, & ſanguinem ſiſtendum poſſumus poſca vel vino auſtero linteola madefacere. Hæc autem cutis, & pericranij inciſio ſolum in parte, quæ neceſſariò detegi debet, facienda eſt: & muſculus temporalis omnino ſugiendus: quia, dum ſecatur, maximas inflammationes, cõuulſiones, & deliria (neruoſiſſimus enim eſt, & prope cerebrum) excitare ſolet. Pariter omnes clamant, & id iure, vt ſuturæ omnino caueantur; Non enim in ijs ſectio abſque periculo fit, cum per ipſas pericranium à dura matre exortum pertranſeat. Quare ſectio ad latera ſuturarum facienda; non in ipſis. Si autem ſectus ſit muſculus temporalis, & ſectio ſit per longum, vulnus linamentis aperiendum, & poſtea ſcalpro blandè, ac tenuiſsimè os deradendum. Si verò ſectus ſit per tranſuerſum, aut punctus, lethale penitus eſt vulnus. Demum cum ſectio fit circa frontem, animaduertendũ, ne ſectio fiat per tranſuerſum: quia muſculo, qui palpebram attollit, per tranſuerſum ſecto, palpebra decidit, & oculus in poſterũ non poteſt bene aperiri: Ideo ſectio recta ab inferiori ad ſuperiora per

rectum molienda: & si hæc sectio non sufficiat, aliæ duæ sectiones, ab eodē puncto, sursum, & per obliquū faciendę ad formam trianguli: quia sic vna fibra alteram musculi fibram sustentat. Ossis itaque fractura siue contusio, siue sedes, siue rima fuerit, patefacta, antiquiores Medici, vno excepto Celso, ad ferramenta veniunt, & iure optimo iubent, vt ossis fractura scalpro, vel cyclisco aliquo tamdiu deradatur, quamdiu ipsius vestigium aliquod alioquin exiguum nobis apparet. Celsus autem antiquorum sententiam alioquin optimam paruipendit: quia, inquit ipse, melius velamen esse cerebro cranium, & os ipsum, quàm carnem, quæ concrescit, vbi os derasum est. Sed facilè ei respondemus: quia non magnas, & amplas ossis excisiones, & abrasiones molimur, sed paruas. & licet maiores efficeremus, nihilominus caro, quæ inter os abrasum concrescit, tractu temporis in callum, imò in duram, ac ossium substantiam migrat. Alimentum enim quod ad locum excauatum, &, vt ita dicam, rimosum affluit, pro nutriendo osse, ibi feruet, ebullit, ac concoquitur, & tantus feruor est, vt eliquet, extendat, & in tumorem eleuet substantiam ossis, & ita sensim obdurescit, & sic vnum, & idem fit os, & ita caluaria integra restituitur. Tanta enim est vis substantiæ ossis circumstantis, & tanta vis loci, in quo os naturaliter collocatum est, vt callus, qui gignitur, progressu temporis osseus fiat. Vnde mirum non est, si Hippocr. toties locum ossis, naturam, in libello de capitis vulneribus, appellauerit: quia locus naturæ instar proprium locatum perficit, ac conseruat; Altera autem ex parte, si quemadmodum consulit Celsus, os non deradamus, & emplastra prius experiamur, vt plurimum nigrescit, & ita maiori cum periculo cogimur ipsum deradere. Adhęc in ossis fissura facilè sanies à labijs vulneris segregata colligitur, quam, osse non abraso, ac dilatato, vix possumus abstergere: Collecta verò os subiectum putrefacit. Insuper abrasione ipsa omnes ossis inæqualitates, quæ carnem pungunt, auferimus, & quod longè magis refert, profunditatem exploramus. Dum autem os siue excisorio, siue derasorio, seu raspatorio scalpro deraditur, vulneris labia paruis linteolis, ne à scalpro, aut aere lædantur, munienda sunt; rima verò atramento aliquo infecta secundum longitudinem deradenda. Scalprum verò, quia ex longo attritu incalescit, & os inflammat, vel in rosaceo oleo, vel aqua infundere oportet, vel immutare: quod longè præstantius est, cum a maiori, & latiori scalpro ad illud, quod angustius est, semper in derasione declinandum sit, quousque tandem ad angustissimum sit deuentum, vt scilicet minor, quantum fieri potest, ossis portio eximatur. Ob id oportet multos & maiores, & minores in promptu esse. Cum autem vel excisorij sint, vel derasorij, excisorium, quæ magis sunt in vsu, & similes sunt ijs, quibus scalpimus lignum, plures sunt formæ: alij enim curui sunt; alij circularem, nonnulli triangularem, quidam acutiorem, alij ligonis formam habent: Recurui tamen citius operationem efficiunt. Vnde de cauis excisorijs scalpris, quos Græcè cycliscos vocant, & de scalpellis angustis sermonem habens Gal. scribebat, quod simplices fracturæ, quæ vsque ad secundam laminam, quam Græcè diploen vocant, perueniunt, ijs quos modo diximus, angustis scalpellis egent. Expedit autem hos vt numero multos, ita magnitudine impares esse, necubi desit, quod operi sit commodissimum, & nudato vitioso osse, utendum primo latiore, secundo loco eo, quod illo est angustius, mox ita reliquis deinceps vsque ad angustissimum, hoc verò in ipsa diploe est vtendum. Post hæc tum protinus, tum ad finem vsque siccis medicamentis est vtendum, quæ ob id ipsum cephalica Græcè, id est capitalia sunt dicta. Ea componuntur ex iri Illyrica, & erui farina, & manna, & aristolochia, & panacis radicis cortice: in summa, omnibus quæ extergere citra morsum possunt, ipsa enim generatio carnis naturæ opus est. Vt autem, quæ prouenit, caro coalescat, circumhæreatque omni ossis parti, id inde maximè eueniet, si neque sordes super eo sit, nec oleosa quæpiam pinguitudo. Id igitur est, quod ægris Medici ad carnis productionem præstant, vt totus locus siccus sit, tum qualibet vitiati ossis pars planè pura: atque hæc quidem omnium fracturarum, cum caro in his produci incipit, communia sunt. Ex his itaque à Galeno propositis elicimus, quod supra os durum, & siccum inspergendi pulueres capitales dicti, & ex prænominatis medicamentis, aut etiam sanguine draconis, sarcocolla, myrrha, cornu cerui, orobo, & id genus alijs confecti. inspersi enim supra os carnem gignunt, & rimam carne replent, & propriam, ac naturalem ossis temperiem seruant. Supra hos pulueres optimum est siccum linamentum imponere, quod etiam in principio, dum pulueres illos non habemus, os ipsum optimè conseruat. Deinde supra linamentum

[Margin: Galen. 6. method. 6.]

[Margin: Medicamenta.]

tum

tum ficcum, gratia ipfius cutis, & labiorum vulneris ipfius, prima vice totum vulnus concoquentibus, feu digeftiuis communiter à barbitonforibus vocatis pharmacis replemus. Sed in capitis vulnere peculiariter probatur refina abietina cum modico rofaceo oleo. Linamentis itaque hoc medicamento imbutis totum vulnus replendum, & in his infiftendum, donec laudabile pus appareat. Quo quidem apparente pro vna & altera vice melle rofaceo vtendum uel folo, uel cum fupræfcripto concoquente permifto, prout maior, vel minor puris abftergendi portio nobis fe fe offert. Dum enim copiofum pus apparet, folo melle vtendum eft; fecus cum pharmaco propofito mifcendum. Vulnere abfterfo, carne replendum, & pluribus capitalibus iam dictis fupra os, vt prius faciebamus, infperfis, fupra hos pulueres farcoticum, gratia cutis diuifæ, admouendum. Vnde uel unguento bafilicone, uel de matrifilua, uel de betonica vti poffumus. In robuftis tamen corporibus, & hyberno tempore probatur oleum abietinum, præfertimque vnguentum Ifidis. ficuti æftate vnguentum de tutia vfurpari poteft. Simili modo in naturis robuftioribus, & hyemali tempeftate vnguentum de gummi helemi, aut vnguentum apoftolorum non improbatur. Dum autem vulnus carne repletum eft, uel ficcis linamentis, vel diapalma, aut alio idoneo medicamine cicatrice obduci debet. His localibus medicamentis addenda funt illa, quæ totius corporis purgationem refpiciunt, de quibus alias diximus. Cum enim cranij fractura morbus fui natura magnus, & periculofus fit, nedum venæ fectionem; verum etiam purgans medicamentum (hæc enim ualida præfidia funt) proculdubio indicat. Longe autem magis purgante pharmaco vti cogimur, dum propter vires debiles, vel propter ætatem minimè idoneam venam fecare non poffumus. Hinc Hippocrates probat pharmacum cholagogum, id eft, bilis purgatorium. Et Auicennas, & Paulus, dum agunt de cranij fractura, purgatorium exhibent medicamentum. Purgat autem Hipp. bilem ipfam tanquam illam, quæ fui natura fluxibilior eft, & ad caput facile fertur, ac inflammationes mouet: purgat autem valido pharmaco, quia, vti nos femper experientia comprobauimus, in vulneribus capitis propter impetum, quem humores capiunt ad caput, & fuperiores partes, aluus vt plurimum ftiptica, ac difficulter folubilis euadit. Quare poft diem fectionis venæ uel cucurbitularum, uel hirudinum hæmorrhoidibus applicitarum (hæ enim caput leuant, & humores ab eo feliciffimè reuellunt) expedit uel fyrupum rofatum folutiuum, vel fyrup. violat. folutiuum ad vnc. v. uel drach. vj. pulpæ el. thamarindorum exhibere: quibus fi corpus debile non fit, maximè expedit propter caufam affignatam drach. j. uel duas aut electuarij de fucco rof. aut electuar. rofati Mefues adijcere, & cum aliquo cichoraceo, uel alio refrigerante decocto potionem efficere: uel fi bolos malint, thamarindos cum caffia, & iifdem electuarijs cum faccaro in bolos parare. Poftea exhibendi fyrupi, qui tenues humores, fiue fint biliofi fiue ferofi, præparare ualeant, & calidorum vaporum ad caput eleuationem impedire, quales funt præfertim fyrupus rofatus recens, de rofis ficcis, myrthinus, de betonica, & id genus alij cum hordei, cichoraceorum, ac betonicæ decoctis. Quibus aliqua materiæ præparatione facta, imminente adhuc inflammationis timore, purgans erit propinandum, quod ferofam, & biliofam materiam educat, & minimum calfaciat: Erit autem præftantiffimum, fi ex myrobalanis, præfertim citrinis, aut infufis, aut decoctis pateţur: quia caput roborant, & venas conftipant. Cum eorum itaque uel decoctione uel infufione in refrigerante aliquo apozemate facta, expedit mifcere electuarium lenitiuum, & bile redundante aliquam portiunculam, ut drach. j. uel ij. electuar. de fucco rofar. uel rofati Mefues, vel diapruni folutiui. Probatur quoq; rhabarbarum infufum admiftis myrobalanis cum fyrupo rofato, uel uiolato folutiuo. Si autem cranij fractura vfq; ad internam offis fuperficiem, & duram membranam penetret, tunc, ne vulneratos interficiamus, neque eis uel leue aliquod detrimentum afferamus diftinctè admodum in curatione progredi oportet: Et illud ante omnia profpiciendum eft, an cutis, quæ fracturæ fuperpofita eft, oblæfa ueniat, & fit; vel potius integra. Si læfa fit cutis, uel incifa, vel euidenter contufa, & labefactata, omnes tum antiqui, tum moderni fcriptores in hoc concordes exiftunt, ut fcilicet dum rima, & fedes, fracturaque adeo patens non eft, vt per ipfam fanguis, & fanies, quæ ab offe, & cute fuperpofita affiduò fegregatur, & in duram membranam deftillat, commodè expurgari, & à natura ipfa foras propelli poffit, os ipfum, feu caluaria, eo modo, quem fuperius diximus, prius nudata, ante quartam diem, fi opportunè fumus accerfiti, aut quanto citius, dum vrgent fymptomata, omnino perfo-

Purgatio totius corporis. *Hip. lib. cit.* *Si fractura cranij vfq; ad durā mēbranam perueniat, & cutis fuperpofita fit. Chirurgica præfidia.*

perforanda, aut cranij rima, aut sedes, quantum expedit exitui saniei, dilatanda sit. Cur autem os perforare, & rimam dilatare cogamur, his verbis docet Galenus: Indicatio verò agendorum (inquit ille) hic quoque ex natura ipsarum partium affectarum subministrata est. Nam deligaturam, quam in alijs fracturis, maximè phlegmonas arcentem ratio inuenit, cùm capiti adaptare non possis: itaque nec, quod affluit reprimere, nec, quod in ægris partibus continetur, exprimere queas: sine quibus præsidijs, nec reliquorum ossium vllum seruari sanum potest. Nam pone in brachio ad medullam vsque fractum os esse, neminemque postea pro fracturæ legibus id deligasse: omnium necessum erit saniem, non solum, quæ foris sub cute, & sub musculis est collecta; sed etiam, quæ in medulla continetur, tum ipsam primum, ac maximè corrumpere, tum cum ipsa os vniuersum: quando etiam nunc quoque omnibus ritè peractis aliquando talia contingunt. Quomodo ergo non uel magis in capite ea accidant, cum nec deligaturam, quæ fracturis debetur, admittat, & omnis sanies prona feratur, sic, vt super membranam vniuersa coaceruetur? In alijs igitur fracturis tantum abest, vt deligatura rectè adhibita superuacaneam humiditatem colligi in osse læso patiatur, vt etiam gracilius, quam pro naturali habitu, membrum reddat. In capite verò deligatura nec potest os ipsum confractum, nec quæ illi circunstant siccare, vt nec phlegmonem contrahant, nec penitus vllam efficiant saniem: nec medicamen est vllum, quod vel in alijs quidem partibus citra deligaturam os fractum, quatenus nunc dictum est, siccum atque à superuacuis purum reddere valeat. Necessum igitur est nobis primnm fracturæ aliquid nudare, quò scilicet detergere, & abluere saniem à membrana liceat: post verò cũ phlegmones tempus præterijt, omniaque sicca ad vnguem sunt, carnem producere, & cicatrice locum includere. Quod si nulla ex læsis partibus sanies intro conflueret, superfluum esset os excindere. At verò de modo, & instrumentis, quibus os exciditur, verba faciens, scribebat, quod si simplex tantum fractura sit, iam dictis scalpellis angustis vtendum: sin cum contusione aliqua, quod contusum est, excidi debebit, idque uel terebellis prius in circuitu perforatum; mox deinde scalptis admotis, vel protinus ab initio cycliscis. at terebella parum tuta est: quia dum audacius pertractatur, duram matrem non rarò uiolat. Quod verò per cycliscos opus fit, ne id quidem vitio caret, cum quatiat immodicè caput, quod potius quietem postulat. Si itaque magnæ sint fracturæ, & ossa, quæ fracta sunt, vehementer mota, cycliscis vtendum, quia paucis excisionibus facimus lenticulatis excisorijs locum: sin firma plurimum ossa sint, foranda terebella sunt. Quidam verò, quò minus vsquam aberrent, tales terebellas excogitarunt, quæ mergi non possunt, quas ab argumento abaptistas, id est, in immergibiles dicunt. Circumcurrit enim parum supra terebellę acutam cuspidem circulus quidam parum extans. Expedit autem cõplures id genus pararas habere ad omnem caluariæ crassitudinem. Nam crassiori longior terebra conueniet; (intelligo autem per longitudinem spacium illud, quod inter summam cuspidẽ, & circulũ extantẽ intercedit) tenuiori tenuior. Commodissimè tamen cycliscis vtimur; & primo quidem aggressu latioribus: postea magis angustis, donec ad duram membranam perueniamus. Ceterum quod excidi oportet (subdit ille de loco ossis excidendi loquens) id totum circulo cycliscis nudandum non est; sed ex ea maximè parte, qua fractura est grauissima. Nam præter alia etiam membrana ipsa ab ossibus, quæ vehementer sunt afflicta, celerimè recedit, adeo, vt nullus sit metus eam, quæ iam seiuncta est, tetigisse. Si verò vna semel nudaueris partem, ac scalprum lenticularem submiseris, vbi latam partem lenticulæ super membranam statueris, feries malleolo, & ita caluariam diuides: idque tutissimè: quia membrana à latà lenticulę parte vulnerari non potest. Quod sicubi adhærear caluariæ, huius quoque adhærentiam innoxiè dirimit ipsa lenticulæ rotunditas. subsequitur verò præeuntem illam à tergo ipse scalper caluariam secans. Quare nec qui minus cum periculo, nec qui celerius perficiatur, forandi modum alium inuenias. Quin etiam instrumento, quod ossagram vocant, aliquibus ossium, quæ uehementer sunt comminuta, uel exaltatis, uel conuersis, ea potissimum parte, vt demittatur lenticularum scalprum, præparabimus. Quo facto, succedunt deinceps omnia, quibus est opus, cum securitate simul, ac celeritate. Postea verò de eodem loco, à quo os excidi debet, verba faciens, subdit: Nouimus enim aliquando sincipitis os fractum; quod autem os huic ossi protinus succedit, temporis os, & à nonnullis squamosum vocatur, in quo ipsas squamatim compactas commissuras esse accidit, in eo luculenta fractura longissimè pertinebat: quam

Cur os fractum dilatare, & perforare cogamur.

Quomodo, quibus instrumentis os excidendum.

Quo in loco os eximere debeamus.

bit: quam ipse minimè contingens; sed tantum sincipitis os excidens hominem sanaui, sic, vt nunc quoque multos iam annos viuat. Quod si sincipitis quoque os dimisissem, putruisset citius, quæ illi suberat, cerebri membrana, quam callum fractura duxisset. In alia similiter se habente fractura cogitaram supernum os dimittere, ac, quod in lateribus erat, quo sanies deflueret, eximere, mox cum & crassitudinem eius, & duritiam æstimassem, vtilius fore iudicaui supernam os potius eximere, quam ob solicitudinem defluxus cerebrum valenter concutere. cogitaui prçterea accadere posse, vt, si à latere magnum fieret in ossibus foramen, prominerret fortasse hac parte cerebrum. Est porro & in lateribus non vno in loco etiam neruorum, horumque non leuis momenti, quidam exortus: cum in supernis capitis ne minimus quidem vsque otiatur neruus. His admonitus abstinui ab eximendo osse, quod in latere capitis esset. quod callum semper duxit, modo ritè curaretur. hæc Galenus. Quibus addere liceat, quod si vulnus fuerit in parte summa capitis, semper detegenda membrana in tota illa parte, in qua est fractura, non in medio tantum, vt multi barbitonsores cum ægrotantium internecione faciunt. Si autem in vna tantum parte os eximendum sit, & membrana detegenda, semper in decliuiori parte id agendum, vt humiditas ad partem decliuem facilè fluat, dummodo cerebrum vulneratum non sit: quia, vti paulo superius diximus, cerebrum sui mollitie facilè ad decliuia loca prolabitur. Adhæc in suturis nunquam facienda perforatio est; sed semper in lateribus ipsarum, & dum fractura insignis est, in vtroque suturæ latere facienda est perforatio. Pariter in temporibus perforatio cranij maximopere cauenda nedum propter temporalem musculum; verum etiam quia in illa regione plura vasa per internam vitreæ superficiem excurrunt: quibus vulneratis, maximę sanguinis profusiones excitantur. Quantum verò spectat ad ossis eximendi quantitatem, dum os circa sedem, vel rimam integrum est, paruam eius portionem eximere debemus (non tamen adeo paruam, vt saniei exitum præcludat) ne dura mater ei subiecta, ac osse nudata ab externo aere labefactetur, & ne maximas superpositæ cutis incisiones molirj cogamur. magnæ enim efficiendæ sunt, dum latas ossis excisiones efficere cogimur. Si verò circa rimam, & sedem os vehementer contusum, ac fractum sit, aut à reliquo osse laxatum, illud procul dubio, etiamsi maius sit, totum excidendum. idque fuit Galeni monitum. Quan- *Galen. 6. method. 6.* tum enim (ait ille) excidere conueniat eius, quod affectum est, deinceps exponam. Quod vehementer est confractum, id totum est auferendum. Si verò ab eo fragmenta quædam longius excurrant (quemadmodum alioquin cernitur accidere) hæc prosequi ad finem non expedit, illud persuasum habentibus, minimè futurum, vt ex eo noxa sequatur illa, dummodo reliqua omnia rite sint peracta. Nō enim semel, aut bis, sed planè persæpe sic facientes voti compotes fuimus. hęc Gal. Verum quoniam verba hæc, & sententia ipsius male intellecta fuit in causa, vt innumeri ferè homines fuerint interfecti, ideo rectè intelligenda est, ne simul cum plerisque alijs in maximos errores incidamus. Galenus igitur de longis, seu illis, quæ longius excurrunt, rimis, seu fracturis loquitur, in quibus os fractum à carne, & cute superposita, eaque illæsa tectum est, & de illis potissimum, quæ ab ossibus sincipitis ad ossa lateralia, quæ dura sunt; squamosaque vocantur, excurrunt. In illis enim sufficit in osse non operto, & nudo apertionem moliri. & reliquum os fissum ac opertum sic dimittere, dum prçsertim durū est, & ductus habet, per quos vulneris excrementa expurgari possint, quemadmodum sunt temporum ossa. At in ossibus detectis, & sub quibus nullus reperitur ductus, per quem humiditatum, & saniei expurgatio fieri potest, dum fractura capillaris est, vel sedes angustior, quam par sit, totum os circa fracturam auferendum; aut saltem vsque ad meditullium totum os eximendum, vnsi detectum os sit longitudinis trium digitorum, & totidem sit rima, omne os auferendum saltem vsque ad meditullium, vt membrana adeo non detegatur, & in loco magis decliui leuis, sufficiens tamen, apertio molienda, ac membrana detegenda. Quocirca si in osse sint quatuor rimæ, & in omnibus his membrana ablato osse non detegatur, in maximo discrimine patientem relinquimus. Gal. verò de rimis, quæ vlterius progrediuntur, & carne, ac cute tectę sunt, verba facit, quia in his medicamentorum ope possumus materiam extrahere, ac digerere. at in osse detecto ac refrigerato medicamina id præstare non valent, quia de potentia ad actum deduci non possunt. Quare etiam si sit rima quatuor digitorum cum osse detecto, aperienda à pericranio vsque ad finem, saltem vsque ad meditullium; quia tota rima saniem creat, quæ expurgari debet: secus pereunt.

Quinimo,

Quinimo, si vna cum sede adsit rima, aperienda nihilominus est rima: quia sedes rimam non expurgat. Insuper si os depressum sit, & in membrana contusionem fecit, quod quidem cognoscetur, quia denigrata est, & ab osse separata stylo percipitur, dum inter os, & membranam immittitur, totum os contundens auferendū est, præsertim si liquida medicamina imponi non possint: ossa pariter valde comminuta, etiam si non pungant, omnia sunt eximenda: quia si relinquantur, cum sint à partibus separata, prauam saniem gignunt, quæ substantiam membranæ corrumpit. Si ossa hæreant partibus sanis, non sunt auferenda, sed aperienda, prout oportet. Licet autem modo vno, modo alio instrumento vti, prout tum vulneris, seu caluariæ fracturę, tum ossis læsi, tum demum affecti loci conditio nobis indicabit. Dum enim nobis proponitur sedes, & os minus durum est, aut locus vel propter sensum exquisitum, vt in temporibus, vel propter pulchritudinem maiorem cutis excisionem non fert, tutius, ac facilius ipsis scalpris rem peragimus, & potissimum, si non abrasorijs, qui parum vtiles sunt, & parum scalpunt, sed potius excisorijs vtamur: qui cum sint trium generum, nempe vel plani, vel circulares, vel lenticulares, qui non in summa cuspide, sed solum à latere secant, abiectis illis, qui plani sunt, & nullius in medicina visus, nos debemus potissimum, veluti recentiores quàm plurimi faciunt, vti illis, qui plexi, ac circulares sunt, quos Græci clycliscos, id est, circulares vocant. Tutissimi enim sunt, & os non ita difficulter eximunt. Si autem ossa valde sint confracta, & ab alijs in aliqua parte laxata, & separata, aut satis eleuata, aut depressa, aut in summa adsit aliquod spatium, per quod inter vnū, & aliud os scalper lenticularis, seu lenticula solummodo ingredi possit, cōmodissimè ossa fracta, ac læsa scalptis lenticulatis auferuntur, qui quidē adeo in vsu, ac laudati fuerunt apud Gal. Sunt autē veluti gladiolus angustus, ac satis longus, in cuius summitate, ac extrema cuspide ferrea lenticula sit infixa. qui enim habebat in eadē summitate veluti pomum, & dicebatur milotis, non ita probatur: quia pomū illud, dum os secatur, præeundo non ita probè membranam ab osse diuellit, vti facit parua lamina lenticularis, ac tenuis. Neoterici tamen chirurgi etiam lenticularem scalprū, alioquin præstantissimū repudiarunt: quia, cum in magnis ossibus excindendis malleolo percuti debeat, operatio hęc apud vulgum malè olet: propter strepitum enim putant imperiti homines, ægrotātes si pereant, à chirurgo fuisse enecatos. Sed etiā si malleo non percutiatur, sed solis manib. ducatur, valde commodus est lenticularis scalper ad multas ossium eminentias, pręsertim post terebrę, seu modioli vsum, excidendas. Si verò magna ossis portio nudata sit, & non sedem, sed rimam potius, eamque longiorem contraxerit, non inconuenit ad os secandum & aperiendum visus serræ; non illius magnæ, qua in magnorum ossium fracturis vtuntur, sed paruæ, quam bandirolam vocant: hæc enim si ductu recto impellatur, & ducatur, fœlici quidem successu ossa capitis secat. Hoc pariter casu, & quibuscunque alijs ossis caluariæ rimis possumus vti terebra, & potissimum illa quam abaptistam Galenus vocat, quia tutissima est. Verum quoniam terebras huiusmodi quamplurimas, vti superius ex Galeni decretis diximus, præparatas habere oportet, & ossis crassitiem non ita ad vnguem callemus, moderni fere omnes trapano vocato vtuntur, quod Celsus modiolum vocat. Est autem fistula ferrea satis lata in extremo margine rotundo habens dentes ad instar serræ in circulo formatæ. Est autem duplex modiolus nempe mas, & fœmina. Mas, quo primum vtimur in medio habet clauum, qui in osse primum fixus est in causa, vt modiolus huc & illuc non dilabatur, & vt foramen fiat orbiculare: Fœmina verò caret clauo, qua, dum perforando ad meditullium iam deuenimus, statim vtimur, ne ab illo clauo membrana pungatur. Modiolus autem vel habena, vt faciebat Celsus, vel vnica manu, vel ambabus circumducitur ambabus quidem, dum manubriolum est simplex ac rectum; vnica, dum in medio est inflexum: & tunc altera manu chirurgus manubrij extremitatem premit. Sed inter modiolos ille tutissimus est, qui supercilium, aut circulum extantem non habet; sed est in summitate inæqualis crasitudinis: Quo enim magis à serra rotunda, seu dentibus ipsis ad superiorem partem cuspidis, quę manubrium spectat, recedit, eo magis crassior euadit, vt supra membranam mergi non posit. Vt autem descendere, & os perforare posit, oblongas acies habet circumcirca. Dum autem osium extremitates prominent, à nonnullis probatur visus forcipum ossa secantium: sicuti, dum ossa ab alijs separata sunt, communiter ossagris dictis, id est osium collectoribus, quę rostrum coruinum imitatur, vti consueuerunt. Dum verò ossa vel depressa, vel membranæ infixa sunt, ferreis vectibus, quos

De modo, & instrumentis, quibus in caluariæ perforatione moderni vtuntur.

Gal. 6. method. 6.

Cels. li. 8. c. 4

quos leuas Barbati vocant, quasi leuantes ossa, vti debemus. Ne autem in ossibus eleuandis, vel perforandis, aut deradendis, vel scalpendis, membrana lædatur, laminas tenues, quas meningophilaces, id est membranarum custodes appellant, aut istarum loco specillos in extremo dilatatos, ac tenues immittere consueuimus.

Præcepta in ossis perforatione seruanda.

Dum autem os vel terebra, uel modiolo, aut quocunque alio instrumento eximimus, vt superius diximus, instrumentum sæpius uel aqua, uel potissimum rosaceo oleo, vt facilius circumducatur, & currat, madefacere debemus: Sic enim neq; ferrum, neque os valde incalescunt. Oportet insuper instrumenti strepitum, vel sonitum diligenter obseruare: quia hoc pacto facile cognoscimus, quando ad vitreā ipsam iam peruenit, quæ, cum durior sit, euidentius strepit, atque resonat. Sectio insuper omnino æqualis facienda est, ne in vna parte os secemus; in altera verò membranam vulneremus ideo dum peruentum fuit instrumentum ad vitream, sæpe inspicienda, & dum videmus in vna parte sectionem profundam, debemus organum inclinare ad minus profundam. Dum autem vitrea frangitur, & dentes remanent, lenticulari scalpro deradendi, & limandi sunt. Dum vero in perforatione sanguis meditullij abundat, statim posca sistendus, & deinde, ne retundatur instrumenti acies, rosaceo oleo madefaciendum. Ne autem vulneris labia recrudescant, & os lædatur, vel panno moderatè calente, vel manibus actu calidis vulnus foueri assiduo debet.

De medicamentis, quibus post cranij perforationem vti debemus: De cranei fractura cum integra cute superposita, & de membranarum ac cerebri vulneris curatione. Cap. XX.

IAM verò quod disquiramus hoc fere superest, quænam sit, postquam perforatum est os, tum medicamentorum, tum vniuersæ diligentiæ nostræ præcipua omnium ratio: Vtrumne blandissima, & quæ maximè voluptati cubantis subscribat, veluti qua nunc plerisque vtuntur: an quæ huic est maximè aduersa nempe quæ per medicamenta, quæ vehementissimè siccent, perficitur: cuiusmodi & Meges Sidonius, ita referente Galeno, laudabat, & ciuis quidam ipsius semper est vsus, sic vt etiam emplastrum, quod Isin vocant, ilico nudatæ membranæ imponeret, & super hanc foris oxymeli. Sanè is senex erat, ait Galenus, satis exercitatus in hac artis parte: Ceterum neq; alium quempiam his vsum vidi, nec ipse vti sum ausus. Tantum tamen testificari Eudemo possum, subdit ille, (nam id seni nomen erat) magis fuisse seruatos, qui ab illo curabantur, quam qui ab ijs, qui blandis vtebantur. Aggressus vero fuissem aliquando ipse quoq; experiri huiusmodi curationis rationem, si perpetuò in Asia mansissem. Sed cum Romę plurimum agerem, ciuitatis morem sum secutus, permissa ijs, quos chirurgos vocant, maxima eiusmodi operum parte. Ceterum ipsam rei naturam æstimans talem quandam determinatione' longa nostra experientia confirmatā concipio. Qui auditorius meatus dicitur, non solum vsque ad cerebri duram membranam pertinet, sed etiam neruum contingit, qui in ipsum à cerebro descendit. Is autem quanquam ita positus in vicino, tamen vehementissima (sicut alias dictum est) medicamenta tolerat. Nihil igitur miri sit, si post forationes crassa cerebri membrana, antequam notabiliter phlegmone occupetur, valentissimis gaudeat medicamentis, ceu siccam naturaliter substantiam habens. hæc Galenus. Ex quibus luce clarius colligimus nos duplici via, quæ tamen ad vnicum eundemque finem tendit, incedere posse, & vel pus mouentibus, vel exsiccantibus supra duram cerebri membranam vti. Tum enim hæc, tum illa duram membranam tuentur, & à putredine, corruptioneuè præseruant. Siccantia quidem humiditates, quæ in illam delabuntur, absumendo, & siccando: Pus autem mouentia, & humida easdem humiditates à vulnere segregatos in eandem membranam delabentes, ac prauos, & virulentos ichores contemperando, & in benignam naturam transmutando. Si quis autem curiosius quęrat: quænam via magis sit laudabilis, facilè respondemus, eam, quæ siccantibus progreditur, à Galeno apertè magis probari: cum dixerit, se Eudemo posse testificari magis fuisse seruatos eos', qui ab illo curabantur, quàm qui ab ijs, qui blandis vtebantur. Huic sententiæ astipulatur Celsus, qui facta perforatione vult duram ma-

Gal.6.meth.6.

trem

trem acri aceto esse inspergendam, vt si cruor aliquis supra ipsam sit concretus, discutiatur. Deinde laudat emplastrum viride, vel Iudeum, quæ valde siccant, & ab eo libro quinto componuntur. Quam quidem sententiam, ac curationem ab Hippocrate desumpsit, qui nos admonet, vt exciso osse, & membrana patefacta, valde siccantibus, ac detergentibus purgetur, ne diutius madens sub alijs medicamentis hebes fiat, & putrescat. Dum itaque siccantibus curamus, optimum est pro diuersa ægrotantis temperatura diuersis occurrere. In mollioribus itaque corporibus accipiendum non emplastrum Isidis, sed vnguentum Isidis à Galeno descriptum, & cum possit fieri vel validius, vel mitius, vtendum mitiori, quod fit ex duabus partibus cerati rosacei, & vna emplastri Isidis. Si temperatura sit mediocris, vtendum vnguento composito ex æqua istorum portione. Si robustissima, ac siccissima temperatura sit, qualis est agricolarum, nautarum, senum, & similium, vtendum puro emplastro Isidis, & quomodocunque linteola alba ex lino, & munda imbuenda hoc vnguento, & supra membranam imponenda. postea supra os capitales pulueres inspergendi, quibus, si corpus siccissimum sit, squama æris lota, & præparata, radix bryoniæ nigræ, & pumex adusta, & puluerizata adijcienda erunt. Postea reliquum vulnus vel therebinthina, aut vnguento Isidis temperato, vel robustiori, aut alio pharmaco sarcotico replendum est. Si verò blandis, & pus mouentibus, quorum vsus nostris temporibus solus inualuit, incedere velimus, omnes practicantes rosaceo oleo vtuntur: idque non ab re, cum membranæ temperaturæ, quæ ad frigidum, & siccum vergit, non sit dissimile. Sed sub quoque curandi modo quàm optimum est diuersis temperaturis diuersa quoque medicamina admouere. Vnde non ab re, & absque optimo consilio Chirurgi nedum oleo rosaceo vtuntur; sed sæpe etiam ei lacrymam, seu oleum abietinum admiscent. Dum enim caput humidius, & minus calidum est, vt puerorum, probatur oleum rosaceum purum: sin caput siccius sit, & calidius, mastichinum oleum præstantius est: si adhuc siccius, & calidius, qualia sunt capita adultorum, eaq; crispa, rosaceo oleo miscenda resina abietina: si adhuc calidius, & siccius, vt sunt capita calua, plus de abietina, quàm de rosaceo permiscendum. Pariter considerandum anni tempus: Et æstate magis probatur oleum rosaceum, hyeme magis resina abietina. Pariter dum patiens habet sensum potius hebetem, licet augere dosim abietinæ: sin acuti, & vegetis sit sensus, in minori dosi permiscenda. Possumus quoque loco abietinæ, therebinthina ipsa vti. Medicamento supra membranam imposito, iubet Paulus, vt priusquam reliqua ponantur, linteum rotundum habens filum appensum rosaceo madidum, æqualeque foramini ossis facto supra membranam admoueatur: ne scilicet medicamina, & filamenta, quæ in reliquo vulnere superponuntur, membranam grauitate premant, & ne medicamenta, & linamenta ipsis imbuta intra craneum, & membranam se insinuent. Postea idem Paulus iubet, vt ponamus lanæ flocculum rosaceo oleo imbutum supra idem linteolum. ita sicca linamenta eodem rosac. imbuta possumus applicare. Tertio loco idem Paulus duplicatum linteum, idque latius oleo, & vino, aut rosaceo imbutum superponebat, ita, vt totum vulnus comprehenderet. Et demum ligaturam ad medicamina continenda faciendam esse præcipiebat. Melius tamen est, antequam ligatura adhibeatur, Hippocratis emplastrum circa partem exteriorem, vt eius temperies tueatur, applicare. fit autem ex hordei farina, & posca, cui expedit oleũ quoque rosaceum adijcere. Sed præstantius adhuc euadet, ita vt melius excogitari non possit, si hordeũ torrefiat, & teratur, &, facta farina, ei posca, & oleum ros. addatur. erit enim tutissimum, & validissimum. Huic autem, dum dolor infestus est, quartam, vel quintam partem sapæ adiungimus. Et si caput sit imbecillum, flores rosarum rubearum permiscemus in eadem dosi. Quod si vulnus cum contusione sit factum, vt sanguis extra vasa consistens discutiatur, quartã partem oxymelitis ei addimus. In his autem concoquentibus medicamentis insistendum, donec bonum, & laudabile pus appareat, & subinde nullus amplius adsit inflammationis timor; qui quidem in magnis vulnerib. vsque ad nonum diem; in paruis ad quintum vsque; in mediocrib. ad septimum extendi solet. Quare bono apparente pure à concoquentibus, & blandis iam dictis desistẽdum: quia sub his dura membrana, vt inquit Hippoc. hebes fit, attollitur, & putrefit: & ad detergentia pharmaca transeundum est. Idcirco prælibato concoquenti medicamento, quod supra membranã ponebatur, vel adijciendum mel rosatum, vel ablato rosaceo oleo, loco ipsius miscendum aut mel rosatum, aut syrupus ros. simplex, vel vtendum pura resina therebinthina, aut

Hippocr. lib. proprio.

Siccantia medicamẽta.

Blanda, & pus mouentia.

abietina,

puris copia, corporis temperies, & anni tempus indicabunt. Si enim pus copiosum sit, tempus hybernum, & caput robustum, obtusique sensus ablato oleo rosaceo; accipiatur vnc. j. resinæ abetnæ, & semiuncia mellis rosati; si minor sit puris copia, & caput non ita robustum, nec adeo obtusi sensus, abiecto melle rosato, vtimur syrupo rosaceo; Si natura puerilis, & pus exiguum, sola resina abietina occurrendum. Deterso autem vulnere sarcoticis implendum eo prorsus modo, quem superius proposuimus, dum de fractura non penetrante loquerenur. Vnde supra os vsurpandi capitales dicti pulueres, ita tamen, vt in pueris thus, in adultis magis eius cortex, & myrrha; in durioribus naturis aristolochia, panax, peucedanum, radix iridis, uel consimile accipiatur. Supra labia autem vulneris potissimum imponuntur vnguentum isidis, de betonica, de tutia. æstate enim, & in natura robusta probatur tutia; hyeme & duris corporibus isidis vnguentum, vel de gumma elemi; temperatis anni temporibus, atque naturis, vnguentum de betonica, aut de periclymeno laudantur. Cicatrix autem inducenda aut siccis linamentis, aut diapalma, aut barbaro vnguentis, aut sanguine draconis, aut bolo Armeno pulverizatis, & supra carnem inspersis. Si verò caluaria quidem frangatur, sed cutis superposita non lacerata, nec secta, sed integra remaneat vnà cum pericranio similiter illæso; nos tamen ex ictus ratione, aut tactu digitorum, aut alijs superuenientibus symptomatis & signis coniecturam, & quidem non leuem habeamus ossis fracti, tunc diligenter inquirendū est, an vnà in fractura cranij aliquid annexū sit, quod neq; à natura, neq; à medicamentis superari possit, qualia sunt hæc tria potissimum, nempe magna quantitas sanguinis inter cerebrum, & membranas, & cranium ipsum defluxi, ossis frustulum membranam pungens, & ossis depressio membranam, & cerebri ventriculos comprimens, vel potius nihil horum adsit. Si aliquid ex his præsto sit, procul dubio statim os aperiendum est, & membrana detegenda, eodem prorsus modo, & ea adhibita curatione, quam modo docuimus. Cognoscimus autem sanguinis copiam collectam sub cranio, eumque grumosum redditum ex eo, quod per nares, aut etiam aures destillat, ex capitis grauitate, ex sopore, ex stupore. Os autem depressum, & membranam comprimens cognoscitur digitis ipsis: quia percipitur fouea, & quia dum nasum emungit, puncturam percipit patiens, aut post prægressum puncturæ signum succedit delirium: ita stupor solet corporis medietatem occupare, vel etiam vniuersum corpus. His igitur apparentibus, os absque dubio aperiendum. Et quamuis nonnulli excipiant puerulos, quorum ossa cum mollissima sint, non ita difficulter à medicamentis ipsis foras educuntur, & ad pristinam suam sedem ac superficiem reducuntur, de quibus medicamentis paulo post; nihilominus tutius est aperire, & arte ipsa os ad suam sedem reducere. Si verò nihil horum adsit, & iam dicta symptomata procul absint, tunc præmissa venæ sectione, & cucurbitulis scarificatis, quæ potissimum ab eodem latere adhibenda sunt, necnon pharmaco purgante, quod bilem ipsam educendi vim habeat: Deraso capite, quamprimum medicamentum, quod siccet, & inflammationem arceat, & proinde adstringat, dolorem leniat, & exsiccet, capiti admouendum est. Vnde tale emplastrum ita poterit parari. Recip. farinæ hordei lib. j. olei rosacei, oxycrati, seu poseæ ana vnc. iij. ladani, pulueris rosarum, myrtillorum, mastiches an. quantum sufficit, vt medicamen emplastri formam accipiat. Quod quidem tum manè, tum vesperi immutandum erit. Insuper omni ingenio caput ipsum euacuandum est. & propterea in principio oleum amygdalarum dulc. in aures infundendum; & accedente quarta die gargarismate vtendum, quod fiet ex aqua hordeacea, in qua passulæ, & hyssopum prius sint incocta, & in qua postea mel rosatum, vel oxymel simplex imponatur. ita nares ipsæ penna oleo amygdalino intincta intimius illinendæ. nam sæpius per hos ductus collecta materia educitur. Post vsum superioris emplastri expedit quoque aduentante quarta, vniuersum caput hoc vnguento illinire vsque ad septimam. Recip. pulueris rosarum, myrtillorum, nucum cupressi, santalorum rubrorum, & alborum, puluer. absynthij, ladani, squinanti, asari ana drach. j. olei rosat. complet. olei myrtini ana vnc. iij. ceræ vnc. ij. s. misce, & fiat vnguentum. Transacta septima uel nona, si maior ictus fuerit, ad discussoria pharmaca deueniēdum, vt est emplast. de betonica oleo anethino dissolutum, aut rosaceo, si æstas fuerit: Laudatur pariter ceratum de gumma elemi: necnon emplastrum factum cum æquali portione diapalmatis permixtum. Quibus si multæ materiæ collectæ suspicio adsit, æqualis portio cerines emplastri adijcienda, vt horum trium æqualis dosis

Si fractura cranei sit penetrans cum integra cute superposita.

accipiatur, & simul misceatur, ac vniuersum caput derasum illinatur. hoc enim pacto longè plures sanantur, quam si os perforetur, & membrana detegatur. Si verò post septimam superueniant accidentia indicantia retentam, ac collectam saniem, de quibus supra, tunc procul dubio os aperiendum est, & ea omnia peragenda, quæ superius fuere proposita. Si verò in ætate puerili os quidem, seu caluaria subsideat, sed sine rima, procul dubio solis emplastris occurrendum, omnino posthabita perforatioue: quia horum auxilio os capitis, cum mollius sit, facile attrahitur, & reuertitur ad pristinum suum locum. Purgatio tamen, & vniuersi corporis cum cucurbitulis euacuatio præmittenda est. Si vero dura quoque membrana vulnerata, & secta sit, cum per ipsam plurima vasa disseminata sint, & ipsa sensum adeo vegetem, & exquisitum habeat, vt quidam eruditissimi viri voluerint, neruos ab ipsa (hæc enim omnes inuestiuntur) non autem à cerebro sensum tactus fuisse sortitos: propterea suppositis reliquis omnibus, quæ in cranij fractura enarrata sunt, maximè prospiciendum est, ne aut sanguinis profusio, aut dolor, & inflammatio suboriatur. Idcirco si sanguis copiosè fluat, quamprimum nulla habita aut ægrotantis, aut loci affecti ratione, os aperiendum, & ita dilatandum, vt diuisa membrana detegatur, etiamsi inibi sit futura aliqua; nam vix vulneratur membranæ sinus, & vas aliquod insigne, quin futuræ pars aliqua non vulneretur. Ilicò igitur detegenda, quia magis potest sanguinis fluxio ad indicandam apertionem etiam supra futuras, quam locus futurarum ad prohibendum. nam sinus illi magni sunt, multoque sanguine referti. Dum autem vena insignis secatur, ni sanguis citissimè sistatur, statim animal perit. Sinus autem membranæ cum sit in perpetuo motu, longè difficilius agglutinatur, & obturatur. Aperto autem osse quantum satis est, statim admouendo medicamentum illud adeo celebre, quo Galen. ad sanguinem sistendum vtebatur, & quo fatetur se etiam in capitis vulnere, & sanguine è dura membrana fluente adeo fœliciter vsum esse, de quo nos in vasorum vulneribus abunde loquuti sumus. & methodum, qua illud ex aloe, & thure, & oui albo, mollissimisque pilis leporinis componitur, abundè declarauimus. Non tamen improbamus eos, qui ante huius pharmarci impositionem puluerem còpiosum ex aloe, & manna thuris compositum inspergunt: & postea medicamentum ipsum cum pilis leporis, vel gossipio admouent, & singulis diebus, vel, quod melius est, singulis tertijs diebus, vel etiam maiori interuallo prout res exigit, & nos loco citato docuimus, ipsum immutaut. Ne autem inflammatio excitetur, supra ipsam membranam oleum rosaceum tepidum, vel sanguinem columbæ, aut turturis, qui potissimum ex vena secta sub alis extractus sit, instillare debemus, vti nos docuit Galenus. Hæc enim maximè dolorem leniunt, & influentes ichores concoquunt. Quod si dolor non ita vrgeat, aut iam mitigatus sit, cum magis materiei, quæ à vulnere segregatur, concoctioni incumbendum, & oleum mastichinum, vel abietinum, uel de hyperico infundimus. Quibus dolore sedato, uel pure laudabili apparente, statim, ne membrana lædatur, & putrescat, olea abijcienda sunt, & detergentibus, ac siccantibus occurrendum, qualia sunt præsertim uel mel rosatum, uel syrupus rosatus simplex. Quibus facta vulneris, & puris detersione, accedendum ad ea, quæ carnem generant. Per simplicem enim coalitum dura meninx cum dura, & membranosa sit, vniri minimè potest. Itaque Galen. ex Archigenis quoque sententia supra ipsam duram membranam calaminthę succum infundebat, & deinde, ad huius calorem contemperandum, milij farinam, quæ frigida & sicca est, inspergebat. Si verò dura membrana inflammata sit, quod ex tumore ipsius, qui nonnunquam supra ossa attollitur, & rubore insigni, & vasis ipsius valde distentis, & apparentibus, & ex ipsius motu omnino abolito dignoscitur, tunc opportunissimus est vsus olei rosacei completi, sed purissimi, & optimi; sed prius diligenter eloti. Celsus verò deinde admonet folia lenticulæ trita, aut folia vitis vnà cum butyro, uel adipe anserino recenti. Paulus verò maiori vtens diligentia, prout malum, à quo paucissimi euadunt, id exigit, ante horum medicaminum impositionem, membranam ipsam primò accuratissimè fouet decocto altheæ, seminis lini, & fœnigreci, quibus si maluas, & violas addamus, præstantius adhuc erit: postea accipit farinam tritici, & seminis lini, & decocto iam dicto infundit, addito adipe gallinæ, vel anseris, vel oleo rosaceo. Licet quoq; imponere resinam therebinth. uel abietin. oleum, addito oui uitello, uel rosaceo oleo. Quod si inflammatio in pus, & abscessum vertatur (quod tamen propter loci densitatem, siccitatem, & frigiditatem rarissimè

Marginalia: Ad duram membranã vulneratã. — Si sanguis copiosè fluat. — Gal. 5. metho. c. 4. — Quæ supra membranã instillanda sunt. — Ad mẽbranam phlegmone obsessam.

rarissimè contingit.) ne sanies in cerebrũ descendat, procul omni dubio, facta incisione, exitus saniei præbendus: & postea detergentibus, & siccantibus vtendum. Si verò membrana denigrata sit (siue sit vulnerata, siue non) Celsus ad grumos dissoluendos vtebatur aceto; alij vero oxymelite occurrebant. Ex recentioribus nonnulli probant sanguinem columbę: quia dolorem lenit, & abstergit, & postea purũ syrupum rosaceum infundũt, & deinde mel rosatum solum vel oleo rosaceo omphacino admistum. Licet quoq; in principio statim oleum abietinum cum melle rosato, vel therebinthina instillare. Et dum nigredo his non cedit, accedendum ad oxymel. Et si his leuioribus non tollatur, & vltra quartam diem perduret, sciendũ tunc, nigredinẽ illam non ex contusione, sed ex refrigeratione prouenire: & proinde ad valenter calefacientia cõfugiendum, vti sunt oleum ex therebinthina destillatum, vel ex abietina: & quia summè calida sunt, sola gutta horum infundi debet: postea infundenda gutta naphthæ, quę colamen est ipsius bituminis (& hoc dum membrana ratione frigiditatis nigra apparet) & insuper inspergenda eadem mẽbrana puluere ex manna thuris, myrrha, & mastiche, & postea admouendum emplastrũ de gumma elemi, calidisq; fouenda. nã secus cito pereunt. Si verò tenuis membrana, quã piam matrẽ vocant, vnà cũ cerebro ei maximè connexo, & adhærente vulnerata sit, longè magis tum sanguinis fluxus, tum inflammatio timenda, areendaq; sunt, propter innumera vasa, quę per tenuem ipsam membranã disseminata sunt, & propter vtriusq; membranæ sensum exquisitum. ideo, vt sanguis vehementius sistatur, nonnulli, neq; id ab re, medicamento Gal. omnium præstantissimo, quod ex thure, & aloe constat, bolũ Armentũ Orientalem adijciunt. reliqua aũt præsidia, quę tum sanguinis fluxionem, tũ phlegmonem arcent, in vniuersali sermone fuere proposita. id solum addere liceat, quod dũ pili leporini, quibus medicamen iam dictũ excipitur, nobis non suppetunt, expedit gossipium, vel gotonem dictum, eumq; combustum, quia sic vehementius sistit, vsurpare. Post hæc autem accuratissimè prospiciendũ est, ne sanies, & materia, quæ ex labijs vulneris tot partium incisarum segregatur, in cerebrũ ipsum defluens, atq; descendens eius temperiem, atq; substantiã, quæ mollissima est, peruertat, & labefacter, putrefaciatq; & proinde totis viribus, omniq; ingenio materia hæc, seu sanies exiccanda, & absumenda est: quia cerebrũ ipsum frigidum, humidissimumq; contangens pauco temporis spacio labefactat. Hinc enim fit, vt medicamenta, quæ blanda, & humida sunt, & virulentã saniem ad benignum reducunt, & in pus vertunt, licet cerebrum sui natura valde humidum talia indicare videatur, tuta nihilominus non sint. & proinde ijs blandis & pus mouentibus posthabitis, optimum est siccantibus vti: Omnia autem oleaginea, & vnctuosa, & pinguia propter iam dictam rationem, & eò, quia hebetem cerebri naturalem calorẽ laxando maximè labefactant, omnino fugienda sunt. Idcirco in molliori temperatura, & ęstiuo tempore non inconuenit lac ipsum muliebre recenter mulctum instillare, vel linteolo madefacere: tempore autem hyberno, & in robustis corporibus non improbatur aqua vitæ, quam linteolum madefaciendum ac imponendũ. Vt autem maius robur cerebro comparetur, expedit ipsam chalybeatam vsurpare: In alijs autem naturis, & temporibus non est adhibenda, quamuis plerìq; ea indifferenter & sæpius feliciter vtantur. Pariter eodẽ hyberno tempore, & ijsdẽ sicciorbus, atq; robustis corporibus, laudatur vinum Creticum, aut aliud valde potens. Sicuti in medijs temporibus vinũ mediocre cum linteolis administratũ magis probatur. omnem enim saniem, & putrilaginem absumit, & inde natura roborata supra cerebrum ipsum carnem gignit. Et si pars aliqua cerebri sequestrãda sit, ipsam natura per se ipsam separat. Alij laudant succum nepitæ eodem modo adhibitum, & milij farinã desuper inspergũt. Quidã solo puluere thuris purissimo aut etiã pompholyge optimè lota vtũtur vsq; ad septimã, & donec cerebrũ incipiat sequestrari, vel crescat caro. Et dũ cerebrũ corruptum, ac lęsum separatur, & exit, pro ipsius detersione syrupũ rosatũ recentẽ infundunt. His itaq; vulneris excrementa siccãtur, caroq; gignitur, & subinde mẽbranarũ, & ipsius cerebri vulnus sanatur. Si verò dolor vrgeat, & neq; vino, neq; lacte iã proposito mitigari possit, tũ ad vnctuosa quidẽ confugiẽdũ, sed ea lege administrata, vt prius vulnus cerebri, piæq; matris iã dictis remedijs obuelatũ sit: deinde supra durã membranã blanda ipsa medicamẽta, sed præsertim sanguis turturis, aut colũbæ, imponantur. Quod si fieri non possit, vt vnũ medicamen supra cerebrũ, aliud verò supra durã membranam ponatur, tũc vt ad dolorẽ ipsum, & ad destillantẽ saniem eodem tẽpore respiciamus oleosa cũ iã dictis, quæ oleosa nõ sunt, permiscẽda erunt: Veluti si olei rosacei, & uini ęquales

Ad duram membranã denigratã.

Ad tenuem membranã, & cerebrũ ipsum incisum.

portiones simul mistas imponamus. Extrinsecus uero dum dolor infestat, capitis perfusiones, & fomenta omnino adhibenda sunt. & lana oleis imbuta admouenda: Sed potissimum probatur emplastrum ex hordei farina, de quo supra meminimus, cui si milij quoque farina addatur, præstantius adhuc euadet. Aeris autem frigiditas, quantū fieri potest, cauenda erit tum linamentis ipsis calidis, tum tegulis capiti in debita distantia adhibitis, ac admotis, tum aere cubiculi calefacto. & hoc intelligendum est, dum caput, & vulnus detegitur, eique pharmaca admouentur. Nam reliquo tempore nedum nimis frigidus; verum etiam nimis calidus aer euitandus erit. Vterque enim capitis vulneribus est ualde inimicus. idcirco aer tepidus eligendus, & si talis sui natura non sit, arte parandus. In potu vinum omnino fugiendum saltem vsque ad diem quartamdecimam: præbenda uerò est aqua hordeacea, aut in qua coriandra sint incocta: cui si modicum uini granatorum, uel cydonium addamus, non erit inutilis. Pariter, ubi cranium fractum est, à carnibus abstinere debent in primis septem diebus. Oportet enim vt æger parum alatur, & quia decumbit, & quia defluxum materię, & uaporum, qui ab alimento proficiscuntur eleuationem ad caput timemus. Quare uel panatellis, uel oryza, uel potissimum hordeo, & ptisana hordeacea sunt alendi. Possunt quoque herbæ nonnullę uoluptatis gratia concedi, quales sunt malua, blitum, asparagi dulciores, necnon etiam lactuca, quæ quamuis repleat caput; somnum tamen conciliat, & vapores calidos ad caput ascendentes contemperat, incrassat, atque compescit, & inter olera est optimi succi. Non improbantur pariter fercula ex spinachia, cichorio, chondrylla, endiuiaque, quia paucum, & frigidum alimentum exhibent. & hæc vsque ad finem secundi septenarij conuenientissima sunt. Quod si in vltima mensa uel miua cydoniorum sine aromatibus, uel pyrum, uel malum cydonium sub cineribus coctum eis concedatur, non lædentur. Quies uero tum animi tum corporis omnino imperanda est; & ut oculi quoque magis quiescant, lumen intensum euitandum, & lumen candelæ ac mediocres tenebræ eligendæ. Ex toto autem opacum lumen fugiendum; quia ægrotantem excruciat, ac mœstum reddit. Somnus sit moderatus, & dum noctu dormiunt, interdiu, nisi dolor molestus sit, vigilare debent. Aluus singula die, uel sponte fluat uel arte, & clysterijs prouocetur: Nam fœces retentæ maximum capiti detrimentum afferunt. Omnia autem praua animi accidentia, & potissimum iram, ac metum deuitent. Et ideo Medicus eloquens esse debet, qui eis certam polliceatur salutem. Quomodo uerò symptomata, quę capitis uulneribus superueniunt, corrigenda sint, ex dictis alibi patet. Dum enim resolutio, & partis oppositæ conuulsio subsequitur, oportet nucham, ac spinalem medullam oleo irino, oleo liliorum alborum cum aromat. oleo destillato ex therebinthina, de castorio, de euphorbio, & huiusmodi alijs calefacientibus inungere. Et hæc de ulneribus organicarum partium satis. Nam reliquæ indicationes, quæ ab earum temperatura, magnitudine, figura, situ, & colligantia, actione, & usu, & præsertim earum sensu hebeti, uel exquisito desumuntur, unicuique patere possunt. exempli causa in uulneribus oculorum propter eorum sensum ualde exquisitum, ijs potissimum occurrendum, quæ dolorem àrcent, atque demulcent, quale est oui album diligentissimè conquassatum: & sic de reliquis dicendum est. Nunc itaque ad ulcera ipsa examinanda transeundum.

(*)

Finis Libri Primi.

EVSTA-

EVSTACHII RVDII VTINENSIS. DE MORBIS EXTERNIS LIBER SECVNDVS,

In quo de Vlceribus agitur.

De Vlceris natura, & differentijs. Cap. I.

Nomen. TAMETSI Galeno in tertio ac quarto de medendi methodo libris,& alibi quoque sæpissimè vlceris nomine nedum vlcus, de quo nunc loquuti sumus, verum etiam vulnus ipsum de quo huc vsque egimus,comprehendat;nihilominus ad æquiuocationem euitandam,sciendum est nos in vniuerso hoc de vlceribus sermone semper per vlcus illud audiri velle, quod ab omnibus recentioribus propriè vlcus nominatur, & à vulnere ipso contra distinguitur, quatenus hoc ab externa causa, & instrumento; illud verò ab intrinsecis corporis partibus, & ab interna causa sponte enascitur, & in externa superficie corporis, aut partibus, quæ in conspectum veniunt,erumpit. Quod dictum sit, quia de vlceribus internis,& a sensibus remotis, quæ vsque ad extremam corporis superficiem non pertingunt, aut sensibus non subijciuntur,qualia sunt pulmonis, iecoris,ventriculi,renum,vteri,vesicę, & intestinorum vlcera, non est hic sermo: Sed de his in primo, & secundo totius medicinæ libro sermonem habuimus. Diximus quoq; illud vlcus à nobis,& neotericis omnibus appellari, quod ab interna causa sponte enascitur, & in corporis superficie, manifestisque partibus pullulat: quia cum soluta continuitas tanquam genus quoddam propriè dictum tum vlcus, tum vulnus complectatur, scribebat Gal. quod omnium huiusce generis ægritudinum causæ nonnullæ quidem extrinsecus adueniunt;nonnullę autem ex ipso corpore ortum habent. Atque extrinsecæ quidem sunt ea omnia, quæ vulnerare, ac collidere apta sunt. Ex ipso autem corpore causæ sunt duplicis generis,nempe immodici quidam, ac sine ordine animalis motus,& nonnulla humorum vitia,quæ corrodendi vim habent. Sed immodici,& inordinati animalis motus vulnera potius,eaque in visceribus internis, & à corporis superficie remotis partib. excitant. Humorum autē vitia,& inter hęc non omnia,sed illa,quæ corrodendi vim habent,sunt in causa, vt vlcera in superficie potissimum,& extimis partib. de quibus agimus,prorumpant. Diximus autē non omnia humorū vitia vlcus,de quo pertractamus,procreare: quoniā humorum vitium penes copiā,& nimiam redundantiā per se primò non vlcus, sed vulnus, & vasorū diuisiones in viscerib. & prę sertim in pulmone ipso potest procreare:quibus si vlcera deinde subsequuntur;ea nō ab humorū copia per se primo fiunt,sed quia phleg- *Gal. in fin. li. de morb. causis.*

mones, quæ vasorum vulneribus, & diuisionibus, seu ruptionibus succedunt, in pus ipsum, & erodentem materiam vertuntur. Qua de re non est difficile ex dictis colligere, vlcus, quod nunc declarare aggressi sumus, morbum esse ex soluta vnitate, & imminuta magnitudine compositum in mollibus, extimis, conspicuisque partibus, ab interno humore corrodente procreatur. Dictum fuit esse morbum compositum ex soluta continuitate, & imminuta magnitudine, quoniam vlcus ad differentiam vulneris, semper cum alicuius partis saltem ipsius cuticulæ, quam epidermidem Græci vocant, deperditione coniunctum est; vulnus verò non semper; sed vt plurimum simplex est morbus, vt in eius tractatu docuimus. Erosio enim quæ vlceris causa perpetua est, absque partis amissione fieri non potest. Verum quis forsitan vnà cum Fallopio nobis obiiciet, sæpius contingere, vt in vlcere ipso caro ipsa luxurIet, & magis, quàm par sit, excrescat: ergo contingit interdum, vt vlcus sit morbus compositus ex soluta vnitate, & aucta magnitudine. Si hoc verum est, ergo falsum, erit solutam vnitatem semper vnà cum imminuta magnitudine, & partis deperditione complicari: Huic facilimè respondemus verissimum esse nonnunquam carnem in vlceribus excrescere, & in maiorem molem, quam status naturalis requirat, attolli. Sed, dum instabit quis: ergo non connectitur cum imminuta magnitudine, neganda est consequentia, quia licet caro aucta nimium sit, nihilominus saltem cutis de necessitate (si adhuc perduret vlcus) deperdita est. neque inconueniens est, vt soluta vnitas cum contrarijs morbis, imminuta nempe, & aucta magnitudine complicetur: quia cum soluta vnitas sit morbus nedum similaribus, verum etiam dissimilaribus, & organicis partibus communis, fieri potest, vt respectu diuersarum partium vlceratarum cum vtroque morbo contrario coniungatur, ita vt vna pars aucta, altera imminuta magnitudine laboret: vtraque vero vnitate naturali destituta sit. Adhæc aliquis ambigere posset, eiusdem Fallopij fundamentis innixus, an semper verum sit vlcus ab interna causa procreari. Apparet enim, inquit ipse, vlcera sępius etiam ab externa causa promoueri. Galen. in libro quarto method. cap. 1. cum loquitur de erosione, quæ vlceris est species, inquit eam tum internam, tum etiam externam causam habere, qualis est valens, & septicum vocatum pharmacum. Pariter intertrigines, quæ oriuntur inter femora ob iter, & inter digitos pedis, & inter vlcera connumeratur, non ab interna, sed externa creatura causa. Sed miror, subdit idem Fallopius, quomodo in causis vlcerum enumerandis reliquerint contagium, quod est tanti momenti. Exemplo adsit vlcus pulmonis: à qua causa oritur? nonne à vaporibus illis putredine intectis, & erodennbus, & vlcera excitantibus? Scabies nonne eodem modo excitatur? Si quis enim tantum cum scabioso dormiat, vel in lecto scabiosi iuuenis, nonne à scabie occupatur? Nonne cariem in cole patitur iuuenis, si cognouerit mulierem, quæ cariosum habeat pudendum, neque optimè se abluat; postquam coierit? quæ causæ sunt istæ? sunt ne internæ? minimè. Ergo, & vlcerum dantur causæ procatarcticæ: aliquando exedens medicamentum, & ignis, aliquando corpus fricans, aliquando materia contagiosa, vel contactus contagiosus. Hæc ille. Quibus pro eiusdem sententiæ confirmatione possumus aerem ipsum pestilentem addere, idque ex Hippocr. & Galeni auctoritate in tertio epid. libro, in quo Hippocrates grassantem illam pestilentem constitutionem adscribens ait; ab aeris putredine tam numerosa, & ampla vlcera fuisse producta, vt in nonnullis totum mentum; in alijs totam capitis cutem, in quibusdam maiora membra corrupta, & exulcerata decidisse visum sit. Præterea sæpissimè videmus ab externo ictu dolorem, & tumorem primum, deinde vlcera promoueri. His tamen rationibus non obstantibus, statuendum est, vlceris traditam definitionem verissimam esse, atque perpetuo externum vlcus tanquam à causa proxima, & immediata, ab interna causa, & corrodente humore, vt superius ex Galeni auctoritate diximus, promoueri. Ad Fallopij verò obiectiones, & alias à nobis adductas, facilimum est respondere. Et primò, quantum attinet ad Galeni auctoritatem, dicimus ipsum in quarto method. libro per vlcus solutam vnitatem intelligere, quæ tum vulneri, tum propriè dicto vlceri communis existit: Et insuper in sermone de vulneribus declarauimus, excoriationes, erosionesque ab exurente medicamento, aut ab igne, aut calceo, vel simili re externa productas posse, cum præsertim nomina sint ad libitum, iure merito inter ipsa vulnera connumerari. Galenus enim, & quamplurimi magni nomini scri-

prores

Definitio.

Fallop. li. de vlcer. c. 7.

Loco cit.

Vlcus semper ab interna oritur causa.

Hippocr. & Gal. 3. epid. sect. 3.

ptores inter vulnerum causas nedum pungens, incidens, rumpens, atque contundens; verum etiam erodens instrumentum recensent. Nemo autem est, qui vel combustionem ab igne, vel erosionem à calceis, vel simili re externa profectam propriè vlcus appellet. Quid igitur nobis obstat, quin possimus has solutas vnitates, cum ancipitis cuiusdam naturæ sint, ad vulnera ipsa redigere? cum fiant à causa externa, & violenta, sicut & reliqua vulnera; vlcera verò ab interna causa, & paulatim erumpant? In contagio verò quamuis à re contagiosa putridus quidam, ac corruptus, seu virulentus vapor expiret, qui postea humanum corpus à re contagium communicante separatum contangens inficiat, & sæpius exulceret; attamen virulentus hic vapor hoc non agit immediatè, quoniam ex se sufficiens non est, vt vlcus in corpore prodncat, sed necesse est, vt primum tenues saltem humores eiusdem corporis inficiat, & virulentos reddat: qui postea inquinati, atque corrupti vlcus erodendo promouent: Adeo vt immediata, ac proxima, perpetuaque vlcerum causa sit erodens humor in vlcerato corpore; Mediata verò eaque non perpetua sit vapor contagiosus. Et idem prorsus de contagioso, ac corrupto, & venenato aere statuendum est, qui corpus nostrum per os, & cutis meatus ingrediens primum humores inficit, qui postea infecti, & virulenti redditi vlcera, & alia quamplurima mala producunt. Simili modo externus ictus potest quidem statui alicuius vlceris causa, sed est mediata, & satis remota: nam immediata, & proxima est pus erodens in phlegmone genitum. Phlegmon verò est in causa, vt dum in pus vertitur, pus erodens generetur, sicuti ictus tum doloris, tum phlegmones causa est procatarctica.

Differentiæ propriæ, & essentiales. Vlceris species, seu differentiæ, vt in sermone de vulnerum differentijs diximus, vel propriæ sunt, vel impropriæ. Propriæ sunt vel essentiales, vel accidentales. Essentiales, vt ibidem declarauimus, vel ab ipsa solutæ vnitatis, seu vlceris forma, vel à subiecto, in quo vlcus subsistit, seu dicamus vlceratis partibus; vel ab efficiente causa eliciuntur. Quæ verò ab ipsa forma fluunt, aut à figura, aut magnitudine, aut æqualitate, & inæqualitate vlceris emergunt, & eodem prorsus modo sumuntur, vt in vulnerum speciebus declarauimus: proindeque repetere eas non debemus. id enim esset non plura tradere theoremata; sed multas paginas inanibus, ac repetitis verbis implere. Pariter quæ ab vlceris subiecta parte sumuntur, & ad curationem ipsam apprimè faciunt, & ad ipsa indicanda auxilia opportunissimæ sunt, eædem prorsus sunt, quæ ibi fuere propositæ. De differentijs verò, quæ ab effectrice causa capiuntur, paulò post loquemur, dum vlcerum omnium causas tum proximas, tum remotas trademus. Quamuis enim vlcerum effectrix causa proxima, & immediata, & subinde corrodens, seu exedens humor in genere vnicus sit; nihilominus in specie, & penes formam ipsam varius, & multiplex esse potest, vt post docebimus. Accidentales verò, & illæ, quæ extrinsecus accedunt, vel ex generationis ratione, eò, quod vel tota aliqua particula exesa, & vlcerata sit, vel eius tantum pars: vel vlceris situ, eò, quod pars eius in conspectu sit, pars conspectum effugiat: vel tertiò ab ipso tempore desumuntur, prout quædam vlcera recentia sunt, aut exigui temporis, quædam vetera, & diuturna. in quorum numero sunt etiam vlcera cacoethe, id est, maligna, & ægrè sanabilia, quæ etiam, eò, quia difficile ad cicatricem ducuntur, Græcis dysepulota nuncupantur. in hoc genere sunt vlcera Telephia (ita dicta, quia ab his solus Telephus fuit curatus.) atque ijs veteriora Chitonia vocata: quoniam eiuscemodi vlcera à solo Chirone Medico curabantur. Demum impropriæ vlcerum differentiæ sunt illæ; quæ ex varia affectuum præter naturam cum vlceribus complicatione oriuntur, & magis propriè complicationes, quàm differentiæ vocandæ essent. Veruntamen quia sæpissimè Galenus nos monuit, non oportere de nominibus contentiosos esse, si quis vlcus cum phlegmone, & cum dolore, & cum gangræna, & phlegmonosum, & dolorosum, & gangrænosum vlcus, & id genus alia vlcerum differentias nominauerit, non erit cum eo contendendum, modò rectam illis curationem adhibeat. Vocabunturque vlcerum differentiæ sumptæ ab eo, cum quo complicantur: Quod potest esse vel morbus, vt dum sit vlcus phlegmonosum, cancerosum, gangrænosum, aut cum intempetie aliqua coniunctum, quæ potest esse & cum materia, & sine materia, & vel in habitu, vel in habitudine: & idem de reliquis tumoribus, & alijs morbis, qui cum vlcere complicari possunt, dicendum est. Vel potest esse symptoma, veluti dum vlcera aut dolorosa, aut sordida fiunt, vel circum glabra, aut cum alio symptomate associantur. Vel

Accidentales. (margin note beside "multiplex esse potest")

Differentiæ impropriæ. (margin note beside "vlcera à solo Chirone")

causa

causa morbi, quando scilicet vlcera cum sua causa (quod vt plurimum euenit) connectuntur, & fiunt vlcera fluxione vexata, vel cacochyma, aut arrosa, aut vitioso succo obsessa. Ex his autem, quæ cum vlceribus complicantur, oriuntur quatuor illæ famosæ malignorum vlcerum, quæ Græci cacoethe dicunt, ægreque sanabilia, & rebellia sunt, differentiæ. Pro quibus extirpandis, & optima methodo curandis Galenus tum quartum methodi medendi, tum quartum de componendis medicamentis per genera libros adeo celebres accuratissimè conscripsit. Nam ægre sanabilium, rebelliumque vlcerum (dicebat ille) alia propter vlceratæ carnis intemperiem; alia ob affluentem humorem talia fiunt. Intemperies autem ipsa rursus bifariam diducitur, cum alias in qualitate sola naturæ modum egressa subdita caro sit: alias etiam cum accessorio quopiam tumore. Pariter confluxus humorum bipartitur, & scinditur, nempe in confluentis succi tum prauam qualitatem, tum quantitatem. Interim verò miscentur dictorum affectuum aut aliqui, aut etiam pariter omnes. Sub his quoque & varicosa, & fistulosa, & huiuscemodi alia, si quæ sunt vlcera, contineri nemo est, qui ignoret. Nam hæc intemperiem sicciorem; illa assiduam fluxionem, quam varix subministrat, annexam habent. Verum ne in curandis vlceribus, quæ maligna sunt, aut difficulter cicatricem admittunt, aliqua oriatur confusio, sciendum, quod alibi Galenus de ijs loquens scribebat, differentiam esse inter dysepulota vlcera, id est, vix ad cicatricem venientia, & ea, quæ cacoethe, id est, maligna dicuntur. Quæ enim ex humorum confluxu vel multorum, vel acrium oriuntur, sine eo, quod locus affectus huiusmodi iam dispositionem habuerit, vt licet bonum sit, quod influit, tamen ipsum corrumpat, dysepulota ab eo vocantur: Quæ verò dictam dispositionem iam obtinent, præcipuo vocabulo cacoethe ab eodem nominantur. Verum quis forsitan hoc in loco dubitabit Galenum sibi ipsi dissonum, aut saltem parum accuratum esse. nam alibi de causis ægrè sanabilium vlcerum agens, videtur quintam causam, & differentiam attulisse, dum dixit, vlcera longo tempore manere non solum propter humorum influxum, aut propter dispositionem in membro longo tempore contractam ex humoribus influentibus; verum etiam ob aliquam passionem ossis in loco corrupti: cur itaque in superiori loco citato, in quo ex professo de dysepulotis vlceribus agit, ossis corrupti non meminit? Huic ambiguitati duplicem responsionem possumus afferre: quarum vna est, quia alibi de vlceribus, quæ absque ossis carie, & soluta vnitate per se subsistunt, loquitur; non autem de vlceribus cum osse corrupto, & carie complicatis. Secunda, quæ ex eiusdem Galeni verbis elicitur, ea est, quia dum inter causas rebellium vlcerum os corruptum in commento illius aphorismi enumerauit, non modo loquitur de vlceribus, quæ cicatrice obduci non possunt; sed etiam de illis, quæ cicatrice quidem obducuntur, sed rursus, & paulò post cicatrix resoluitur, & vlcus denuo reuertitur: In libro autem de medendi methodo, & de componend. pharm. per gener. loquitur solum de ijs, quæ vel nullo modo, aut vix, & ægrè admodum ad cicatricem perducuntur; non autem de illis, quæ sanantur, & rursus reuertuntur. Hæc enim sunt formalia Galeni verba in illius aphorismi commentario: Quæcunque vlcera, scribit ille, longo tempore manent, vel cicatrice nullo modo adueniente, vel si facta sit, rursus resoluta, nihil scilicet Medicis in curatione delinquentibus: necesse est, vel propter influxum vitiosorum humorum, vel propter dispositionem, seu intemperiem dicas in membro longo tempore contractam ex humoribus influentibus, vel ob aliquam passionem ossis in eo loco corrupti difficulter sanari. Cur autem propter corruptum os id accidat, & cur cicatrix ducatur, & rursus post resoluatur paulò inferius declarat: Videtur autem, ait ipse, experientia rationi astipulari: multaque sæpius ex hoc genere vlcerum, cum fuerint ad cicatricem perducta, non ita multò post rursus inflammantur, ac iterum dirumpuntur, ipsarum cicatrice soluta. Fit autem hoc talem aliquam ob causam: quando ex adhibitis medicamentis caro, quæ ossi superiacet patienti, exsiccata contraxerit cicatricem, statim quidem integra sanitas restituta videtur: rursus verò paulatim aliquo influente ichore ex osse corrupto in parte penitiore, iterum aduenit inflammatio, & puris generatio consequitur, à quo quidem cicatrix eroditur; caro verò exulceratur. hæc ille. Sed tempus est, vt vlcerum causas omnes iam tradamus, vt quilibet suo Marte ex ijs quoque reliquas vlcerum, quæ supersunt, differentias, quas superius polliciti sumus, haurire possit. Has verò proponere non licet, nisi prius scrupulum quendam è medio tollamus, qui quidem fuit

in causa,

Galen. 4. methodi. 1.

Galen. 1. de cõp. per gen. cap. 18.

Gal. 6. apho. 45.

Dubitatio.

Solutio.

Dubitatio circa vlcerū causam efficientem immediatam. in causa, vt omnes in tradendis vlcerum causis (de modernis loquor) longè à scopo aberrarint. Diximus ex Gal. mente perpetuam, & immediatam vlcerum causam esse corrodentem humorem in corpore residentem. Aduersus hanc sententiam quis iure aliquo posset insurgete, & nobis obijcere plurima vlcera in corpore nostro procreari absq; humore aliquo corrodente. Nam vlcera omnia quæ gangrænis succedunt, absque erodente humore fiunt. Dum enim propter ingentem humorum, & præcipuè prauorum influxum aut partis calor suffocatur, aut vitalium, & naturalium spirituum viæ præcluduntur, partes, quæ sub his prauis humoribus, & obstructionibus continentur, corrumpuntur, & ingeniti, influentisq; caloris custodia destitutæ pereunt. Similiter sæpissimè videmus pedes, aures, aliasque partes extremas, dum earum innatus calor à vehementi frigore sibi contrario extinguitur, marcescere, & mortuas spontè decidere. Simili modo in tabidis, & marcore correptis, necnon in plerisque valde diuturnis febribus videmus interdum propter innati caloris dissolutionem, & alimenti defectum exteriores partes, & artus extremos, vt pedum digitos integros emori, & penitus corrumpi. Quomodocunque igitur pars pereat, siue propter caloris suffocationem, siue propter extinctionem à contrario, siue propter alimenti defectum, & nimiam dissolutionem de necessitate gangræna suboritur: qua quidem ablata, ei necessario soluta vnitas, & vlcus succedit, quod quidem non ab erodente aliquo succo, sed à gangræna ipsa, & partis corruptela, & amissione ortum duxit. Ergo vlcus putridum, atque depascens à nonnullis vocatum non à corrodente humore, sed ab alia causa, vt puta à partis corruptela procreatur. Vt hanc ambiguitatem radicitus euellamus, dicendum partis corruptelam, si consideretur in parte iam corrupta, vt sic neque morbum esse, neque morbi causam, sed tantummodo partis interitum dici, & esse: quæ quidem pars si adhuc cum viuente connexa remaneat, neque vlcus vllum, neque soluta vnitas, vt paulò post ex Galeni auctoritate probabimus oriri dicitur. Si verò consideretur in relatione ad partem, quæ viua remanet, & à qua pars putrida iam separata, & diuulsa est, vt sic dicimus corruptionem partis non esse per se causam solutæ vnitatis; sed solum ex accidenti. Nam per se primò causa est, vt pars, quæ relinquitur, morbum contrahat, vel in magnitudine imminuta, vel in numero deficiente: quia propter corruptæ partis ablationem per se primo pars mutilata remanet. Ex accidenti verò est in causa, vt soluta vnitas in parte viuente relinquatur. Quæ quidem si pars emortua aut scalpello, aut pyroticis, & exedentibus, septicisve medicaminibus auferatur, vulnus potius appellari debet. Sin spontè decidat, ad vlcus quoquo pacto redigi potest, quia tunc emortua particula in saniem, & virulentum ichorem conuersa viuentem partem corrodit, & exulcerat, non tamen fit vlcus, de quo loquimur: quia per se fit morbus in magnitudine, vel numero deficiente; ex accidenti verò tollitur partis continuitas: quæ quidem verè vlcus non est, cum è contrà in vlcere propriè dicto ab erodente succo primò, & per se soluatur vnitas partis; secundariò autem eiusdem magnitudo tollitur. Vnde in propriè dicti vlceris definitione non accidentalem, sed effectricem causam per se debemus accipere. Hinc Chirurgi omnes à rei natura, & veritate ipsa compulsi, de gangræna non in sermone de vlceribus, sed in tractatu de tumoribus præter naturam loquuntur. Cum enim hæc ad imminutam; illi autem ad auctam magnitudinem attineant, ea, quæ contraria sunt, & sub eodem genere constituta ad eandem attinent disciplinam. & insuper gangrænæ vt plurimum ipsis tumoribus præter naturam, præsertimque sanguineis subsequuntur. Ne quis autem existimet hoc nostrum esse commentum, audiamus quid de hac re admirabilis scripserit Galenus. Nam quod putridum, dicebat ille, atque depascens à nonnullis vlcus dicitur, non est propria vlceris differentia; sed passio implicita ex vlcere, atque putredine. Scimus autem quod & absque vlcere putredo ipsa per seipsam in multis corporis partibus consistit. in quibus verbis, cum statim supra loquutus fuisset de vlceribus, quæ causam coniunctam habent, atque eorum differentias ab ipsorum causa desumptas proposuisset, vt puta herpetem, phagedænam, atque carbunculum, siue anthracem, vlcus putridum, & cum partis corruptela ab ijs differentijs prorsus reijcit: quia putredo non potest statui causa vlcerum; sed est affectus, ac morbus cum vlcere complicatus. ergo dum dicimus plurima vlcera ex partis corruptela fieri, non dicimus ea fieri ex corruptela, seu gangræna tanquam ex causa efficiente; sed ex corruptela tanquam à termino à quo, id est, post

Gal. 6. apho. 45.

corru-

corruptelam. Efficiens autem causa solutæ vnitatis est vel chirurgicum instrumentum partem incidens, vel medicamentum exurens, vel sanies acris, & mordax, in quam corrupta pars liquatur.

De Vlcerum causis diuisiua methodo propositis. Cap. II.

ERGO verissimum est, omne vlcus, de quo nobis sermo est, ab erodente humore fieri. Erodens autem, & mordax fit, dum vel acris, vel salsus, ac nitrosus, vel amarus euadit, & proinde manifestam qualitatem, id est intensam caliditatem, ac siccitatem contrahit, vel aliam prauam, ac venenosam seu deleteriam, occultamque qualitatem concipit, aut, vt Galeni verbis vtamur, à tota substantia humano corpori adeo aduersatur, vt partem, quam contangit, putrefaciat, erodat, & depopuletur. Si humor hic sola manifesta qualitate, caliditate nempe, & acredine, aut alia mordacitate erodat, & vlcus creet, tunc vel in ipsa parte vlcerata talis euadit, vel talis in ipsam aliunde influit. Si erodentem qualitatem in vlcerata acquirat parte, tunc vel est [Saniosus humor.] pus ipsum, aut saniosus humor, qualis est ille, qui in phlegmonibus, & abscessibus, dum hi propter humores calidos prædominantes concoquuntur, & in pus vertuntur, quod quidem propter calorem igneum, extraneumq; acredinem acquirit; & tandem calido tumore obsessam partem exulcerat; Vel est sanguis cor- [Sãguis corruptus.] ruptus, & subinde in acrem materiam conuersus, qualis solet esse ille, qui propter frigus externum in pedibus, & manibus extra capillares venas in partium spatijs exprimitur, & perniones primum, mox vlcera quoque producit, quia inibi putrescens extraneum calorem, & acredinem suscipit. Si verò erodens humor aliunde fluat, potest esse vel biliosus, vel pituitosus, vel atrabilaris, vel ex his mistus, aliàs crassus, & magis humorosus, aliàs tenuis, & magis ichorosus, vel serosus confertim in vlceratam partem effusus. Si sit biliosus, isque ab alijs humo- [Humor biliosus.] ribus separatus, si tenuis sit, sed nihilominus à serositate separatus, fit herpes, id est repens vlcus, quod summam cutem tantum infestat; Si sit crassus, fit herpes exedens, qui carnem subiectam corrumpit, & erodit, quem quidam Arabum [Gal. 6. apho. 45.] ambulatiuum nominant, Galenus verò phagedænam appellat: Dum autem biliosus, & crassus hic humor non ita calidus est, fit herpes miliaris dicta. Quamuis enim antiqui omnia vlcera, quæ semper maiora, & deteriora fiunt, Phagedænas [Gal. loc. cit.] nominabant, Galenus tamen statuit sat esse ex ijs, quæ aliquid loci circunstantis occupant, alia Herpetas, id est, repentes nominare, quæ summam cutem tantum infestant: alia Phagedænas, id est exedentes, quæ carnem subiectam corrumpunt. His verò duabus speciebus addit Anthracem, de quo paulò post, quia est vlcus crustosum, cui adiungitur multa partium circunstantium inflammatio. Cancrum autem non proponit, quia loquitur solum de ijs vlceribus, quæ aliquid loci circunstantis occupant. Verum si de vlceribus exedentibus, & partem, cui insident, assiduò excauantibus sine tumore loquamur, relicto anthrace, qui cum tumore fit, sufficit cum Galeno solum herpetem, & phagedænam enumerare. Huiusce quoque generis est vlcus depascens (Græci nomin vocant) quod non solum affectam partem excauat, sed & vicinas quoque integras absumit, & quasi pascendo depopulatur: quia à præcalido, & acerrimo bilioso humore fit. Si autem pituitosus [Pituita salsa.] sit, est pituita salsa, & nitrosa de necessitate, à qua squamosa, crustosaque vlcera procreari solent. ab humorum enim visciditate, & nitrositate superfluitates quędam paruæ ac duræ, ad squamarum piscium similitudinem, circumcirca vlcus generantur. Ex ijsdem, sed crassioribus, & adhuc magis lentis fiunt crustæ, quæ squamis sunt crassiores, & super vlceribus generantur. Si sit melancholicus hu- [Melancholicus humor.] mor exustus, & atribilaris, si efferuens, ac ebulliens sit, & impensè calidus, aut virulentus valde, qualis etiam in pestilentibus febribus fieri solet, oritur anthrax, id est carbo, vel carbunculus, vlcus scilicet crustosum, cui adiungitur multa partium circunstantium inflammatio. Si verò exustus quidem sit, & atribilaris: non tamen ferueat, sed exustio satis intensa fuerit, oritur vlcus cancerosum. Ab horum autem humorum prauis ichoribus, & erodentibus serositatibus, aliæ fiunt vlcerum differentiæ, eæque variæ pro varia ichorum natura, & ad inuicem permistione. Quæ tamen vlcera solent potius membrorum superficiem, & cutim ipsam

inuadere,

inuadere,& eam diuersis coloribus, ac inæqualibus erosionibus inficere. Hi autem omnes praui humores, quando ad partem obliquam defluxerint, & ipsam corrodunt vlcerum causa immediata, & ab auctoribus contentiua dicuntur. Nam cacochymia, & prauorum succorum in corpore redundantia, cuius iam dicti erodentes humores soboles sunt, ab ijsdem artis Medicæ scriptoribus antecedens causa, quæ assiduo contentiuam causam fouere potest, nuncupatur, & vlcerum media-ta, ac remota causa statuenda est. Hac verò non minus remotæ vlcerum causæ sunt illæ, quæ cacochymiam & vitiatos, ac erodentes humores ad partem vlceratam mouent. Sed omnium remotissimæ sunt, quæ cacochymiam, & erodentes humores in corpore multiplicat. Adeo, vt præter causam contentiuam, seu proximam, & immediatam, tria remotarum causarum genera, quæ vlcera ipsa procreant, statuenda sint: Nempe cacochymia ipsa, seu prauorum, & erodentium humorum redundantia: causæ hos humores multiplicantes: & eæ quæ eosdem prauos succos ad partem vlceratam mouent. Cacochymiæ verò, prauorumque succorum tot sunt species, quot contentiuæ causæ diuersitates superius esse diximus. Quæ verò prauos humores aggregant, & multiplicant, vel sunt ex numero earum, quæ hos humores prauos gignunt, vel earum, quæ tales genitos humores euacuari, ac extra corpus expelli non sinunt. Quæ tales humores generant vel sunt internę, & ad efficientem causam attinent, vel sunt externæ, & procatarcticæ, quæ partim ad materialem, partim ad effectiuam causam rediguntur. Internæ autem sunt intemperantiæ, ac impuritates, & vitia vel totius corporis, vel alicuius partis. Totius quidem corporis, dum febre præsertim putrida, ac diuturna, aut simili alio vitio corripitur. Partis autem vitium potest esse tum iecoris calidior intemperantia, quæ frequentissima vlcerum causa esse solet, tum aliquando, licet rarius, & ipsius ventriculi, & ipsius capitis caliditas intensa. Quæ verò externæ sunt, & causæ materiales, sunt edulia, & potiones praui succi, qualia sunt cibaria acria, salsa, & amara, & quæ, præter id, quod calidiora, ac sicciora sunt, sunt praui succi, & plurimi excrementi, vti sunt aromata, acrumina, salita, acetosa, oleta, & potissimum brassica, vina potentia, & id genus alia innumera, de quibus in tribus totius medicinæ libris non semel loquuti fuimus. Externæ autem, quæ ad efficientem rediguntur causam, sunt praui, & immodici tum animi tum corporis motus, præsertim ira, mœrores, animi curæ, intensæque cogitationes, vigiliæ immodicæ violentæq;, & immodicæ exercitationes præsertim sub sole factę, & ambiens impensè calidũ, & id genus alia, quę humores nostri corporis calefacere, exiccare, attenuare, & fundere valẽt. Causę aũt quæ prauos humores iã genitos euacuari non sinunt, sunt partiũ, quæ corporis excremẽta expurgant, & potissimũ ipsius lienis, vesicę fellcę, aut vteri, vel alterius partis obstructio, aut tumor aliquis, aut imbecillitas ex ipsius intemperie prouenicns, & ut plurimum lienis obstructio, & tumor, aut aliqua consueta euacuatio (præsertimque per hæmorrhoides, aut aluum, aut vterum, vel nares, aut alium ductum) quæ pręter naturam fuerit suppressa: necnon consuetæ exercitationis intermissio. Quæ demum prauos humores ad partem vlcere obsessam mouent, & proinde fluxionis causæ sunt; cum hæc vel per transmissionem, vel attractionem fiat; proinde vel transmissionis, vel attractionis causæ erunt. Transmissionis quidem, vt vlceratæ partis imbecillitas, laxitasque partium mittentium, præsertimque principalium viscerum robur, aut aliarum, quæ principalibus visceribus inseruiunt, & famulatum gerunt, necnon ipsius humoris fluentis tenuitas, & pondus. Qua quidem de causa, & quia insuper à corde remotiora, & proinde imbecilliora sunt, crura magis, quam reliquæ corporis partes vlceribus corripi consueuerunt. Omittimus in his vias esse satis latas, & ea nutritorijs membris, à quibus fluxio vt plurimum promouetur, subiecta, & propinqua esse. hepatis enim emunctoria prope crura sunt. Attractionis autem causæ sunt partis dolor vel calor (viarum autem latitudo tum attractioni, tum transmissioni opitulatur) Calor autem nedum internus, verum etiam externus, seu ab extrinseco in partibus impressus esse potest. Hac enim de causa scribebat Hippoc. verè pustulas vlcerosas quàm plurimas oriri. Nam hoc ipso tempore, vt in com. Gal. est auctor, profundum corporis expurgatur vitiosis humoribus à partibus principalibus ad cutim peruenientibus. Sic igitur & lepræ, & vitiligines, & impetigines, & pustulæ quædam vlcerosæ multæ generantur. Si enim corpus bonos humores habens vernum tempus excipiat, hoc seruat saluberrimum, nihil innouans ex propria natura: non sic æstas, vel autumnus, uel hyems. Hæc enim tempora etsi purum corpus suscipiant, illa flauam bilem vltra modum

Vlcerũ causæ antecedẽtes, & remotæ.

Causæ humores mouentes, & eosdẽ generantes.

Causæ humores mouentes.

Hippocr. 3. aph. 40.
Gal. in com.

modum generare solet; hic atram; hyems verò pituitam. Si verò tempus vernum impurum corpus suscipiat, tale quiddam verè contingit, quod in exercitationibus euenire videmus. Etenim quamuis ex se sint saluberrimæ: attamen si hominem vel pituita, vel flaua bile, vel atra, vel etiam ipso sanguine plenum volueris ad exercitationem perducere, ei aut comitialem, aut apoplexiam, aut, si non hæc, vasis in pulmone ruptionem, aut acutissimam febrem exercitatione efficies. Quibus verò vicem purgationis humorum, qui sunt in profundo corporis, exercitatio suppleuerit, ad cutem euocans malorum humorum abundantiam: his & vlcera, & scabies inde generantur. & hoc innuens dicebat Hippocrates: Si impurgatus laborauetis, vlcera erumpent. Et quidem verno tempore calor aeris ambientis humores diffundens educit ad cutem: Et hoc opus ipsius exercitationis simile existit. Quare ad hoc quoque causę genus, & exercitationes ipsas cum Hippocrate liceat recensere, vbi si quis non purgatus laboret; quia tunc vlcera exoriuntur. In laboribus, enim, id est, exercitationibus calor adauctus ex intimis partibus ad cutim humores perducit, & per halitum digerit. Vbi igitur hi vitiosi in corpore coaceruati sunt, sua actimonia cutim erodunt, vlceraque procreant, sicut vbi crassi, & glutinosi sunt, iecur, & renes obstruunt, & in cute affectus cum tumore coniunctos gignunt. Postremò si erodens humor etiam venenata, ac deleteria, reconditave qualitate vlcus efficiat, hanc vt plurimum ab externa aliqua causa, per contagium agente nanciscitur, qualis est Gallica lues, corruptus, ac venenatus aer, vti in pestilentia illa, in qua adeo magna, & plurima vlcera orta sunt, factum fuisse refert Hippocrates; & huiusce modi aliæ causæ, quæ nostri corporis humores virulenta aliqua qualitate afficiunt: à quibus deinde putrida vlcera, gangrænosaque, in quibus non id solum, quod exit, sed ipsa quoque vlceris caro computruit, atque mollis, glutinosa, & cadauerosa iam reddita tetrum, grauemque odorem exhalat. Hæc autem vlcera, nisi coerceantur, plerumque in sphacelum, ac ossis corruptionem miseros patientes deducunt. Oriuntur enim nonnunquam ex sola humoris pernicie, sed hinc tamen frequentius, vti superius diximus, quod partis insitus calor vel ab arteriarum obstructione, vel alia quauis ex causa sit extinctus, neque iam possit partis substantiam, & integritatem tueri. Telephia pariter, ac Chironia vlcera, necnon alia, quæ Græcis dysepulota, ac rebellia nominantur, non solum propter vulgare humoris vitium; sed etiam propter cœcam, & occultam malignitatem, quæ vix profligati potest, sæpe fieri consueuerunt. Vnde talia ferè ex pestilentia relinqui solent. De causis verò reliquarum specierum vlcerum, siue differentiarum, quæ propriæ sunt, siue essentiales sint, siue accidentales, non est vt plura adijciamus, quia ex dictis facilè patent: exempli causa ab herpete, & bile tenuiori fit vlcus in cute tantum, & superficiale; Ex crassiori bile, & phagedæna fit vlcus profundius, & subiectam carnem occupans; Ex carbunculo præsertim venenoso fit vlcus latum, & sordidum; Ex disrupto abscessu fit profundum, & concauum, siue cauernosum, quod etiam fieri solet ex vulnere malè curato. Dum enim sanies, & pus in ipsis vulneribus coercetur, & Chirurgus ei exitum non parat, pus illud vitulentum euadit, & intimas partes contaminat, & erodit, fitque sinus cauernosus. Quod si cauernosum vlcus à crassa, & viscida fluxione vexetur, vt pituitosa, & melancholica, in fistulam migrat. Quemadmodum verò à prauis biliosis, & acutis, & exedentibus succis, & adustis fiunt vlcera virulenta, & corrosiua, præsertimque post pustulas pruriginosas, & post vulnus à mordicantibus medicamentis irritatum; ita à sanguineis succis, sed crassis, & prauis, ebullientibusq; post carbunculos, & magnas phlegmonas, & post vulnera irritata, maleque pertractata, sordida, & putrida vlcera exoriuntur. Et sic de reliquis differentijs dicendum. Vlcera circumglabra, ait Hippocrates, maligna sunt, quia, vt inquit Galenus, quando videmus vel pilos defluentes à circumiacentibus vlceri locis, vel cutem squamulas à summa parte dimittere, sciendum ijs, qui ita se habent, prauos humores ad partem confluere, qui vlcus erodunt: neque enim si radices pilorum possunt corrumpere, loca vlcerata ad cicatricem peruenire sinent.

Hippoc. 5. in 6. epid. 34.

Cōtagium.

Hipp. 3. epidem. 3. sect.

Causæ variarum vlcerum differentiarum.

Hippocr. 6. aphor. 4.

De Vlce-

De vlcerum signis. Cap. III.

Signa.

At verò vlcus, quo de agimus (de exterioribus enim atque conspicuis sermonem habemus) cum sit ex eorum numero, quæ oculis, tactuiq; subijciuntur, signis non eget, vt dignoscatur. Id vnum animaduertimus, quod dum in auribus, aut naribus, aut faucibus, aut sede vlcus subsistit, præter id quod ab exeunte sanie, fœtore, dolore, & alijs id facilè cognoscimus, ægram, & vlceratam partem tum splendido lumini obijcimus, tum speculo, aut simili instrumento dilatamus, aut comprimimus. Sed pro viribus laborandum, vt omnes vlcerum differentias, quæ ad rectam eorum curationem faciunt, proprijs notis accuratissime distinguamus. Et quoniam propriç, essentialesque differentiæ à forma ipsa, vt à figura, magnitudine, æqualitate, & inæqualitate, necnon ab vlceratis partibus desumptæ, omnes, cauernoso, ac fistuloso vlcere exceptis, sensui euidentissimæ sunt: ideo cauernosum vlcus ex eo deprehenditur, quia ipsius orificium angustum est, eius autem profunditas latior, & sensum effugiens, occultaque, ac multos anfractus habens, & cuniculos, siue vias hinc inde discurrentes (vnde & cuniculosum ipsum appellant) citra tamen callositatem, & duritiem. Insuper prægressus fuit tumor, aut abscessus aliquis, quo quidem disrupto, maxima puris copia per vlceris orificium dimanauit, & nunc etiam indies copiosam effluit, dum partes vlceri circunstantes manibus premuntur, & vlceris orificium ita situatur, vt ipsum deorsum vergat, fundum autem vlceris sursum spectet. Dum autem vel specillum, vel candela, aut simile quid immittitur, cuniculi, & profunditas, dum circumducuntur, facilè inueniuntur: Et liquores per vlceris orificium paruis clysterijs iniecti in maxima copia suscipiuntur: partes autem vlceris circumiacentes inæquales, & partim molles, partim magis renitentes tactu percipiuntur. Fistulosum autem vlcus cognoscitur, quia præter iam dicta signa, quæ omnia præstò sunt, meatus illi anfractuosi, sinuosique, callosi, & duri, tactu, ac manibus ipsis prementibus, necnon candela, aut specillo percipiuntur. Vnde à corio illo calloso, & à forma fistulæ instrumentalis tale nomen hoc vlcus sortitum est. Cognoscitur quoque à praua admodum virulentia, quæ nonnunquam ab ipso effluit, & à dolore ipso, qui, nisi sit iuxta neruum, admodum obtusus, & exiguus est. Si enim in neruum desinat, dolor molestat, & id, quod excernitur, tenue est: Si verò in carne sit, crassum, viscidum, turbidum, & crudum excrementum exit: Si in venis, tum sanguis, tum excrementum fœculentum sanguinis fecem referens emittitur: Si sit in osse, vt Auicennas est auctor, id quod egreditur, tenue, & subtile admodum est, & vlcus annuum esse solet, vt ex Hippocrate colligimus. Inter eas verò, quæ accidentales sunt, vlcerum differentias, illas distinguere signis sufficiet, quæ à tempore ipso capiuntur: Nam reliquæ facilè patent. Per tempus autem intelligimus non quidem prout vlcus vel nouum, vel antiquum esse dicimus, quia etiam vulgares hoc cognoscunt, sed prout vel in principio est, vel in augmento, vel statu, vel in declinatione: & proinde quatuor cuiuslibet vlceris tempora notis proprijs secernere debemus. nullus enim morborum, qui soluuntur, est, qui non quatuor hæc tempora percurrat. Proinde vlcerum quoque eadem sunt tempora. Primum enim saniesaquosæ, incoctæ, & tenues ex ijs defluunt; inde pauciores, & crassiores: postea verò pus tenue, in statu scilicet postremo vlcere declinante, minus quidem copia, sed crassius, & albidum magis redditur. Non enim ex quodam alio, quàm cruditatis, & coctionis signis, quæ excrementis deprehenduntur, cognitio eorum constat. Primum tamen principium ex ipsa vlceris tradita natura tactu & visu dignoscitur; necnon ex causis, quæ incipiunt, tam externis, quàm internis, necnon ab effectibus subsequentibus, dolore scilicet incipiente, pruritu, aut alio coniuncto præter naturam affectu. Ita secundum tempus, incrementum scilicet per collationem ad principium, à re ipsa, sensu, tactu, & visu, necnon à causis, quæ intenduntur, & ab effectibus, qui pariter augentur, dignoscitur. Et idem de statu, seu vigore, & declinatione statuendum. Si verò de signis impropriarum differentiarum sermo fiat, si vlcus cum tumore aliquo præter naturam coniungatur, quisnam ille tumor sit, ex his,

Profundi, & cauernosi signa.

Signa fistulosi.

Signa temporũ in vlceribus.

Galen. lib. de tot. morb. temp. c. 3.

Signa differẽtiarũ impropriarũ.

ex his, quæ de tumoribus præter naturam infra, & in proprio eorum sermone trademus, facile parebit: exempli gratia, si vlcus sit cancrosum, est visu horrendum, fœtidum, labra habens dura, crassa, tumida, atque inuersa: colore inter rubrum, & nigrum medio, vtpote fusco, aut liuido: adhæc circa locum vlceratum venæ quædam liuidæ apparent (à quibus cancri nomen desumpsit) exaltatæ, & turgidæ, crasso, & nigriore sanguine plenę. Vlceris figura solet esse lata, rotunda, cauernosa. & si vlcus lixiuio abluatur, cineritium, & viscidum efficitur; à mordicantibus verò, & erodentibus, alioquin leuibus facile irritatur, & prauius redditur. Si vlcus sit cum vermibus, quod nostrates verminosum vocant, & à Græcis scolecodes dicitur, vermes nedum oculis patent: quia etiam per vlceris orificium nonnunquam exire conspiciuntur; verum etiam, dum vlcus cauernosum est, & intus coercentur, persentiunt patientes in loco vlcerato molestiam, & titillationem quandam, necnon calorem præter naturam, & pus putridum præcedit, & exuberat. Ex eius enim putredine gignuntur. Si cum putredine annexum sit vlcus, ex eo vapor aliquis graueolens, seu, vt aiunt, fumus quidam fœtidus, & cadauerosus expirat, & attollitur persimilis illi, qui à putrescentibus ac corruptis iam carnibus effertur, habetque semper annexam sibi sorditiem, & extraneam caliditatem cum humiditate superflua, & plerunque febrem. Differt autem à sordido sola malitiæ, ac fraudulentiæ intentione. In putrido enim non id solum, quod exit, sed ipsa quoque vlceris caro computruit, atque mollis, glutinosa, & cadauerosa iam reddita tetrum odorem exhalat. Si verò cum vlcere intemperies aliqua sine materia, aut tumore aliquo complicata sit, hanc potissimum ex eo cognoscimus, quia, etiamsi vlcus à fluxione aliqua, quæ momentanea sit, non vexetur, contumax nihilominus, ac rebelle, curatuque difficile est, & neque sarcoticis impleri, neque epuloticis ad cicatricem perduci potest. Et in summa vlcera hęc diuturna prorsus fiunt, cum duntaxat, vt vlcera sunt, curantur. Qualis autem sit intemperies, inquit Galenus, partim colore, partim tactu, partim laborantis sensu, partim remediorum vsu, & lædentibus, iuuantibusque deprehendimus, quibus addere possumus cognitionem causæ, quæ fuit prægressa, quæ modo calida est, modo frigida, & proinde vel hanc, vel illam, humor influens, intemperiem in vlcerata parte imprimere potuit: Huic quoque cognitioni maximè confert tum totius corporis, tum partis affectæ, tum ambientis aeris temperaturæ consideratio. Si itaque calida sit intemperies, vt monet Galenus, vstionem sentire se fatentur, aut acrem calorem, cui dolor ex facili subsequitur, rubor leuis insidet, frigidis medicamentis gaudent, & calida fluxio diutius vlceratam partem vexauit, aut calidior ambientis temperies diuturna, vel satis intensa prægressa est. Contrà in frigida intemperantia manifestum frigus in particula persentiunt, color magis albicat, calidis pharmacis admotis gaudent, & frigida fluxio, vel ambientis frigiditas diutina vlceratam partem occupauit. In sicca verò vlcerata caro squallens, & sicca, & aspera, duriorque videtur, & ab vlcere nulla, vel paucissima sanies effluit: caroq; vlcerata fotu aquæ temperatè calidæ iuuatur, & quæ siccandi vim habent, præcessere, siue tales succi, siue ambiens impensè siccum, siue talia medicamenta, tensionemq; ac duritiem quandam ægrotantes in vlcerata particula persentiunt. Quibus contraria omnia signa in humida intemperie nobis sese offerunt: Caro siquidem humidior mollior, & flaccida apparet, plurimæ humiditates ab vlcere effluunt: totius corporis, vel vlceratæ partis temperatura vt plurimum ad humidum inclinat; & humectantia, siue sit aer, siue lotiones, siue medicamenta humectantia fuere prægressa. Si autem vlcus virulentum sit, quod alio nomine saniosum quoq; appellatur, in hoc virus, id est tenue quoddam, ac liquidum excrementum, quod saniem Latini dicunt, citra erosionem abundat. Si verò corrosiuum, siue arrodens sit, tunc sua malignitate, ac prauitate parti, quam iam occupauit, erodendo, atque interdum escharam (quam actis, mordaxq; succus ad ipsum confluens excitat) gignendo maius, atque amplius in dies efficitur. Quod si eius malitia adeo crescat, vt non modo vlceratas, corruptasq; carnes; sed etiam sanas absumat, depopuleturq;, vlcus depascens à Græcisq; nomodes nuncupatur: quia ab ægris particulis ad eas, quæ integræ sunt pascendo pergit: & horũ semper aliquid ægris adiicere solet. Vnde phagedena, ambulatiuũ vlcus dictum, cum vlceris depascẽtis species quędam sit, huc atq; illuc serpendo, cutim, ac subiectam carnem, sed extimam tantum, ac superficialẽ depascitur, ac rodit. Nunquam enim eiusmodi vlcus in penitiora penetrat. quò fit, vt vlcus in summo residens, minimè autem profundum, dici meritò debeat.

Gal. 4. meth. tertio.

Signa intẽperati vlceris.

debeat. Si verò vlcus sordidũ sit, crassiore illo, ac viscido scatet excremento, quod sordem Latini, Græci rhyparon nominant. Quidam tamen ex Recentiorib. aiunt, illud sordidum vlcus dici debere, quod crustas aliquas crassas habet, aut carnem aliquam mollem, crassam, & superfluam. Quibus, cum de nominibus contendere non debeamus, omnia permittenda sunt, dummodo nulla vlceris differentia, quæ ad curationem sit vtilis, nos effugiat. Dum autem aut virulentum, aut corrosiuum, aut depascens vlcus esse cognoscimus, statim scimus ipsum à fluxione vexari, & cum sua causa coniunctum esse. idem quoque deprehendimus, dum erodens humor, qui vlceris immediata, & contentiua causa est, non in vlcerata parte genitus est, sed in ipsam aliunde defluxit: idque multo magis, dum cacochymiæ, vel prauorum succorum in vniuerso corpore redundantiæ signa adsunt; aut varix supra vlcus existens, siue quouis modo dilatata vena in vlcus materiam eructat, idque agglutinari non sinit. quod quidem in interna crurium parte ferè contingere solet. Simili modo si fit aliquis, ait Galenus, qui cætera quidem sit sanus, sed ex scabenda derepente quapiam particula, veluti brachio, pustulam statim excitarit, mox eadem ipsa particula iterum, atque iterum pruritu vexetur, pustulaque dirupta, vlcus decolor inæqualiter crosum gignatur: atque hæc in tribus, quatuorve diebus à principio inciderint, id omnino cacoethes vlcus, à fluxioneque vexatum statuendum erit. Ex his verò haud difficile erit vlcera, quæ maligna, aut dysepulota, ægreque sanabilia sunt, cognoscere. Nam vlcera scribebat Galenus, quæ omnibus ritè, decenterque factis, tamen non sanantur, ea Medici Græcè cacoethe, nos maligna, contumacia, rebelliave dicimus. Diuturna autem prorsus fiunt, cum duntaxat, vt vlcera sunt, curantur. Ad noscendum enim quod affectus ipse cacoethes, id est contumax ad sanandum, fit, vnà cum alijs notis etiam id, quod peractis etiam, quæ decet, omnibus, diuturna fiant, aliquam portionem habet. Id namque ex alijs quoque, quæ sequuntur, symptomatibus, dignoscitur: vt à dolore, si dolorosa præter modum est vlcerata caro, & continuò doleat, & mordeat; si nullo medicamento bene se habet, nullique remedio, ac medicamento cedit; si cicatrice obduci nullo modo possit; si, vt ait Galenus, sanatum vlcus sit, & postea reuertatur, cicatrice videlicet rursus resoluta; si longissimo tempore perduret: si pili circa vlcera decidant; si rotundum sit vlcus; si caro superflua luxuriet: tunc enim non bene expurgatum ossis abscessum indicat: si vlceris labra callosa, præduraque sint; si sanies exeat tenuis, ichorosa, ac prorsus inconcocta: Pariter ariditas, liuiditas, pallor, & aliæ prauæ carnis vlceratæ qualitates idem ostendunt. Telephia verò, Chironiaque vlcera, vt veteres nobis tradiderunt, ferè magna sunt; non tamen putrida, neque tetrum odorem expirant, neq; depascunt, neque dolore cruciant; sed oras habent tumentes, praeduras, atque callosas: proinde difficulter sanescunt, cicatriceque nonnunquam obducuntur tenui; sed quæ mox dirupta vlcus renouat; exulcerato cancro ferè similia, nisi quod tumore nullo obsidentur in ambitu. Quorum præter vulgare humoris vitium, cœca quoque malignitas causa statuenda, quæ vix profligari potest. Vnde talia ferè ex pestilentia relinqui, aut in locis à prauo, & corrupto aere obsessis generari solent. Quomodo autem rebellium vlcerum differentiæ, quæ à complicatis sumuntur, sint dignoscendæ, ex dictis clarissimum est. Postremò, vt perfectior instituatur curandi ratio, nedum contentiuam; verum etiam antecedentem vlceris causam, & quicquid hãc vel gignit, vel ad vlceratam partem mouet, oportet accuratius explorare. Quapropter ipsorum viscerum, præsertim verò iecoris, atq; lienis constitutionem, totiusq; corporis habitum tenere oportet, quod ex bono habitu facilis, ex malo difficilis sit vlceris curatio: hac enim de causa hydropicorum, & ictericorum vlcera ægrè sanescunt. Cum enim, inquit Galenus, in omnibus morbis, in quibus effectrix causa adhuc manet, ab ea inchoanda curatio sit, ideo hanc prius diligenter distinguere, ac noscere oportet. Potest enim esse, ait ille, & varix superiacens, vel lien auctior, vel in iecinore aliquod uitium, præterque hæc omnia imbecillitas partis ægræ, quę ipsa quędam est intemperies; quin etiam uitiosus in toto corpore succus (cacochymiam uocant) maxima scilicet causarum, quæ incommodare vlceribus possunt. Vexat sanè non minus ulcera, & succorum æqualiter se habentium exuperantia, quam plethoram uocant. At imbecillitas partis, propter quam plus iusto succorum illi influit, omnino ab intemperie prouenit; non tamen ab omni: eoque fit, ut exulcerata caro nonnunquam intemperata tantum sit; non autem imbecilla: nonnunquam utrumque, intemperata, & imbecilla. Quippe imbecilli-

[Margin notes: Signa causę coniunctæ. — Galen. 4. metho. 4. — Signa maligni, & dysepuloti vlceris. — Galen. 4. metho. 5. — Gal. 6. apho. 45. — Hippocr. 6. aphor. 4. — Signa diuersarum causarum. — Gal. 4. metho. c. 4.]

becillitatis affectæ partis valentior intemperies causa est: quam ex dictis facile est cognoscere. Quomodo autem contentiuæ causæ differentiæ nobis innotescant, ex traditis de vlcerum differentijs non minus clarum est. Quo pacto verò cacochymia, & diuersorum prauorum succorum redundantia, vt pituitosorum, biliosorum, & atribilarium, necnon plethora ipsa sit exploranda, nedum Galenus in libro de plenitudine, & in primo de humorib. comm. 1. & alibi; verum etiam nos vberrimè in primo libro in sermone de dolore capitis, & in secundo in capite de articulorum dolore, necnon etiam in tertio non vno in loco aperuimus, & prætertim capite 21. & in signis febrium biliosarum, pituitosarum, & melancholicarum. Pari modo, si quis ea, quæ de causis generantibus, atque mouentibus superius docuimus, diligenter perspexerit, necnon ea, quæ in libris de vitijs totius, & internarum partium tradidimus, rimari voluerit, facilè distinguere poterit, an vitio iecoris, aut lienis, aut alterius partis, vel totius corporis cacochymia generetur, & qua de causa ad vlceratam partem transmittatur.

De vlcerum prognosticis. *Cap. IV.*

AD præsagia itaque transeuntes primo possumus vlcera, antequam fiant, prædicere, idq; præsertim si nedum passi dispositionem, verum etiam agentium causarum vim ac numerum accuratè perpendamus. Ex ipsis itaque causis efficientib. vlcera ipsa possumus præuidere, ac futura præsagire, & primo ex remotioribus, vt ambiente aere, ac statu cœli; vt si hyems Aquilonia fuerit, ac sicca; ver autē pluuium, & Austrinum, æstate, vt testis est Hippocr. solent vt plurimum vlcera succedere, ac tormina intestinorum. Similiter aduentante vere, vt superius quoque aperuimus, lepras, scabies, & vlcerosas pustulas prædicimus, quia eo tempore, vt idem tradit Hippoc. oriri solent. Similiter vbi quamplurimi propter annonæ charitatem praui succi alimenta ingerere coguntur, facillimum est quamplurimas vlcerosas pustulas futuras esse prædicere. Ob id, qui Gal. tempore toto vere mali succi alimentis vesci coacti sunt, ita vt & cimas, & germina arborum, ac fruticum, itemque bulbos, ac radices stirpium, quæ mali succi erant, comederent, cumq; se, prout cuique facultas dabatur, agrestium olerum omni genere ad saturitatem vsque explerent, virentesque herbas totas elixas essent, quas ne periculi quidem faciundi causa vnquam ante gustauissent; videre erat in quibusdam ipsorum extremo vere, in plerisque autem, omnibus ferè, ineunte æstate complura vlcera in cute scatere, quorum non esset omnium vna species: alia enim erysipelatis, alia inflammationis, alia herpetis, alia impetiginis, alia scabiei, alia lepræ speciem præ se ferebant. Quorum quæ essent mitissima, ea per cutim efflorescentia à visceribus, intimisq; partibus malitiam succorum exhauriebant. In alijs verò quibusdam carbunculi, ac phagedænæ modo cum febribus exorta plurimos sustulerunt, paucissimis longo temporis spatio vix seruatis. Simili modo, vbi quis nouam iecoris prœcalidam intemperiem quacunq; de causa contraxerit, facile est præuidere, ipsum non ita multò post scabie, vlceribusq; laboraturum; quemadmodum nos sæpissimè prædiximus, & non errauimus, in quibusdā, qui propter luem Gallicam decoctum Guaiaci assumentes ab imperitis Medicis malè fuerunt pertractati. Pariter si quis cum infecta scabie, aut Gallicis vlceribus, aut elephātiasi dormierit, aut cum lue Venerea infecta muliere concubuerit, vlcera ab his causis orianda præuidemus, & præcautione quamprimum vtimur. A causa verò interna, minusque remota, & proxima idem prænoscimus, dum videmus in corpore adesse cacochymiam, præcipueque serosorum humorum copiam, aut etiam crassam bilem, quæ cutem imperere solent; idque multò certius præuidemus, dum quis ita affectus laboribus, ac exercitationibus seipsum exponere statuerit. Propterea si fricatis dentibus ac scalptis sanguis salsus egrediatur, si color citrinus, aut plumbeus, aut viridis, aut liuidus adsit, si calor cutis sit satis acris, si vlcerosa lassitudo fatiget, si victus ex salsioribus, & acrioribus præcesserit, tunc cacochymiam, aut ex bile, aut ex salsa pituita subesse censemus, ac vlcera futura prædicimus. Quod si passum his præsentibus ad hunc morbum aptum, ac subiectum esse videamus, vt scilicet puer vel iuuenis sit, & totius corporis habitum, extimamq; cutem laxam, & humi-

Quomodo futura vlcera prognoscantur.

Hippocr. 3. aph. 11.

Aph. 20.

Galen. lib. de cib. bon. & mal. suc. c. 1.

& humidam habeat; & aluo potius stiptica laboret, adhuc magis certam de vlceribus futuris sumimus coniecturam. Similiter, dum quis quartana hyeme laborat, & eodem tempore multas quartanas conspicimus in scabiem finiri, statim ambigimus, ne in eo quoque idem prorsus contingat, præsertim si humor adeo crassus, & lentus sit, vt per sudorem, & poros cutis propelli non possit. Dum autem volumus præsagire quænam vlcera facilè, & quæ difficulter, & quæ nullo pacto sanari possint, & quæ prorsus lethalia sint, ita, vt festinum interitum indicent, oportet hæc duo exactè perpendere, ac inuicem accuratè conferre, vlceris scilicet magnitudinem, seu, melius cum Galeno loquendo, grauitatem, & ipsius virtutis, totius scilicet & partis affectæ robur, seu statum, conditionemve quis appellet. Futuri autem status præcognitio non ita necessaria est, quoniam vlcera sponte nascentia, de quibus agimus, sui natura morbi sunt immateriales, & cum extimas, & ignobiles præsertim partes obsideant, aut saltem non ita ad vitã necessarias, inter morbos annuos, ac valde chronicos sæpius locum habent, & ab ipsa natura longissimo tempore absq; aliqua difficultate, citraq; virium iacturam possunt perferri. Si itaq; vlceris magnitudinem, seu grauitatem, siue vim expendere velimus, scribebat Gal. quod non modo vlcera, verum etiam reliqua omnia vitia trifariã magna, grauiaq; redduntur, nempe vel propter affictæ partis præstantiam, vel propter affectus magnitudinem, vel propterea quod sint cacoethe. Quæ quidem tria membra sub morbi idea, magnitudine, & more alibi ab eodẽ Gal. propositis cõprehenduntur. Partis enim affectæ prestantia sub idea; magnitudo sub ipsa magnitudine, & cacoethia sub more continetur. Quomodo autem magnitudo sub magnitudine contineatur, & quot modis accipienda sit, in 3. lib. de morbis totius c. 18. declarauimus. Quare si partis vlceratæ conditionem, & vlceris ideam perpendamus, dum vlcus solam occupat cutim, & magis superficiale est, eò facilius, & breuiori tempore curatur. Dum enim ipsa cutis vlcerata est, planum vocatur, & solis eget epuloticis, & quamuis cutis eadem specie reparari non possit; attamen quid ei simile, quod eius vices facile ferat, haud difficulter resarcire valemus. Quanto verò magis partem, quę cute nobilior sit, obsidebit, tanto difficilius curabitur. Ob id, vt Auicennas scriptum reliquit, vlcera, quæ in extremitatibus musculorum dorsi, vel tibiarum, aut brachiorum sunt, periculo non vacant. Hac quoque de causa valde periculosa ab eodem censentur, quæ ad interna vsque membra perueniunt, aut in aliquem neruum, aut venam, vel arteriam eximiam, aliamve partem notatu dignam desinunt. Pariter dum vlcerata pars aut aliqua ex parte reconditum, aut profundiorem habet situm, cui ob id medicamenta ægrius adhibentur, aut adhibita difficilius persistunt, & adhærent, aut sensum habet exquisitum, aut excrementis naturaliter irrigatur, vel ab externo aere, aut alia re necessariò alteratur, vlceris curatio interdum nedum difficilis, verum etiam impossibilis redditur, & si pars illa vlcerata cum parte præcipua, aut principe coniuncta, aut ei proxima sit, nonnunquam vlcus parte præcipua, vel principe in consensum perducta, mortem afferre potest, vti nedum in aurium, narium, & faucium vlceribus; verum etiam & mammillarum, & præsertim earum vlceratis cancris, sępius contigisse vidimus. Nec minus grauia sunt vlcera, ac admodum diuturna esse solent, vt tradit Hippocrates, in quibus ossi caries impendet, aut ossis exesio, & cariès iam contracta est. Ossis autem corrumpendi metus impendet, ait Galenus, in vlceribus, quæ cum magnitudine phlegmones sunt. Quod si non vnica; sed duplex, aut triplex sit morbi idea, ita, vt vlcus non simplex sit; sed cum intemperie, aut etiam cum aucta magnitudine, ac tumore aliquo coniunctum, longè difficilior euadit curatio, pręsertim si cum morbo, qui humectantia præsidia requirat, & calefacientia, coniungatur. Illa enim vlcus, quod sui natura exficcantia indicat, augere valent: Hæc verò minus tuta sunt, quia ad vlceratam partem imbecillam iam redditam fluxionem facilè concitant, & phlegmonosum reddunt. Ob id inter cætera, quæ magis vlceribus officiunt, ait Guido, ventus est meridionalis, & Austrinus, & ambientis humiditas caliditati adiuncta. Hæc enim vlceribus putredinem inuehunt: quæ enim putrescunt, omnia ex calido, & humido putrescunt. Hinc, scribebat ille, tibiarum vlcera Auenione ægrius ac longè difficilius curantur, quàm Parisijs: Contra accidit in capitis vulneribus propter frigiditatem cerebro noxiam. Quare ægerrime curatur vlcus sicca obsessum intemperie; non ita ægrè tollitur, si cum humida intemperantia iunctum sit; minus adhuc difficilis euadit curatio, si in actiuis qualitatibus distemperatum sit, quia tunc validis auxilijs, quæ ma-

Marginalia (left): Quænã vlcera facilè, & quæ difficulter, & q̃ nullo pacto curari possint. — Vlceris magnitudo quo pacto cõtemplari debeat. — Vlceris idea & vlceratæ partis conditio.

Marginalia (right): Gal. 4. meth. sexto. — Galen. 3. de crisi. c. 4. — Hipp. lib. de vlcer. — Gal. 4. meth. sexto. — Guido tract. 4. cap. 1.

gnam habent actiuitatem occurrere possumus: Si tamen calida cum frigida confe-
ratur intemperantia, tutius, & citius calidã auferimus discrasiam: quia calorifica flu
xiones facilè proritant. Neque ob id aduersamur Gal. dum dixit in septimo meth.
lib. tutius esse calidis frigidam intemperiem remouere, quàm è contra: quia respi-
cit non ad citam, sed ad tutam curationẽ, & loquitur de ventriculi intemperie, eaq;
simpliei, & absq; vlcere. cui dũ calida laborat intemperie, & frigidis occurrimus, pe
riculũ imminet, ne frigida ægritudo imprimatur, & eius actio, quę à calore celebra
tur, maximè lædatur. Nos vero de intẽperie loquimur, sed cum vlcere externarum
partiũ cõplicata: in quibus dum vlceratæ sunt, & proinde nedum sui natura, quia ea-
rũ plurimę laxæ, & ignobiles sunt, verum etiã vlceris ratione debiles euaserunt, fa-
cile est, vt sub calidis, attrahentibusq; pharmacis phlegmone, & fluxione corripian
tur. Si vero intẽperies habitum iam contraxit, adhuc ægrius vlcus curatur. Dum pa
riter nuda non est; sed cum materia, aut tumore aliquo, curatu difficilis est, præser-
tim si tumor humectantibus, & emollientibus egeat, & proinde aridus sit, & valde
durus quemadmodũ in cancro exulcerato contingere videmus, in quo pars vlcera
ta frigidam, & siccã intemperiem, eamq; pene habituatam iam contraxit, &, quod
magis est, dũ volumus tumoris atribilarem materiã, & humectantibus emollire, &
calorificis discutere, tum vlcus iam factũ, tum tumoris materia maximè augetur,
& irritatur, & vtraq; hæc mala in deterius labuntur, & ob id consulebat Hip. melius
Hippocr. 6. aph. esse hæc mala nõ tangere. Si verò vlceris magnitudinẽ, seu recessum à naturali sta- **Vlceris magnitudo.**
tu spectare velimus, hoc in loco ea omnia reuocanda sunt, quæ de vulneris magni-
tudine, figura, æqualitate, & inæqualitate in sermone vniuersali, dum de præsagijs
Cap. 2. egimus, scripta reliquimus. Vnde, memoriæ gratia, sicuti oblonga, & augusta vlce-
ra facile, ita rotunda, & in orbẽ circunducta (vt ibi diximus) ægerrimè ad cicatricẽ
ducuntur, & pessima esse solent: Proinde pueros subinde in perniciẽ trahunt. Itaq;
Guido tra. 4. cap. 1. in ijs consilium chirurgorum est, vt notat Guido, ut cauterio figura illa orbicularis
aboleatur, & lineę modo (quantũ saltem fieri poterit) in rectum diducantur. Quan- **Vlceris malignitas.**
Gal. 4. meth. 6. & Hipp. lib. de Vlcer. tum deniq; spectat ad vlceris cacoethiam, seu malignitatẽ, scribebat Gal. ex ipsius
quoque Hipp. testimonio, quod phagedęnæ, & quæcunq; vlcera exeduntur, ea tum
cacoethe sunt tum malorum succorum soboles. Herpetes quoq; quia à bilioso ex-
cremento ortũ habent, & item reliqua, quæ inueterantur, omnia, quia ex huiusmo-
di quapiam causa proueniunt, maligna sunt, & diuturna euadunt. Pariter dum pra-
ùus vlceris color prauum totius corporis calorem repræsentat, malignitatem ar-
guit. Si enim candidus, aut fuscus, aut citrinus color appareat, vitium aliquod effa-
tu dignum hepati, atq; insignem sanguini ab eodem iecore procreato corruptelã
inesse significat. Nec minus maligna, curatuq; rebellia sunt, vt superius diximus, vl
Hippocra. 6. aph. 4. cera circum glabra, vt ait Hipp. Dum enim in partibus vlceri circumstantibus pili
decidunt, prauos humores ad partẽ confluere significant, inquit Gal. qui quidem si
Gal. in com. radices pilorũ possunt corrumpere, multò magis loca vlcerata ad cicatricẽ perue-
nire non sinent. Et idẽ dicendum, ait idem Gal. cum cutem squamulas è summa par
te dimittere conspicimus. Tale enim vlcus de necessitate prauum est, & maligna
fluxione vexatum. Contrà verò, cum pili, qui prius deciderant, in ijs, quæ circa vl-
cus sunt, sedibus renascuntur, bono indicio esse solent. Prauum quoq; vlcus cense-
ri debet, dum est valde dolorificum. Dolor enim praui humoris fluxionẽ indicat,
cuius vi & fluxio augetur, & inflammatio sæpe suboritur. Quem quidem dum mi-
tigare studemus, cogimur vlcus ipsum despicere, & sæpius fouere, & augere. Alte- **Virium status consideratio.**
ra autem ex parte virium robur, & totius corporis, & partis potissimum affectæ
æstimandum à nobis est. Si enim principalia membra, iecurque potissimum bene
se habeant, & lien rectè dispositus sit, viresque totum corpus gubernantes propter
bonorum succorum redũdantiam bene se habeant, & ab eorum nimia copia gra-
uatæ non sint, & propriam pars affecta seruet temperaturam, non possumus, nisi de
cita salute futura rectè sperare. Sicuti è conuerso, si membra nobilia non bene ha-
beant, & vires aut ratione cacochymiæ debiles, aut ab aliquo morbo resolutæ, aut
à nimia plenitudine aggrauatæ fuerint, & affecta pars debilis distemperataque exti
terit, aut etiam profundior & magis recondita, timemus, ne vlcus diuturnũ, & pe-
riculosum euadat. Hac de causa omnium sententia, vlcera, quæ alijs morbis succe-
dunt, ægrè sanabilia sunt. Et Auicennas scribebat ea vlcera mala iudicanda esse,
quæ dura sunt, & ad virorem, aut nigritiem vergunt. Eiusmodi enim color natiui
Hip. 1. prædict. caloris vlceratæ particulæ extinctionem insinuat. Et prædictionum Auctor nos
admonet, vlcus siue ante extitit, siue in ipso morbo natum est, diligenter obseruari
debere.

debere. Si enim moriturus sit æger, aridum, & liuens, aut pallidum propter caloris extinctionem ante mortem apparet. Contra vero in quibus vlceribus post longam saniei, seu virulentiæ emissionem pus laudabile apparere incipit, bonum nobis portendit. Si quidem & naturæ robur, & materiæ obedientiam significat. Verum quoniam dictum est iecoris potissimum, & altricis virtutis statum, & vim nos perpendere debere (neque id ab re, cum vlceribus ipsis, & gignendæ carnis, & cutis reparandæ, sanguinem ipsum tanquam idoneam materiam præbeat) altricis autem virtutis status conditioque potissimum ex ipsis exploratur excrementis: Cum enim eius actio in assidua concoctione versetur, nulla coctio celebratur, quin in ea duplex saltem resultet excrementum, quorum vnum crassum est, alterum tenue, vt tum alibi, tum etiam in generali vulnerum curatione cum Galeno notauimus: Ea propter, ut uirium statum, & robur exactè cognoscamus, ad ipsius vlceris excrementa, quæ ab ipso indies segregantur, assidua oculos dirigere debemus. Dum enim excrementum hoc, & pus ab vlcere segregatum optimum erit, optimam spem, salutemque cito futuram concipimus: sin huic maximè contrarium apparebit, pessimum erit præsagium depromendum. Est autem pus optimum, inquit Hippocrat. quod album, æquale, leueque est, & quam minimè fœtidum, quod autem est huius maximè contrarium, id pessimum est. Cur autem pus optimum tales habeat conditiones; pessimum verò oppositas, rationem reddit Galenus inquiens, quod quotiescunque sanguis extra vasa egressus per exiguas particulas dispersus est, redire amplius in pristinam naturam non potest, vnde immutatur, ac putrescit non secus, quam reliqua omnia, quæ alieno in loco vehementius incalescunt. Quare si natiuus calor à propria temperie plurimum recesserit, sanguis, vt in corpore in animo, computrescit. Sin autem vim adhuc aliquam seruet, mista quædam sanguinis mutatio efficitur, partim à causa, quæ secundum naturam est, partim ab ea, quæ præter naturam aduenit: quæ vt putrefacit, sic quę secundum naturam est, concoquit. Vtrauis autem earum fuerit superior, ex illa necessario indicia & in colore, & in odore, & in consistentia consequentur. Dum igitur sanguis ob dictam rationem non computruit, sed concoctus est, rectéq; in pus mutatus, licet notæ quædam putredinis pręter naturam in eo appareant; leues tamen eę sunt, & ob id, vt ait Hippoc. quam minimè, id est, pauciβimè fœtidum est. Adhæc verò color debet esse semini similis, albus nimirum, non tamen exquisitè, qualis niuis color est; siquidem natura colorem solidorum corporum (quæ sui natura alba sunt, & proprium obiectum in simile sibi transmutant) eis inducit: sed semini exquisitum; puri vero modicum: propterea, quod in semine nulla præter naturam causa mista est: in pure autem, vt non semper æquale, sicut diximus, ita certè aliquod prorsus mistum est, cum sanguis extra sua vasa prodierit. Tum semen itaque tum pus alba fiunt, quia etiam pus solidis corporibus quodammodo simile redditur: quæ sunt tunicæ vasorum, nerui, ligamenta, membranæ, cartilagines, atque ossa. Fętor autem exuperans non concoctionis; sed corruptelę indicium est: & idem de prauo colore, & consistentia puris, quæ mala sit, statuendum est. Verum quoniam voces hæ, sanies, pus, virus, sordes, & id genus alia sæpius ab auctoribus, dum de vlceribus loquuntur, vsurpantur, ideo non erit ab re, si, quid apud eos significent, & quid inter se conueniant, & dissideant, paucis aperiamus. Quamuis igitur barbitonsores, & vulgares isti chirurgi, qui nunquã apposite loquuntur, nomine saniei nonnunquam omnem humiditatem præter naturam alteratam ab vlcere effluentem, interdum illud, quod pus à Latinis, à Græcis pyos vocatur, intelligant: Nihilominus sanies Latinis tenuis humor est, qui Græcis ichor dicitur, qualis exit è vulnere, nec recenti, nec iam sanescente; sed inter vtrumque tempus. Saniei autem apud Celsum duæ sunt species Græcis distinctæ nominibus, quarum vna ichor, altera meliceria appellatur: Ichor tenuis, subalbidus ex malo vlcere exit, maximeque vbi neruo læso inflammatio secuta est: Meliceria crassior, & glutinosior, subalbida, mellique albo subsimilis fertur: quæ pariter ex malis vlceribus, vbi nerui circa articulos læsi sunt, & inter hæc loca maximè ex genibus profluit. Quod autem pyos Græcis, Latinis pus propriè nominatur, ex sanguine, vel carne conuisa ortum habet: in cuius generatione, vti superius diximus, semi mala quædam fit concoctio, seu alteratio; cum tamen concoctum quoquo pacto fit, penes consistentiam atque crassitiem, & tenuitatem medium locum inter tenue vlceris excrementum, quod virus, seu virulentia ab istis vocatur, à Græcis autem ichor, à Latinis sanies, & à quo tenui excremento vlcus humidum redditur; & inter crassum

Vlceris excrementorum contéplatio.

Hip. 1. præsag. tex. 14.

Sanies qd.

Pus quid.

sum eiusdem vlceris excrementum, quod sordem vocant, à quo vlcus sordidum redditur. Vnde virus, seu virulentia apud chirurgos est superfluitas subtilis ex abundantia humorum aquosorum genita. Quæ Guidonis testimonio duplex est, calida scilicet & frigida, serosa, & rubicunda: Et, vno verbo, quod illi virus appellant, Galenus ichorem, Latini saniem dicunt. Sordes autem apud Guidonem, & reliquos est superfluitas quędam crassior ex humoribus crassiorem substantiam habentibus genita: quę triplex est: Quædam enim, ait ille, spissa est, inæqualis, coagulata, & alba; quædam verò nigra: quædam velut fere cinericea. His declaratis, omnia iam præsagiendi methodo applicanda sunt. Pus, vti diximus, mediam substantiam sortitur inter tenuem, & crassam, si laudabile, & optimum sit. Optimum autem est album, leue, æquale, ac quam minimè fœtidum. Et sanitatem, eamque citò futuram in vlceribus arguit. At illud Celso malum est, quod multum tenue, dilutumque apparet, magisque si ab initio tale est: itemque si colore sero simile, si pallidum, si liuidum, si feculentum est: præter hæc, si malè olet. Porro genus quoddam puris est apud eundem Celsum Græca dictione eleodes appellatum; quod in magnis vlceribus sanescentibus apparet tenue subalbidum, quasi vnctum, colore, atque pinguitudine oleo albo non dissimile. Sanies autem mala est multa, nimis tenuis, liuida. aut pallida, aut nigra, aut glutinosa, aut mali odoris, aut quæ & ipsum vlcus, & iunctam ei cutem erodit. hæc enim omnia natiuum calorem imbecillum, à quo morbus, & materia peccans superari nullo modo potest, nobis ostendunt. Contrà melior sanies est non multa, modicè crassa, subrubicunda, aut subalbida: quia natiuum calorem dominantem indicat. Itaque spes sanationis in his vlceribus maior est, ex quibus melioris generis quæque prædictorum proueniunt. Sicuti & eius vulneris expedita magis curatio est, ex quo sanguis bonus fluxit. Quamobrem bonitatis atq; malitiæ notæ in horum singulis diligenter à chirurgo sunt perpendendæ, vt præsagire possit, quæ vlcera insanabilia sint, quæue facilem, aut difficilem curationem habeant; & non solum calumniam quamcunque deuitare; verum etiam se alijs admirabilem præstare. Si verò de malis, in qua vlcera migrare, aut accersere solent, sermo fiat, scribebat Auicennas, quod omne vlcus, quod postquam carne impletum est, & cicatrix illi induci debet, subito renouatur, periculum est, ne in fistulam degeneret. Quibus autem vlceribus ante absolutam deterfionem sarcotica pharmaca administrantur, mala, ac superflua caro, vt Hippocr. & Gal. tradunt, in illis generatur. sicuti è conuerso, quæcunque probè, & opportune expurgata semper ad siccius promouentur, his caro, inquit idem Hip. magna ex parte non supercrescit, nisi si contusa sunt. Adhæc artuum, siue extremarum partium vlcera, vt pedum, aut manuum, sæpenumero phlegmonas, aut alios eiusmodi præter naturam tumores in adenosis partibus, seu glandulis (quas Græci adenas uocant) accersunt, atque excitant, præsertim si corpus plethora laboret. Hæ enim partes, quoniam imbecillæ sunt, & raræ, fluxione facile tentantur. Propter vlcus igitur, quod in manus, aut pedis digito est, tales glandulæ in inguinibus, & alis intumescunt, cum defluentem ad vltimos artus sanguinem, aut alios humores, priores acceperint, & ob laxitatem, & raritatem retinuerint. Quin etiam in collo, capite, aut aliqua vicina parte vlcus est natum, intumescunt. Demum scribebat Hippocr. Quod si vlcera annua fiant, aut etiam diuturniora, os abscedere est necessarium, & cicatrices cauas fieri. Cauitatis autem futuræ quantitatem determinans Galen. inquit tantum cauas fieri contingere, quantam ossis abscessus crassitudinem habuerit. Cur autem dum vlcera annua fiunt, necesse sit os abscedere, & quod longè magis refert, & quod ab eo, qui commentatoris officium gerit, audiendum erat, cur necesse sit cicatrices cauas remanere, Galen. non declarat, sed in commento solummodo circa vlcerum, quæ ægrè cicatrice obducuntur, differentias discurrit. Quantum igitur ad primi quæsiti causam attinet, haud difficile est, eam in medium afferre. Dum enim vlcera longo tempore perdurant, & per viam signi, & per viam causæ ossis emissionem arguimus: quia dum Medicis nihil in curatione delinquentibus, aut omittentibus, sed ex arte tum vitiosorum humorum influxum, tum dispositionem in vlcerato membro longo tempore contractam ex humoribus, qui influunt, auferentibus, vlcus nihilominus non cicatrizatur, aut facta cicatrice rursus resoluitur, arguimus de necessitate ob aliquam passionem ossis in eo loco corrupto difficulter sanari. Per viam causæ verò, quia dum vlcus annuum euadit, propter assiduam excrementorum generationem, & humorum influxum, facillimum est, vt subiectum os ab ijs, quæ

[Margin notes: Virus, & Ichor quid. — Sordes. — Hipp. lib. de vlcer. — Hip. 6. aph. 45. — Dubitatio.]

ijs, quæ corrodendi vim habent, aliquid patiatur, & saltem in superficie cariem, aut aliquam corruptionem contrahat. At cur emisso osse necessarium sit, cauam euadere cicatricem, haud ita facile est rationem reddere. Cum enim in vlceribus quotidie videamus carnem, eamque sæpius optimam supercrescere, & cicatrices eminentes euadere, præsertim vbi imperitus chirurgus epulotica nō adhibet prius, quam caro vniuersam vlceris cauitatem exæquet, vti in sermone de vulneribus cum carnis deperditione docuimus, aliquis posset ambigere, cur osse emisso, & cauitate, quæ ab osse abscedente relicta est, prius carne repletæ, tanta rursus caro generari non possit, quæ vlcerati membri naturalem superficiem, & proinde cicatricem ipsam exæquet. Neq; enim sanguis vnquam decsse poterit, ex quo caro, quæ pars spermatica non est, sed sanguinea, facilimè, & in quocunque tempore, & quocunque loco generatur. Neque possumus difficultatem effugere dicendo propter ossis emissionem vlceratæ partis robur fuisse refractum: quia cum ossa, terrea sui natura, & frigida, & sicca sint, caro autem calida, & humida, melius est pro carnis generatione, vt locus, in quo erat os, sit carne, quam osse repletus: quia caro ad carnis, & sui similis generationem magis conducit. Vt itaque soluatur difficultas, & Hippo. sententia vera aperiatur, sciendum est, ad carnem in debita mensura procreandam, non set esse, vt sanguis ipse, & materia idonea præsto sit, verum etiam ipsum agens inculpatum, quale est affectæ partis calor innatus, & proba temperies, de necessitate requiri modo, dum ait Hippoc. in vlceribus annuis necesse esse os absorbere, & cicatrices cauas fieri, non vult, vt cuicunq; ossis abscessioni caua succedat cicatrix, quia in recentibus ossium vulneribus, potissimum sclopetorum sepe vidimus multa ossium frustula fuisse emissa; & nihilominus plana cicatrix fuit obducta, non autem caua; sed vult, vt caua cicatrix duobus his antecedentibus consequatur, nempe vlceri annuo, & valde diuturno, necnon ossis abscessioni. Et ratio ea est, quia dum vlcus annuum euadit, necesse est, vt partis calor ingenitus, & propria temperies adeo labefactetur, vt pro tanta carnis generatione, quę cicatricem exæquet, non sufficiat, etiamsi sanguis inculpatus, & carnis materia prę sto sit; omittimus, quod dum ossis portio notatu digna emittitur, necesse est, vt multa vasa circunstantia, quæ sanguinem, & calorem vitalem ad partem deferunt, & proinde tum materiam, tum agens subministrant, valde lædantur, & perçant.

Solutio difficultatis.

De Vlcerum indicationibus, & curatione. Cap. V.

IAM verò priusquam ad præsidiorum materias descendamus, indicationes, quæ nobis eas suggerunt, diuisa methodo sunt tradendæ. Hæ igitur ab vlceris natura, eiusque differentijs, & subindæ memoriæ gratia, vel à rebus præter naturam, vel secundum naturam, vel non naturalibus expromendæ erunt. Res præter naturam sunt tum vlcus vnà cum proprijs suis differentijs, tum affectus præter naturam siue vitia omnia, quæ cum eo complicantur. Res secundum naturam sunt pars vlcerata, totius corporis temperatura, virtus, & reliqua, quæ ad hæc rediguntur. Res non naturales sunt aer ambiens, & illa omnia ex quibus is constituitur. Si itaque à rebus præter naturam sumantur, scribebat Galen. quod omne vlcus aut solum est, ipsumque per se nulli alij affectui complicatum: aut cum alio quopiam vno multisuè consistit. Si solum sit, ac ipsum per se, qualia sunt vulnera ipsa simplicia, quomodo curandum sit, in sermone de vulneribus generali docuimus. Si vero cum alio quopiam vno, multisuè consistat; horum alij non modo statim ab initio vlcus excitarunt, sed etiam nunc maius efficiunt; alij eius sine quo non, vt ad curandi opus, rationem obtinent. Si eius, sine quo non, rationem obtineant, quales sunt vlceris sordities, aut vlceris cauitas (puritas enim vlceris rationem habet eius, sine quo non, atque hanc sordes interpellans curationem moratur: Habet vero, & ipsa cauitas ad vlcus rationem eius, sine quo non: quando, nisi cauitas prius impleta sit, induci cicatrice vlcus non possit) de his in sermone pariter de vulneribus cum carnis, & cutis deperditione, accuratè, ac sufficientissimè differuimus, & quo pacto, quaue methodo curandi sint, tradidimus. Si verò maius vlcus reddant, de ijs in hoc tractatu agendum est. Duplex itaque in his curationis consilium est, scilicet vt vel eiusmodi affectus è corpore prorsus eximas,

Gal. 4. met. 1.

Gal. 3. met. 9

Gal. 4. met. 1.

mas, vel incommodum, quod inferunt, vincas. Verum hoc, vbi exiguus planè affectus est, fieri licet; vbi magnus est, duci ad cicatricem vlcus prius non poterit, quam illi affectui remedium attuleris. Vt autem sciamus, quinam hi sint affectus, sciendum, quod omne vlcus, siue solum sit, (vt simplex vulnus) siue vnà cum cauitate, & subiectam sibi carnem naturaliter habere postulat, & nequid inter oras conglutinandas intersit: quod tamen sæpe fit, ita, vt pilus, arena, sordes, oleum, aliudve id genus glutinationem prohibeat. Ceterum hæc ceu symptomata quædam vlcerum sunt, & quæ morari sanationem, si sint, possunt; efficere sanationem, si non sint, non possunt. Subiecta verò carnis affectus causæ rationem obtinet ad id, quod efficitur. quippe ex hac, & per hanc, tum, quæ dissident, glutinantur: tum, quæ caua sunt, carne implentur. Ea ergo plane pro natura sua se habeat, oportet, quo hæc vtraque commodè perficiantur. ea autem rectè se habuerit, si id, quod etiam reliquis omnibus est commune, proprium temperamentum tueatur. Itaque temperatam esse subiectam carnem ad vlcera tum glutinanda, tum implenda, prorsus oportet. Sed insuper sanguinem quoque, qui affluit, & bonum esse, & quantitatem mediocrem necesse est. Nam & qui corruptus sanguis est, tantum abest, vt ad glutinandum, & carne implendum sit vtilis, vt etiam ipse nonnunquam corpus erodat, atque exulceret, & multus humor, cum in vlceribus excrementa creet, sanationem (ceu prius diximus) moratur. Quare ægrè sanabilium vlcerum atque rebellium alia propter vlceratæ carnis intemperiem, quæ vel sola qualitate naturæ modum egressa est, vel cum accessorio quopiam tumore: alia ob affluentem humorem, qui vel qualitate vel quantitate peccat, talia fiunt. Interim verò miscentur dictorum affectuum aut aliqui, aut etiam pariter omnes. Quibus nos addere possumus subiecti ossis læsionem, seu erosionem, vel corruptelam. Porro tradenda est medendi methodus non omnium simul, sed cuiusque seorsum. Carnis itaque intemperies si squallens, siccaque videtur, aqua temperata fouens humectansque corriges. Quoties autem eo remedio vteris, esto tibi perfusionis humectationisque meta, vt, cum primum rubescit, attolliturque particulæ moles, tum desinas. Si enim vltrà perfundas, quod attraxisti, id euocabis. Itaque nihil proficeris. Quin etiam medicamentorum humectandi facultas plenior esto, quàm vt in sana carne præceptum est. Si verò humidior, quàm pro naturali habitu, caro fuerit, contraria ratio ineunda, ac medicamentorum facultas ad siccius transferenda, aqua verò nullatenus admouenda: imò si lauandum vlcus videtur, vinum, aut posca, aut decoctum austeræ cuiusquam herbæ præparandum. Eodem modo & calidiorem, quam par est carnis habitum refrigerabis, & frigidiorem calefacies. Si verò pars cum aliquo præter naturam tumore vlcerata sit, eius prius sanandus est tumor: Quo pacto autem id faciendum sit, in tractatione propria inferius dicemus. Nunc quantum eius vel coniunctum cum vlcerum curatione est, tractabitur. Cum labra tantum vlceris decolorata, duraue plusculum fuerint, excidenda ea sunt ad sanam vsque carnem. Cum verò amplius progressus eiusmodi affectus est, deliberatio incidit, excidendumne omne id sit, quod præter naturam visitur, an spatio potius curandum: proculque dubio est, ægri animum hoc casu consulendum esse. Aliqui enim longiore tempore curari citra sectionem malunt; alij quiduis subire, dummodo citius sanentur, sunt parati. Aequè verò & mali succi, qui ad vlceratam partem confluit, vt vlcerans quidem est, sanatio eius hic dicetur. Vt autem malignus succus existit, concoquendus, præparandusque, & expurgandus, & reuellendus; vt copia redundans minuendus. Cum ergo, qui vlceratis partibus influit succus, nec multo plus iusto, nec multò deterior sit, auerti hunc, regerique conueniet, adstrictis scilicet refrigeratisque iis particulis, quæ ante exulceratam sunt. Inchoanda quoque deligatio est à laborante ipsa particula, deducendaque versus sanam: veluti in fracturis ossium præcepit Hippocrates. Sed & quæ vlceribus ipsis admouentur pharmaca, siccent valentius oportet, quàm ea, quæ simplici admouentur vlceri. Dum enim nullus vitiosus habitus, seu intemperies, ait Galenus, vlceratas partes infectat, generalis pharmacorum, quibus dysepulota vlcera curantur, facultas duos scopos habet, vnum, vt id, quod influit, repellat: alterum, vt quod affectæ parti, inhæret, infixumque est, discutiat. Hæc autem contrariæ vires præstant. Influxum enim reprimunt adstringentia. Digerunt iam impactum trahendi potestate prædita, Verum quoniam adstringentia exasperant, & attrahentia acria sunt, & mordent, & vtraque de causa dolores, & fluxiones concitantur; ideo talis pharmaco-

Galen. 4. de compos. per gen. cap. 1.

rum

rum materia inuenienda est, vnde vlcus citra dolorem siccescat. Quod si fisti, compescique medicamentis influxus nequeat, causa eius inuestiganda est, atque hæc prius adimenda. Ac siquidem ob partis, quæ influxum recipit, imbecillitatem aliquam id fiat, huic nimirum medendum est. Fuerit autem hæc vlceratæ quoque partis propria quædam curatio. Sin propter sanguinis copiam, vitiosum ue succum, uel corporis totius, vel alicuius suprapositarum partium, illa scilicet prius sunt corrigenda. Ac imbecillitas quidem partis, propter quam plus iusto succorum illi influit, omnino ab intemperie proficiscitur, non tamen ab omni: eoque fit, vt exulcerata caro nonnunquam intemperata tantum sit, non autem imbecilla: nonnunquam vtrumque, & intemperata, & imbecilla. Quippe imbecillitatis affectæ partis valentior intemperies causa est. Hanc autem curabis, vt prius diximus, vtique calidam refrigerando, & reliquas similiter per contrarium alterando. & si per coniugationem frigidior pariter, humidiorque locus sit, calefaciendo, & siccando: & in alijs ad eundem modum, vincentem scilicet qualitatem contraria semper oppugnans. Hoc ergo modo caro, aliaue carnosa quæpiam pars, quæ fluxione humoris ob imbecillitatem affligitur, sanari debebit. Vbi verò intemperiei affectum sanaueris, deinde etiam exulcerationis affectum sanabis, non aliter, atque si citra intemperiem vlcus incidisset. Ad eundem modum si aut alterius cuiuslibet particulæ occasione, aut etiam totius corporis, cum in eo sanguis, maliuè succi redundant, vitiosum aliquid exulceratis partibus influxerit, medendum prius est, uel ei quod fluxionis est causa, vel etiam toti corpori. Ita igitur & varices, qui sæpe supra exulceratum locum sunt, prius sanabimus, vt mox vlcus sanemus. etiam, qui ex liene, aut aliqua quauis parte notabili laborant, ipsa prius parte percurata, mox ad vlceris curationem accedemus. Ceterum nulla harum curationum ipsius est vlceris, sed alterius cuiusquam affectus, qui vlcus vel gignit, vel certè auget: & subinde præsens est, & permanentiam habet. A nullo autem eorum, quæ adhuc non permanent, indicatio sumi eius, quod ex vsu sit, potest. Finge enim ex apostematе, vel abscessu, vel ex eo, quod in partem aliquam procubuerit, natum vlcus esse: quod si sit, ex vitiosis prouenire succis clarum est. *Galen. 4. method. 3.* Ita enim in morbis facere natura solet: cum corpus expurgat, omne excrementum ad cutim trudit. atque hanc quidem vlcerari; totum vero corpus purgari accidit. Quænam igitur est huiusmodi vlcerum sanatio? Nempe, quæ reliquorum omnium, quibus nullus affectus malignus, quem cacoethe Græcè vocant, est adiunctus. Verum si hoc sic se habet, clarum est nullam esse ad curationem à causa, quę vlcus excitauit, indicationem. Atqui si vitiosus succus remaneret, omnino aliqua ab hoc quoque indicatio sumeretur. In omni enim affectu, in quo causa adhuc *Cap. 4.* manet, ab hac curatio inchoanda est. Quare in vlceribus quoque causa, quæ coitionem impedit, prius tollenda, siue sit intemperies vel sola, uel cum tumore, uel varix superiacens, vel lien auctior, vel in iecinore vitium aliquod, vel imbecillitas partis ægræ, quæ ipsa quoque intensa quædam est intemperies, vel vitiosus in toto corpore succus, seu cacochymia, maxima scilicet causarum, quæ incommodare vlceribus possunt; siue exuperantia succorum equaliter se habentium, quam plethoram vocant. Dum itaque nobis vlcus cocoethe proponitur, qualis sit totius corporis affectus, statim considerandum. & ex ipsius vlceris symptomatis, ac totius corporis notis, cuius generis sit is, qui redundat succus inueniendus: atq; hic medicamento protinus educendus. nec protrahendum est, dum totum vlceratum membrum contumacem, rebellemque curationi affectum contrahat. Auspicari igitur perpetuo oportet ab indicatione, quæ ab affectu, cui mederi paramus, accipitur: æstimare vero ac discernere, an causa, quæ affectum excitauit, iam discesserit, an nunc quoque ipsum tum augeat, tum faciat: dein, si desijt, ad eam, quæ in tractatione de vulneribus traditur, methodum est veniendum: sin adhuc facit, ad eam, quæ hic docetur. Totum autem corpus vacuum, purumque ab excrementis ante reddendum est, quàm vlcerata, aut alio modo affecta pars ualentibus remedijs sit subijcienda. Nam siue experientia iudicare quis uelit, siue etiam ratione, maximum esse incommodum deprehendet, cum toto corpore suam curam requirente, prius, quàm illi sit prospectum, afflictæ parti acre aliquod, & calidum medicamentum sit admotum. Trahit enim ad se, cucurbitæ more, ex toto corpore superuacua, atque ita in graui parte affigit, ut ægrè auelli possint. Ab ulceris autem uetustate nil prorsus indicatur, inquit Galen. sed ex succi uitio suggeritur curatio: Hæc enim tria deinceps se habent, signum, affectio, & curatio. Sed *Galen. 4. method. 5.* signum

ſignum eſt ipſa diuturnitas; affectus, ſucci vitium; curatio, eius vacuatio. Hinc veteres medio prætermiſſo tertium ſtatim primo ſubijciunt: quemadmodum fecit Hipp. dum dixit: Tum ab inueteratis vlceribus, confert, vt aſſiduè ſanguinem effluere facias, vtrunque id opportunum videbitur: non vtique curationem indicante vetuſtate, ſed ſanguinis vitio, & idem de vlceribus, quæ ad cicatricem non veniunt, differens, ait: Si quæ vlcus ambiunt, nigricent, ſanguine putrij, aut etiam varice fluxionem ſuppeditante, id genus vlcera coire non poſſunt, niſi quæ vlcus ambiunt, ſana reddas. Adhęc etiam purgationis meminit totius corporis, tum in alijs quibuſdam, tum in ijs, quibus cariem, qua ſphacelon, inſtare eſt metus. Præterea herpetibus, & eſthiomenis omnibus (id eſt, quæ exeduntur) pariter in ijs, quæ mox ſequuntur, rurſus ſcribit: In quocunq; vlcere eryſipelas ſuperuenerit, purgatio totius corporis adhibenda eſt. Ob id etiam ſcribebat, quod quæ ſine contuſione vulneratæ partes ſunt, quàm maximè ſiccandæ; quæ cum contuſione quadam ſunt læſæ, ijs quam primum pus mouere oportet. Videtur itaque Hipp. non ſolũ vlcerum, quæ citra alium affectum conſiſtunt, ſanandorum rationem inueniſſe, vt quę in ſiccando cõſiſtat, ſed etiam priuatim per ſpecies affectuum cuiuſque. Nam aut vitioſus ſuccus ad vlceratam partem amplius non fluit, aut etiam fluit. Ac, ſi non amplius fluit, ipſi tantum, quod laborat, ſuccurrendum eſt, ſi quidem vel nigrum, vel rubrum, vel liuidum conſpicitur, ſcarificando, ac ſanguinem emittendo, mox ſpongiam ſtatim ſicciorem magis, non humidiorem ſuperimponendo: Poſthæc verò etiam ſiccantia remedia applicando: Ab his, ſi res poſtulet, rurſus ſanguinem auferendo: ac mox iterum talia peragendo, donec parta omnino ſanitas ſit: Quod ſi labra vlceris dura, calloſaq; appareant, etiam ea excidendo. Scripſit verò & de tumorib. omnibus, qui cum vlcere coniuncti ſunt, quomodo curãdi ſinguli ſint, & de varicibus. Ad eundem modum, & cum ex toto corpore humor confluit, totum purgare iubet, nuſquam ſ. in his indicationem à tempore ſumens. Si verò os ſubiectum corruptũ, ſiue eroſum ſit, ob idq; vlcus obduci cicatrice non poſſit, nulla alia ſanatio eſt, inquit Gal. quàm ab eodem Hipp. ſcripta in lib. de vlcerib. Siquidem vlcera omnia exſiccari oportet, præcipuè verò, in quibus patitur os: quia ſui natura ſicciſſimum eſt. Terminus autem ſiccitatis eſt, vt abſcedat pars oſſis, quæ vitiata eſt. Quæ verò ex alijs proprijs vlceris differentijs indicationes ſumãtur, ex ſuperiori de vulnerib. contemplatione claræ ſunt. De indicationibus autem, quæ à rebus ſecũdum naturam, & præſertim ab affectis particulis ſumuntur, & potiſſimum ab ipſarũ natura, hoc eſt, temperamento, ſubſtantiaq;, plura in ſuperiori propoſuimus lib. Sicuti enim vlcus quanto eſt humidius, cum pręter naturam ſit, & contrarijs tollẽdum, tanto eo, quod magis ſiccet, indigens eſt. ità tum partis vlceratæ, tum totius corporis temperatura, quanto eſt humidior, tanto, quod minus ſiccet, medicamentũ poſtulat: quanto verò ſicciora hæc erunt, quia ſecundum naturam ſunt, & ſimili conſeruari ſubinde debent, tanto ſicciora requirunt medicamina. Ob id, vt habemus à Gal. 5. meth. 10. audiendi locus vlceratus, quia ſicciſſimus eſt, vehementiſſimè ſiccantib. indiget: quorum nullum reliquarum partium cuiuis applicaſſe expedit: Sed oculo vlcerato, quod modicè ſiccet: Naribus verò, quod multò ſanè magis ſiccet, quàm vt oculis conueniat; minus verò, quàm vt auri quadret. Vlcerum verò, quę in ore accidunt, quæcunque admodum ſunt humida, ea medicamentis egent, quæ vehementiſſimè ſiccent: At quę ſimpliciora ſunt oris vlcera, hæc ſanare cõmodè poſſunt, quæ modicè ſiccant. Quæ verò in ore admodũ humida vlcera ſunt prope oſſa, vnde hæc carie tentari periclitentur, hæc propter oſſiũ naturam, quæ ſicca eſt, vehementiſſimis egent. Et vt cap. 15. idem habet, vlcera, quæ ſine phlegmone in pene, ſe deve ſunt, cicatricem inducens medicamen tanto ſiccius, quàm quæ in carne ſunt, indicant, quanto hæ partes ſunt carne ſicciores. Ita quæ in pene ſunt vlcera, magis ſiccari poſtulant, quam ea, quę ſunt in præputio. Quæ verò tum à ſitu, tum à figura, itemq; actione, & vſu, & ſenſus acumine, hebetudineve indicationes ſuggeruntur, de his ſæpiſſimò in duob. primis totius Medicinæ libris, necnon in ſermone de vulnerib. internorum viſcerum, neruorumq;, & aliarũ partium loquuti ſuimus. Vnde ſatis eſt in præſentia, vt de his dicamus, quantũ ſit ad externorum, ſenſibusq; patentium vlcerũ curationem vtile. De partis igitur vſu illud notãdum, vt ſi quæ ſit pars, quæ eum vſum præſtet, vt materijs per ipſam tranſeuntib. veluti via ſit, vti ſunt œſophagus, ac fauces, quia medicamenta harum partium vlcerib. accõmodata non detinentur; ſed citius pertranſeunt, & imbecillius agunt: oportet ea ratione ijs vti, vt vel paulatim deglutiantur, vel cum adſtringẽtibus, à quibus remorari poſſint, permiſcean-

Hipp. lib. de vlcer.

Epilogus.

Gal. 6. apho. 45.

miſceantur, vel ſæpius gargariſentur, vel vlceratæ parti adhibita ſubſtantiæ lentore, vel craſſitie firmius adhæreant. Ita communis internarum partium,& earum, quæ in ore ſunt, propter ſenſum guſtatorium; & partium nobilitatem indicatio eſt, vt ea eligantur, quæ ſenſui grata, ſi fieri poteſt, & animalis naturæ maximè familiaria ſunt, ſiue ſint cibi medicinales,ſiue medicamenta: fugianturque his contraria. In ijs uerò,quæ foris ſunt, vlceribus,innoxius quoque eorum medicamentorum eſt vſus, quæ ſui natura ſunt noxia, vt eſt ærugo, æs vſtum,& ſimilia. In partis vlceratæ ſitu debemus perpendere, an is pronſudior,remotiorque ſit: quia tunc medicamenris vtimur liquidioribus,aut cum ijs, quæ tenuiorum ſunt partium,qua le acetum eſt,penetrationis gratia,permiſtis. Nam cum ſiccantibus,& potiſſimum cum adſtringentibus, quæ ſibi viam præcludunt, in profundis, & ijs, quæ ſub cutaneis,& carnoſis partibus latent, vlceribus,dum medicamēta extrinſecus admouentur, tenuium partium pharmaca permiſcemus. Partis autem figura inſpecta, nec non etiam ſitu,modus vtendi medicamentis elicitur. Hinc excogitati ſunt, & auricularij clyſteres, quos otenchyras vocant: & vteri clyſteres, quos metrenchytas appellant,necnon communiter vocati clyſteres,qui per ſedem inijciuntur. Quantum ſpectat ad ſenſum, quæ parum acri ſenſu eſt vlcerata pars, hæc ſi affectus ita ſuadet,valentiora perfert remedia: Contra quæ acri pollet ſenſu. Ideo in oculorum vlceribus propter eorum ſenſum eximium, dum ſiccantibus, detergentibus, aut agglutinantibus eis occurrimus,ea medicamenta, quæ citra morſum hæc præſtant,admouemus. Ideo cam, quæ acutum ſenſum habet, partem quàm maximè citra dolorem tractare,ac curare tentabimus: Quæ parum acri ſenſu eſt,valenriora ſuſtinet. Poſtremo à rebus non naturalibus, & ambiente ipſo aere curatiuæ ſumuntur indicationes,quoniam is,vt medicamentum quoddam corporibus noſtris forinſecus incidens,vbi immodicus calore vel frigore eſt,ſanationē moratur. Danda igitur opera eſt,vt medicamina eius exceſſui occurrant. Ideo Hip.in calidioribus anni temporibus frigidioribus medicamentis vtitur; calidioribus autem per frigidiora. Quare qui vlcus ſanare voluerit, nedum ægrotantis temperamentum cum vniuerſi corporis, tum etiam afflictæ particulæ: verum etiam ambientem aerem, prout & ad anni tempus,& cęli ſtatum,& regionem extenditur,ęſtimare debebit.

De Vlcerum curatione, & primum de præſidiorum materijs, quæ totius corporis euacuationem, & purgationem reſpiciunt. Cap. VI.

Chirurgia. SED tempus eſt, vt iam ad præſidiorum materias deſcendamus. Ab ijs autem, quæ manuum opera adminiſtrantur, primum exorſi, ſcribebat Galen. quod tametſi redundantis ſanguinis concurſus non adſit; ad ipſam tamen ſanguinis miſſionem interdum eſt confugiendum: quando ſi valens morbus ſit cum virium robore, nemo eſt, qui ſanguinem non mittat,qui vtique in operibus ſit exercitatus. Ex quibus Gal. dictis liquido conſtat, falſiſſimam eſſe ſententiam eorum,qui aiunt,venę ſectionem ab ipſa plenitudinę indicari. Neq; valet eorum ſubterfugium,ac uana diſtinctio, dum dicunt,plenitudinem vel eſſe cōmunem,vel determinatam;Gal.verò de communi fuiſſe locutum: Nam Gal.de vlcerum curatione loquitur, in quibus determinata plenitudo ſæpius locum non habet. Nihilominus, dum vlcus magnum eſt,& ætas,ac virium robur id permittit,Gal.conſilium eſt,ut ſemper venam aperiamus. Quæ verò vlcera magna dicantur,& ſint,in prognoſticis docuimus. Nedum enim vlcera; verum etiam reliqua omnia vitia grauia,magnaq́, redduntur,vel propter affectæ partis præſtantiam,vel propter affectus magnitudinē, quam alibi receſſum a naturali ſtatu vocauit,vel quia ſunt cacoethe. ex eadem vlceris magnitudine,ac virium ſtatu detrahendi ſanguinis quantitas elicitur. De loco vero loquens Gal. hæc ex Hip. quoq; mente ſcripta reliquit: In progreſſu verò,ait ille, Hip.hæc inſuper adijcit: In omni vlcere,cui eryſipelas ſuperuenit,purgari oportet,qua parte vlceri maximè conducit,ſiue id per ſuperna, ſiue per inferna ſit. Cuius etiam ipſius rei diſcrimen in lib. de ſuccis nos edocuit, reuellere nos iubens ad contraria; deriuare verò ad latera: quin etiam cū maximè influit,tum ad diuerſa reuellere. Quare nunc quoq; ſi etiamnum fluxio ualenter irruat,reuellere ad contraria ſtudebimus, utique ſi in ſuperioribus

Gal.4.method.6.

Locus.

vlcus fit, per inferna euacuantes: Sin in inferiotibus, fuperiorem venam aperientes. At fi fluxio iam defijt, atque in membro inhoefit, deriuare per vicina magis expedit. Quod autem voluerit Hippoc. in magnis vlceribus fanguinem effe mittendum, ex his, quæ ex eiufdem Hippoc. mente fcribit Galen. facilè patet. Omni fiquidem recens facto vulneri, fcribebat ille, nifi in ventre fit, expedit ex ipfo ftatim fanguinem plus minufuè fluere: quippe phlegmone minus tentabitur tum vlcus ipfum, tum circumpofita loca: alibi verò fæpe dixit Medicum debere effe imitatorem non tantum naturæ; fed etiam eorum, quæ cum fua fponte veniunt, conferunt. Si itaque expedit in talibus fanguinem effluere; non autem effluxit, quod decet, ipfe adijcias oportet. Et quoniam aliquis potuiffet opinari, Hippoc. id de recentibus tantum vulneribus pronunciaffe, ideo ftatim fubnectit, quod etiam ab ijs, quæ inueterata funt vlcera, vt fanguis crebrò fluat, efficere prodeft, vtrumque opportunum videbitur, tum ab ipfis vlceribus, tum à circumpofitis vlceri partibus. Ac fi perpetuum eft, incipientem fluxionem ad contraria trahendam, fixam vero iam in laborante particula uacuandam effe, vel ab ipfa particula, quæ affligitur, vel à maximè vicina, in promptu nobis, & de fanguinis detractione colligere nunc eft: quod in principio hæc è longinquo, poftea ab ipfis vlceratis partibus fit molienda. Dum verò venæ fectione propter ætatem, aut virtutem non permittentem vti non poffumus, cucurbitulis eifdem locis applicitis vtendum, & dum prauorum humorum fluxionem alijs auxilijs auertere, & eorundem affiduam regenerationem inhibere non poffumus, expedit cauteria contrarijs, fiue oppofitis maximè partibus, feruata tamen earundem, vaforumque mittentium communicantia, ac rectitudine, applicare. Hippoc. infuper, ita etiam referente Galeno, ad humorum influxum arcendum, vlceratę partis deligatura vtebatur. Sed fafcia inijcienda, ac circundanda eft, vt ipfe in commentarijs de fracturis edocuit, maximam offenfam fore ratus ex deligatura, quæ ad elegantem formam, non vfum conducit. Si igitur fafcia vna fuerit, infernè furfum tribuenda eft, fiue tibia, fiue genu, fiue talus, fiue cubitus, fiue manus fumma, fiue alia quæuis pars laborauerit. Quod fi duabus vti velis, vt in fracturis, altera à parte affecta furfum feretur duntaxat, altera deorfum prius, mox in fuperiore parte definet, eodemque cum priore perueniet. Quamobrem hafce fafcias ex linteis, non panniculos effe expedit. Tertio autem quoque die, non fingulis foluendum membrum eft. Quod fi de medicamentis fermo fiat, de ijs, quæ totius expurgationem refpiciunt loquens Galenus fcribebat ex eiufdem Hippoc. decretis, quod fi vlcus magnum fit, & proinde uel partem præftantem occupet, vel fit longum, aut latum; aut profundum, vel cacoethe, & uires, & ætas permittant, & alius à fanguine fuccus vincat, redundetque in toto corpore, pharmacum, quod ad bilem flauam, vel atram, vel pituitam educendam vim habet, exhibendum. Vnde redundante bile probatur rhabarbarum à fcrupulis duobus vfque ad vj. cum fquinantho, vel fpica, aut vino aromatico correctum, & præfertim in decocto fructuum, & cichoraceorum infufum, & cum fyrupo rofato folutiuo, aut electuario lenitiuo permiftum. Similiter in adultis, & robuftis corporibus maximè probatur electuarium de fucco rofat. ad drach. ij. cum prædictis medicamentis exhibitum in potu vel bolo, prout patiens maluerit. Myrobolani pariter, & præfertim citrini in hoc cafu in eadem dofi in aliquo refrigerante decocto infufi, & cum prædictis, aut manna vel caffia, aut alio fimili medicamento propinati fummopere probantur: atra autem bile redundante, probatur lenitiuum, diacatholicon, fena, epithymum, polypodium, elleborum nigrum, & alias huiufcemodi, quorum correctiua ac dofes in totius medicinæ libris pluries tradidimus, & quod diximus de rhabarbaro, idem prorfus de agarico ipfo trochifcato, dum pituita redundat, ftatuendum eft, cui mel ipfum rofaceum folutiuum permifcere poffumus. Verum quoniam vt plurimum vlcera à falfis nitrofis, & acribus mordacibufque fiunt humoribus, ideo nullum præftantius remedium excogitati poteft ipfa confectione hamech, quæ à ij. vfque ad iiij. drach. pro ætatis & virium ratione cum vnc. j. elect. lenitiui præberi poteft. Quod fi per vomitum, aut lotium, aut per fudorem corpus purgandum fit, horum omnium purgantium materiam in noftris libris iam editis fæpiffimè præpofuimus. Qua via verò purgandum corpus fit, nos docuit Hip. dum fcriptum reliquit in omni vlcere, cui eryfipelas fuperuenit, aut quod alia de caufa purgatione indiget, purgari corpus oportet, qua parte vlceri maximè cōducit, fiue id per fuperna, fiue per inferna fit. Cuius etiam rei difcrimen in libro de humoribus nos docuit, auertere, reuelle-

Hipp. lib. de vlcerib. — *Galen. 4. de compofit. per gen. 2.* — *Medicamēta commu-nia.* — *Galen. 4. me tho. c. 6.* — *Hipp. lib. de vlcerib.*

reuellereque nos iubens ad contraria; deriuare verò ad latera: quin etiam cum maximè influit, tum ad diuersa reuellere. Quare nunc quoque si etiamnum fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria studebimus, vtique si in superioribus vlcus consistat, per inferna purgantes: sin autem in inferioribus sit, superiorem ventrem vacuantes. At si iam fluxio restitit, atque in membro inhæsit, deriuare per vicina magis expedit: cum, & in propinquiora translatio fit, & purganti medicamento promptior tum accessus, tum attractus è vicino detur. Quæ verò purgandos humeros præparare, & concoquere valent, sæpius in iam citatis libris tradita fuere.

De Topicis præsidijs, quæ in simplicibus vlceribus, & in diuersis tum totius corporis temperaturis, tum diuersis vlceratis particulis congrua sunt. Cap. VII.

AT verò de topicis auxilijs, quæ vlcera simplicia ac nulli vitio complicata submouere possunt, non est, vt plura scribamus, cum ipsa ex dictis de cura vulneris cum carnis, aut cutis deperditione, clara sint. Sed vberioris doctrinæ causa, pauca quædam cum Galeno, quæ diuersis corporis temperaturis, nec non varijs affectis particulis congrua sunt, apponemus. Is itaque de emplastro, quod ex hydrelæo, & argenti spuma præparata conficitur, sermonem habens, scribebat emplastrum tactu blandissimum simul, & ad hærendo pertinax fieri, & aspectu album, refrigeratoriam vim habens mediocrem, cuius auxilio exulceratis partibus, ne quid influat, impedit, & iam influxum ad partes circumiacentes retrudit, & subinde per accidens exsiccans euadit. Quo fit, vt mulieribus, & pueris, atque ex grandioribus mollem corporis habitum sortitis (sunt autem hi & candidi cute) congruum sit. Porrò coctum ex oleo copiosiore, & aqua redditur tam glutinans, vt ne quidem à locis decidat. Et verò etiam vlceribus, quæ ad cicatricem veniunt, multis diebus subsequentibus pharmacum immanere expedit, quò melius, & citius ita cicatrix ducatur. Notum est itaque tale pharmacum pruritus, desquamata, & parua vlcera persanare: in quibus, & subliquidum, vt vocant, ceratum, aliaque id genus quædam vtiliora sunt ijs, quæ ualidam potestatem obtinent, qualia magnis vulneribus imponimus. Idem quoque ait Cadmiam lotam medicamen effici mediocriter tum desiccans, tum extergens absque mordicatione, vtileque esse ad vlcera carnis impletionem poscentia & in oculis, & in toto corpore. Porro vlcera magnopere humida, aut putrescentia in corporibus impendio mollibus, qualia sunt eunuchorum, puerorum, ac mulierum eiusmodi Cadmia adiuuat. At in duriotibus, & contentioribus, quæ valentius deficcant, requiruntur. De palmei verò medicamenti, seu phoenicini emplastri vi pertractans, inquit, quod frequenter ipsum ex rosaceo liquescit, cacabo vasi, in quo liquescit, prius subiecto, qui calidam contineat, prunis verò ardentibus incumbat, aut flammæ fumo carenti. ea vero symmetriæ modo liquatum, vt liquidi cerati spissitudinem habeat, & pudendi, & podicis vlcera, imò & alia omnia vsque ad vlceratos perniones, & ambusta persanare affirmauit. Etenim vniuersa statim inflammatione liberat, puraque teddit, & solida implet carne, præsertim vbi plus chalcitidis adiectum fuerit. Insuper nemo ignorat vinum quoque medicamento id effecturo admiscendum esse. Quod si acetum acceperit, ambustis optimè facit, & statim, & postea quolibet tempore impositum, siue illa iam pustulas, siue non habeant. Si verò de particularium organorum, siue partium determinatarum vlceribus curandis sermones habere velimus, illas vlceratas partes, pro reliquarum exemplo, curandas seligemus, quę propter peculiarem præsertim temperaturam, necnon vsum, figuram, situm, ac sensum, diuersam à reliquis, quæ in vniuerso corpore subsistunt, partibus, curationem exposcunt, & varia pro iam dictorum varietate medicamenta, præsertimque topica, de quibus nunc sermo est institutus, requirunt. Et ut à supremis, nobilioribusque partibus exordiamur, & deinceps ad inferiores, ignobilioresque descendamus, ab ipsis oculorum ulceribus sumemus initium. In quibus il-

[Margin notes:]
Ad vlcera simplicia.
Galen. 1. de composit. per gen. c. 6.
Emplastrũ ex hydrelæo, & argẽti spuma cõfectum.
Cadmia lota.
Gal. 9. simp. ferm. de cadmia.
Emplastrũ phoenicinũ
Galen. 1. de composit. per gen. cap. 4.
Ad oculorũ vlcera.

lud primum animaduertendum, an vlcus sit solum vel potius cum alio affectu complicatum. Nam vlcera sæpius, aut dolor, aut phlegmone, aut vtrumq; virium comitari solet. quibus præsentibus, vt toties diximus, ea primum tollenda. Vnde præmissis vniuersalibus auxilijs, & tum vniuersi corporis, tum capitis vacuatione, vel sanguinis detractione, vel purgatione, necnon reuulsionibus fluxionem ad oculos intercipientibus: Tandem ea sunt oculis medicamenta admouenda, quæ vim habeant sedandi dolorem, & inflammationem concoquendo, & maturando; non tamen interim vlcere neglecto. Sed in localium vsu Galen. nobis præceptum vtile, imò necessarium tradit: Quod scilicet cum in plurimo vsu in his affectibus sint succi multi, & liquores, quibus tum assumuntur, tum funduntur, & diluuntur collyria ocularia, vt lac, oui album, succus rosarum, & multarum herbarum, qui, dum inueterascunt, facile acorem contrahunt, indeque acrimoniam concipiunt; ideo aduertendum, ne hi liquores, aut succi exprimantur, aut parentur, nisi cum ijs vti volumus, & collyria diluimus. Quia igitur collyria sunt propria oculorum medicamenta; ideo, vt ibidem Gal. habet, collyria, quæ fiunt ex thure maximè conueniunt. Hoc tamen solo collyrio non est vtendum: quia etiam vlceris ratio habenda est, quod aliquam requirit exsiccationem, & detersionem. ideo aliquid ex collyrijs, quæ ex metallicis fiunt, de quibus post miscendum est. Verum quoniam sæpius propositorum collyriorum copia nobis non suppetit, & propterea necesse est aliquando facilioribus vti; ideo si vlcus alicuius inflammationis, aut doloris sit particeps, hæc sedabimus affuso muliebri lacte, in quo aliqua sint dissoluta, quæ possint aliquatenus siccare, atque detergere. Talis est pompholyx, seu, vt iuniores vocant, thutia præparata, & accuratissimè trita vnà cum tragacantho, uel gummi Arabico dissolutis ex aqua rosacea, vel tenui albo oui. Quod si deesset pompholyx, accipiatur lapis corallius, aut aloes lota ex succo rosarum, vel etiam succus rosarum, & plumbum vstum, & lotum. Fit autem collyrium ex thure nostra tempestate, ea forma, quam refert Rases 9. ad Almansor. dum describit compositionem sief de thure. Recipit enim ammoniaci, sarcocollæ ana drach. v. thuris drach. x. croci drach. ij. omnia excipiuntur mucilagine fœnigræci, & in formam collyrij rediguntur; sed in eorum vsu inter initia, dum dolor, & inflammatio vehementiores sunt, copiosa sint, quæ dolorem mitigant, & concoquunt: Cum hæc remitti incipiunt, ea sunt addenda, quæ siccandi, & quadantenus detergendi vim habet, uti sunt metallica. Si verò copiosa succrescat ex horum vsu sordes, necesse est miscere ea, quæ valentius detergunt, vti sunt ea, quæ crocodea, quia copiosum recipiunt crocum, & quæ diainon, id est, ex vino, fuerunt appellata. Cum autem vlcus solum est, imprimis illud desiccare oportet, sed cum aliqua detersione maiori tamen uel minori, prout maior, vel minor sordes innascitur. Inter simplicia huic negotio accommodata est pompholyx trita, & exquisitè lota, qua sola oculorum vlcera sæpissimè fœliciter curantur. Oportet autem accipere pāniculum lineum rarum, & molle, in quo drac. j. huius lotæ, & benè præparatæ ligetur, & ita demergatur in aqua rosacea, uel euphragiæ: deinde ex tenui, & raro panniculo expressa aqua in oculum instillanda. Eodem modo & lapide corallio optimè trito in cote, & loto talia vlcera sanantur. Aloe quoque eadem ratione in oculorum iniecta ulcera curare ualet; præsertim si ex succo rosarum elota fuit. Inter composita sunt plures collyrium differentiæ ex elotis metallis à Galeno præsertim tradita 4. local. med. sicuti sunt, quæ cygni à candido colore dicuntur, & quæ lybiana: quæ omnia ad caua ulcera implenda, & cicatrizanda optimè valent. Nostris temporibus est in vsu multo sief, quod de plumbo à Rase vocatur, & ab eo describitur in hoc eodem tractatu de oculorum vlceribus, & eo fœliciter utimur. Sed si ulcus corrosiuum sit, & timor sit, ne vuea excidat, uel iam excidere inceperit, fortioribus utendum, quæ valentius adstringant, & repellant; sed quò minus fieri potest, asperitatem inducant. Plura eiuscemodi traduntur a Galeno ex plumbo usto, & loto, ex terra Samia, ex pompholyge, & eius cinere, quem Spodium Græci appellant, omnibus lotis, & ex cerusa lota, ac similibus, ueluti sunt lapis hæmatites, lapis scistus: quæ omnia à Galeno, & alijs clarè explicantur. Rases verò duo talia habet: alterum ex cadmia confectum; alterum elisir appellat ex hæmatite lapide compositum, quo fœliciter talia ulcera curantur. Dum uero aurem ulcus obsidet, habita totius, & capitis purgatione, & euacuatione, si id simplex sit, quia ex Galeno pars siccissima, ualentissimè siccandum. Ideo facta ulceris detersione, cum hydromelle, uel oxymelle tepido sæpius

Si cum dolore sint, vel inflammatione.

Galen. 4. de comp. medic. loc.

Si vlcus solum. Simplicia.

Composita

Ad aurium vlcera. Si simplex vlcus.

Gal. 5. method. 10.

do sæpius in die instillato, vtendum siccantibus quæ vt fortiora fiant, tum vino, tum præsertim aceto dissoluenda, aut leuiganda. Hæc verò in recentibus, & facilioribus vlceribus ex Galen. loc. cit. sunt imprimis collyrium ex Glaucio, quod ex succo illius herbæ Aegyptiacæ, quæ cornuto papaueri similis est, conficiebatur. Astringit enim & repellit, refrigerat, & siccat, atque deterget. Hoc Galenus ex aceto inijciebat. Arabes probant mulsam, vel oxymel, aut vinum mulsum primo ad abstergendum: postea vlcus siccant thure ex vino dissoluto, aut sarcocolla, & thure, ex vino, & pauco melle aut myrrha, & aloe ex uino. Rases hoc vtebatur. Recip. sarcocollæ, aloes, sanguinis draconis, thuris ana vnc. s. scoriæ ferris scrop. j. æris viridis gran. vj. dissoluantur cum aceto non ita acri ad mellis spissitudinem, ex quo duæ, vel tres guttæ in aurem instillentur; deinde turunda in melle illita, & in prædicto puluere intincta in foramine imponatur. Galen. loc. cit. in his vlceribus non difficilibus probat collyria, quæ diarrhodon, & quæ ex croco à veteribus appellabantur, ex aceto, vel vino instillata. Si verò plurima fluat ab vlcere humiditas, aut virulentum sit, aut copia puris scateat, & citra dolorem sit, validioribus egemus detergentibus, qualia sunt collyria ex myrrha, & præcipuè illud Damocratis, quod diasmyrnum vocatur. Quando verò dolorosum est vlcus, hæc cauenda: quia mordicant, & fluxiones mouent: & ideo leuioribus agendum, donec sedetur dolor: quando enim aur dolore, aut tumore, aut intemperie vexatur, his prius incumbendum, vlcere omnino spreto. Si uerò vlcus sit adeo putridum, aut purulentum, vt iam malignum sit, aut putridum, aut callosum, & fistulosum, longè vehementioribus siccantibus, & detergentibus, ac quasi erodentibus eget. Talia sunt Trochisci Andronij, & qui Musæ à Galen. dicuntur, & ab eo describuntur: Necnon vnguentum Aegyptiacum ab Arabibus dictum. Sed dum adeo contumax est vlcus, vt his non cedat, nullum præstantius, & efficacius est medicamentum, vt Galenus testatur, quam sit scoria ferri ex aceto acerrimo pluribus diebus trita, & diligentissimè ad solem leuigata. Sed his solum in contumacibus, & malignis utimur, qui mordent, & erodunt. Sed in horum valentium administratione duo ex Gal. sunt obseruanda: Vnum est, ut si auris sit relaxata propter diuturnam humiditatis fluxionem, non statim ad valentissima ascendamus, sed per aliquot dies, aut primis vicibus, aceto acerrimo cum glaucio vtemur, quia pars relaxata, & nimis humectata, non potest vno impetu ad contrarium, & suam naturam transferri: secunda autem vice ad Andronios pastillos confugiamus: & tertio loco his utamur medicamentis, quæ Andronijs valentiora sunt, & vrgente necessitate ad valentiora etiam ascendamus. Quibusdam enim, qui potentiora desiderabant, & quibus vno, aut altero anno vlcus aurem infestauerat, valentius iam dictis medicamentum adhibuit: Id verò fuit scoria ferri tusa cribrataq; tenuissimo cribro, mox in tenuissimum ueluti pollinem læuigata, post cum aceto acerrimo ad mellis sordiumque crassitudinem cocta. Aliud obseruandum est, vt in horum administratione extrinsecus capiti ea parte, qua auris infestatur, aliquod vehementissimè siccans imponatur, cuiusmodi est, quod ex salice conficitur, aut etiam ipsum Andronium ex aceto illitum, aut aliud adhuc magis siccans. Et idem de alijs reprimentibus, & roborantibus circa aurem adhibiris dicendum, quæ ex oleo rosato omphacino cum aceto, bolo Armeno, terra sigillata, uel similibus parari possunt. Postremo sunt medicamenta, quæ aurem roborare valent, & in quacunque ad ipsum fluxione, & imbecillitate sunt vsurpanda. Hæc autem sunt ex Galeno, uel Glaucium solum super cote tritum cum aceto, mox tepidum per specillum blandè infusum, aut per clysterem auricularium; ubi vero aures satis firmatæ sunt, ita vt nil in has confluat, assiduè instillandum aliquid nardini unguenti. Magis adhuc roborabit collyrium diaglaucium dictum, necnon diarhodon, & crocodes, & nardinum, & ex unguentis, quæ preciosa sunt, & foliata, & spicata nuncupantur.

Si uerò nares ulcerentur, post totius purgationem, & euacuationem, capitisque corroborationem ad Topica deueniendum. Quæ uel sunt leuiora, quibus utimur in mollioribus corporibus: Vnde Galen. in tenellis corporibus folis aridis rosis tritis, & aspersis, uel in sufflatis curabat. In ijsdem, & facilioribus ulceribus, præsertim recentibus, Rases utitur unguento de cerussa; Alij utuntur vnguento de Thutia: necnon eo, quod fit ex plumbo, aut etiam pompholyge leuigata, & præparata: cum qua corallium etiam miscent, & calamo in nares insufflant, Vel sunt acria, & fortiora, & ualenter siccantia à Galeno proposita, quæ etiam adstrictionis, & discussionis experta non sunt: qualia sunt trochisci Andronij, Pasionis,

Marginalia: Gal. loco cit. & 3. local. et 6. de tuen. 12 — Si virulentum sit. — Si malignũ aut putridum, aut fistulosum. — Gal. 6. local. — Gal. libro de par. fac. c. 7. — Gal. 5. meth. 10. & 15. — Galen. 6. de tuen. 12. — Ad narium vlcera.

Passionis, Polyidæ, Bythini. Qui possunt in compagem turundæ redigi cum aliquo liquore, qui, vt docet Gal. potest esse vinum non vetus, aut etiam vetus, interdum acrius, vel minus acre, prout magis siccare, & discutere volumus. Nam vinum vetus magis siccat, & digerit, sed magis adhuc acetum, idque magis, quod est acrius. Idem Galen. in quodam diuite pro curandis ozænis trochisco hedycroo (quo scilicet theriaca conficitur) ex veteri, & odorato vino diluto, aut in debitam formam redacto vsus fuit. Nonnulli, vbi vehementi detersione opus est, & corporis natura non prohibet, probant acetum salitum tanquam efficacissimum, nec non etiam vinum salitum, aquam nitri. Dum autem crustæ adsunt agglutinationem impedientes, butyro emollitæ, per sternutamenta facilimè eliduntur. Sed loco butyri, vt pars roboretur, melius est vti vnguento rosato Mesu. vel butyrum decocto plantaginis abluatur, aut etiam in mortario plumbeo teratur. Crustis sublatis præter trochiscos propositos, vt ulcus agglutinetur, expedit infundere calaminthæ succum, vel puluerem ex hoc succo paratum naribus insufflare. Laudatur pariter succus malorum punicorum in æneo uase vsque ad mediętatem coctum, de quo in polypi curatione, Sed in vlcere antiquo Oribas. ita referente Aetio, hoc vtebatur. Recip. spum. argenti Ceruss. ana drach. vj. plumbi vsti, & Iori drach. iiij. Myrrhæ, Aloes ana drach. ij. Gallarum drach. j. Vino & Mirthino oleo diluantur, quod & ad narium, & ad sedis vlcera, rimas, & vitia optimè valet. Si verò carnis excrescentia aut polypus in naribus adsit, plurimis ex iam dictis vti possumus. Nam Galen. eunuchi polypum solo puluere loliorum rosarum aridarum sæpius vsus fœliciter curauit. Ita probatur trochiscus hedicrous, nec non cyphoide medicamentum. Hæc enim mitiora sunt, & vlcus non exasperant: Gallarum etiam puluis est minimè acris: Sed omnium præstantissimum est medicamentum, si Galen. credimus, quod ex triplici malorum punicorum, dulcium sc. & austerorum, differentia paratur: ita tamen, vt omnia recentia, matura, & pari numero, & magnitudine capiantur, & exquisitè simul contundantur, ut totus succus exprimi possit, qui collectus, ne liquidior remaneat, paulisper incoquendus, & mox in stanneo vase seruandus, & postea partes crassiores, quæ reliquæ sunt, diligentius in pila terendæ, ac deinde leuigandæ, & in collyriorum formam componendæ magnitudine scilicet narium meatibus respondente. Licet enim polypum, & ozænas non ita cirò consumat, vt acria faciunt, tamen citra ullam molestiam, & dolorem id agit. Nonnulli, vbi polypus est humidior, mala Punica austera aliquanto copiosiora imponunt, sin siccior, & durior, dulcia copiosiora miscent. Quia verò molestum est nares his collyrijs obstructas perpetuò deferre, ideo commodus etiam est vsus expressi succi, vt aliquando laboranti ab ea molestia quies detur: & locus affectus interim auxilio non careat. Sed quia per nares materia continenter diffluit, & medicamen abstergit, ideo possumus eo tempore succo illo spissiori per decoctionem facto vti tanquam linimento, vt uel penna, uel specillo lana inuoluto, ac eo succo delibuto polypum illinamus, & partes. Probatur etiam ex Galeno diphryges aridum tenuissimè puluerizatum in meatum insufflatum, vel nucleo specilli exceptum, & polypo inspersum. Quo etiam modo collyrio ex malis punicis vti licet, si tritum, & puluerizatum inspergatur, vt ea saltem ratione vehementius agat. Fortiora verò medicamenta, quibus solum in molliori polypo utimur (nam siccus in cancrum sub his migraret) sunt squama æris, chalcanthum, chalcitis, misy, sory: fortius adhuc, & malum citius eradicans est aqua illa sublimata, quam aurifices fortem vocant: qua tingimus turundam, & immittimus, donec tota mali radix sit absumpta. Sed eschara sub his orta oui luteo cum oleo rosaceo remouetur. Ita possumus specillo, in cuius extremitate sit gossipium inuolutum, & aqua forti imbibitum, polypum per nares, & per os sæpius tangere, donec fiat eschara. Si polypus siccior sit, aut blandis pertractandus, aut cum emollientibus progredi diutius debemus: & eo emollito, medicamento ex succo granatorum proposito, & alijs mitioribus oc currendum: inter quæ Dioscor. probat semen serpentariæ tritum cum succo granatorum cum cortice contusorum, si eo polypus liniatur, eiusque partes circunstantes. Idem præstat succus ipsius radicis, vt experientia probatum fuit. Quod si vlcera in ore, eiusque intimis partibus oriantur, in non adeo profundis, ac simplicioribus, & in adultis expedit os colluere, aut gargarizare medicamentis, quæ stomaticha Græcis dicuntur, qualia sunt diamoron, roob nucum, & medicamentum ex succo malorum punicorum. Nam adstringentibus vtendum: siccant enim, roborant, & repellunt. Vnde probantur etiam alia similia ori non ingrata, vt decocta,

Aet. lib. 6. cap. 93.

Ad polypū.

Ad oris, ac faucium vlcera.

Ad simpliciora.

cocta, & alia parata ex rosis, balaustio, myrobalanis, sandalis, spodio, sumachijs, malicorio, extremitat. rubi, omphacio, ribes, vt eius roob, sorbis, & perseuerante malo, ex galla omphacitide, & plantagine. Si verò vlcera sordida sint, prius detergantur cum aqua saccharata, aut syrupo, vel melle rosato, aut acetoso simplici, deinde cum propositis adstringentibus agglutinentur. Sed si erysipelatosa sint, frigidiora eligantur, vt est succus solani, vel decoctum cum alijs mistum. Si fiant à salsa pituita, detergentia sint oxymel simplex, aut scillinum diluta cum aqua olluarum salitarum: aut conficiatur oxymel cum vino, addendo modicum aluminis, deinde vtendum agglutinantibus ex decoctione gallarum, cyperi, thamarisci, nucum cupressi in vino austero. Si difficiliora sint, quò magis maligna erunt, eò magis siccantibus, & adstringentibus egent tum medicamentis, tum cibis. Verum in infantibus, qui gargarizare nesciunt, illinitionibus vtimur. In quibus si aphthæ fiant rubicundiores, opportuna erant, quæ maximè moderatæ sunt astrictionis, & refrigerationis, vt est syrupus de rosis siccis, myrtinus, oleum lentiscinum, vel rosaceum, omphacinum. mox illa conueniunt, quæ citra mordicationem digerunt, vt si inter initia vtamur syrupo de rosis siccis, vel myrtino, vel ex succo malorum punicorum acrium, vel de agresta: deinde veniamus ad succum rosatum recentem. Ita primum licet vsurpare oleum rosi omphacin. deinde lentiscinum; postremo rosac. completum. Si verò magis flauæ fuerint, eiusdem facultatis medicamenta admouenda, sed magis refrigerantia, vti si iam dictis syrupus de portulaca addatur, vel aliquid succi solani, vel simile. Quando verò albicant, magis adstringentibus egent: sicuti dum nigricant, ob melancholiæ crassitiem, valentius digerentia addenda sunt. In pueris grandioribus, & adolescentibus inter mediocria, & in principio accommodata probatur omphacinum cum vino, aut mulso, & thus oblongiorum, & oliuæ, & myrti folia. In minoribus pueris sæpe vel rosæ aridæ, vel virides satis erunt. Galenus inter maximè vtilia pro oris vlceribus proponit rubum; sed præsertim bolum Armenum: qui etiam probat, vt os abluatur lacte asinino: quia refrigerat, concoquit, & detergit. His igitur simplicia vlcera curantur: quorum plurima, & præcipuè adstringentia primo loco proposita etiam oris pustulis, & inflammationibus accommodantur. Si verò maligniora fuerint (qualia in malignis febribus excitantur) vehementiorib. tam astringentibus, quàm siccantibus, & digerentibus pertractanda, eoque valentioribus, quò maligniora. Vnde, in quibus est erosio, præsertim in siccioribus naturis, interdum cogimur vti & misy, & chalcitide, & chalcantho, & ad æruginem etiam ascendere. Galenus extollit misyn ex adstringenti vino tritam, & illitam; sed quanto dilutius erit medicamentum, & pluri vino factum, tanto leuius erit: ideo misturæ ratio varia sit pro varia malignitate, & corporis dispositione. Sed si sordidius sit vlcus, melius erit, si ex vino mulso paretur. Si valentiori egeamus, fiat simile medicamentum ex ærugine, & vino, vel uino mulso. Possumus etiam cum Galeno diamoroni aliquid chalcanthi adijcere, ita ut ad lib. j. mellis, quo medicamentum fit, drach. j. chalcanthi addamus, & hoc pharmaco os colluamus. Sed ualentissimis, & acerrimis egemus in ulceribus putridis, & depascentibus, quas nomas Græci uocant. nam interdum ad caustica, & ignitum ferrum cogimur confugere. In his etiam commoda sunt nuper commemorata, scilicet chalcanthum, chalcitis, ærugo, & similia, quæ quo simpliciora sunt, eò uehementiora fiunt, uti olei, uini, adipis miscella eorum uis remittitur. Sed maximè probatur aqua illa aluminosa, quam Fallop. in cura Gallici ulceris describit. Chirurgi præcipitato utuntur. Sed in horum ualentiorum usu debemus esse cauti, ut Galenus admonet, ne aliqua ipsorum portio per tracheam, aut oesophagum descendat, ne subiectas partes erodant: ideo monendi sunt ægrotantes, ne permittant aliquid descendere. Linimenta crassiora eis imbuta non ita facile deorsum defluunt, & eò minus, si filo ligentur, præsertim dum dormiunt. Quod si quid descendisse percipiant, aliquid statim deuorent, quod non sit ulceribus inutile, & medicamenti prauitatem refrangat: quale est uinum, uel mulsa, uel uinum mulsum, uel potissimum prisana hordeacea, quæ ex Hippocrat. 3. de rat. uict. prauorum pharmacorum uirulentam elnit qualitatem, atque contemperat. Insuper ex Galeno non debemus eodem modo hæc oris ulcera tractare post horum acrium usum, quo ea, quæ in externis fiunt partibus. In istis enim post eorum usum crustam inductam detergentibus remouemus, acrioribus dimissis: sed in oris ulceribus, cum hæ partes propter nimiam humiditatem putredini sint obnoxiæ, consulit, ut post urentium, & causticorum, vsum,

Margin notes: Ad difficiliora. — Gal. 6. simp. — Ad maligniora. — Gal. 6. simp. — Galen. 6. de comp. local.

vſum, quibus cogimur putredinem reprimere, detergentibus quidem vtamur, ita tamen, vt ſemper etiam aliquid priorum, quæ cruſtas inurunt, permiſceamus, ad arcendam ſcilicet harum partium putredinem. Id etiam aduertendum, quòd medicamentum, quod ex gallis conficitur, cum ad hos affectus vlceroſos, & malignos valentiſſimum ſit, vt idem Galenus teſtatur, & expers ſit omnis prauæ qualitatis: ideo eſcharoticis eſt præferendum: fit autem hoc modo: Teritur galla ex acri aceto, donec ad eam craſſitiem veniat, vt illiniri poſſit. Vtebatur etiam Gal. eo, quod fit ex duabus partibus aluminis ſciſſilis, & vna fructus ericis: quo arido vtebatur, aſſumpto digitis intinctis prius oleo, & aphthis inducto. Andromachus

Gal. 6. local. verò ex eodem Gal. ad aphthas nigras, & prauas imprimis laudat hoc medicamentum, quod Recipit vuam paſſam mundam, & aniſum æquis portionibus, & hæc melle excepta illinit vlcerato loco. Nam ex aniſo inſignem habet diſcutiendi vim, quam moderatam habet vua paſſa, & exſiccat ſine morſu, imò potius acrimoniam obtundit. Nigræ enim aphthæ, quia referunt naturam ſucci melancholici, his egent, quæ valenter digerunt, & his acria admodum opportuna non ſunt: quia irritant vlcera: Sed melancholica irritata canceroſa fiunt; leuioribus verò omnis acrimoniæ expertibus potius cedunt. Ob eandem cauſam eadem acria medicamenta in vlceribus mamillarum ſunt maximè cauenda. Cum enim earum ſubſtantia rara, & quaſi ſpongioſa ſit, confluentes craſſiores humores facillimè ſuſcipit, & ſubinde mamillæ, tum inflammationibus, tum potiſſimum ſcirrhis, & cancris ſunt obnoxiæ: imò ferè propria ſedes cancri ſunt mammæ in mulieribus, ita, vt nulla hominis pars facilius, ac frequentius cancris capiatur, ob raritatem, & mollitiem harum glandularum, & copiam, amplitudinemque venarum, quas ob copioſum lac gignendum natura illis fuit impartita, & ob communionem, quam cum vtero habent, à quo ſuppreſſis ſæpe menſibus, craſſus, & melancholicus ſanguis ad mamillas regurgitans, in venas, & glandulosam ſubſtantiam facile inſarcitur. Ob id in harum vlceribus pro totius expurgatione ſemper ſenna, epithymo, polypodio, & his, quæ ſuccum atrum reſpiciunt, vti potiſſimum debemus. Propter partis autem mollitiem, & aliqualem frigiditatem moderatè ſiccantibus, & vel temperatis in actiuis, aut ad frigidum inclinantibus, niſi quid cum vlcere coniunctum prohibeat, in localium vſu, progredi debemus. Sed ſemper ſint cuiuſcunque acrimoniç, & mordacitatis experta: qualia ſunt vnguentum ex pompholyge, linimentum ſimplex, vnguentum de ſolatro, roſatum Meſues, & his ſimilia. Ad vlcera mamillarum.

De ijs autem vlceribus, quæ citra phlegmonem in pene, aut ſede conſiſtunt, loquens Gal. inquit ea nullum cataplaſma deſiderare, ſed medicamen epuloticum, tanto magis ſiccans, quàm deſiderent carnoſæ partes, quanto hæ partes ſunt carne ſicciores. Quare humida in glande vlcera medicamen, quod ex papyracea charta combuſta fit, perſanat: ſicuti etiam anethum vſtum ſimili modo inſperſum: itemque cucurbita ſicca, & vſta ad eundem modum, & alia his ſimilia vehementer ſiccantia. Si qua verò talium vlcerum ſine madore ſunt, ac recentia, ijs ſola aloe confert. Inſpergitur autem ſicca, ſed tenuiſſimè puluerizata. Hęc verò etiam ſedis ſicca vlcera probè percurat. Simillimam huic vim habet, & cadmia vino eloia, & ſicca: Ab hac non longè abeſt argenti ſpuma, lithargyros Græcè dicta: Deinceps verò molybdęna ſequitur. Omnibus verò tum minus inferens doloris, tum nullo minus efficax pompholyx eſt. Sin humidiora ſunt, ipſe per ſe pini cortex, itemque lapis hæmatites vocatus idoneus eſt. Quod ſi profunditas quępiam ipſis adſit, vbi excitata fuerint, dictorum alicui rantulum mannæ admiſcendum eſt, quantum ſit ad carnem gignendam ſatis. Alio autem in loco ſcribit, quod cucurbita ſicca vſta, & anethi radix vlceribus humidis ſimul, & citra phlegmonem callo induratis conueniunt, ac proinde maximè vlceribus, quæ in pudendorum præputijs fiunt, competere uidentur. Vſtum autem anethum, quia tertij ordinis tum excalfacientium, tum deſiccantium ſit, vlceribus nimis humidis, mollibusq; inſperſum prodeſt, potiſſimum ijs, quæ in pudendis conſiſtunt: at quæ in præputio ſunt inueterata, ea probè cicatrice includit. De lacte autem verba faciens, ſcribebat, quòd ipſum infunditur utero ulcerato tum per ſeſe, tum ijs medicamentis commiſtum, quibus miſceri poteſt, vtique citra morſum curantibus, & vbi in ſede vlcera mitigamus præ ſaniei acrimonia dolentia aut phlegmonas, aut ſtolidas perpetientia. Sic & ad vlcera pudendorum vtimur, & ad omnia quæ leniri poſtulant, ſiue ob phlegmonem, ſiue ob morſum, ſiue ob malignitatem. Eapropter & canceroſis applicatur vlceribus, pharmacis anodynis miſtum, qualia ſunt, quæ

Gal. 5. meth. — Ad penis, ac ſedis vlcera. — Gal. 6. ſimp. ſerm. de abrotan. — Serm. de anetho. — Gal. 10. ſimpl. ſerm. de ſero lact.

constant ex pompholyge. Ad hæc vt idem habet, si ſucco, qui ex mortario, & piſtillo plumbeo, cum aliquo liquore infuſo (vti etiam inferius docebimus) colligi poteſt, vti voles, optimum habebis remedium, & ad phlegmonas in ſede cum vlcere, aut tugis, & ad eas, quæ in pudendis, teſtibusque, & vberibus conſiſtunt. ſed & vlceribus rebellibus vtile eſt. ſicuti etiam plumbum combuſtum, ac lotum bonum eſt ad vlcera rebellia. Sed pompholyx ad pudendorum, & ſedis vlcera optimum eſt medicamen; quia ſine morſu deſiccat. Sordes autem, quæ in lucernis liquido luto ſimiles gignuntur, ad vlcera, quæ in medio digitorum pedum oriuntur, efficaces ſunt: quæ vlcera frequenter agricolis oriuntur, propter illuuiem, & negligentiam perluendi eos ſingulis diebus.

Gal. 9. ſimp. ſerm. de plũbo. *Lib. 9. ſerm. proprio.* *Gal. 1. local. cap. 2.*

De Topicis ſimplicibus ad vlcera dyſepulota. Cap. VIII.

AD localia verò, quibus dyſepulota vlcera curantur, medicamenta ſe transferens Gal. ſcribebat generalem horum pharmacorum facultatem, quęnam ſit, prius inueniendam eſſe. Quocirca, ſi quidem nullus vitioſus habitus vlceratas partes infeſtat, inquit ipſe, duos ſcopos habere debet: Vnum, vt id quod influit, repellat; alterum, vt quod affectæ parti inhæret, infixumque eſt, diſcutiat: hæc autem contrariæ vires præſtant. Siquidem influxum reprimunt, quæ ſunt adſtringẽtia pharmaca: digerunt impactam iam, exceptãque, trahendi poteſtate prædita. Porrò quæ adſtringunt, vt plurimum exaſperant, atque hac occaſione moleſta ſunt. Trahentia verò, ac digerentia ex alto humiditates non citra acrimoniam id efficiunt: At acrimoniam dolor quidem neceſſariò ſequitur vlceratam partẽ mordens: Atque ſic propter dolorem, quem exaſperantia, mordentiaque concitant, humores vlceratis partibus influentes irritari contingit: Vnde quoque vlcus phlegmone obſideri, exedique. Ex quibus dictis colligitur vlceribus dyſepulotis præſidia inueniri difficulter poſſe: multò magis adhuc malignis. Quare talis pharmacorum materia, quoad eius fieri poſſit, inuenienda eſt, vnde vlcus citra dolorem ſicceſcat. Quod accurate fieri nulla ratione licet Medico ignorante, quem effectum medicamen exhibitum oſtenderit. Quippe ambobus componentibus mordente puta, & adſtringente neceſſario validum exiſtit. Verum ſordes & humiditatis copia id genus vlcerib. incumbens, veluti propugnacula quædam vlceratis particulis facta mordicationem valentibus pharmacis exſoluunt. Itaque attendendum eſt, quantum primus vſus humiditatis in vlcere deſiccauerit: vel ſi etiam ſordes habeat, quantum harum quoque abſterſerit: Ac ita ſecundùm, tertiùmque illo vti debemus, donec purum ſit, & ſiccum vlcus apparuerit. Vbi verò primum id tale conſpexeris, ad aliud medicamentum te conferes, eiuſdem quidem ſpeciei, ſed priore imbecillius. Nam validiora dum medendo vlcus dolorem inferunt, fluores mouent, & phlegmonas concitant. Quod ſi rurſum multò imbecillius priore pharmacum adhibeas, vlcus humidum, ſordidumque euadet. Hac igitur parte artificio vtens Medicus, eo qui ſolo experimento innititur, melior eſt, quod ſciat vlcus non alia pharmacorum virtute curari, quàm dum affecta pars eam ſiccitatem conſequatur, quam in naturali ſtatu ſita poſſidebat. Quod factum intelligimus, vbi neque tenuis amplius ſanies influat, neque pus producatur. Hanc diſpoſitionem vlcera nanciſcentur, quo dixi modo, ſicceſcentia, hoc eſt adſtricta, diſcuſſaque: dein, vbi ſicca quidem fuerint, verum ſordida adhuc appareant, deterſorijs pharmacis repurgantur, de quibus in vulnerum ſermone egimus. Hac itaque via progrediens Galen. illis ijſdem pharmacis, quibus ſine methodo Medici quidam vtentes nihil proficiebant, multa eius generis vlcera perſanauit. Quamobrem in memoriam reducenda medicamina citra demorſum exſiccantia. Sunt autem ipſorum pleraque metallica.

Gal. 4. de cõpoſ. phar. per gen. cap. 1.

Siccantia citra morſum. Quibus combuſtis, elotiſque mordicatio, quæ prius adfuit, edomatur, ac interit. His igitur in præſentiarum vti nobis licet: elotis quidem in pueris, eunuchis, mulieribus, & qui molli natura carne ſunt præditi: item qui ad ſentiendum habiles admodum ſunt, & vitioſo ſucco laborant. In alijs corporibus etiam illota vſurpare poterimus, mane primum ipſa ijs, qui curantur, vbi probè concoxerint, adhibentes. Si verò & corpus eorum præparationem quandam requirat, & hanc

prius

prius factam esse oportet, vti superius præcepimus. Nonnullis enim vel purgatio sola sufficit; quibusdam sanguinis detractio, alijs vtraque hæc adhibere profuerit. Sunt in quibus superiacentem varicem excindere opus est, vel lieni, vel iecinori prospicere; aliquibus ambienres vlcus partes scarificare, quemadmodum interim labrorum callos amputare. Si horum nullo egemus, humoris copia simul cum sordibus inspicienda est: atque ita ad idoneum medicamen veniemus, rursus simplicium singulorum memores, quæ desiccant: non tamen vlceris sordes abstergunt; item, quæ abstergunt quidem, non tamen probè desiccant. Quæ verò vtrūque possunt efficere, prospicienus ex quoto quodque ordine existat, quod maximum inter ea censeo, quæ ad curationem pertinent, neglectum tamen medicinalis materiæ scriptoribus. Quæ itaque vlcera citra mordicationem, exasperationemq; manifestam exsiccare possunt, vel sunt mediocria, vel vehementia, vel obscurius exsiccantia. Siccant igitur modicè siue medio modo Lemnia sphragis, & cadmia: quæ quidem magis siccans redditur, si per æstatem in Sole pluribus diebus teratur ex aceto, aut vino colore giluo, substantia pellucido. Siccata verò reponitur, vt vlceribus malignis inspergi possit. Valentius autem hoc pharmacum est chalcitis vsta eodem modo prius in puluerem redacta. lotam verò ipsam, deinde siccatam habere satius est. minus enim lota, quàm vsta desiccat, ac longè mitior est, minusque mordax. simile huic est ærugo combusta. quæ enim ignem non est experta, tam valens est, vt crustas efficiat, vti etiam chalcitis non vsta. Verum hæc nonnihil etiam adstringit, & ea multo magis chalcanthum, quod inter metallica maximè siccat. Aerugo verò nihil omnino adstringit. Misy autem & Sory chacitidi genere cognata sunt, ex vna, vt ita dicam, radice producta: tenuius tamen misy apparet, ac minus mordax, & vrens: crassius sory est, & vtroque siccat imbecillius, quemadmodum & sibi maiorem, adstringendi, siccandique vim, ac sory possidet. Porrò diphryges dictum pharmacum vlceribus ægrè humiditatis vitio ad cicatricem venientibus, aptissimum est: Validè enim siccat, etsi modicè mordeat. enimuerò id quoque præter acrem qualitatem, vim habet adstrictoriam: quas tamen ambas fortiores & chalcitis cruda, & chalcanthum repræsentat. Quin & alumen quodlibet vlcera satis exsiccat, generosè astringens. Vnde nemo solis his ad vlcera vtetur, sicut nec cruda chalcitide, & ærugine. Vsta verò & hæc, & misy vtilia sunt: vt elota morsum quidem remittunt; verum minus siccant. Itaque lotis ipsis vti tutius est, quia multa corpora, quibus mederi cogimur, vnam quandam dispositionem habent, ob quam morsum non ferunt. Quæ enim plethora, aut vitioso succo laborant, aut tenera carne prædita sunt, aut acutum habent sensum, facilè ex mordicatione phlegmonem contrahunt. Carnem autem mollem habent mulieres candidæ scilicet, pueri, eunuchi, viri cute alba: Insuper qui regionem frigidam incolunt, humidi hi quoque & pituitosi, eoque molles, & albi: Quemadmodum ij, qui calidum tractum inhabitant, vt Aegyptum, & Arabiam, duros, & siccos habitus sortiuntur. His perpetuò nobis memoriæ inhærentibus, præter iam dicta, alia quoque malignis ulceribus curandis sunt idonea. Sarcocolla igitur, & ichtyocolla, & his magis adhuc chrysocolla tali facultate prædita est. Huc optimè facit & plumbum vstum, (quod, si ablutum sit, per quam optimum est ad ulcerum impletionem, & cicatrice obductionem) post hoc sory, stibique, hæc quoque combusta: Insuper plumbi recrementum probè siccat: quemadmodum & ferri squama; euidentius tamen stomomatis. Porrò æris squama, præterquam quod siccat, etiam abstergit, purgatque: unde pura quoque ulcera efficit: quod reliquæ squamæ non possunt. Quare si hæc omnia medicamenta arida ulceribus malignis, ac contumacibus inspergas, mirificè uidebis citra mordicationem ea desiccari: sicut ubi buccinorum testas cōcrematas, purpurarum, ostreotum, aliorumve id genus adhibueris. Quin & quod Græcè diaphanes, Romanis lapis dicitur specularis, ex ijs est, quæ leniter, & sine morsu exsiccant: qui ustus ulceribus ægrè cicatricem admittentibus, non item malignis, ac rebellibus conducit: Quippe minus exsiccat, quàm illa requirant. Idem potest uitrum ustum, ac ignitum. Cæterum Aegyptiæ spinæ fructus, galla immatura, rheon, malicorium, radices, herbæq; non paucæ ultra siccandi etiam adstringendi potestatem habent. Nam & aristolochia, iris, acorum, artemisia, panacis radix, argemone, chamæleontis nigri radix, cyperum, dracunculus, gladiolus affatim exsiccant. Vnde ut alibi ait Galen. dracunculi radix optimum remedium est contumacium ulcerum, quæ cacoethe appellant. His euidentius adhuc centaurium, & polium. Quibus paulò imbecillior est

Medicamenta simplicia.

Gal. loc. cit. & 9. simpl. c. de terra Sam.

Gal. 9. simp.

Gal. 6. simp. ferm. prop.

lior est terra nomine etethrias, vti valentior est ampelitis. Talis sanè medicamentorum simplicium ad vlcera maligna, ac contumacia materies existit. Extrinsecus autem nonnulla ipsis apponuntur, quæ per se vehementis potentiæ gratia non admoueri; sed alijs misceri solent, veluti ærugo ignem non experta, calx viua, & illota, & molle aphrolitrum. De alijs verò simplicibus medicamentis, quæ dysepulotis vlceribus idonea sunt, sermonem habens Galenus scribebat, quod quemadmodum vlcera ab aqua potabili humida redduntur (nam vlcera, quæ supra modum squallida, siccaque sunt, si hac irriges statim admodum humida, molliaque reddes) ita aliæ aquæ vniuersæ vlcera desiccant: quò fit, vt piscatorum vlcera adeo videantur sicca, ac si forent salita: contra eorum, qui in balneis versantur, humida apparent, ac mollia. Quin si imbutum linamentum vlceribus imponere libeat, humida quidem à potabili, sicca verò à muria, marinaque reddi comperies. Quin etiam aquæ aluminosæ, quales sunt in Italia vocatæ Albulæ, cum alijs vlceribus idoneæ sunt, tum verò quæcunque fluxionibus tentantur, ea persacile desiccant. Id autem efficiunt, quia non sunt exactè aqua; sed mista, & adulterata, accepto scilicet aut alumine, aut chalcite, aut sale, aut id genus aliquo. Quocirca earum nonnullæ vlcera quoque exasperant, nempe, quæ acres admodum sunt, & mordaces. Imitari autem licet, sicut marinam, ita aliarum quamlibet, substantia scilicet admista, quæ in quaque vincere conspicitur. Nam sulfure in aquam dulcem indito, sulphurosam effeceris: alumine, aluminosam, ac eodem modo aliarum vnaquamque. Aes vstum verò, vt idem scribit, si lauetur, pulcherrimum est medicamen inducendæ vlceribus cicatrici: quia verò acrimoniam quandam habet, & adstrictionis est particeps, ob id præstat ipsum lauare; quamquam id ipsum præstate, & antequam lauetur possit, potissimum in carne duriore: In molliore autem commodius est, quod ablutum est. Ad hæc viridis hedera, folijs eius in vino decoctis, vlcera grandia conglutinat: quæque maligna sunt, ad sanitatem reducit: tum igne factas exulcerationes cicatrice includit: Eius autem succus tum vetustas autium fluxiones sanat, tum vlcera vetera, tum in auribus, tum in naribus. Iam verò Buccinorum, purpurarumque testa, quia durissima est, nunquam absque vstione vtendum; sed ipsam ad vnguem læuigare, planeque pollinis in modum necesse est, tundendo scilicet & cribrando prius. Quod commune nobis sit in omnibus lapidosis, testaceisque substantijs præceptum. Per se autem illarum tritarum farina vlceribus malignis competit: quia citra insignem morsum exsiccant vehementer. Cum aceto autem aut oxycrato, aut œnomelite, aut oxymelite idonea sunt vlceribus putrescentibus. Idcirco lapides omnes, vbi ad eum vsum applicantur, alij magis, alij minus, certè omnes conferunt. Vlceribus autem resiccari postulantibus mirificè confert bolus Armena. In vlceribus autem extremè malignis admirabile medicamentum est, vt Galenus testatur, stercus caninum puluerizatum. Verum sola ossa cani edenda exhibenda sunt duobus continuo diebus. Ex quibus durum candidum, ac minimè fœteus stercus prouenit. Hoc itaque acceptum desiccandum, vt, cum postea vsus est, facile ad leuorem redigatur. Oui autem albumine, inquit idem, non tantum ad oculos vtimur; verum etiam ad alia omnia, quæ medicamenta requirunt suauissima, minimeque mordacia, vt sunt vniuersa sedis, ac pudendorum vlcera contumacia. Sed & ad vlcera rebellia miscetur ijs, quæ absq; morsu ea possunt desiccare, cuiusmodi est medicamen pompholyx elota, & metallicorum quædam elota, de quibus diximus. Cicceres pariter vlcera, quæ cacoethe vocant, cum melle sanant. Thalietrum pariter, quia siccat citra morsum, vlcera inueterata ad cicatricem perducit. Lupini quoque decoctum foris perfusum vlcera maligna iuuat partim abstergendo, partim citra mordacitatem digerendo, siccandoque. Isatis autem domestica non modo magna vulnera corporum glutinat, etiam si in capitibus musculorum fuerint, & sanguinis profluuio laborantibus partibus vtiliter illinitur; verum etiam aduersus omnia vlcera maligna, & cacoethe mirabiliter resistit, etiamsi putrescant, etiamsi erodantur, atque exedantur. Quod si quando quam pro laborantis natura valentior appareat, folijs eius tritis miscere oportebit aut panem, aut hordeaceam farinam, aut triticeam, aut polentam, pro vincente nimirum in vnoquoque affectu. At Isatis syluestris valentius, quàm domestica desiccans, valentius etiam humidis putredinibus obsistit; ad cætera verò domestica deterior, quia mordaciter desiccat, & vlceratas partes irritat. Lycium verò, quod ex lycio, siue pyxacantho, spinosa arbore, conficitur, non modo ad sugillata, & sedis, orisque phlegmonas, vlcerationesque, verum etiam herpetas,

Gal. 1. simp. c. 7.

Gal. 9. simp.

Gal. 7. simp.

Gal. 11. simp.

Gal. 9. simp.

Lib. 10.

Lib. 11.

Lib. 6.

Gal. 7. simp.

atque huic rursus linamentum vndique æquale foris iniiciendum, cui spongiam ex aqua, aut vino tractam applicabimus. At imprimis curandum est, vt spongia frigida permaneat: quod ex facili fiet, si frigida ipsam continuè citra deligaturæ solutionem fouens: sed fasciam ei iniicere, ac circundare debes, vt Hippocr. in comment. de fracturis docuit, maximam offensam fore ratus ex deligatura, quæ ad elegantem formam, non vsum conducit. Si igitur fascia vna fuerit, infernè sursum tribuenda est, siue tibia, siue genu, siue talus, siue cubitus, siue manus summa, siue alia quæuis pars laborauerit. Quod si duabus vti uelis, vt in fracturis, altera à parte affecta sursum feretur duntaxat, altera deorsum prius, mox in superiore parte desinet, eodemq; cum priore perueniet. Quamobrem hasce fascias ex linteis, non panniculos esse vt omnes nouerunt expedit. Tertio autem quoque die, non singulis soluendum membrum est, sic, vt aqua non adhibita, quo diximus nuper, modo, molli, puro, & sicco linteo saniem vlceri abstergas. At si ambientes vlcus partes phlegmonodes quidpiam repræsentent, humidum medicamen latum extrinsecus platysmati super accommodandum est ex Phœnicino, non simpliciter liquefacto, sed cui plurimum, quo ad fieri potest vini adstringentis adiectum sit. Neque tamen obuio quouis oleo liquare ipsum conuenit, verum, si rubor quispiam, vel omnino calor in circumpositis vlceris partibus exsuperet, adstringente, & refrigerante aliquo id faciendum est: sunt huiusmodi myrteum, & melinum, & omphacinum. Si durities maior extiterit, oleo veteri, vel ricinino ipsum phœnicinum liquefacies. Sed tutius fuerit, si nihil in ambiente vlcus loco vitiosi appareat, superpositæ regioni liquidum medicamentum admouere, quod repellat, quodq; Chirurgorum turba defensiuum vocat, si quid prius vel prauum, vel plus, quàm par est, influat, maximè cum in crure vlcus obortum superpositam venam varicosam habeat. Quæ dum magna est, ac calore nec rubrum, nec probum sanguinem, sed atriorem, magisque melancholicum continere videtur, excidenda venit. Interim verò contingit, vt uena tali excisa, vlcus statim ad cicatricem veniret, & si iam annum durarat; verum ipsius loco iuxta diuisionem, vbi uena erat excisa, vlcus malignum, ac contumax orietur, cui cicatrix induci non poterit.

Ad varicosum vlcus.

Igitur id genus vitijs præstat, viribus ægri consultis, à venæ incisione auspicari; deinde pharmaco melancholicum humorem expurgare, vel cum hoc etiam pituitosum educente, quoniam is quoque vnà nonnunquam cum melancholico influit, dum varices generantur. Postea ipsam venam vlceri superpositam in longum scarificare commodum est. Vbi abundè vacuaris, ei ipsi venæ sectæ prius medendum: postquam exactè iam cicatricem ducere videtur, tum maligni vlceris curationem, vt prædictum est, aggredere. Iam verò lien interdum male affectus vitiosi talis humoris auctor est, sicut & iecur. Quibus vbi prospexeris, sic tandem ad vlcus curandum uenire oportet. Pari modo, si vniuersum corpus cacochymum, vel plethoricum exstat, prius expurgare, vacuareque ipsum expedit, quam medicamentum vlceri admoueas. Porrò inter ulceris perarida medicamenta curationem, quotiescunque solueris, aduertendum est, qualem nam in particula effectum ediderint. Sciendumque, ac in memoria habendum, quod quæ desiccare, non autem detergere ualent, cuiusmodi sunt illa, quæ astringendi qualitatem obtinent, vlcus purum non efficiunt. At quæ præterquam, quod siccant, adhuc etiam detergunt, eam non modo siccam, sed putam quoque totam partem exulceratam efficiunt. Præterea notandum uenit pura ulcera ab ijs medicamentis, vnde prius cum essent sordida, nihil mordicationis percipiebant, nunc morderi. Quæ causa est, vt à ualentioribus abstersorijs pharmacis ad mitiora, minusque mordacia digrediamur, vbi ulcus ad amussim purum inuenerimus. Quemadmodum rursus in sordidis ad magis abstergentia transimus, nisi ex mordicatione sordida apparuerint. Hoc siquidem Medicis etiam bonis existimatis nonnunquam imposuit, vt ad abstersorium ualentius, acriusque se conferrent: vnde iterum ulcus erosum, ex æquo sordidum, vel etiam magis adhuc altera solutione visum fuerit, carne medicamento colliquata ipsum fœdante. Nam in prauam saniem degenerat colliquescens caro. Cæterum quicquid ex his ipsis tenuioris consistentiæ est, à pharmaco difflatur, reliquum ibidem circa ulcera concretum sordes ipsis redditur. Quare animum attendere oportet, utrum ulcus carne, quæ subest, exesa, ac colliquescente sordidum euaserit, an quia medicamen sordib. auferendis aptum requirat; impositum verò tale non sit. Indicat autem ulceris maior facta cauitas, tum oræ rubentiores, calidioresq;, cum medicamenti acrimonia sordidatur.

Dum soluitur vlcus, quænã sint animaduertenda.

In talium verò vlcerum curatione, si quidem citra totius corporis noxam fieri poterit, ægrum à balneo abstinere oportet, sed perfricari linteis largiter; mox oleo; deinde salteribus (hoc est saltatorijs ponduſculis) exerceri, si crus fuerit affectum; vel cursu, si partes superiores male habeant. Quod si à balneo temperari sine totius corporis noxa non poterit, soluere deligaturam non oportet, sed, vt ligatum est, membrum lauare, & aquam calidam ex spongia exprimere, aliamque mox frigidam infundere, vt nullus in deligatura calor sit reliquus. Iam si curatio succedere videatur, etiam absque spongia alligata sanari potest, si Phœnicinum liquefactum, vt dixi, extrinsecus imponas.

De medicamentis compositis & methodo componendi emplastra pro dysepulotis vlceribus. *Cap. IX.*

Galen. 4. de composit. per gen. c. 3.

SI verò de medicamentis, quæ in modũ emplastri fiunt sermo fiat, cum in vlcerũ difficulter cicatricem suscipiẽtium summus curationis scopus sit, vt medicamenta citra morsum exsiccẽt; aqua verò & oleũ maximè omniũ humectãt, ab ijs abstinendũ est, ita, vt nec per se adhibeantur, nec siccis, quæ recensuimus, misceantur. Itaq; cera deligenda est, neq; natura, neq; vetustate sicca; sed recens, & pinguis natura, quæ in Sole emollita arida iã enumerata excipiantur; sin autẽ Sol absit, apud ignem calefacta subigatur, & in calidã aquam demergatur. Non enim aqua per totã miscetur, sed statim ab ea emollescẽte defluit, antequã vlceri fuerit imposita. Symmetria verò mixturę talis est. Mediocre medicamentũ hoc modo efficitur: Quarta pars metallicorũ ceræ adijcitur: valentius erit, si tertia sumatur. Porrò tum ipsa metallica minus, magisq; immordacia, siccaq; sint, virtus in ijs, quæ magis siccant, intendetur: quæ minus remittetur; quemadmodũ rursus tutior leniorum vsus est, mordaciorũ periculosior. Dictum enim est sæpius nõnullas naturas corporũ tum cutem, tum carnes magis sensorias habere; quibusdã has ambas minus esse sensorias. Vnde pro maioris, minorisq; sensus ratione doloris etiã affectus sequitur, vt & phlegmones. Accedit huc non mediocris differentia, quod quis molli sit carne, vel duriore, boni, maliq; succi, vel plethoricus, vel vacuus, vel medio quodã modo inter enumeratos affectus. Vnde colligendũ vnum omnib. idoneum medicamentum præparari non posse, sed qualecũq; ex similib. speciẽ confectũ fuerit, hoc vti sciet ille, qui methodum artificiosè traditam didicerit. Exempli gratia, in subiecta materie, si pares vtriusq; æruginis, & æris combusti partes misceas, aluminis sicci partis unius dimidium, vt totum tribus, vel duob. denarijs, siue drachmis s. vel vncijs totidem constet, sufficiet decem ceræ denarios, siue drachmas (idem enim sunt apud Gal. quãuis apud alios denarij septem vnciam vnam efficiant) adijcere denarijs, seu drachmis, decem verò vncias vncijs in temperati, & medij facultate pharmaci compositionem: Melius autem fiet, minusq; mordebit, si loco aluminis scissilis diphryges accipiat, cuius uno denario integro iniecto, quemadmodum æris quoque & æruginis, medicamen erit præstantius. Quod si æruginem mordacius facturam suspicati lene prorsus ipsum fieri postulemus, cõbustam apponimus. Insuper si expurgare sordes statuerimus æris squamæ denarij dimidium addetur, vt tota medicamenti symmetria talis euadat: ℞. æris, æruginis vstę, diphrygis singulorum partes æquales, hoc est, cuiusq; denarij pondo unius, æris squamæ denarij dimidium. Hæc pingui cera, vt diximus, mollita excipiantur: Vbi siccior cera fuerit, quam vt commemorata excipiat, miscendum est myrteum molliendo, vel melinum, vel lentiscinum, vel ricininum, vel ciprinum, vel omotribes oleum vetus, vel recens Hispanum, vel quod apud Galen. ex oleæ surculis præparatur. Aut, si nihil oleosum adhibere placet, laricem resinam admisceto, cuius si copia non est, therebinthina vtendum. Cæterum hoc semper in memoria tenendum est ijs, qui hæc legunt, maximè ad primum, quod dictum est, tanquam præstantissimum veniendum esse; mox ad secundum, & tertium; deinde ad alia, quæ post tertium sunt, ceu pro pharmacorum uirtutis, & potentiæ proportione, sermonis ordinem nobis vsurpantibus. His auditis, & simplicium medicaminum viribus intellectis, quilibet diiudicare poterit, quæ maiores nostri ad vlcera cacoethe pharmaca conscripsere. Vnde ad Chironia vocata ulcera, id est, maxime maligna, contumaciaque Asclepiades, cognomento Pharmacion, hoc

Asclepiadis medicamẽta.

pharmaco vtebatur: ℞. æris squamæ, æruginis rasæ ana vnc. j. ceræ lib. semis, resinæ laricin. vnc. j. semis. Quæ liquari possunt, aridis affunduntur: quibus exceptis, ac curiosè mollitis vtitor: item platysma exiguum soli affectæ parti, vt vlcus tantum cõprehendat, inijcito. ambientes autem particulas pharmaco, quod phlegmonem arceat, quale, vt superius diximus, phoenicinum est, refrigerante, & astringente oleo, vel vino austero liquatum, circundare oportet. Ita loco phœnicini vel vnguento de solatro, vel linimento simplici, vel rosato Mesues vti licet. Inter curandum verò tertio quoque die soluere, deinde fomentis mitigare, idemq; emplastrũ, quod à latitudine platysma vocatur, abluendo emollire, ac rursus imponere, donec cicatricẽ ducere incipiat. Generosum autẽ medicamentum hoc est, quia triplex ceræ portio metallicis adijcitur. Vnde mediam ac symmetrã habebit temperiem, vt etiã modicè maligna curet, si non triplex, sed quadrupla ceræ portio alijs cõmisceatur. Moderatius adhuc erit, si quincupla adijciatur, vt nondũ cacoethe, sed ægrè cicatricẽ ducentia persanet. Resina autẽ ob consistentiam medicamenti inditur, veluti & myrteũ, vel lentiscinum. Vbi verò vlcus minus malignum erat, oræ verò prætumidæ, ac duræ (Græci ochthodis appellant) Gal. œsypo ceram emollitam miscebat. Quibus etiã, vt ipse ait, benefacit cerui, vituliq; medulla, quam læuem ante factã ceræ prius admiscere oportet. Dein sic in vnitatẽ coactis ijs metallica trita, vt in puluerem redigantur, excipienda sunt, vt mordicationẽ pariant. Omnia verò sicca, & terrestria pharmaca, quantũ satis est, antea læuigentur, vt est galla, malicorium, Aegyptiæ spinæ fructus, quoniam id genus omnia ægrè fiunt læuia. Sicut facilè, quæ ex succis, & liquoribus reficcatis proueniunt, myrrha, aloe, acacia, & quæ his sunt genere finitima. Non temerè autẽ Asclepiades triduo quoque ipsum foueri, singulis videlicet solutionib. præcipit: nam, quia valens medicamentũ est, meritò lenitionem desiderat. Satius igitur est in vlcerib. non ita malignis cerã quadruplam, vel quincuplam amborum simul metallicorum esse. Aliud quoque pharmacum Asclepiades tradit priori in omnib. simile, sed solũ addens diphrygem ad vnc. s. id est, quatuor drachmas. Qua verò ratione prædictis medicamentis ærugo mista fuit, hac & viua calx, exigua proportione, aliorum multis à quibusdã adiecta est. extincta verò mediocre pharmacum est, elota prorsus leue, & mordacitatis expers. Andromachus verò ad dyscpulota vtebatur emplastro, quod ℞. æruginis rasæ, squamæ æris ana vnc. j. ceræ vnc. viij. & hæc simul cõmiscens nullum mollicinium addebat, quod quidẽ à Gal. non probatur: quia si pinguis cera non adsit, metallica ęgrè miscebuntur, ac si iuxta ignẽ, vel in Sole calido miscere ipsa cogamur, paulò post pharmacum indurescet. Quapropter cũ vlceri fuerit impositum, sagum suum æger durum contingere putabit. Medicamen porrò manib. emollitum, ac dilatatum toti vlceri imponitur, ita, vt etiã oras contegat. Cum verò altum vlcus erit, totum ipsius cauũ medicamine indito replebitur. Post hoc rursus aliud platysma superaccõmodabitur, quod etiam labra cõprehendat. Huic deinde rursus linteus pannus frigida madens tãtus vndiq; obijcitur, vt medicamentũ occultet. Postremo extrinsecus spongia mollis fascia ex linteo excepta vel semel, vel bis affectã partem orbiculatim ambiente tantæ magnitudinis, quo totũ vlcus cum labris, ac superpositorum ipsis aliquid, subiectorumq; complectatur. Deligatio à duobus principijs fiat. Vocant sic, quoties tota pars media vinculi affecto loco incumbat; caput autem vtrũque in oppositum deducatur. Postremò, si pannus tam validus sit, vt semel iniectus spongiã toto contineat, illic terminus consuetur, eò, quod superfluit, forfice adẽpto: sin imbecillis, rursus vtrũq; caput ducetur, simili robore ad id, quod affectũ est, attractum. Quod in primis obseruare conuenit, cum in primo fasciæ traiectu, tum vel maximè in secundo. Hæc itaque primò die peregeris; altero aqua frigida spongiam perrigato. Si aer ambiens calidus, & siccus fuerit, bis hoc, terve in dies singulos faciendum est, ac deligatura tertio quoque die soluenda; per hyemem etiam quarto. Cæterum inspicienda est à pharmaci virtute alteratio facta, tum in vlceris cauitate, tum in labris, tum in locis ea ambientibus. Vel enim siccius, vel humidius, vel calidius, vel frigidius, quàm prius, & totum membrum affectum, & singulæ eius partes apparebunt. Insuper considerabimus, num quid ex oris ademptum sit vel emollitæ quodammodo, vel attenuatæ sint: item color ne mutatus, & an sordium copia eadem remanserit. Vnde cognosces, utrum fortius, uel mollius, uel simile priori medicamen imponendum ueniat. Poteris sanè & primum ipsum ex facili immutare, si mollius uoles reddere, misto inter molliendum paululo cuiusdam olei adstringentis, aut myrtei, aut rosacei, aut melini, aut lentiscini, aut masticini, aut cyprini: Sin vali-

Galen. 4. de cõp. per gen. cap. 4.

Andromachi emplastra.

dius,aut squama,aut ærugine, ex quibus vtrisque paulum ad amussim læue reddes, vt subigendo adiicias: Gal.mite aliquod pharmacum vlceri inspergebat, eiq; medicamen emplastrodes superimponebat. mitia verò sunt diphryges, sarcocolla, chalcitis vsta,item combustum & æs,& ærugo, & chalcanthum: Quæ enim ignem non experta sunt,acria omnia sunt: combusta verò moderata: lota verò post combustionem,leuia,mordacitatisq; fiunt expertia. Præstat autem,vt diximus,& emplastrum mistioni adaptare, aliquodq; ex alijs medicamentis imponere, non modo simpliciũ vires,sed mensuram quoque inspicientes,vt in eo, quod iam commemorauimus. Quatuor enim partes ceræ cum æruginis,& squamæ vtriusq; vna miscentur:tres fortius ipsum efficient:sicut quinque imbecillius. Si quis verò ad malignorum vlcerum curationem epuloticũ efficax desiderat,& illud inspersile,& aridum, quod Græci episparton vocant,Recipiat cum eodẽ Andromacho chrysocollę,squamæ æris,diphrygis ana drac.ij.argenti spumæ drach.viij.misce,& fiat puluis tenuissimus.Dioscorides verò hoc utebatur ex eiusdẽ Andromachi relatione. ℞.chrysocollæ,æruginis rasæ, diphrygis ana drac.ij.spumæ argenti drach.viij.ceræ drach.vj. rosacei,vel myrtini parũ ut liquefiat. & valet ad contumacia vlcera simile superiori existens,sed est in forma emplastri. Verum ad desperata,in quo fidendũ est,Andromachus hoc ex Primionis collectaneis desumpto utebatur:cui etiam subscribit Gal.inquiens illud vsu probatum esse. Per desperata verò illa audienda sunt vlcera, quorum curationem pleriq; aggressi non absoluerunt,sed tanquã ab insanabilibus destitere. ℞.igitur sory drach.xxiv. aluminis scissilis,vel rotundi,malicorij,i.corticis granatorũ,calcis viuæ ana drach.xvj.thuris,gallæ immatur. ana drac.xxxij.ceræ drach.cxx.feni vitulin.drac.lx. Notat autem Gal.vt malicoriũ non quidem siccum simpliciter imponatur,quia,dum arescit,imbecilliorem vim sortitur,sed mitius est, succosum prius ex vino austero,id est mediocriter adstringente,eoq; non recenti, nec adeo veteri,decoquere, donec optime leuigari possit. Calx autem viua cũ adstringentibus,& acerbis miscetur,vt eis penetrationem exhibeat. Adeps autem vituli additur, vt oras induratas emolliat. Verum multò vtilius medulla ceruina induratis oris adhibetur; quod si nec ista,nec illa adsit,humida aliqua,& nõ acris resina adijciatur. Nam omnes resinæ humiditatis gratia simul,& viscositatis,quã habent cognatã,sicca medicamenta veluti colligant.Quia verò non euidentẽ habent acrimoniã,vlcus nequaquam irritant. Adeps autem (& idem de oleis statuendum) debet esse uetus,& si fieri potest,quadraginta annorum. Maximam enim digerẽdi facultatẽ tum adeps,tum oleum,quando inueterata sunt,habent. Verum quoniam sunt quędã ulcera,in quibus affecta pars in tam vitioso habitu consistit,vt quamuis sanguis nutriendi causa ad eã perueniens probè sit concoctus, tamẽ mutet ipsum, corrumpatq;: siue id quod influit,adeo prauo succo prædiũ est,vt etiam si pars nihil passa fuerit, ab illo certè ipso solo erodatur. Igitur medicamenti cõpositor adstringentia pharmaca repellendi vi prædita assumpsit,vt nihil parti affectæ,dum curatur,influat:quædam digerentia,vt sanies in laborante particula contentæ per halitum digerantur. Optimum quoque epuloticum in prætumidis cum duritia ulcerib.& cauis est medicamentum ex ladano à Critone traditum, si deligatum membrum in diem quartum contineatur. Recipit autẽ picis aridæ drach.c.æruginis rasæ drach.xxiv.æris vsti drac.xv.squamæ æris drach.xxiv. Ladani recentis (quod etiã solum dum recens est, cum uino tritum ulceribus dysepuloris conuenit) vnc.viij. argenti spumę lib.iij.olei,uini optimi ana sextarium j.s.Argenti spumam & oleum coquito,donec aliquatenus coiuerint,deinde squamam æris, æruginem,dum confluxerint,& colorem bonum acquirant,mox picem adijcito; Postea quam refrigeratũ fuerit,ladanum cex uino tritum: obseruans ne ex hoc adiecto efferuescat; Postremò supra ignem lenem vnita defundito,subigitoq;.licet etiam copiosiore oleo adiecto diutius coquere primum argenti spumam, deinde his iniectam ęruginem, squamam,& æs. Etenim ubi diutius coquuntur,duplicem in talibus ulceribus utilitatem consequuntur. Quippe magis siccant, & minus mordent. Pariter inducit egregiè cicatricem ulceribus curatu difficilibus, callosis, & veteribus; medeturque ani rhagadijs, condylomatis, & duritijs pharmacum eiusdem Critonis ex chamæleonte, quod Recipit argenti spumæ libras viij. ceræ lib. iiij. æruginis libras ij. chamæleontis libram unam, olei libras viij. oleum,& argenti spumam incoquito,rudicula mouens,donec crassitudinem accipiat,& fiat melinum: quod ubi feceris,æruginem inspergito:deinde ceram diligenter liquatam adijcito,& ab igne sublato chamæleontem indito: Cum in unitatem coierint, in mortarium fundito, ibiq; subactum

Ad desperata vlcera.

Cap.6. Critonis pharmaca.

ftuni excipito. Potuisset autem & hic plus olei infundere, sicut vetus, uel ricinini. Gal. verò huiusmodi pharmacis lentiscinum quoque inijciebat: quia emollit nonnihil, digerit, & adstringit: quibus omnib. dysepulota cũ oris induratis egent. Heraclides verò ad vlcera vetera hoc vtebatur. ℞. squamę æris partẽ vnam, æruginis radsæ partes quatuor, cerati myrtei partib. octo excipiantur: quod quidẽ potest augeri, tum minui prout medicamenti vim magis, vel minus exsiccantem inspexerimus. Porrò, vt idem habet, Demetrius Bithynus chrysocolla sola cera excepta utebatur, quemadmodũ Gal. quoque sępe non chrysocollã duntaxat, sed alia quoque singula, quæ contumacib. vlceribus prodesse supra recensuimus, ipsa per se molli cera resoluens ad ulcera vetera utebatur. Interdum enim chrysocollã cera excipiebat, nõnunquam æs combustũ, vel squamam, eamq; vel stomomatis, vel ferri, vel æris: interim æruginẽ viuam, vel combustam, sicut etiam misy, & chalcitidem: Aliquando ex austeris aliquid miscebat, quorum supra meminimus, quoties id, quod influit, repellere conabatur. ex quorum numero est alumen, malicorium, galla, citini, balaustiũ, aliaq; his similia. Ad dysepulota autem vlcera, & item ad paronychia hoc emplastrum, tanquam omnium pręstantissimum, Heras conscripsit. ℞. argenti spumæ, chrysitidis, ceræ ana vnc. xx. chamęleontis nigri radicis drach. xxxvi. æruginis rasæ drach. xviij. chrysocollæ drach. xxxx. olei vnc. xxxvj. Argenti spumã cum oleo leui igne coquito, donec feruescere incipiat, deinde cũ ab igne deposueris, æruginẽ inspergito: iterũ coquens moueto, quousq; colorem proprium recepetit; mox cerã indito: cum bene medicamentũ habet, chrysocollam, & chamæleontem: in mortariũ demissis acetum instillato. Aliud quoque æruginosum Mantiæ vocatum ita tradidit. ℞. æris vsti drach. iiij. resinæ pityinæ siccæ, ceræ an. drach. viij. æruginis drac. x. olei heminã: terræ Cimoliæ, thuris, squamæ æris ana drac. iiij. Sicca lęuigata in mortario finito, cerã liquefactam cum oleo tritis superfundito, finitoq; pauxillo tempore combibere, aceti heminam addito, per triduũ terito, quantum aceti excipiatur, immitrens, vt liquidi cerati fiat spissitudo. Vtitor ad omne vulnus, & ad vetera, & vix ad cicatricẽ venientia vlcera, & quęcunq; cancrosa sunt, cum panniculis filatim conceptis: supra spleniũ verò lanam succidam vino oleoq; madentem leuiter alligato, biduo per æstatẽ soluendo, hyeme triduo, ac vlcera tepente aqua abluẽdo, in profundis vulnerib. ipsas oras leuiter linamentis intercipiendo. Quippe medicamen linamento excipi aptũ est, & pus mouet. Hac ratione pura fient vlcera, & crusta excidet; ceram miscendo ęqualẽ ærugini ad cicatricem perueniet. Exterit & carbunculos citra dolorẽ, omneq; pascens malignum sistit, persanatq;. Vtitor quoque ad herpetas, & vngues putridos: similiter autem & ad omnia vino & oleo vtendum est cũ lana. Præterea dentes erosos medicamine repleto. Aliud quod bonum nostrũ inscribitur. ℞. ceræ, picis, bituminis ana lib. j. mannæ æruginis, cerussæ ana lib. semis, malicorij, gallæ, spinę Aegyptiacæ, iridis Illyricæ, aristolochiæ rotundę, chalcanthi ana vnc. iiij. aristolochię longę, æris cõbusti ana vnc. ij. sicca ex aceto pluribus diebus terito: ijs probè elaboratis, quæ liquari possunt, cum oleo liquata heminam ipsis superfundito, mannã inspergens. Vbi liquefacta frigefeceris, & deraseris, aridis ex aceto læuigatis sic admisceto, vt ne inter fundendum grumos cerę modo facias, idq; potissimũ ambiente nos aere frigido. Aliud: ℞. bituminis, aluminis liquidi ana lib. j. picis, resinæ pityinæ, ceræ pondo lib. ij. aristolochię rotundæ, gallæ, spinę Aegyptiæ ana vnc. viij. malicorij, æris vsti, mãnæ, aristolochiæ longę an. vnc. iiij. olei ricinini, aut veteris si illud non sit, pondo lib. ij. Præpara eodem modo cũ prędicto: metallica aceto teruntur, deinde sicca adijciuntur, rursusq; læuigantur. postea cum luti spissitudinẽ habuerint, liquata miscentur, vt prędiximus. Aliud: ℞. chrysocollę, squamæ stomomatis ana drach. iiij. æruginis, chalcanthi ana drac. ij. ceræ drac. xxv. resinæ therebinthinæ vnc. ij. ceram cum therebinthina liquefacito, deinde alijs admisceto, bifariam medicamentum conficiens. interim vt prius citata aceto conterens arida, interim sine hoc curiosè læuigata liquefactis misceto. Esto autem therebinthina liquidior, sicut plerunque larix appellata. In summa omnibus his pharmacis, quæ Chironijs conuenire palam est, laricem resinam si loco therebinthinæ misceas, non peccabis. Aliud: ℞. ceræ vnc. iij. æris vsti, squamæ æris, æruginis ana drach. ij. Cera sit pinguis, vt quæ cum rosaceo, vel myrteo modico emolliatur, arida probè læuigata excipiantur, ut in omnibus pharmacis, quæ ad Chironia parãtur, est ualde necessarium. Quinetiam ubi sicca ceræ fuerint admista, melius est ea diu in mortario contundere. Aliud: ℞. ceræ vnc. vj. æruginis vnc. j. æris combusti, resinæ laricinæ ana drach. iij. Cera pinguis esto, inq; aquã calentem proiecta, quo mol-

Quæ prodidit Heraclides in 3. lib. ad Astydamantem.

Cap. 7.

Quæ ab Heras scripta sunt.

lior fiat, manibus ſubigatur æruginem, & æs in eã recipiendo, poſtea contundendo in pila, vbi reſinæ quoq; miſtio paulatim inſtillando fiet. Sed & alia multa pharmaca ad eadẽ dyſepulota vlcera ex eiuſdẽ Heræ monumentis prodidit Gal. in poſtremo c.4. lib. de comp. med. per genera, quæ ab omnib. facile & videri & vſurpari poſſunt: nos autem ea breuitatis cauſa prætermittimus. Quorum omniũ vſus is eſt, qui aliorum quoque, nimirum, vlcere prius deterſo aphronitro; & poſtea eloto per me liceratum; tum per ſpongiam probè purgato, vt madoris ſit expers: deinde ſuper id platyſmate, hoc eſt, latiore linteo, cui emplaſtrum illitũ ſit, impoſito: poſtea duplici linamento aqua frigida tincto extrinſecus ſuperdato: præterea noua ſpongia molli: & tertio, aut quarto die id reſolues. Si quis autẽ pharmaco acero, id eſt ſine cera ad fiſtulas, & calloſa vlcera uti uelit, hunc in modum præſcribat. ℞. argenti ſpumæ lib. iij. olei ricinini veteris libras iiij. s. aceti quàm acerrimi lib. ij. ęris ſquamę nigræ, chalciridis, æruginis ana vnc. ij. Argenti ſpumã cum oleo prius coquere oportet, donec ſtrigmenti ſpiſſitudinẽ accipiat: deinde metallica pluſculis dieb. ex aceto trita adiicere: atque ſic incoques, quouſq; non coinquinet. Quin & ſex olei libras tribus argenti ſpumæ pondo interdũ committere licet. Sed ſecundum hanc ſymmetriam diutius incoquuntur. Cum præparas & hoc pharmacum, præſtat argenti ſpumam cum ſolo oleo eſſe coctam, deinde metallica cum aceto iniici. Hoc enim medicamen & fiſtulas iungit, & calloſas iam exſiccat, contrahit, & claudit. At ſi bona victus ratione vſus quis, non reſoluuntur. Plenitudine verò inſigni collecta, periculum eſt, ne pars ex fluxione infeſtante phlegmone rurſus tentetur, & fiſtula aperiatur. In inueteratis autem & Chironijs non ſolum pharmacum impermiſtum imponimus; ſed etiam liquefactum oleo veteri, vel ricinino, ac linamento exceptum, etiam ſi puris vel minimum nondum in vlcere antea fuerit: concoquit enim ipſum, & generat, & craſſum efficit. Sed vlcus triduo ſolues, ſi nihil prohibet. Confecit autem aliquando Galenus hoc emplaſtrum Phrygii quoque lapidis vncia admiſta; interdum etiam chryſocollæ vncia, ſicut & amborum nonnunquam: glutinat enim & magna vulnera.

De victus ratione in vlceribus conueniente. Cap. X.

Galen. 4. de comp. medic. per gen. c. 13.

DE victus autem ratione pauciſſima ſcribenda ſuperſunt, quia de ipſa in vulnerum quoque curatione pertractauimus. Id vnum prætereundum non eſt, victum non quidem plenum; ſed tenuem potius eligendum eſſe, vt nullus ad vlceratã partem ſuperfluus humor feratur. Hinc protulit Gal. vlcera quędam cicatricem non ducere, etiam ſi nullam ex ſe malignitatem habeant, eò, quia malè curantur, vel molliuſculo victu à Medico reguntur. Quanto igitur magis in dyſepulotis, & malignis vlceribus tenui victu, qui ad ſiccum vergat, vtendum eſt? Quod ſi vlcus propter influentium humorum non quidem prauitatem, ſed copiam ægrè cicatricem ducat, tenuiori adhuc victu occurrendum erit: tuncque plenitudo nedum cibi parſimonia, parumq; nutrientibus cibis; verum etiam frictionibus, & exercitationibus earum partium, quæ vlceratæ parti oppoſitæ ſunt, imminui poterit. Si enim crura laborent, brachijs, & ſupernis partibus exercitia, & frictiones ſunt iniungendæ. & ſicuti deambulationes ſunt euitandæ, ita equitationes non parũ conducunt. Contrà ſupernis partibus vlceratis deambulationibus vti conueniet. Vbi verò vlcus prauorum humorum fluxione vexabitur, optimi ſucci alimenta, quę tamen ad ſiccũ vergant, & attenuandi vim habeant, de quibus in 3. lib. egimus, erunt eligẽda. Quibus etiam vti expedit, dum propter iecur obſtructum, & malè affectum lienem vlceris ſanatio prohibetur. Debet autem victus ratio ad calidum, vel frigidum vergere, prout totius corporis temperamentum, aut membrorũ principalium, & vlceratæ partis tẽperies, atq; conditio indicabit, aeris tamẽ ambientis contemplatione non neglecta, cuius exceſſus contraria victus ratione corrigere optimũ eſt. & idem de praua membrorum præcipuorum, ac vulneratę partis temperie ſtatuendum eſt. Quod ſi pars vlcerata propriũ temperamentum ſeruet, omnino cõſeruandum eſt; quia hoc illud eſt, à quo ſuccorũ attractio, concoctioq;, ac appoſitio, agglutinatio, & aſſimilatio, & ſubinde carnis generatio, & vlceris agglutinatio proficiſcitur. Et ob id opportuna victus ratione, & cibis potiſſimũ, & potibus conuenientibus erit conſeruandum. Proindeq; ea omnia, quæ ſanguinẽ calidiorem, acriorem, & aquo-

ſiorem

ſiorem reddunt,& ſubinde omnes partes,& potiſſimũ vlceratam alterare poſſunt, ciunt euitanda. Particula itaq; vlcerata immota erit ſeruanda,ne motu incaleſcat, & humorũ fluxionem proritet,& intemperies ſuboriatur. Somnus & vigilia multum conferunt:hac enim plurimæ humiditates digeruntur,& exſoluũtur;illo verò nimium ſiccatæ,& potiſſimũ neruoſæ humectantur. Quorumcunq; autem excrementorum euacuatio opportuna optima eſt; non tamen ſeminis: quia hęc nimiũ corpus exſiccat, & nutritioni deſtinatas functiones hebetat. Animi autem perturbationes quemadmodum corporis ſtatum immutant: ita animi quies tranquillitaſq́ue ipſum conſeruat. Ambiens quoq; aer ad hanc temperiem conſeruandam apprime facit, ne ſcilicet aut nimium incaleſcat, aut frigidior, vel humidior, aut ſiccior euadat. Quapropter ventus Meridionalis partis temperiem valde lædit, quemadmodum & frigidus aer. Qua de re cœlum ſæpius ac ſolum mutare expedit, dum ambiens aer vlceri inimicus eſt, & partis temperiem peruertit. Hac de cauſa referunt Recentiores in vrbe Auinione aerem tibiarum vlceribus valde inimicum eſſe, cui contrarius eſt aer Lutetiæ Pariſiorum. Piſis, & Ferratiæ noxius eſt, Florentiæ optimus. His itaque partis temperies conſeruanda erit, ſi præſens fuerit,aut contrarijs corrigenda,vbi ſanitatis limites exceſſerit.

De particulari ægrè ſanabilium vlcerum curatione, & primò vlceris praua intemperie affecti. Cap. XI.

ABSOLVTO ægrè ſanabilium,atque rebellium vlcerum vniuerſali ſermone, vt exactior iſtorum omnium habeatur doctrina, operæ pretium eſt, vt ea omnia,quæ particularem magiſq; diſtinctam ipſorum curationem reſpiciũt, apponamus. Et quoniam dyſepulota,& quæ ægrè ad cicatricem veniunt vlcera,ſunt illa præſertim,quæ cum tali affectu complicata ſunt,qui vlcus fouet, & maius efficit, & vno verbo,cauſam coniunctam habent. Quorum quidem ſeptem ſunt ſpecies potiſſimæ, ad quas reliquæ omnes facilè redigi poſſunt, nempe vlcus intemperatum, virulentum, & corroſiuum, ſeu fluxione vexatum;ſordidum, & putridum; vlcus cum oſſe corrupto, cauernoſum, & profundum; fiſtuloſum,& canceroſum; ea propter de ijs omnibus breuiter agemus ab eo, quod intemperatum eſt, exorſi. Carnis itaque ac vlceratæ partis in-
Ad calidam intemperiē
temperies ſi calida ſit, oportet in primis omni ingenio, & tenues calidoſque ſuccos euacuantibus, & reuellentibus, & in via intercipientibus defenſiuiſq́ue vulgo dictis, & repellentibus, quæ adſtringentia, ac frigida ſint, fluxionem, quæ in tali vlcere facile proritatur & quemcunque dolorem, ac calefacientia,fluxioniſq́; cauſas omnes arcere, & ſubmouere. Deinde vlceratæ parti ea pharmaca adhibenda erunt, quæ non modo refrigerandi, verùm etiam dolorem mitigandi, ſi opus ſit, & adſtringendi vim habeant, quæ tamen alicuius ſiccitatis,& abſtergentis facultatis, gratia vlceris, expertia omnino non ſint. Quare in ipſo vlcere maximè probantur medicamenta confecta ex therebinthina pluries in aqua plantaginis abluta, ex Cadmia ex plumbo vſto nouies ablutis, ex cera alba, atque oleo roſaceo ſecundum hanc formam. Recipe therebinthinæ lotæ, olei roſac. ana vnc.j. farinæ fabaceæ,farinæ hordei ana vnc.j.s.miſce fiat vnguentum,uel Recipe olei roſac.violac.ana vnc.j.s.Cadmiæ,plumbi vſti, pompholygis lotorum ana ſcrop.iiij.ceræ albæ quantum ſufficit,vt fiat vnguentum. Quod ſi mitius refrigerans requiratur,vnguento de ceruſa,uel de ſolatro,uel de tutia,aut etiam ſandalino vti licebit,quemadmodum vbi intemperies admodum calida eſt, nedum Galeni infrigidante, verũ etiam pharmaco ex oleo de nympha confecto,& populeon uocato unguento occurrendum erit; in partibus verò circumpoſitis atque propinquis illiniemus uel linimentum ſimplex, uel triapharmacum, uel unguentum de tutia, uel infrigidans Gal. uel ubi feruentior ſit caliditas,unguentum populeon,faſcia madefacta uel poſca ipſa, uel ſucco plantaginis, uel ſolani, uel lactucæ, aut ſimilium. Licet quoq; partibus circumpoſitis admouere uinum nigrum auſterum, in quo adſtringentia, & refrigerantia, qualia ſunt myrtus, balauſtium, cortex granatorum, galla immatura, bolus Armena,ſandali,ſolanum,& id genus alia fuerint incocta: cui ſi aliquid
Ad frigidã.
aceti addatur penetrationis cauſa,optimum erit. Si vero intemperies frigida fuerit,maxi-

rlf, maximè probantur resinæ, & præsertim laticina, & abietina, quæ optima est. Laudantur quoque olea calefacientia, qualia sunt oleum de hyperico, de spica, nardinum, irinum, quibus etiam partes circunstantes poterunt foueri, atque liniri. Fasciæ quoque madefiant in decocto rerum calidarum, in vino generoso, dum frigiditas intensa est, veluti sunt menta, rosmarinus, calaminiha, ruta, folia lauri, & id genus alia, continueque calidis pellibus, aut pannis vlcerata pars tegatur, & fouea tur. In ipso verò vlcere, quia non ita fluxionis periculum imminet, non modo ceratum de betonica, verum etiam vnguentum Aegyptiacum, aut Apostolorum, aut Isidis imponere licet. Extrinsecus quoque tum vnguenta hæc, tum barbarum ipsum, magnum, & paruum admouenda erunt. Dum tamen ambiens impensè calidum habet rationem sanantis, & intemperies non adeo intensa est, mitioribus, vti sunt ceratum de betonica, vel barbarum, vti expedit: quemadmodum hyberno tempore, & in frigidiori intemperie emplastro diadictamno, & aqua vitæ, alijsque valentioribus auxilijs erit occurrendum quibus, pro necessitate, aliquid mellis rosati, aut alterius, quod abstergendi vim habeat, erit permiscendum. Si autem intemperies squallens, siccaque uideatur, quemadmodum superius ex Galeni traditis documus, aqua temperata fouens, humectansque corriges. Quoties autem eo remedio vteris, esto tibi perfusionis, humectationisque meta, vt cum primum rubescit, attolliturq; particulæ moles, tum desinas. Si enim vltra perfundas, quod attraxisti, id euocabis: & ita nihil profeceris. Quin etiam medicamentorum humectandi facultas plenior esto, quam vt in sana carne præceptum est. Quod si pars vlcerata adeo sicca sit, vt atrophia laboret, & aquę temperatæ perfusiones pro alimenti attractione non sufficiant, eius ariditas, & tabes nedum optimi succi cibis, & qui facilè concoquantur, & distribuantur, corrigenda erit, verum etiam picationibus, & oppositæ partis deligatura, ac alijs auxilijs, de quibus in tertio libro in capite de marcore abundè tractauimus, occurrendum erit. Aquæ verò temperatè calidæ perfusio bis in die per tres horas ante cibum, & quo tempore prius alimentum concoctum est, & distribui incipit, administrari poterit. Vult autem Gal. vt aquæ caliditas non sit multa, sed tepida, vt possit calorem partis fouere, & in substantia augere, & poros aperire, & humores fundere, & liquare, vt pars emaciata facilius trahere possit. Nimis autem calida humores nimium liquat, ac fundit, & in halitum digerit, & subinde marcoris potius causa est; & idem efficit temperata, dum diutius, quam par sit eius perfusio administratur. Duo itaque pro termino proponit Galenus, quantitatem scilicet partis, & colorem, rubedinem nempe: hęc enim significant sanguinem ad partem attractum esse: & ideo tunc statim à perfusione cessandum: quia si adhuc pergamus, attractus humor discutitur. Modus autem vtendi aqua temperata triplex est, videlicet aut fotu, aut perfusione, aut balneo. Fotus uerò fit spongia, panno, stuppa, aut gossypio: & hic modus optimus est. Perfusio uerò sæpe dolorem excitat, si aut crassior, aut ex alto cadat: ita pars sæpius balneo agitari non potest. Fotus itaque ex spongia præferendus. Sed magis adhuc probatur hydrelæum vocatum, quod ex oleo, & aqua simplici constat, quorum vtrumque, vt testis est idem Gal. humectat: ergo multo magis vtrumque simul sumptum. Hydrelæo igitur moderatè calido locus perfundendus, & præsertim hyberno tempore: nam quamuis aqua, dum fouet, calida sit, tamen post fotum refrigerat partem, tum quia ad suam naturam reuertitur, tum propter euocationem caloris ad superficiem, vt idem Gal. ait. igitur ne calor exhalet, oleum optimum est: quia sui lentore meatus obstruit. Priusquam verò hoc auxilio vtamur, nos monet Galen. vt prospiciamus, ne totum corpus nimis repletum sit, neue cacochymia laboret. Tunc enim prius euacuandum, & purgandum est. Post fotum verò toto eo tempore, quod intercedit, aliquod cataplasma admoueri debet, quod humectandi vim habeat; tale tamen sit, quod sordem non foueat, & nutriat. Oportet itaq; sumere eremoris hordei lib. sem. foliorum maluarum in aqua coctorum drach. ij. farinæ triticeæ drach. semis, pulpæ amygdal. dulcium drach. ij. mellis cocti drach. j, croci scrop. semis pingued. porcinæ, aut humanæ parum. misce, & tere in mortario pro emplastro. Licet quoque hoc vti, quod Recipe olei communis vnc. ij. therebint. vnc. v. ceræ parum; misce pro linimento. Vsus etiam purissimi olei, & quàm dulcissimi, si eo linamentis madidis vleus, & pars repleatur, non improbatur. Si vero humidior, quam pro naturali habitu caro fuerit, contraria ratio, inquit Galen. ineunda est: ac medicamentorum facultas ad siccius transferenda; aqua vero nullatenus admouenda. Imo si lauandum vlcus uidetur, vinum, aut

Marginal notes: Gal. 4. metho. 1. — Ad siccam. — Gal. loc. cit. — Gal. 5. simp. cap. 5. — Gal. 3. de off. Medic. com. 16. — Gal. 3. de off. med. cit. — Gal. 4. metho. 1. — Ad humidam.

aut poſca, aut decoctum auſteræ cuiuſpiam herbæ præparandum. Itaque ob de-
tergendam ſordem, & exſiccationem tum poſca tum vinum à Gal. laudatur, præ-
ſertim ſi in his aliquid, quod ſiccet,& adſtringat,decoctum ſit,veluti ſunt roſæ, ab-
ſynthium,betonica,ſaluia,pentaphyllum album, & nigrum. Hippoc. enim duo-
rum meminit in lib.de vlcerib. Optima autem omnium eſt vrina humana. nam ſic
cat,& abſtergit,& maximopere à Galeno probatur. Apud nos præſtantiſſima om- *Gal. 10. ſim.*
nium eſt aqua Aponenſis. aluminoſa enim exiſtit, & optimè ſiccat,& detergit, at-
que etiam repellit, ſi hac vlcera abluantur,& foueantur. Huiuſmodi enim alumi-
noſæ aquæ in humidis vlceribus à Galen. ſummopere probantur. Et nos poſſu- *Gal.7.ſimp.*
mus talem aquam arte parare, ea tamen ratione ne nimis aluminoſa ſit, quoniam
exaſperat,fluxioneſque proritat. In his itaque decoctis, aut aquis,vel vrina made-
fiant lintea, aut ſpongiæ,vel faſciæ, quæ loco affecto imponenda ſunt. Quemad-
modum in ipſo quoque vlcere optima erunt valida ſarcotica, & ſiccantia, quæ ex
argenti ſpuma aceto acerrimo abluta,ac ſiccata poterunt parari. Galenus probat *Galen. 1. de*
anethum combuſtum, plumbum vſtum, ſtibium præparatum, ferri ſquamam, ſto- *compoſit.per*
moma, ſquamam æris, ſpumam æris, quibus optimè tritis, & ad minimas partes, *gen.9. & 6.*
redactis,& aceto acri,bis & ter æſtiuo tempore lotis,vti poterimus, vel aridis,vt in *ſimpl.*
ſuperiori capite docuimus,vel in formam emplaſtri redactis, ita tamen, vt in hoc
vlcere malthacode,id eſt, mollicina,& omnia pharmaca generis oleoſi,quantũ fie- *Galen.4.de*
ri poteſt,caueantur. Inſuper idem Galen. probat oſtreorum, buccinorumque,& *compoſit.per*
purpurarum teſtam vſtam. Si enim inquit vrantur hæ teſtæ,atque lauentur,ignea *gen.c.1.*
tota natura in aquam depoſita ipſam efficiunt cum tenuitate excalfaciẽtem, adeo, *Gal.11.ſimp.*
vt interdum putrefaciat: reliquum verò terroſum morſus fit expers: id quod maxi *cap.prop.*
mè implendis, cicatriceque claudendis vlceribus humidis eſt vtile. at in vlceribus
rebellibus præ omnibus diligenter ſunt læuigandæ,ac inſpergendę. Pariter vt idem *Gal.7.ſimp.*
habet,lilij folia,nec non radix, quæ adhuc magis detergit, ſi cum moderata mellis
portione miſceantur, & ad neruorum diuiſiones competunt, & ad alia vniuerſa,
quæ valenter exſiccari poſtulant abſque morſu. Repoſuit verò etiam quandoque
Gal. & foliorum ſuccum cum aceto, & melle coctum. Succus vero quinque par-
tibus plus vtroque erat: eratque inſigne medicamen ad omnia,quæ valenter exſic-
cari poſtulant abſque morſu,ceu vulnera omnia ingentia, & maximè quæ in capiti
bus muſculorum eueniunt;tum ad ea vlcera,quæ nimis mollia ſunt,& diuturna,&
ægrè ad cicatricem perducuntur. Cyperi quoque radices,quia excalfacientes exſic *Gal.7.ſimp.*
cant abſque mordacitate,vlceribus, quæ præ nimia humiditate cicatricem difficul
ter admittunt, mirificè proſunt. habent enim quippiam etiam adſtringens: qua-
propter vlceri item oris conueniunt. Caries inſuper lignorum,eodem Gal. aucto- *Gal.8.ſimp.*
re,& maximè, quæ participant adſtrictionis ſimul & abſterſionis, veluti vlmus,ex-
purgat,impletque vlcera humida. Sed & ſicca hyperici folia contuſa ſi inſpergan-
tur,ſanant & mollia nimis, humidaq; & putredinoſa vlcera. Inſuper, vt idem Gal. *Galen.5.de*
ait,marrubio etiam ſolo vti queat in his, quæ carnem abundè humidam circa vl- *compoſit per*
Cópoſita. cus habent,& ſordidiorem. Inter ea uero quæ compoſita ſunt,liceat album empla *gen.c.2.*
ſtrum ex pipere ab Attalo,Heraq; compoſitum,& à Gal.celebratum recenſere.Iu-
uat enim nedum ſenum ulcera,ut ipſe ait,ſed etiam eorum,qui mollem habent cu *Galen.1.de*
ticulã veluti ſunt pueri,& mulieres,& deniq; omne vlcus curat, quod & humidius *compoſit.per*
eſt,& non facile cicatricem admittat. Adhæc abraſa,quæ apoſyrmata Græci vocãt, *gen.c.13.*
vt cutis ſuſpenſa ſit; interim nigreſcens in cubito,tibia, & genu: quibus neq; caro,
ſed membrana ſola os ambiens ſubiecta eſt. non tantum autem deraſum os, vt cu-
tis ſubiecta quadam carne dependeret,medicamento impoſito cum ipſa coaluiſſe
vidit Gal.Sed maius eſt,interdum iam nigricante. ℞.autem litgargyrij,ſeu argenti
ſpumæ,Ceruſſæ ana lib.j.olei lib.ij.cerę libram ſem.reſinæ therebint.vnc.iij.thutis
vnc.j.s.vel tantundem cum therebint.Alum.vnc.j.piperis vnc.ſemis: initio aũt me-
tallica in ſole coquuntur,dum plane non inficiat,uel etiã paulò durius fiat: immit-
titur autem tunc cera,& reſina: Dein cum omnia in unum coierint,thus primum,
mox alumen, & piper addentur. Licet enim pharmacum mollicina recipiat; atta-
men per coctionem ad duritiem redigitur,& propter calefaciẽtia,& ſiccantia vim
contrahit validè exſiccantẽ,adeo,vt mollicina non prima ratione,ſed pro aliorum
conſiſtentia ſuſcipiat. Alij uerò in iiſdem vlceribus cum carne humidiori medica-
mentis,& ceratis utuntur ex pice nauali, ſanguine draconis, ſandalis, galliſque, ac
oleo liliorum alborum paratis,ac circumpoſitis. Ea uerò,quæ ad uictus rationem
attinent;medicamentis proportionata eſſe debere nemo eſt,qui ignoret.

De Viru-

De Virulento, corrosiuo, & fluxione vexato vlcere. Cap. XII.

VIRVLENTVS, seu saniosum, & corrosiuum, siue arrodens vlcus, nec non ambulatiuum, siue depascens, quod
Græci nomin appellant, procul dubio ad ea vlcera dyse-
pulota rediguntur, quæ à praua fluxione vexantur a pra-
uis enim humoribus, sed præsertim biliosis, actibus, & mo
dacibus, qui propter adustionem malignitatem quandam
contraxerunt, excitantur; & magna ex parte, post herpe-
tas, prurientesque pustulas, quas acris, & biliosus humor
excitauit, nec non vulnera, quæ mordacibus medicamen-
tis irritata fuere, oriri consueuerunt. Quæ quidem quomodo nobis innotescant,
superius ostendimus. Quomodo autem curari debeant, si quis ea, quæ in sermo-
nibus vniuersalibus scripsimus, attente perlegit, haud difficulter inuenire poterit.
Oportet enim ante omnia fluxionem tanquam causam hæc vlcera creantem, & as
siduo fouentem tum proba victus ratione, tum euacuatione, & præsertim eroden-
tis humoris purgatione, ac reuulsione, & interceptione in via quamprimum ab-
scindere. In omnibus enim morbis nedum vlceribus, in quibus effectrix causa ad-
huc manet, ab hac inchoanda curatio est. Qua quidem ablata, ad topica auxilia
deueniendum est. Quæ & refrigerandi, acrem fluxionem contemperandi, & ad-
stringendi reprimendique, nec non exsiccandi vim habere debent. Quæ tamen
in vlcere ipso imponuntur, citra morsum omnino, si fieri potest, siccandi facilta-
tem postulant. Quantum itaque attinet ad præsidiorum materais, si vnà cum caco Chirurgia.
chymia aliqua adsit plenitudo, ita, vt cacochymia notha sit, maximè conuenit venæ
sectio, aut si vires, aut ætas non ferant, cucurbitulæ scarificatæ in partibus, quę vlce-
ratæ oppositæ sunt, adhibitæ, vt vnà cum euacuatione reuulsio quoque fiat. San-
guis tamen, quia corpus potius cacochymum est, & purgatione magis eget, in par
ua copia, & repetitis vicibus educendus est. Et idem de frictionibus, ligaturis, &
alijs reuulsionibus statuendum: quæ in partibus oppositis maximè conueniunt, &
de quibus alias diximus: imò dum fluxio, & vlcera facile, ac frequenter reuertun-
tur, & fluxionis causæ, prauorumq; succorum procreatio prohiberi non possunt,
cauteria quoq; iisdem partibus, aut alijs, quæ humorum prauorum generationem,
& motum, inclinationemq; respiciunt, affixa maximè probantur. Quamprimum Medicamé
autem praui, & erodentis succi purgatio ineunda est, de qua in curatione vlcerum ta.
vniuersali satis superque diximus. In aluo autem lenienda non est desistendum à Cómunia.
syrupo rosato solutiuo, aut melle rosato solutiuo, ubi nitrosi, & salsi, pituitosique Leniétia, &
humores abundant, quæ quidem cum aliquo cichoraceo decocto ad vnc. v. in po- præparátia.
tu exhibentur, aut electuario lenitiuo, si atrabilares peccent humores. maximè
quoque probatur pulpa electa thamarindorum ad vnc. semis cum vnc. j. floris cas-
siæ nouiter extractæ, vbi præsertim acres, tenuesque abundant humores. Syrupi
vero ac præparantia pharmaca ex cichoraceis præsertim, & borragine, buglossa,
betonica, fumaria, lupulis rosis, acetosa, pomis, violis, pentaphyllo, & id genus alijs
parentur: quorum decocta etiam in optimo iure magis, quam dulces syrupi, con-
ueniunt, cum dulcia facile bilescant. Et quia vnà cum prauis succis serosi quoq;
humores tanquam eorum vehiculum, permiscentur, non est ab re cum prædictis
ea, quæ diuretica sunt, & non admodum calfaciunt, permiscere, veluti sunt capilli
veneris, citrach, polytrichum, aut etiam refrigerantia semina maiora, & minora.
Pro biliosi autem humoris purgatione, nullum præstantius excogitari medicamen Purgantia.
tum potest ipso rhabarbaro ad drach. j. vsque ad ij. exhibitum, & potius in infusio-
ne cum sero lactis caprini, cui syrupum ros. solut. ad vnc. ij. vel iij. vnà cum drac. iij.
vel iiij. diacatholiconis addere licebit. Galenus in matrona illa Romana, quæ her-
petem patiebatur, scammonio vsus fuit. Vnde si uires, & ætas id ferant, nos quo-
que uel electuario de succo rosarum, uel elect. rosato Mesues, quæ scammoneata
sunt, ad drach. j. & semis uel ij. vnius uel alterius cum prædictis permistis uti pote-
rimus: quia bilis strenuè, ac toto educetur. Si uerò salsi, & pituitosi humores sint
purgandi, agaricum trochiscatum in eadem dosi, qua rhabarbarum, præbetur cum
quatuor uel quinq; granis cinamomi correctum in decocto menthæ, uel cichorij
infusum cum additione vnc. iiij. vel mellis rosari solutiui, uel mannæ electæ, exhi-
bere conuenit. Quod si bolos malint, electuar. de dactylis ad drach. v. vel vj. sin ca-
tapotia,

tapotia, cochias, vel aggregatiuas ad drach.j. vel j.s. vsque ad ij. quibus aliquod apozema refrigerandi vim habẽs post horas tres vel quatuor superbibãt, offerre oportet. Atrabilari autem humore peccante, à folijs senæ, aut polypodio non est recedendum, epithymum verò propter nimiam caliditatem melius est euitare. idcirco licet vel polypodium, vel potissimum senam ipsam in decocto cordiali à ij. drach. vsque ad iiij. infundere, & facta expressione ei addere drach. ij. confect. Hamech. & vnc. ij. vel iij. syrupi violati solut. aut syr. ros. solutiui. Maximè etiam confert syrupus de polypodio magistralis, qui vsque ad vnc. v. propinari potest. Si bolos eligant, electuarij lenitiui vnc. j. cum dimidia confectionis Hamech præbere expedit. Sin pilulas, vel cochias cum elleboro nigro præparatas, vel pilulas de lapide lazuli vel Armeno ad scrop. iiij. vel v. exhibebimus. Quod si crura sint affecta, & uomitus facilis sit, aut saltem non adeo difficilis, euacuatio per vomitoria conuenientissima erit, potissimum æstiuo tempore, ætate iuuenili, & biliosis humoribus redundantibus. Hæc autem ex aqua hordeacea, & syrupo acetoso, uel oxymel. simpl. ex succo raphani, ex floribus genistæ, ex agarico quia facile supernatat in ore uentriculi, & vrgente necessitate ex ij. & iij. granis antimonij poterunt parari. Mirificè quoque conducit euacuatio, & reuulsio, quæ fit per sudorem, qui balneis potissimum laconicis, aut alijs præsidijs sudorificis, & præ ceteris salsæ parillæ, & chinæ decocto per os propinato, cieri potest. Nam salsa, & china præter id, quod crassos humores attenuare, & lentos incidere, & meatus omnes reserare possunt, etiam eosdem prauos humores exsiccare, absumere, & per habitum, & sudorem digere-

Contemperantia, & alterantia.

re maximè valent. Iam verò prauorum, & erodentium humorum euacuatione pro maiori parte, & reuulsione facta, ut ij, qui reliqui sunt, contemperentur, & causæ eosdem humores procreantes, quæ solent esse potissimum iecoris, aut alterius visceris caliditas, radicitus euellantur, mirum in modum conuenit vel serum lactis caprini, uel aquam Virginis, uel Lucensem per duodecim, aut etiam plures dies offerre, præsertimque serum lactis, quod quidem melius est parua copia, vt ad lib. j. vel j.s. cum vnc. j. succi depurati cichoreæ per triginta, & per plures dies exhibere: quia in hac dosi tutissimum est. in maiori verò sæpius uentriculo frigido, & lieni

Defensiua.

male affecto offecisse uidimus. De ijs autem pharmacis, quæ fluxionem in uia intercipiunt, & defensiua à Chirurgis vocantur, & supra partem vlceratam versus uasorum radicem, in locisq; in quibus uenæ nobis conspicuæ sunt, imponuntur suntque frigida, & sicca, & adstringentia, non est, ut plura hoc in loco scribamus. de ijs enim & quibus componenda sint, in sermone de vulneribus satis superque tractauimus. id unicum hoc in loco annotasse sufficiat, quod sicuti in vulneribus ipsi etiam in primo die admoueri possunt: ita in vlceribus, quæ praua fluxione uexantur, non ita tutò in principio, & antequam praui humores fluentes aliqua ex parte euacuati, & ad alias ignobiliores partes reuulsi sunt, admouentur. Periculum enim imminet, ne praui humores retrocedant, & ad nobilia viscera recurrant, & in vitæ discrimen ægrotantes deducant: præsertimque ubi unà cum vlcere febris connexa

Topica.

est. Iam uerò conuenienti totius corporis euacuatione ac purgatione adhibita, ad topica ipsa, & repellentia accedendum erit. Si itaque vulneratam particulam supramodum calfactam uideris, ipsam statim frigidis adstringentibus, ac siccantibus refrigerabis. Optimum igitur erit vlcus ipsum, & totam particulam vlceratam aqua aluminosa abluere. Influentes enim humores strenuè repellit, & siccandi uim obtinet, ut ait Auicennas licet etiam affectum locum irrigare, ut inquit Guido, aut aqua plantaginis, & rosarum, aut aqua, in qua ferrum cãdens extinctum fuerit, aut etiam decocto cyperi, myrobolanorum, cupressi, plantaginis, corticis granatorum, balaustij, uel similium. Vt autem vlcerata pars ab influentium humorum iniuria, fluxioneq; uindicetur, optimum erit circumiacentes partes unguento ex bolo Armeno illinire. In medio uero ulceris puluis aliquis exsiccans apponendus erit, vt ex lithargyro, plumbo vsto, pompholyge, quæ vulgo tutia dicitur, stibio, quod antimonium vocant, ære usto, coralho, lapide hæmatite, spodioque loris, & malicorio, & terra Samia adeo in depascentibus, & putredinosis ulceribus à Galeno celebrata, & myrobalanis, & id genus alijs. Item pannorum liciniæ in linamenta formatæ, seu plagulæ, quæ splenia Græcis dicuntur, unguento albo Rhasis illitę, aut unguento, quod sextam partem lithargirij recipiat, in quo omnes consentiunt, uel unguento, quod diapompholygos nuncupatur, supra vlcus ipsum dandæ sunt. Verum supra huiusmodi pulueres, & linamenta vlceris imposita plumaceolus posca aquosa imbutus, adhibendus erit. deinde cõueniens deligatura, quam

Guido tract. 4. c. 2.

expri men-

exprimentem vocant, cuius tum in curatione vlcerum generali, tum in sermone de vulneribus mentionem fecimus. Guido autem in talibus vlceribus solebat post lotionem nullo alio adhibito auxilio ponere laminam plumbi tenuem perforatam, in qua virtus argenti viui cum aqua plantaginis erat infixa, & ligare ligatura exprimente dicta, quod non est, inquit, fas loqui propter idiotas. In laminam enim diductum plumbum, vt scribit Gal. euidenter refrigerat. Plumbum autem vstum, ait idem, bonum est ad vlcera rebellia: Vbi verò totum fuerit, multò optimum medicamen est, & ad vlcerum impletionem, & ad ea cicatrice obducenda: conuenit & Chironijs vlceribus, & cancrosis, & putredinosis omnibus tum ipsum per se, tum medicaminum ad cicatricem perducentium quibusdam commistum, quale est, quod ex Cadmia conficitur. Ceterum soluendum est principio, si copiosa sit sanies, quotidie; si minus, tertio, aut quarto quoque die. Verum foris spongiam imponito aquæ frigidæ, quæ si desiccetur, rursum mergatur. Sed ad rem reuertamur. Itaque tria hæc, id est, plumbum, aqua aluminosa, & deligatura decenter facta incredibilem uim habent in sanandis eiusmodi vlceribus. Deligatura autem hæc duobus modis fit. Vel enim una tantum fascia, quæ principio eius versus superiorem vlceris partem statuto nectenda erit, siue sura, siue genu, siue malleolus, siue cubitus, siue manus summa, aut alia quæuis pars laborauerit. Vel duabus fasciis, quemadmodum in fracturis fieri solet, altera à parte affecta, hoc est, ab ipso vlcere ad superiorem regionem delata, altera deorsum prius ducta, mox in superiore parte desinente, eo uidelicet loco, quo prior incepit. Imò præter alia commoda, quæ ex hac deligatione proueniunt, illud etiam accedet, quod vlcera, quæ ob rotunditatem coalescere nequeunt, oblonga reddentur. Solutio autem non singulis diebus, sed alternis facienda est. Neque solutione vlcus aqua inspergendum, sed molli linteolo puro, & sicco sanies detergenda. Quod si partes vlceri adiacentes inflammari videantur, platysmati exterius superdato, plurimo spacio liquidum medicamen illinire oportet, quale est phoenicinum Galen. quod diapalma vocant, uel quid simile dilutum uino adstringente quantum imbibi poterit: sitque oleum, quod adijcitur refrigerans, & adstringens, cuiusmodi sunt myrteum, & melinum, aut omphacinum. At si durities circa partes vlceri adiacentes apparuerit, phoenicinum oleo veteri, vel ricinino, quod decherua uocant, diluendum est. Tutiusque fuerit superpositæ regioni quodpiam ex medicamentis repellentibus liquidis adhibere, vt, quod influit, repellatur. atque id maximè cum in crure ulcus obortum varicem habeat superpositam. Quæ dum magna est, & sanguinem prauum & atrum continet, excidenda, & auferenda, vt infra dicemus. Si verò talia vlcera his non cedant, & erosio magis indies serpat, corpus à prauis succis repurgandum, & materia coniuncta erodensque cauterio actuali tanquam optimo præsidio absumenda, & desiccanda est. Quod si æger ferrum candens reformidet, uel natura delicata id nõ ferat, causticam naturam habentia pharmaca sunt admouenda, uti sunt pastilli Andronis, Musæ, vel Pasionis, aut asphodelorum. His etiam atramentum scriptorium magna vtilitate admouetur. Quod si hæc parum profecerint, arsenicum, quod sublimatum uocant, parua tamen quantitate, tutò adhiberi potest. Loca autem vlceris circumstantia interim refrigerantibus perpetuo munienda, ne tam vehementibus admotis præsidijs fluxio irritetur. Quod si neque his adeo validis erosio depascens sisti potuit, Auicen. & alij consulunt, ut membrum incidatur. Sed priusquam ad caustica, & valentiora confugiamus, non erit ab re pharmacum Andromachi à Galen. susceptum experiri; quia ad vlcera depascentia maximè ab ijsdem probatur. Recipit autem sandarachæ drach. iij. aluminis fissi, thuris, myrrhæ, ana drac. iij. guttæ ammoniaci, ceræ ana drac. xviij. therebinthinæ drach. vj. adipis suilli drach. ij. mellis decimam sextam hæminæ portionem: fiat emplastrum secundum artem.

Guid. loc. cit.

Gal. 9. simp. serm. de molybdena.

Galen. 2. de composi. per gen. c. 7.

De

De Vlcere doloroso, & varicoso. Cap. XIII.

VERUM quoniam ab acri potissimum & erodente humore sæpius in vlceribus dolor excitatur, non erit ab re panca de eius ablatione commemorare. Si quis autem plura desiderat, quæ ad eius essentiam, causas, & curationem attinent, tam sermonem de capitis, ventriculi, intestinorumque dolore, tum etiam tractatum de neruorum vulneribus adeat, quia plura inueniet. Quantum itaque spectat ad præsentem contemplationem, sciendum, quod dum dolor, isque non contemnendus cum vlcere connectitur, cum habeat rationem vrgentis. nam & quam plurimas humiditates ad vlceratam partem attrahit, & vlcus exacerbat, & auget, & inflammationes, & erysipelata, & conuulsiones, & vigilias, & animi deliquium, & virium defectum accersit: idcirco, vlceris curatione neglecta, doloris ablationi incumbendum est. Cum autem triplici via auferri possit, nempe vel auferendo doloris causam tãquam partis sentientis obiectum, quod in sensum agit: vel auferendo sensum, siue præparando passum, ne prauum, ac dolorificum obiectum sentiat; vel vtrumque, id est tum agentem causam, siue obiectum; tum partem sentientem aliquantisper immutando, & alterando, ita vt neque causa ita vehementer agat, nec pars adeo exquisitè sentiat: quod fit per ea, quæ verè anodyna sunt, & dolorem mitigant, atque demulcent: quia obiecti acrimoniam contemperant, & ipsius vehementiam frangunt, & sensus acutiem laxant, & obtundunt, proculdubio, dum dolor vrget, & causa non nisi longiori tempore auferri potest, primo, qui per ablationem causæ fit, posthabito, cogimur ad alterum duorum confugere. Sed quia secundus modus tanquam sensum partis auferens non adeo tutus est, & cum maximo affectæ particulæ detrimento adhibetur, ideo vltimum, qui per verè anodyna, & mitigantia administratur, primum eligimus, & non nisi maxima vrgente necessitate, & posteaquam vltimum modum in cassum adhibuerimus, ad stupefacientia, quæ sen-

Mitigãtia. sum partis adimunt, confugimus Verè itaque anodyna, doloremq; lenientia sunt

Simplicia. temperatè calida, & humida. Quare laudatur balneorum, necnon ipsius lactis fotus, oleum maturum dulcissimum, butyrum, œsypus, lana succida, adeps suillus, gallinaceusque recens, vitulinus, humanus, anguillæ, oleum ex vitellis ouorum oui candidum, & luteum, imò ouum integrum applicitum mirificè vlceribus dolorosis prodesse solet, oleum chamæmelinum, anethinum, amygdalarum dulc. vulpinum, de lumbricis, rutaceum, ex erino, quod erinaceum dicitur, ex floribus sambuci, ex seminibus lini, malua, fœnumgræcum, althæa, sapa, vinum dulcissimum, cassiæ

Composita flos, quo nil præstantius, mala dulcia cocta cum modico croci. Inter composita expertum, & omnium præstantissimum, præsertim in sæuissimis doloribus vlcerum articulorum, est, quod Recipit olei rosacei lumbricati, chamæmelini, anethi ana vnc.ij. florum chamæmeli, farinæ hordei ana vnc.ij. œsypi vnc.j.s. sapæ dulcissimæ drach.x. vel quantum sufficit: in sartagine formetur emplastrum, postea fouendus locus. Alterum remedium non minus proficuum, ac præstantissimum in iisdem vlceribus est, si vlcus internum oleo ex cera pura lutea repleatur, aut lìnei panni madentes oleo cocto cum sulphure ignis experti, aut cum sulphure communiori circumquaque ponantur. Si verò dolor ab intemperie partis vlceratæ fouea-tur, cum possit esse vel calida, vel sicca, vel frigida (ab humida enim dolor non producitur) non erit incongruum doloris ablationem per contrarium alterantia tentare. Itaq; si intemperies calida fuerit, oleo rosaceo, violaceo, nenupharino, necnon succo plantaginis, psyllij, poligoni, portulacæ, aut semperuiui, ac lactucæ, qui optimi sunt, occurrendum erit. Si fuerit sicca, pars vlcerata, & vlcus ipsum vel aqua temperata, vel hydrelæo fouenda erit. Si frigida, quod sæpius contingere solet, non ualde calidis vtendum, sed præcipuè oleo therebinthino vocato, quod ita paratur. Recip. therebinth. lib.ij. laterum recentium libr. semis, mastiches, styracis ana vnc.j. Lateres igniti oleo extinguuntur, & friati reliquis miscentur, & per alembicum excipiuntur tres liquores: primus est aqua: secundus est oleum luteum: tertius est oleum nigrum: & secundus, & tertius optimi sunt. Pariter oleum florum rotismarini, oleum de euphorbio, necnon oleum de radice cucumeris syluestris, aut id genus alia optima sunt. Aliquando veerò in vlceribus oritur

magnus dolor eò: quia caro aut multa, aut pauca supercreuerit, cum intemperie calida, aut humida, vel maligna,& tunc medicamina hæc opportuna non sunt, neque reliqua enumerata; sed tunc siccantia valida, & cathæretica seu dettactoria summopere sunt opportuna, de quibus Gal. in sexto de simplic.med. cap. 15. disseruit, & sicuti maximè probatur inter ea, quæ componuntur, ægyptiacum vnguentum, dummodo in actione sua dolorem non augeat: ita inter simplicia tum omnium præstantissimum est argentum præcipitatum: quia absque dolore exsiccat, & exedit. Demum dum dolor neque verè anodynis cedit, neque doloris causam auferre statim possumus, ne aliquod prauum subsequatur incommodum, ad illa, quæ stuporem inducunt, confugiendum: veluti sunt mandragora, hyosciamus, cicuta, opium,& similia intensè frigida. Ex ijs,quæ componuntur,possumus hoc seligere, quod super loco affecto imponitur. Recipe foliorum mandragoræ, cicutæ, hyoscyami ana Manip. j. croci scrop. ij. Castorij drach. ij. folia viridia proposita sub prunis in carta madida coquantur, deinde terantur, & additis reliquis, fiat emplastrum. pariter probatur,quod Recipit therebinthinæ vnc. ij. myrrhæ drach. j. styracis, pyretri ana drach. semis, croci scrop. j. opij nostratis, castorij ana drach. ij. mellis despumati quant. suff. misc. in mortario optimè: Imponitur autem supra vlcus panno tenuissimo tectum. Ablato dolore, atque eius causa, postea loco affecto vel oleum de therebinth. vel quid simile, quod torporem, & frigidam intemperiem remoueat, admouemus. Quod si vatix fluxionem subministret, illud autore Galeno sanari non potest, nisi prius varix sanetur. Loco verò, in quibus varices, seu venæ præter naturam dilatatæ reperiri solent, sunt circa tempora, infra vmbilicum, circa testes, & ut plurimum in cruribus insta genu,præsertimque in parte cruris interna. Harum porro causæ sunt aliquando imbecillitas ipsarum venarum, quæ affluentem sanguinem alioquin benignum regere & concoquere, & excrementa expellere non valent; interdum atrabilaris, exustusque sanguis, ac feruidus, qui sui natura ad interiora vasa procumbit, ibique impactus venas obstruit, atque dilatat, vt scribit Galen. nonnunquam quilibet alius humor crudus, viscidus, ac crassus sanguini permistus, vt idem ait; interdum quoque ampliori alimento refertæ, ac obstructæ dilatantur, & varices fiunt. Sicuti autem ex atrabilari sanguine nigræ, ex pituitoso pallidiores: ita ex probo, & puriore sanguine rubicundiores hæ venæ dilatatæ, siue varices euadunt. Iam verò in harum curatione illud ante omnia animaduertendum est, vt, dum à prauo oriuntur humore, nullo pacto inconsiderate secentur, & intercipiantur, sed, nisi necessitas nos cogat, omnino insanatæ relinquantur, quia vtilissimæ sunt. nedum enim gibberum solui, sed etiam alios morbos infra thoracem, & furorem ipsum ab ijs curari testatur Hippocr. qui etiam alibi scribebat per eas totum corpus à fæculento sanguine expurgari. Vnde si forte auferantur, vti nos admonet Galen. aduersus Erasistratum scribens, atra bilis, insania, pleuritis, renum dolor, fluxus sanguinis ex ano, tussis cum sanguinis ex thorace expuitione, attonitus morbus, & sæpius aqua inter cutem suboriuntur. Quinimmò dum à prauo oriuntur sanguine, sæpius resecta varice sanatur quidem internum vlcus, sed vulnus, quod pro tollenda varice inuritur, vt idem ait, insanatum relinquitur. Quare nisi varices maximæ, & tenuissimæ sint, vt earum fracturam, & subinde sanguinis profusionem, & mortem timeamus, nisi inflammatione tententur, & multum doleant, nisi adsit vlcus malignum, & magnum, & subinde valde vrgens, nullo modo sanandæ sunt. Ratio autem, quæ nos mouet, hæcque demonstrans ea est, si in hæmorroidibus quæ diu fluxere, iubet Hippocr. vt semper vna saltem aperta relinquatur, quamuis in apertis hæmorrhoidibus, nedum rhagadum, condilomatum, & aliorum prauorum morborum, qui in anno fieri solent, sed etiam nimiæ sanguinis fluxionis, & subinde cachexiæ, & hydropis periculum immineat; quanto magis varices, in quibus horum malorum timor non subest, abolendæ, & intercipiendæ, aut cohibendæ quoquo pacto non erunt? Quare solummodo, dum varices tensissimæ, & maximæ sunt, aut ex facili inflammantur, & dolent, aut vlcus magnum, malignumque est, sanandæ erunt: Non tamen præproperè, atque immaturè, vt perperam faciebant Medici illi, quos Gal. repræhendit: quia tunc enumerata mala facile subsequuntur. Maxima itaque cautela, atque industria progredi oportet. Et primum vt docet Galenus exemplo Stratonici sui præceptoris, mittendus est sanguis multus, corpus purgandum, vacuandumque est bis, terue, atque optimè hepar temperandum: Lien pariter si malè affectus sit, corrigendus: postea ad varicem

Margin notes: Narcotica, & stupefacientia. — Gal. 4. meth. cap. 2. — Ad vlcus varicosum. — Galen. lib. de tumor. c. 18. — Causæ varicum. — Gal. li. de atra bile. c. 4. — Gal. lib. de artic. com. 4. — Hip. 4. de artic. sex. 4. — Gal. lib. de sect. ven. aduer. Eras. 6. & li. de atra bile. c. 4. — Gal. lib. de composi. per gen. lib. 2. & lib. de atr. bile cap. 4. — Galen. lib. de sect. ven. aduer. Eras. 6. — Galen. 4. de composit. per gen. 2.

varicem veniendum: & qua secta, vlcus nouum prius sanandum, postea illud cuius causa nouum factum est. Si verò varices non à prauo, sed à probo oriantur humore, idque ob simplicem eius copiam, ac venarum illarum laxitatem, & imbecillitatem, tunc possumus tutius ad harum sectionem, ac interceptionem, ablutionemque deuenire, corpore tamen prius per sanguinis missionem copiosam, & purgationem euacuato. quinimo optimum, tutissimumque est, quotiescunque varices secantur, & euelluntur, etiam post noui, ac veteris vlceris curationem singulo vere, aut etiam autumno, præsertim vbi ab atrabilari, prauoque sanguine ortum duxerunt, vniuersum corpus per phlebotomiam, ac purgationem a plenitudine, & atrabilaribus, prauisque humoribus immune, purumque reddere. &, si necessitas id exigat, etiam cauteria cruribus potissimum, vt humoris motum, & inclinationem respiciamus inurere nedum cruri sano, verum etiam vlcere malè affecto, sed per quatuor digitos supra genu: & in summa vniuersa victus ratio, aliaque præsidia instituenda sunt, de quibus in secundo libro in capite de hemorrhoidibus disseruimus, quod quidem diligenter perlegere debent ij, qui vlcus varicosum curare aggrediuntur. Secus si inconsiderate id agant, periculum est, ne miseros ægrotantes in hydropem, aut alia deteriora mala præcipitent. At verò varicum sectiones plures sunt: vna non profunda; altera, quę fit auulsione, sed ambæ inutiles sunt: tertia verò quæ optima est, ab ipso Paulo proponitur: fit autem *Paul. lib. 6.*
hunc in modum: Primo in cute variæ superiacente simplicem sectionem scalpello *c. 82.*
per longitudinem facere oportet; ita tamen, vt subiacente varice illæsa, sola cutis incidatur. Ducta sic leuiter in cute sectione, oras vulneris hamulis diducimus, & membrannlas: cultro ad ramicem aquorum accommodo, sensim ac blande excoriamus. Mox vena detecta, nudataue, & à circumiacentibus corporibus vndequaque explicata, eam volsella, aut obtuso hamo attrahimus, & suspensam tenemus. Deinde acum duplex filum trahentem subijcimus, subterue transmittimus, filique habenulam amputamus, sic, vt duo fila efficiantur. Tum venam dilatatam, non aliter, quam in phlebotomia fieri solet, scalpello per medium diuidimus, ac sanguinis, quantum sat esse videbitur, detrahimus. Deinde altero filo, seu linceo funiculo superiorem vasis partem constringimus, crureque eleuato, sanguinem, qui in ipso apparebit, manuum pressu euacuamus. Postea venam ab altera parte lino, seu filo altro deuincire oportet. Partem verò illam venæ, quæ inter duo vincula est, vel statim excindenda, vel manere sinenda, donec putrefacta sua sponte cum funibus excidat. Peracto opere, sicca linamenta in plagam inserenda sunt, spleniumque enclæo madens superimponendum, ac deligandum est. Tum linamentis medicamine aliquo ad pus faciendum apto imbutis, curatio persequenda erit, cetera, quæ alijs vlceribus communia sunt, peragendo. Sed interim quies ęgro imperanda, seruato accliui membri decubitu, ne si decline iaceat, humores ad ipsum confluant. Pranso autem magis, quam ieiuno, & parum pleno, potoq; item concalefacto, & loto, dieq; calido potius, quam frigido varicem secabis, & ex ea sanguinem mittes. Quia verò magna ex parte crus occupat, ideo præcipit idē Paulus, vt loto prius homine, funiculū superiori femoris parti circundemus, ac ut ambulet iubeamus: inde uenam ita repletā atramento scriptorio, aut collyrio notemus iuxta eius sitū triū digitorum spatio, aut paulo ampliori interposito. Deinde decumbente ęgro, crusq; ipsum extendēte, alterum uinculū paululū supra genu inijciamus, ac mox, qua attamēti nota est, sectionem faciamus, & reliquā curā, vt supra diximus, prosequamur.

De sordido, & putrido vlcere. Cap. XIIII.

SORDITIES, Et putredo in ulceribus, ut ait Guido, non *Guid. tract.*
nisi penes magis, & minus differunt. Dum enim vlcus non *4. c. 3.*
habet nisi sordem, & saniem crassam, ac uiscidam, sordidum nuncupatur. Si uerò adeo eius malitia, & prauitas augeatur, ut carnem ipsam, ac subiectas partes molliores putrefaciat, atque corrumpat, producatque lentorem quendam, aut carnem mollem inquinatam, siue etiam crustosam, ac fętidam, à qua fumus, seu uapor attollitur fętidus, & cadauerosus, putridum, fraudulentumq; uocatur. Quod si magis adhuc eius prauitas augeatur, ac serpat, in sphacelum migrat, quem vul-

gus esthiomenum appellat, & homini mortem affert. Horum porro vlcerum causæ sunt humores sanguinei, sed praui, & crassi, & ebullientes, dum huius ebullitionis, ac feruoris vi venenositatem quandam adipiscuntur. Quæ magna ex parte carbunculos, & anthraces, & apostemata praua, & vulnera malè à Medicis pertractata consequuntur. Cum autem horum notæ alibi fuerint descriptæ, ipsorum curatio inquit Guido primum in hoc consistit, vt probam victus rationem præscribamus, & talibus euacuationibus vtamur, quæ totum corpus ab excrementis, & vitiosis humoribus expurgent. de quibus in sermone de carbunculo, & alijs crustosis, ac putrefactis pustulis inferius loquemur. Vnde, vt scribit Auicen. horum malorum curatio melior est, si fiat cum expurgatione totius corporis, aut ipsius membri vlcerati; si corpus purum, & excrementis vacuum fuerit, cum ijs, quæ ipsum solum euacuant, qualia sunt cucurbitulæ, scarificationes, hirudines, atque epithemata, siue fomenta, quæ ipsum à corruptis deprauatisq; humoribus obsessum vindicare valent; ea tamen victus ratione iniuncta, quæ probum, & inculpatum sanguinem gignat. Post hæc verò ad vlcus ipsum deueniendum est, primumque sordes cum hydromelite, aut cum aqua maris, vel salita, aut id genus alijs, quę à Galeno proponuntur, abluenda est; deinde cum vnguento Apostolorum, aut vnguento Aegyptiaco abstergenda. Desuper autem præcipit Lanfrancus abstergens medicamen ex absynthij succo, melle rosaceo, farina hordei, & myrrha compositum adhibendum esse, & circumcirca semper vnguentum ex bolo Armena illinendum iubet: ac supra cetera dicta puluillos ex stupis canabinis studiosè pexis, aut ex lineis pannis leuibus posca aquosa imbutos, admouendos, & alligandos esse præcipit. Si verò sordes in putredinem, ac corruptionem vertatur, consulit Guido, vt locus cum oxycrato, aut cum aqua cineris, seu saponis abluatur, deinde emplastrum ex carnibus piscium salitorum, & farina orobi & aristolochia, non tamen rotunda, sed longa, ac scilla, omnibus scilicet ex vino coctis, & cum melle mistis admoueatur. Galen. verò maxime probat nedum garum ipsum, verum etiam salsuginem piscium salitorum, & potissimum salsorum silurorum, & mænidum. Alij decoctum virgæ aureæ maximè laudant. Auicen. verò ad eandem intentionem probat medicamentum hoc tanquam experientia probatum, quod Recipit tragacanti rubri vnc.j. calcis viuæ, aluminis, corticis granatorum ana drac.vj. thuris, gallarum ana drach.iiij. ceræ & olei ana quantum sufficit, vt fiat vnguentum: & item aliud, quod Recip. vitrioli, seu chacanthi partes xij. chalcitidis partes x. tragacanthi partes ix. Coquantur in aceto, & ex ijs fiat linimentum. In partibus autem circumstantibus semper vnguentum ex bolo Armena applicandum est; & desuper stupata, seu stupei puluilli oxycrato madefacti erunt imponendi. Si verò hæc putrida vlcera ad talem, & tantam corruptionem deuenerint, vt partes adiacentes magis, atque magis semper erodantur, & corrumpantur, necessarium est ex Auic. sententia, vt tales corruptiones auferantur cum cauterio actuali igni-to, aut cum medicamine acuto, vel cum incisione, vt non nisi caro sana relinquatur, quæ quidem ex probitate coloris, & sanguinis proprij facile cognoscitur.

Causæ.

Curatio.

Auic. 4. 4.

Topica.

Gal. 5. simp. 12.

Si sordes in putredinem abeat.

Gal. 2. simp. in fine.

Inter cetera autem medicamenta, quæ acuta cum sint, viuum à corrupto separant, nullum præstantius inueniri potest arsenio sublimato vocato, vt infra in sermone de gangræna etiam dicemus. Hoc enim ilicò malum sistit, idque sine dolore. Vbi autem his medicamentis, & præsidijs validioribus malum non cesserit, vt Auicennas nos admonet, cogimur membrum ipsum tali vlcere obsessum abscindere, vt reliquum corpus à corruptione hac preseruetur. Hoc tamen miserum, atq; vltimum auxilium nunquam tentandum est, nisi dum cetera præsidia nihil profecerint.

*

De Vlcere cum osse corrupto. Cap. XV.

Causæ.

PROPTER erodentem, & acrem, diutinsque protractam fluxionem ad vlceratam partem nedum vlcera ægrè ad cicatricem veniunt; verum etiam subiectum vlceri os excedi, atque corrumpi solet. Quinimò dum, vt ait Hipp. vlcera inglutinata protrahuntur, & annua fiunt, eadem ne vlcerum excrementa, & praua, ac virulenta sanies, & ichor ab vlcere segregatus idem os corrumpere, & erodere valet. *Hip. 6. aph. 45.*

Signa.

Talia autem vlcera, in quib. subiectum os corruptum est, ideo cognoscuntur, quia vel cicatrice obduci nullatenus possunt, vel, vt docuit Gal. cum fuerint ad cicatricem perducta, non ita multò post rursus inflammantur, & iterum dirumpuntur, ipsarum cicatrice soluta. *Gal. in com.* Fit autem hoc talem aliquam ob causam. Quando ex adhibitis medicamentis caro, quæ ossi superiacet patienti, exsiccata contraxerit cicatricem, statim quidem integra sanitas restituta videtur: rursus uerò paulatim aliquo influente ichore ex osse corrupto in parte penitiore, iterum aduenit inflammatio, purisque generatio consequitur: à quo quidem cicatrix eroditur; caro uerò exulceratur. Insuper vitiatum, ac corruptum os inde cognoscitur, quia primo ferè pingue fit, deinde vel nigrum, vel asperum, & cariosum. Quæ supernatis grauibus vlceribus, aut fistulis, hisque vel longa vetustate, vel etiam cancro occupatis eueniunt.

Scopi curatioque.

Quænam igitur, ait Galen. talium vlcerum sanatio est? Non profectò alia, subdit ille, quam ab Hippocr. scripta in libro de vlceribus, & ab eodem Galeno in tertio de methodo curatiua demonstrata. *Gal. loc. cit.* Siquidem vlcera omnia exsiccati oportet, præcipuè verò, in quibus patitur os. Terminus autem siccitatis est, vt abscedat pars ossis, quæ uitiata est. Quare non absque ratione tantum fieri cauas cicatrices contingit, quantam habuerit abscessus crassitudinem.

Si itaque in vlceribus, ait Auicenn. superueniant ossium frusta, uel quid simile, non est properandum in ipsorum extractione; sed ea animaduertenda, & peragenda sunt, quæ in sermone de fractura cum vulnere proponentur. *Auic. 4. 4.* Si autem os corruptum est, oportet super positam carnem incidere, & quantum possibile est, os ipsum detergere, vel cum rasorio, uel cum corrosiuo medicamento. Consulit autem Rogerius, vt munitis circunstantibus partibus cum aliqua pasta, vel panno cerato, vel diaquilone vnguento, aut aliquo emplastro frigido adhærente, caro superposita aliquo caustico medicamento repleatur, quod à mane vsque ad vesperas, aut econuerso persistat. & postquam caro fuerit denigrata, vt cauma iam impressum extinguatur, oleum rosaceum cum ouo admoueatur, & cum butyro, & caulibus tritis corruptæ carnis casum, & remotionem adiuuare debeamus. Postquam autem caro ceciderit, corruptum os uel abradi, uel caustio submoueri debet. Necesse est enim ipsum radere, aut cauterizare, quousque ad vltimum ipsius corruptionis perueniamus; Ossium autem squamæ facilè excident, si agrestis papaueris, & fici arboris foliis cum polenta læuigaris, atque ex vino illitis ipsius ossis sinus concauos repleuerimus, aut hyoscyami semen, & atramentum sutorium pari pondere contrita imposuerimus. Sed & peucedani radix contrita subito squamas ossis remouet, ac separat, sed omnium maximè squamas ossium breui detrahit, & nouam probamq; carnem desuper renasci facit, vt attestatur Guido medicamentum hoc, quod Auic. describitur, admirabileq; vocatur. *Guid. tract. 4. c. 1.* Recipe autem aristolochiæ, ireos, myrrhæ, aloes, corticis plantæ panacis, terræ erethriadis à Gal. vocatæ (est autem apud Arabes terra rubra minuta, ut arena) sed adustæ, scoriæ æris, corticis pini ana pares portiones: melle omnia excipiantur, & fiat emplastrum. Lanfrancus pariter in hoc casu osse probe nudato, post omnem rasuram; laudat cauterium actuale, siue ferrum ignitum, cui Guido maximè astipulatur. *Loco cit.* Si enim inquit ille, corruptio ossis ex nimia humiditate ipsum contaminante proueniat: nihil eam ita citò, & infallibiliter, & prope, & longè desiccat, quemadmodum actualis ignis. Quare totum id, quod pingue, corruptumque est, cadente ferro, semel, iterumue, prout res exigit, admoto, adurendum erit, vt ex eo statu secedat. Post cauterium vero iuber idem Lanfrancus vt in loco oleum rosaceum calidum infundatur. Sed Guido post cauterium oleum rosac. cum oui albumine per tres dies ponebat: & per tres alios dies cum oui vitello, & postea butyrum cum melle rosaceo admouebat; aliquodque abstersiuum pharmacum superponebat vsq; ad perfectam ossis desquamationem: postquam cum puluere emplastri supra

positi carnem gignebat, & cicatricem inducebat. Quod si corruptio peruenerit ad ossis medullam, ex Auicennæ, & Albucasis decreto, totum os cum medulla sua excidendum est, & auferendum, dummodo os ilium non sit, vel aliqua vertebra, vel caput fœmoris, vel os sacrum, aut ossa, quæ spinalem medullam continent, vel ambiunt, aut prope eam sunt: quia tunc exemptio, & ossis sectio omnino fugienda, ne passio cerebro communicetur, & conuulsio, ac mors suboriatur. Dum autem os potest serra eximi, secare audacter oportet, vsquequo inueniatur adhærentia carnis cum osse. Illic enim est terminus sectionis, quod cum tentat oportet inuestigare. Si autem derasione vtendum sit, eradendum os, donec iam aliquid cruoris ostendatur. Id enim integrioris, & minimè corrupti ossis nota est. Porro, qui radit (inquit Celsus) audacter imprimere ferramentum debet, vt & agat aliquid, & maturius desinat. Finis autem est, cum vel ad album os, vel ad solidum ventum est. Albo namque finiri ex nigritie vitium; soliditate quadam ex carie, manifestum est. Accedere etiam cruoris aliquid integro, in sermone de vulneribus capitis dictum est. Quod si caries altè descendat, per terebram vrgenda crebris foraminibus est, quæ altitudine vitium æquent. Tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta sunt, donec inde siccum os ex toto fiat. Simul enim post hæc & resoluetur ab inferiori osse, quodcunque vitiatum est, & is sinus carne replebitur, & humor aut nullus postea feretur, aut mediocris. Sin autem nigrities aut caries ad alteram quoque partem ossis transit, oportet excidi. Sed quod totum vitiatum est, totum eximendum est: Si inferior pars integra est, vsque ad subiectam partem ossis integram, quod corruptum est, excidi debet.

De Cauernoso, & profundo vlcere. Cap. XVI.

QVID cauernosum, profundumq; vlcus sit, in vlcerum generali sermone aperuimus. [Causæ.] Oritur autem fere ex tumoribus præter naturam, dum hi ad suppurationem veniunt, necnon ab ipsis interdum vulneribus, dum hæc à chirurgis male pertractantur. Quando enim pus in abscessu, vel in profundo vulnere contrahit moram, ita vt non possit per ipsius orificium expurgari: quia scilicet sursum spectet; vulneris autem fundum deorsum vergat, proculdubio nitrositatem, & prauitatem quandam contrahit, ratione cuius parietes cauernosi vlceris contaminantur, & adeo deprauantur, vt non possint amplius inuicem agglutinari, & vniri, & proinde sinus de necessitate derelinquitur. Ad quem quia vlcerata particula labefactata est, à vicinis partibus, ab vniuersoque corpore superfluitates, & excrementa fluunt, vlcusque dysepulotum, & fluxione vexatum euadit. Quamuis autem huius plures, eæq; variæ sint differentiæ, ex cauernarum scilicet magnitudine, situ, figura, ac numero desumptæ [Differētiæ.] (aut enim sinus breues sunt, aut altè penetrantes, iuxta carnem desinentes, aut ad ossa, vel cartilaginem subeuntes, sursum, deorsum, vel ad latus tendentes, recti, aut flexuosi, simplices, aut duplices, triplicesuè) Galen. tamen eorum duntaxat, quæ à positionis figura sumuntur, mentionem egit: vt quæ præcipuè curationem immutent, siue enim magnus sit, siue paruus, siue breuis, siue altus, aut superficialis, simplex, aut duplex, vel triplex fuerit, eadem semper est eorum curandi ratio. At si uel sursum, vel deorsum, vel ad latus, uel intrò ad ossa tendit, curationem variat. Cum enim sursum tendit, facilè per eius os sanies, & pus effluit. Cum verò deorsum vergit, intus retentum pus, aut sanies contiguas partes erodit. Quare, nisi facto ex aduerso emissario, nihil omnino profeceris, siue carnē gignere, siue glurinare velis. Cum vero ad latus declinat, aut sursum vergit, aut intrò fertur, sed ita locari pars afflicta potest, vt liberè sanies, aut pus è sinu effluere possit, incisione ex aduerso facta opus non est. Cognoscūtur autem cauernosa vlcera eo, quia eorum orificia angusta sunt; profunditas verò in latum se diffundit, & sensui occulta est multos interdum anfractus habens, modo rectos, modo obliquos, citra duritiem, & callum: [Signa.] Atq; hoc vno à fistula dissident, quamuis imperitorum turba eiusmodi vlcera omnia cauernosa fistulas nominet; cum tamen fistula, vt in sequenti capite dicemus, apud Gal. & alios Græcos propriè vleus sit altum, angustum, & callosum. Differentiæ verò cauitatum, seu cauernularum ac sinuum talium vlcerum deprehenduntur turundis, quas tentas

vocant,

vocant, & specillis argenteis, vel plumbeis, aut simili materia factis in ipsas cauernas blandè, ac leuiter immissis. Item minutis quibusdam, atque exilibus radicibus, & cereis candelis, necnon & coloratis quibusdam iniectionibus. Color verò materiæ, vt monet Guido, quæ ab ipsis cauernulis, & finibus egreditur, qualitatem eius manifeste insinuat. Si enim tenuis fuerit, & loturæ carnis persimilis, calidam esse iudicabimus: At si candida visitur, & serosa, indubie frigida erit. Sed & saniei, puris ve bonitas, & paucitas, doloris quoque & tumoris, qui prius aderant, priuatio sinum carne impleri, & glutinari demonstrant. Si verò contraria his affuerint, glutinationem nequaquam adhuc fieri nobis indicant. An enim ait Gal. altæ sinus partes coaluerint, ex manante sanie deprehendes, si ea multa vel pauca, cocta vel cruda sit. Præterea si neque in ipso sinu dolor sentiatur, nec tumor appareat, sed totus locus æquabilis sit, siccus, ac doloris expers. Quod si puris probè cocti portio exigua in ore conspiciatur, multò magis de glutinando sinu sperandum est. Iam verò, vt in generali quoque sermone docuimus, ordo curationis horum profundorum vlcerum expostulat, vt primum phlegmonem, aut intemperiem, aut alium præter naturam affectum, si cum vlcere tali coniunctus sit, & agglutinationem impediat, submoueamus: secundo loco sordem: tertio cauitatem: & quarto tandem vlcus persanemus. Iusta siquidem subiectæ carnis temperies causæ rationem habet, vt quæ concrescere secum, quod vlceratum est, faciat, & cauitatem impleat, vti toties ex Galeni scriptis monuimus. Puritas vlceris rationem habet eius, sine quo non. Atque hanc sordes interpellans curationem moratur. Habet verò & ipsa cauitas ad vlcus rationem eius, sine quo non, vt idem Gal. docuit. Nisi enim cauitas, inquit ille, prius impleta sit, induci cicatrice vlcus non potest. Et hæc de methodo curandi sinus, seu profundum, & cauernosum vlcus, cui magna ex parte iam commemorata complicari solent, breuiter sint dicta. Si itaque ad præsidiorum materias descendamus, dum vlcus cauitatem altè reconditam sub cute habet, considerare oportet, inquit Galenus, vtrum ea in superiori parte sit ita, vt sanies ex ea prona effluat: an in inferiore sic, vt illic sistatur. Eius igitur cui effluxus patet, eadem quæ aliorum, curatio est, per ea potissimum auxilia, quæ paulò post dicentur. Cui verò non patet effluxus; sed vel sinus ad latus declinat, vel intro fertur, aut etiam deorsum vergit, considerandum an affecta, & vlcerata pars ita locari possit, vt liberè sanies è sinu emanare possit, necne: Si enim ita possit situari, vt liber effluxus saniei pateat, proculdubio sectio dimittenda est. Si enim ponamus verbi gratia sinum, & cauitatem artus aliquos, nempe cubitum, aut femur occupare, poterit vtique decliuis figuratus citra diuisionem ex aduerso factam coalescere. Etenim in cubito cum oræ gibbero vicinæ sunt, vt Paulus, & Galenus tradunt, summam manum elatius protendens sinum ad effluxionem incitabis. Sic & in femore si sinus deorsum vergat, & ad genu terminetur, os autem ipsius sublime supra femoris medium sit, popliti mollem puluinum subijcies, quo demissius inguen, quàm genu positum sit. Si verò situm affectæ parti commodum exhibere non possimus, quò liberè sanies effluat, cogimur sectione effluxum quendam colluuiei moliri. Eius porrò, Galeno teste, duplex est ratio: aliàs tota cauitate desecta, aliàs in fundo tantum aperta. Quando verò, subdit ille, harum alterutra sit ineunda, docebit tum locorum ipsa natura, tum verò vlceris magnitudo. Si namque & loca ipsa periculosam sectionem faciant, & vlcus magnum fuerit, in fundo aperire magis expedit: sin contrà se habeant, præstiterit semper totam ipsius sinus cauitatem perscindere. Tota enim cauitate dissecta, elychnijs, & pannorum lacinijs in linamenta formatis, congruisque medicamentis expurgantibus, siccantibus, & carnem gignentibus, sinus cito implebitur, & agglutinabitur. Si verò neruus, aut vena, vel arteria, aut alia huiuscemodi pars totius sinus sectionem impediat, & solum ex aduersa parte diuisio molienda est, priusquam ea fiat, monet Guido, vt sinamus purulentam colluuiem in magna satis copia in fundo ipsius sinus colligi, quo sinus parietes magis attenuentur, & specillum, supra quod sectio fieri debet, in cauitatem melius intromittatur, sinu scilicet ex puris copia distento, amplioreque facto. Specillum autem ipsum, quod sic in sinum immittitur, leue, minimeque asperum esse debet, ac vnctuosa aliqua re, vt citra dolorem immitti possit, illitum. Ad hæc parte posteriore perforatum esse debet in modum acus, vt in eo imponi possit cento aliquis ex stupis canabinis, aut aliqua gracili fascia, seu habenula, aut certè funiculo quopiam molli, vt canabino factus. Incisione autem facta, dolor ex ea excitatus sedandus erit, & sanguinis

Prognostica. Indicationes. Chirurgica præsidia.

Guid. trac. 4. c. 4. *Galen. 2. ad Glauc.* *Gal. 3. meth.* *Gal. 3. meth. prope finem.* *Galen. 2. ad Glauc.* *Gal. loc. cit.* *Guid. trac. 4. c. 4.*

guinis fluxus oui candido, aut simili auxilio sanguinem sistente compescendus. Post hæc autem cento alius quando opus erit, detergente aliquo medicamine imbutus indendus erit, atque vt id commodius fiat, alteri, qui sinum adhuc occupat, aut assuetur, aut alligabitur. Poterunt & elychnia, seu linamenta in detergente aliquo medicamento tincta in sinum ipsum imponi, superque, atque in ambitu danda sunt, quæ mox proponemus. Deligatio verò eius incipiat quidem supernè, sed finiatur infra, vbi scilicet patet effluxus, præsertim si neque in imo sinuosi vlceris sectio fieri possit, neque cauitas tota dissecari. Deligatura itaque, vt ait Guido ex ipsius Galeni decreto, à sinus fundo incipiat, & in eius ore finiat, ita tamen, vt quanto ad orificium tendit, tanto laxior sit. Fasciarum itaque spiræ, sine circumflexus sinus profundum sine dolore arctent (quæ quidem adhibeantur post expulsionem, & abstersionem materiei in sinu existentis) ac paulatim vsque ad os eius elaxentur: eidemque ori sinus indatur medicamentum molle, circumducto forinsecus emplastro ad os ipsius sinus forficibus disciſſo, vt sanies effluere possit. Post expulsionem enim & abstersionem materiæ super totam cauernam emplastrum glutinatorium perforatum, quantum capit orificium vlceris, apponi debet, & super illud orificium ponatur illud idem, quod à perforato emplastro amotum est: & postea deligetur arctè cum vitta, quæ circumducta vtraque extrema cauernæ comprehendat, incipiendo à fundo ipsius, & vsque ad orificium relaxando, postea ligetur orificium cum paruo emplastro, & alia vitta, seu fasciola paruiore: Ita tamen, vt prima ligatura non soluatur vsque ad perfectam consolidationem; sed secunda de tertio in tertium diem resoluatur, & religetur. Ideo autem tertio quoque die, aut citius vel tardius, prout res efflagitabit, demenda spongia est, ac paruum emplastrum, quod superpositum erat: vt si qua humorum colluuies in ore sinus collecta sit, vacuetur, explorемusque, an altæ sinus partes coaluerint, velne, quod ex manante sanie deprehendetur. Altas enim sinus partes coaluisse testatur pus coctum, ac paucum, præcipueque si dolor, & tumor non adsint: Contra multum, ac crudum, & cum fœtore, & loci humiditate, dolore, & tumore nondum coaluisse significant. Qua de re omnes in hoc cauernoso curando vlcere concordant in hoc, vt ligetur cum ligatura exprimente ea lege adhibita, vt virtute ipsius, & cum bonis pressuris vniuersum vlceris fundum constringamus. Sed circa tentam, seu turundam plerique hæsitant, an solida, vel perforata immitti debeat: Guido tamen huius sententiæ videtur esse, ut non solida, quia saniem in loco retinet, sed cannulata, aut duplicata imponatur, vt sanies exire valeat: & spongia super orificium ponatur, vt sugendo exterius saniem trahat. Verum quoniam deligatura expulsiua non solum cauernosis vlceribus; verum etiam aliis antiquis vlceribus, varicibus, & tibiarum inflationibus ac phlegmonibus, & in summa ad prohibendum, ne aliqua materia ad locum læsum procumbat, vtilissima est, & fatetur Guido, se ex hac rectè adhibita quàm plurima bona, & innumeras vtilitates ægrotantibus comparasse: Idcirco, vt exactius adhuc administretur, animaduertendum Guidonem alibi scripsisse hanc quidem fieri cum vitta, seu fascia ab vno capite plicata, incipiendo à parte inferiori ipsius membri, ibique fortius arctando, postea circumuoluendo versus partem superiorem (vocat autem partem superiorem eam, quæ est versus cor, siue hepar, vt monet Galenus, à quibus omnia vasa oriuntur) eamque paulatim soluendo, seu laxando, si præsertim os, per quod sanies emanat, ad superiorem partem porrectum sit (interdum enim inferius spectat) Verum quoniam huiusmodi ligatura adaptari solet membris inæqualibus, id est, quæ non sunt æqualis crassitudinis, cuiusmodi sunt tibiæ, adeo vult Guido fasciam ipsam esse scindēdam singulo quoque palmi interuallo, eamque validè assuendam, ab ea parte maximè, quæ gibba est, seu vt dicunt, arcuata: laxè verò à parte altera dorsali. Ego enim scribebat ille, talem vittam in membris inæqualibus, vti sunt tibiæ, adapto scindendo eam ab vna parte de palmo in palmum, & suendo, & eam perfilando rigidè à parte arcuata, & incisa, laxè verò in parte dorsi, & non incisa: & ligando partem latam dorsalem teneo versus crassitudinem membri, partem verò curuam incisam versus partem graciliorem. Si verò neque in imo ipsius sinuosi vlceris plaga commodè fieri possit, neque cauitas tota dissecari, sinus totus eluendus erit collutionibus primum quidem detersorijs, si inhærentem saniem subesse putamus: deinde sarcoticis: postea ad medicamentum glutinans transeundum erit. Ob id Galen. sinum ipsum nunc meliorato solo, nunc quidem puro vino, nunc verò mulso eluendum esse monet. Ideo ad saniem detergendam, atque

Gal. 3. meth. prope finem. — *Gal. loc. cit.* — *Galen. 2. ad Glauc.* — Deligatura expressiua. — *Guid. trac. 3.* — *Gal. 5. meth.* — *Loc. cit.* — Medicamenta. — *Galen. 2. ad Glauc.*

purgan-

purgandum sinum, melicratum præferendum est, præsertim in sinu, cuius os deorsum spectat, per quod sanies liberè effluat. Ad purgandum verò simul & roborandum, vbi scilicet adhuc aliqua leuis cuiusdam sordis derelictæ suspicio est, ex ipso quoque Aetio mulsum eligimus. At vbi carnem iam in sinu mediocriter regeneraram omnino puram esse coniecerimus, & glutinationem quærimus, vino puro subastringēte sinum ipsum eluemus (tale enim vinum, quod medium est inter dulce, & adstringens, leuiter glutinat) & desuper spongiam nouam in vino infusam apponemus. Si autem cruentus, fœtidusque sit humor, qui è sinu excernitur, oxymeli, Aetio teste, cæteris præstat. Auicen. autem & alij nonnulli sinum præsertim maligniorem, vehementerque sordidum detergunt, & abluunt, aut lixiuio, aut marina aqua, aut etiam aluminosa, quæ quidem in hoc casu præstantissima est. Valenter enim detergit, & à parte affecta fluxionem arcet, atque repellit. Albucasis vnguentum Aegyptiacum cum aqua, & melle liquatum in sinum, detersionis, & corrigendæ malignitatis gratia, immitti iubet. Galenus, vbi sinus, aut situs ipsius, aut alterius cuiuluis occasione, sordidior, aut humidior est, medicamenta, quæ valentius, quam mulsa deficcent, & detergant, admouenda esse consulit, cuiusmodi est medicamen ex charta combusta, quod Recipit squamæ æris, gallæ, myrrhæ ana denar. viij. sandarachæ, arsenici, elaterij ana. denarios, seu drach. iiij. thuris denar. iij. atrament. sutorij, seu chalcanthi, denarios iij, chartæ quantum satis est ad inducendum colorem. Debet autem exigua eiusmodi medicamenti portio largo rosaceo misceri, quò & eius vehementia remittatur, & per angustum foramen in sinus cauitatem per fistulam aut æneam, aut corneam, recto ductu foratam injici possit. iniecto autem medicamento, vlceris os linamento concerpto claudēdum est, ne id refluat. nisi enim diutius maneat, exiccare non poterit. Quod si vlcus calidum fuerit, siue calidam intemperiem adiunctam habens, & virus ab ipso manans rubrum, & loturæ carnis recenter mactatæ persimile, laudat Guido, ex aliorum quoque sententia, vt vlcus abluatur aqua mulsa recenti, in qua lenticula, hordeum, rosæ, & balaustium sint incocta. Si verò vulnus frigidum sit, & sanies tenuis, & aquosa conspicitur, abluendum cum vino, & melle, aut mulsa, in qua decocta sint marrubium, absynthium, pimpinella, & myrrha. Quibus vlcere, & sinu puro, & absterso reddito, carne implendum erit cum sarcoticis medicamentis, quæ moderatè siccant, atque detergunt citra mordicationem. Ideo consulunt nonnulli, vt primum medicamenti ex charta confecti aridi paululum cum multo rosaceo injiciatur: deinde carpto linamento os sinus obturetur. Inde emplastrum Isidis, aut Macherionis, aut simile quoddam vnà cum cerato rosaceo liquidiore resolutum indatur. Vbi verò mediocriter carne repletus est sinus, aliquod glutinans pharmacum non vehementer siccans est adhibendum, quod crescentem tenellam carnem blandè, & sine morsu cogat, non aliter, ac si recens vulnus curaretur. Talia autem sunt glutinatoria, quæ enæma Græcis dicta sunt, quorum facultas est coniungere, diuisasque partes conglutinare. Multa verò, vt ait Galen. talia inueniuntur: alia quidem ex bitumine confecta, & Barbara nuncupata: alia verò, quia fului, & fusci sunt coloris, cirrha, & phæa dicta sunt, ex argenti spuma, & ærugine liberalius decocta. Nos autem in hac re monet Auicen. ita quoque referente Guidone, vt ad incarnandum, & agglutinandum medicinæ fiant currentes, lauatiuæ cum viscositate adherente, & iniiciantur cum clysterijs, immittanturque cum lichinijs, & tentis: Et nos quidem iam experti sumus, inquit idem Auicen. emplastrum Apostolorum, & centaureum, quando cum eo sinus implentur. Est enim valde mirabile. Succedit huic Iris Illyrica, & symphyton, vt ait Gal. deinde farina orobi, & similia. Desuper verò ponantur emplastra, & panna illiniti cum aliquo emplastro, quod possit iam dictorum vim adiuuare, qualia sunt, æstatis potissimum tempore, phœnicinum, seu diapalma vocatum vnguentum; frigidiori tempore, emplastrum nigrum & barbarum appellatum, vel etiam flauum cum gallis, & mel coctum cum puluere thuris, myrrhæ, & aloes, vel quædam horum, uel omnia simul, & vinū stipticum crassioris substantię. & postea vlcus, & sinus ligetur ligatura superius proposita, atque descripta. In talibus autem sinuosis vlceribus miram vim habet tale medicamentum, quod etiam in frequenti vsu est: Recipit aquę decoctionis hordei lib. j. mellis rosat. vnc. iij. sarcocollæ drach. ij. myrrhæ, thuris, an. drach. j. vini odorati vncias vj. Coquantur omnia simul vsque ad consumptionem tertiæ partis. His verò licet quandoque addere aliquid aloes. Sed post glutinantis pharmaci impositionem, sola spongia noua ex vino expressa iuxta Galeni consilium circum-

Galen. 3. de comp. med. per gener.
Guid. trac. 4. c. 4.

ponen-

ponenda est, quàm fieri potest, mollissima. Exficcat enim & excipit manantem saniem, alioquin partem erosuram, aut pruritum excitaturam. ponitur autem mollis, ne asperitate lædat: noua verò, vt aqua marina adhuc imbuta partem affectam deficcet. Dum autem mulso imbuitur, etiam detergit. At verò ad diuturnas ex fluxione, ægreq; carne implebiles cauitates, nempe, quæ fistulosæ sunt, atque profundæ, Gal. testa eorum, quæ peculiariter vocantur ostrea, combusta vtebatur, eam foris cum suillo adipe veteri circumponens. id vulgò axungiam vocant. At in sinum ipsum aliquid eorum, quæ talia carne implent, immittebat, quale etiam est diphryges & vstum diaphanes, quod specarium nominant. Parem in genere facultatem habent, & aliorum ostracodermorum testæ deustæ, maximè verò ostreorum, deinde buccinorum, & purpurarum, dummodo admodum læuigatæ sint. Itaque cinis eius generis emplasticis miscetur facultatis digerētibus, & eum quoque adipe digerit. Sed quia inueteratus efficacius digerit, illi magis misceri solet. Porrò potentius hoc medicamen digeret, si acrem adipem quempiam miscueris. Ad veteres autem sinus & si in vacua perforati sint, necnon ad strumas in pueris nuper ortas, & ad artus luxatos Heras, ita Galeno referente, hoc emplastro vtebatur. ℞. argenti spumæ, chrysitidis, resinæ pityinæ siccæ ana drach. centum, ceræ Ponticæ drach. xij. & scrup. ij. olei cyathos iij. vini Falerni, aut huius penuria gilui veteris substantiæ tenuis tantundem. Argenti spuma ex vino læuigatur, donec rursus siccescat. post vnà cum oleo sic coquitur, quousque mutata fuerit, & tunc resina læuis additur, ac cera coquitur donec non inquinet. Huius tamen exactiorem, atque optimam compositionem docet Gal. cap. 10. lib. 2. de compos. medic. per genera, quo in loco inquit vnum ex præceptoribus suis vsum fuisse hoc emplastro ad sinus diuturnos, illinens prius sanguine columbæ non domesticæ, sed ex iis, quę nidum suum in turribus collocant. In iam dictorum autem omnium pharmacorum administratione, oportet semper vlceris excrementa contemplari. nam altas sinus partes, vti superius diximus, coisse testatur pus coctum, ac paucum, præcipuè si dolor, ac tumor absint: multum, & crudum, & cum fœtore, & loci humiditate, dolore, & tumore nondum coaluisse significant. Neque verò, vt scribit Gal. si primo vel secundo die tenuis quædam sanies ex sinu manet, de glutinatione omnino desperandum. Sæpe enim vis medicamenti affectæ particulæ admoti ex ipsa cute, & subiecta carne tenuem humiditatem vehementer exprimit, quoties eius, qui curatur, corpus ita affectum est, siue ex natiua temperie, siue mala victus ratione. Hac autem humiditate expressa, loca mediocriter reficcata glutinantur. Quod si tertio, aut quarto ab initio die, sanies cruda in ore apparuerit, scito, ait ille, sinum non esse glutinatum. Quare loco affecto medicamentum, quod vehementer quidem exficcet, sed nec mordeat, nec cutim contrahat, circumponendum est. Cuiusmodi etiam Galeni medicamentum est, quod à fuluo colore cirrum dicitur ex concoctis metallicis oleo ricinino, quod de cherua vocant, & aceto sine cera confectum, cuius compositio, & vsus ex secundo de comp. medicam. per gener. requiratur. Verum quoniam in cauernosis, ac sinuosis potissimum vlceribus, dum putridis, ac pituitosis excrementis abundant, temporibus præsertim calidioribus vermes nonnunquam generari solent, qui quidem ex morsu, & tristi quodam sensu, aut titillatione quadam, & vndoso quodam motu, insigniq́ue fœtore, si non oculis ipsis, haud difficulter deprehenduntur: ideo, vt ij facilè euellantur, & subinde vlcus ad sanitatem ducatur, eo prorsus modo prius enecandi sunt, quem & in aurium vlceribus in primo libro, & in vermibus intestinorum in tertio libro proposuimus. In vlceribus autem exortos vermes peculiariter interficiunt, putridosq́ue ac pituitosos humores, ex quibus ij gignuntur, abstergunt, succus & decoctum absynthij, & agrimoniæ, aut centaurij, aut marrubij: Calaminthæ quoque succus iugiter instillatus, & id genus alia multa, quæ aurium vermes enecant, idem præstare possunt. Sed priuatim ab Archigene probatur pharmacum, quod fit ex æquali cerussæ, & polij mensura cum pice liquida illitum. Conducit quoque magnopere, vt quidam tradunt linamentum saliua ieiuni hominis illitum, & applicitum: quod etiam aurium vermes interficit, &, Aetio teste, concolores cicatrices reddit.

Gal. ii. simp. ferm. de Ostreis.

Galen. 2. de comp. per genera cap. 10.

Ad vermes qui in vlcerib. gignuntur.

De fistu-

De fistuloso vlcere. *Cap. XVII.*

FISTVLOSA vlcera non vnica, quemadmodum superius enumerata, sed duplici de causa dysepulota sunt. Nedum enim propter prauam partis intemperiem, verũ etiam propter fluxionem ipsam ægrè ad cicatricem veniunt. Intemperies autem ipsa perpetuo frigida est. Ob id enim vlceris labia dolore vacant; vt plurimum autem humida, sed cum materia, & ea quidem crassa, & viscida, pituitosa scilicet & partim melancholica. Nonnunquam verò vnà cum frigiditate partis siccitas, & atrophia coniungitur. Non est autem, vt quis existimet partis intemperiem perpetuò frigidam, & siccam esse, eò, quia partis vlceratæ labra semper dura sunt: durities autem siccitatem perpetuò comitatur: id enim non propter partis siccitatem prouenit, sed propterea, quod in labijs vlceratæ partis crassi, & viscidi humores infarciuntur, quibus quidem vehementer impactis, & per partis porositates disseminatis, tenuioribusque ipsorum partibus per moram

Fistula quid. discussis, vlceris labia densa, & callosa euadunt. Vnde fistulosum vlcus, quod nostri fistulam passim nuncupant, Græci verò syringam propter similitudinem, quam habet cum fistula arundinea, nominarunt, est arctus, oblongus, profundusque, & *Celsus lib. 5. cap. 28.* callosus sinus, quadantenus indolens, qui quidem magna ex parte ex cauernosis vlceribus, & abscessibus, de quibus proximè diximus, malè curatis exoritur. Diximus autem magna ex parte, quia etiam ex vulneribus ipsis, potissimumque tho-

Differentiæ. racis penetrantibus nonnunquam fiunt, dum hæc malè pertractantur. Fistularum porrò differentiæ à subiectis particulis affectis, ab earum figura, & magnitudine, numeroque desumuntur. Quædam enim sunt in carne, quædam in venis, quędam in neruis, aliæ in ossibus. Amplius quædam sunt in articulis, nonnullæ in oculis, aliæ in faucibus, aliæ in thorace, nonnullæ in pudendis, & in ano, idque frequentius, gignuntur. Nonnullæ rectæ sunt, nonnullæ obliquę, flexæ, & tortuosæ. Aliæ sub cute extensæ sunt, quædam altius penetrant. Aliæ simplices sunt, aliæ duplices, triplicesve ab vno ore intus orsæ, quæ tres fiunt, aut etiam in plures sinus diuiduntur. Earum autem causæ, vt inquit Guido, eædem sunt, quas vlcera cauer- *Guid. trac. 4. cap. 5.* nosa, ac sinuosa in superiori capite habere diximus. Quamcunque siquidem fistulam vlcus cauernosum præcedit, ab eoque originem ducit. Verum excrementitij humores, qui fluunt, & affectum locum exedunt, atque corrumpunt, prauiores sunt in fistula, quàm in sinuoso vlcere. Est enim humor pituitosus, & melancholicus, qui cum adustus sit, acutus, & virulentus euadit. & ob id frigidus humor, dum corrumpitur, aut putrescit, fistulæ viam præbet. Fistularum porrò signa ab ijs, quæ earum essentiam complent, necnon à subsequentibus effectibus, symptomatibusque capiuntur. Earum autem essentiam complent tanquam specificæ differentiæ, callositas illa, durumque corium circumductum, & forma fistularis. Symptomata verò, & subsequentes effectus sunt virulentia illa horribilis, quæ aliquando à fistula emanat: & dolor, qui paruus, & obtusus est, nisi dum partes, quæ iuxta neruum sunt, occupat. Veruntamen, vt notat Guido, sanies virulenta promanans non essentialis ipsius differentia, & signum inseparabile est. Fi- *Loc. cit.* stula namque quandoque, sicut alij sinus, coercetur, & rursus abscedit ob influxum superfluitatum, quemadmodum etiam in alijs sinibus contingit. Quandoque igitur clauditur, & nihil prorsus emittit; quandoque aperitur, & aliquid emittit, hocq; pro diuersa victus ratione, quam ducunt, & excrementorum expurgatione.

Signa. Si autem desinat, & sit in carne, ex hac, Celso teste, pus album, læue, & copiosius fertur: sed crassa nihilominus, & viscida, turbidaque, ac cruda humiditas ab ea promanat: Quod autem immisso specillo tangitur, molle est. Si sit in neruo, ab excremento tenuiori exeunte, quod tamen glutinosum est; necnon ex dolore (stuporis enim, punctionisque sensum infert) cognoscitur. Præterea motus, qui ab eo neruo perfici solet, deterior apparet, &, quod certius adhuc signum est, in specilli immissione, & attactu molestus, acutusq; sensus redditur. Si verò fistula in vena sit, & eam erodat, plurimus & crassus sanguis effunditur. Sin arteria erodatur, tenuis, & flauus cum multo spiritu, & stridore, & cum saltu emittitur. Si verò in venam desinat, quæ tamen erosa non sit, quædam veluti fex è fistula egreditur. ab venæ siquidem porositatibus sanguis exsudans cum sanie miscetur, &

ex am-

ex ambobus aggregatum fit ſeci perſimile. Si fiſtula ad os perueniat, id, quod exit, vt ait Auic. tenue, & ſubtile eſt, & , quod vltimò ſpecillo tangitur, durum eſt, atque renitens, & contactum nullum dolorem infert. Et idem prorſus de cartilagine ſtatuendum eſt. Si verò, dum ſpecillo contingitur os, ibi deinde labitur ſpecillum, nondũ caries oſſis ſubeſt: ſi non labitur, ſed æquali innititur, caries quidem, verum adhuc leuis eſt. Si inæquale quoque, & aſperum ſubeſt, vehementius os exeſum eſt. Ob id ante omnia (vt conſulit Celſus) demitti ſpecillum in fiſtulam conuenit, vt quò tendat, & quam altè perueniat, ſcire poſſimus. Simul etiam protinus humida, an ſiccior ſit, quod extracto ſpecillo patet. Guido præter ſpecilli immiſſiones probat etiam lotiones coloratas, vt iis iniectis, & eiectis, quo fiſtula perueniat, certius ſciamus. Præter hæc oportet ſemper & fiſtulæ ſedem, & locum, & tempus ipſum perpendere. Si enim ſit iuxta neruos, & oſſa, periculũ eſt, ne iam infectionem aliquam contraxerint. Pariter ſi fiſtula annua fuerit, in harum partiũ regione atque ſuperficie, vt ex Hippoc. dictis colligimus, dum inquit in vlceribus annuis neceſſe eſſe os emitti, arguere poſſumus, os corruptum eſſe. Pariter dum fiſtula annum exceſſit, in oſſe, ſin minus, in carne, aut neruo eſſe arbitramur. At verò ſimplices ne ſint fiſtulæ, aut in plures partes diducantur, ex modo puris cognoſci poteſt. Cuius ſi plus fertur, quam quod ſimplici ſpacio conuenit, plures ſinus calloſos eſſe clarum eſt. Corporis pariter inclinatio docet, num in plures partes fiſtulæ penetrarint. Quia ſæpe cum quis aliter decubuit, aliterq́; membrum collocauit, pus ferri, quod iam deſierat, incipit; teſtaturq́; non ſolum alium ſinum eſſe, ex quo deſcendat, ſed etiam in aliam corporis partem eum tendere: cumque ferè iuxta ſint caro, & neruus, & aliqua neruoſa, quales ferè tunicæ, membranæq́; ſunt: genus quoque puris docebit, num plures ſinus intus diuerſa corporis genera perroſerint. Ceterum ſi obliquæ fuerint fiſtulæ, flexumque aliquem, vel plures habuerint, vt ſpecilli apex progredi nequeat, virgulam plumbeam, ſtanneamq́; conflabimus, aut ceream potius candelam aſſumemus, qua iter pertentemus. Cum enim flexilis admodum ſit, ad fiſtulæ figuram facilè accommodabitur. Ea tradita verò huius vitij natura facillimum eſt colligere, perarduum admodum, & difficillimum eſſe illud perſanare. Nedum enim id accidit, quia fiſtuloſum vlcus fluxione vexatur, multaque colluuie, ac virulentia aſſiduò ferè ſcatet, & inſuper vlcerata pars intemperie cum materia, quæ callum producit inſeparabilem, obſidetur; verum etiam, quia propter huius vlceris figuram, & formam, quæ arcta eſt, oblonga, atq; profunda, imponendorum medicamentorum difficultas oboritur. Aegrè enim ad fundum vſq; perueniunt: & vlceris excrementa non minus ægrè expurgati poſſunt. Vnde ſi malum altius penetret, vt ad fundum permeare collyrium non poſſit, ſi obliquum, tortuoſum, atque anfractuoſum ſit, ſi multiplices habeat ſinus, ſi antiquum diutiuſq; protractum fuerit, adhuc maior exoritur curandi difficultas, maiuſq; periculum imminet: Et, vt inquit Celſus, maius in manu, quàm in medicamentis præſidium eſt. Quod ſi fiſtula non rectè intrò tendat, ſed ſub cute tranſuerſim feratur, minus difficilis redditur curatio. Minus adhuc, ſi ſimplex ſit, ſi recens, ſi intrà carnem, potiſſimum ſi corpus iuuenile, atque robuſtum ſit. Quæ his contraria ſunt, tum malum, tum difficultatem augent. Quod ſi muſculum, aut venam, aut arteriam, aut neruum attingat, augetur periculum, maiuſque faceſſit negotium, quia præter praua ſymptomata, quæ ſuboriuntur, & præſertim dolores, & ſanguinis profuſiones, partes hæ opportuna medicamina non perferunt. Simili modo fiſtula, quæ eſt in membro nobili, & prope ipſum, & quæ ad interiora penetrat, vt ad pectus, ventrem, aut veſicam, praua eſt, & maximè periculoſa. Suſpecta quoque eſt ſi vel coſtam, vel vertebram, vel articulum, vt putà manus, vel pedis obſideat: Aegrè enim admodum tollitur; maius tamen malum eſt, cum ad veſicam, vel pulmones, vel ad vuluam, vel magnum aliquod vas, vel ad inania, vt guttur, aut ſtomachum, aut thoracem penetrauit. Ad inteſtina quoque fiſtulam tendere, ſemper periculoſum, ſæpe verò lethale eſt; quia aſſiduò tum à fœcibus, tum ab aliis quamplurimis excrementis, ſuperfluitatibuſque irrigatur: & malum in mulieribus vtero ipſi; in viris collo veſicæ ſæpius impartitur. Quibus multum mali accedit, ſi corpus vel ægrum, vel ſenile, vel mali habitus ſit. Scribebat autem Paulus ægrè conſaneſcere in ano fiſtulã, quæ orificio caret, tum quæ deliteſcit, & in os terminatur, multifariamque fiſſa eſt. Demum nonnullæ reperiuntur fiſtulæ, quæ quidem ſi curentur, & coaleſcant, magnos, atque lethales morbos minantur, & pariunt, retenta, ſcilicet con- Prognoſtica.

sueta prauatum superfluitatum euacuatione: ob idque nullo pacto consolidandę, & amouendę sunt, sed omnino permittendæ. Tales autem sunt antiquę, & per quas diutius excrementa profluxerunt, in decliuiori; loco, & procul à membris nobilibus sitatę. Quinimò, si forte fortuna tales fistulę sponte claudantur, rursus reuocandæ, & aperiendæ sunt, potissimum si in ano sitæ sint. Quibus quàmplurimi laborantes per viginti, & plures annos salubrem vitam protraxerunt. Ob id scribebat Hippocrates, quod nedum hæmorrhoidæ, verum etiam alij abscessus, vt fistulæ, aliorum remedia sunt: quoniam per eas, inquit Galenus, superuacanei humores expurgantur. Quare vt in hæmorrhoidibus, ita & in his neque simpliciter, neque vt sors fert, est adhibenda curatio. Suppositis autem indicationibus, quæ reliquis vlceribus communes sunt, propriæ sunt illæ, quæ ab huius vitij natura promuntur. Oportet enim imprimis fluxionem abscindere: deinde ipsius fistulosi vlceris angustiam omnino auferre, & vsque ad fundum dilatare. & intemperiem frigidam cum materia, quæ callum producit, omnino auferre, & callositatem ipsam eximere. Iam verò quo pacto fluxio tollenda sit, superius in sermone de vexatis fluxione vlceribus docuimus: id vnum hoc in loco liceat annotasse, ea potissimum medicamenta purgantia propinanda esse, quæ nedum acres, verum etiam frigidos humores expurgare valeant, pituitosos quidem, dum pituitosis, & frigidis, & humidis excrementis vlcus fistulosum vexatur, melancholicos verò, si frigidis, & siccis, melancholicisq; superfluitatibus irrigetur. quod quidem tum ex alijs notis communibus, de quibus aliàs abundè egimus, tum potissimum ex vlceratæ partis, & eius orarum colore facilè percipitur. Si enim humor, qui infarctus est in vlcerata parte, callumq; peperit, pituitosus sit, callus albus est; si sit melancholicus, ad liuidum, aut fuscum colorem vergit. De horum autem prauorum humorum expurgatione in serm. de vlcer. fluxione vexatis diximus, & in tractatu de frigidis tumorib. inferius loquemur. Supponenda pariter sunt ea omnia, quę tum sudorem, tum vrinam, nec non vomitum ipsum promouent, cui si laborans sit assuetus, & fistulæ in ano sint, hæc mirum in modum prodesse possunt, & etiam post fistulæ ablationem in frequenti vsu esse debent: vti & cauteria ipsa, & exercitationes, ac frictiones, aliaq; id genus auxilia, quæ corpus vniuersum inanire, & exsiccare valent. Simili modo dum vires, ætasq; consentiunt, sanguis & reuulsionis gratia, & vt calidiora ac reliqua auxilia topica tuto adhibeantur, venæ sectione, aut si hæc non consentiant, alijs auxilijs minuendus, de quibus in sermone vniuersali pertractauimus: in minori nihilominus copia educendus est, quia in hoc malo humores frigidi prædominari consueuerunt: quibuscunt etiam sanguis ipse nonnunquam peccat. Dilatandus autem est fistulæ sinus cum turundis, seu, vti vocant, tentis, quæ ex radice gentianæ, aut aristolochiæ, aut bryoniæ, vel maioris dracunculi, aut spongia vehementer contorta, & compressa, aut præsertim medulla surgi parari possunt: ita tamen, vt ea parte, quæ sinum permeat, tenuiores sint; ea, quæ foras vergit, crassiores. & in fistulam immittantur filo semper annexo, vt tutius, si altè descenderint, & promptius, si nimis hæreant, extrahantur. Dimittuntur autem horis duodecim vel circiter, donec scilicet latè satis dehiscat fistula. Quæ verò intemperiem cum materia, & callum ipsum adimunt auxilia, ea sunt aut sectio ipsa, seu incisio, quæ ferro ipso administratur, aut vstio, quæ igne actuali, & ferro candente fit; aut eorum medicamentorum vsus, & applicatio, quæ aut emolliendi, & discutiendi, aut erodendi vim habent. Porrò incisio, quæ potius in adultis, & robustis corporibus, & in protractis, antiquisq; fistulis, & ijs, quæ aliam curationem, quæ per medicamenta fit, non admittunt, administratur, si ægrotantes, & subiectæ partes vlceratæ, eam admittant, duplici modo adhiberi solet. Vel enim fit citra vstionem, cum sola calli per incisionem euulsione, vel vnà cum vstione, aut cauterio. Dum fit sine cauterio, aut actuali, aut potentiali, tunc ferro ipso, seu scalpro incisorio prius incisio vsque ad fines, seu fundum ipsius fistulę molienda est, & callus totus vel vnguibus, vel acie scalpri, vel cultro rasorio, id est nouacula detrahi debet, ita, vt locus, seu sinus ipse purus, & ab omni sorde mundus appareat. quod quidem, vt Auicennas docet, ex viuæ, ac probæ carnis præsentia deprehenditur. Cum enim præcisio leui doloris sensu fiat, vsque ad partem sanam proculdubio adhibenda, quod ex promanante sanguine, & doloris perceptione cognoscitur. Ne autem in calli excisione partes, quæ callosæ non sunt, frustra incidamus, magnitudo, profunditasque calli exactè prius perpendi debet, sciendumque callum ipsum potius in externo fistulæ orificio, & cute ipsa gigni, quàm in ipsa subiecta carne. hæc enim mollior, illa autem durior est, & den-

Hipp. 6. epidem. sect. 3. t. 39.
Gal. in com.

Indicationes.

Curatio.

Auxilia communia.

Topica.

Chirurgica auxilia.

Incisio duplici modo fit.

Incisio sine cauterio.

& densior, subindeque facilius indurescit, & insuper cutis tanquam ignobilior facilius excrementa ipsa recipit, & à natura ipsa semper ab internis ad externas partes propelluntur. Tractu tamen temporis, & inueterata iam fistula, callus etiam in carne subiecta, & per totam fistulæ cauitatem procreatur. Insuper quantus callus sit, & in quibus locis consistat, ex eo dignoscitur, quia si fit in solo fistulæ orificio, & tactu ipso, & oculis percipitur; si fit in partibus profundioribus, immisso stylo, vel exiguus, vel nullus dolor, aut sensus obtusus admodum percipitur: & è styli contactu nullus sanguis exibit: & stylo durities etiam in profundis partibus occurrit. Contra, si vel sanguis exeat, vel dolor excitetur, nullus in fistula callus existit. Si autem incisio fiat cum cauterio, primum vti diximus, tota cauitas incidenda est, deinde adustio vel caustico medicamento, vel candenti ferro induci debet. Cæterum quæ in magnas arterias, vel neruos, vel tendines notatu dignos, aut pleuram, aut principalem particulam deueniunt, vel nequaquam, vt superius diximus, vel certè cum multa, & artificiosa diligentia, atque prudentia attingendæ sunt. Reliquis verò hunc in modum manum admouebimus. Primum quidem tentabimus, an rectæ sint, vel obliquæ, demisso scilicet specillo, vel cerea candela. In quibus autem duæ, pluresve oræ habentur, quę specillo, aut simili instrumento tentari minimè possint, ita notantur. Clystere in sinum per vnum os liquorem compellimus, & ex transitu ipsius in reliqua ora facile deprehendimus, vnane quæ multas oras habeat, an multæ fistulæ sint. His ita exploratis, si in summo fuerit sinus, atque is angustus, specillo demisso explicandus est, supraque id accommodata figura, scalpello incidendus. Si flexus reperiuntur, hi quoque simul specillo, & ferro persequendi sunt. idemque faciendum, si plures se quasi ramuli ostendunt. Vbi ad fines fistulæ ventum est, diuiso vlceri imponenda sunt penicilla oui albo imbuta, quæ labra soluta continuitatis distendant, & inuicem coire non sinant. Postera die locus adurendus erit aut candente ferro, aut caustico medicamento, siue sit puluis asphodelorum, siue arsenicum, aut consimile, quod causticam vim habeat. Auicennas argentum viuum sublimatum admouet, quo efficitur, vt nihil corruptum, nihil callosum, nihil denique quod præter naturam sit, in vlcere remaneat, quod non omnino desiccetur, elidatur, & absumatur. At si non summa occupauerint fistulæ, & sub cute non transuersæ ferantur, sed rectæ intrò tendant, vbi quàm profundissimè potest, & quatenus licet, incisus fuerit sinus, orbiculatim totum callum modo iam proposito auferemus. Quod si aliquid ex eo relictum fuerit, adurente id medicamento absumemus: si autem multum sit, quod ex callo remansit, nec medicamento cedat, candentibus ferramentis adurendum est. Cæterum, dum hęc molimur, superponenda sunt, atque in circuitu semper admouenda, quæ refrigerent, ac reprimant. Quæ enim circa fistulam sunt, vt ait Celsus, aliquid habent inflammationis. Signum verò, quo dignoscimus adurens medicamentum suum effectum sufficienter induxisse, est vlceris elatio tumefactiove, ac trium dierum mora, vt communis vsus habet. Itaque adusta, & vt oportet reficcata fistula, mitigatorio aliquo medicamento primis diebus vtendum, vt oleo cum oui luteo misto: deinde ea, quę crustas caustico, aut ferro ignito inductas resoluunt, ac deiiciunt, admouenda: cuiusmodi est butyrum, aut quid simile, quod pingue, ac vnctuosum sit; à quorum vsu non prius desistendum, quàm crustæ deciderint, in pusque conuersæ fuerint. Mortificatæ autem fistulæ euidens augmentum est, cum pus, quod antea multum, & crudum apparuerat, nunc paucum, & concoctum visitur. Si verò callus valde durus sit, & affecta pars, ægrotansq; id admittat, non solum incisione ipsa, verum etiam solo ferro ignito, & candenti, & minori cum dolore, & expeditius auferri potest. Verum quoniam fistulæ, quæ sunt in ano diuersam quandam, & peculiarem exigunt sectionem, & ex reliquis omnibus frequentiores sunt (si quidem partes hæ ab excrementis, sessionibus, & equitationibus calfiunt, & atteruntur, & ab excrementis omnibus, biliosis scilicet, atrabilaribus, & pituitosis, fœcalibusq; & in pluribus, qui hæmorrhoidibus laborant, sanguine ipso vitioso irrigantur, & assiduo madent, & humectantur, & sui natura laxæ, mollesq; sunt in locoq; decliuiori sitatę) Ideo non erit ab re pauca hoc in loco de harum sectione, curationeq; commemorare. Ani itaque fistulæ, quæ peculiarem sectionem requirunt, sunt illę, quæ intestinum ipsum, seu recti intestini extremitatem penetrant. quod quidem ex eo cognoscimus, quia stylo in fistulam immisso, digito autem indice in anum indito stylus digitum immediatè contangit. Quod si propter fistulæ obliquitatem,

Incisio cũ cauterio.

Ferrum candens.

aut

aut tortuositatem stylus argenteus immitti non possit, plumbeus qui facile flectatur, immittendus, aut, vt Guido, & alij consulunt, frustulum, seu virgultum tenue, & oblongum ex radice petroselini, vel de caule maluæ, seu prænenchæ, à quibus nullus excitatur dolor, indendus. Paulus vtebatur seta suilla, sed apri sylvestris; Hippocrates verò allium ipsum immittebat. Insuper dum fistula intestinum penetrat, interdum ex ipsa feces, lumbricique prodeunt, dum præsertim amplior est; sin minus, aut flatuosus spiritus, aut foetor: & è conuerso ex ano sanies, & vlceris excrementa, immissaque in vlcus per ipsum medicamenta profluunt. Si itaque fistula intestinum penetret, rursus inquirendum, an supra medium musculorum ani protendatur, necne. Si enim supra medium perueniat, ex omnium sententia curatione vera, realique, atque perfecta non est percuranda, quia malum maius, egestio scilicet excrementorum, seu foecum inuoluntaria sequeretur: sed ea curatio sola adhibenda est, quæ imperfecta, defectuosaque, seu palliata à nonnullis vocatur, de qua infrà agemus. Si verò penetret quidem intestinum, sed non ita longè ab ipso ano, absque vllo timore vera curatione tolli potest: quæ quidem incisione ipsa, quæ aut ferro, aut deligatura perfici potest. Modus autem deligationis est, vt docet Albucasis, vt per fistulæ foramen acus plumbea intromittatur, in cuius capite chordula sericina (hæc enim facilius erodit) ex tribus, aut quatuor filis sericis composita sit annexa; deinde, digito indice in anum immisso, ipsius acus summitas flectatur, & extra anum vnà cum chordula ducatur, relicta tamen sufficienti chordulæ quantitate, vt extra anum, & fistulæ orificium sufficienter promineat, & ambæ simul chordulæ extremitates simul deligentur, ita qualibet die stringendo, & coarctando, vt tandem totum illud spatium à transitu fistulæ vsque ad anum incisum, diuulsumque permaneat: tuncque supra ipsum mitigantia dolorem applicamus. Quod si patiens dolorem perferre non valeat, consulunt quidam, vt in capite chordulæ sericinæ parua vitta linea ligetur cum aliquo erodente medicamento oblinita, & chordula extracta vitta illa relinquatur, & non ita arctè ligetur: & ardorem mitigantia admoueantur. Si verò patiens ferrum non pertimescat, melior, & expeditior, cumque minori dolore administratur sectio cum falcicula, seu instrumento Albucasis, quod quidem recuruum est, & angustum vnicam in concaua parte aciem, crassiusque capitulum altero extremo habens. Modus autem incisionis est, vt chordula, eo modo, quem docuimus immissa, comprehensum intestinum extrà, quantum possibile sit, trahatur, & postea syringotoma, seu iam dictum instrumentum intromittatur, & vnico adactu totum illud, quod chordula, seu habenula comprehensum est, incidatur. Incisione autem quocunque modo facta pro ablatione calli æris flore ad diem vsque quintum locum inspergimus, extrinsecusque, vt Hippocrates præcipit, cataplasma imponimus ex polenta, aqua, & beta, ad arcendam scilicet inflammationem. Callo autem ablato, primum sarcoticis, deinde epuloticis aliàs propositis vlcus implendum, ac cicatrice obducendum erit. Inter hæc autem mirificè prosunt clysteres, & insessiones ex aquis thermalibus, potissimumque Tettutianis, & Aponensibus paratæ. Si verò ani fistulæ intestinum non penetrent; sed vel ad vesicam vsque, vel ad ischiadica, aut coccygis ossa perueniant, aut altè admodum permeent, quod stylo, aut consimili recognoscitur ex Albucasis, & aliorum magni nominis Chirurgorum auctoritate, vera, & perfecta curatio nullo modo suscipienda est, sed sufficit curatione notha, & imperfecta vti, de qua post, imò nisi tædium valde molestum ægrotantibus afferant, apertæ seruentur, absterseque, ac mundæ teneantur cum pannis leuibus, & corone, aut gossipio suaui, & talibus ablutionibus, & collyrio Rasis ad oculorum fistulas proposito, ac nigro ipso emplastro. Si verò non admodum profundæ progrediantur, optimum est, ipsas perfectè curare. nonnunquam enim in gangrænas migrant, & numerosiores, ac profundiores euadunt; interdum tubercula promouent in recto intestino, quæ nonnunquam adeo turgent, vt secessum ipsum, & excrementorum expurgationem impediant; vt hanc ob causam in superiores, & nobiliores partes recurrant. Non oscitanter tamen, nec absque maxima diligentia, & vniuersi corporis euacuatione, expurgatione, ac prouidentia erunt percurandæ. Possunt autem vel medicamentis ipsis, de quibus paulò post, vel incisione curari, quæ quidem medicamentis non conferentibus adhibetur. Incidendæ itaque sunt, quousque ad earum finem sit perueniendum: vtendumq; gladiolo vna acie donato, que longa, & angusti-

sima sit, & circa cuspidem aliquantulum recurua. Qua quidem apertione, & sectione facta, æris flos ad quintum vsque diem, vt supra diximus, ad callum eximendum inspergendus, & cataplasma iam propositum ad arcendam inflammationem extrinsecus admouendum. ac reliqua pergenda curatio, quæ vlcus & carne replere, & agglutinare valeat. Si verò de medicamentis, quæ fistularum callum auferunt, sermo fiat, quæ quidem præsertim fistula sufficienter dilatata, potissimumque vbi fistula recens sit, aut non adeo multum protracta, & antiquata, nec etiam admodum profunda, aut flexuosa, & vbi æger sectionem, & vstionem prorsus recuset, vsurpari debent; hæc duplicia sunt. Vel enim discutiendi, & emolliendi vim habent, quæ in mollioribus corporibus, qualia sunt, puerorum, ac mulierum, quæ humidioris sunt temperamenti, & in callo exiguo magis conueniunt: vel sunt valenter detergentia, & exedentia, & ea, quæ erodendi vim habent, quibus in maiori, antiquiori callo, & durioribus, adultisque corporibus vtimur, vbi præsertim reliqua non profecere. Inter priora maximè probatur emplastrum Galeni, quod Recipit lithargyrij, seu argenti spumæ partem vnam, olei, aceti, ana partes duas, & semis, vel etiam partes tres, & omnia simul mista tota die coquantur. Curat enim, ait Galenus, vlcera difficilia, & fistulas, quæ nondum callum durum habent: hocque tum pueros plerosque, tum adolescentes, tum mulieres liberauit: & eodem pharmaco etiam musculos induratos subinde curauit. Sed vt fistulas sanet, vetustissimum oleum, & acetum acerrimum accipiendum. Laudatur quoque diachylon cum gummis, necnon vnguentum apostolorum. Alij herbæ reginæ, seu tabaci folia, aut succum vsurpant: Quemadmodum Dioscorides ficus cinerem cum anseris pinguedine permistum, necnon lenticulam cum melle proposuit. In eorum autem numero, quæ valenter deterguut, & abradunt, & propriè callos exterentia dicuntur, est spondilij radix, quæ tamen circumrasa, vt Galenus admonet, fistulis imponenda est. Is pariter scribebat, quòd elleborus niger si in fistulam callo obduratam immissus fuerit, duobus, tribusve diebus callum detrahit. Extergentis enim, & excalfacientis est facultatis, & crassum, & melancholicum humorem à proprietate trahit. Adhæc amurca cocta, & in collutionem adhibita ad idem valet, necnon cucumeris syluestris radix, & eius succus, seu elaterium therebinthina exceptum, si in collyria, seu turundas cogatur, & imponatur. Prodest quoque Laserpitij radicis succus infusus. Paulus verò hoc vtebatur, quod etiam expeditissimum est, & ex primis ad callos eximendos. Recipe æruginis drachmas duodecim, ammoniaci drachmas ij. mista simul & aceto excepta in longum diducuntur, & fiant penicilli, qui in fistulas imponuntur. Nostræ tempestatis Chirurgi vnguentum Aegyptiacum dictum communiter, & vtilirer vsurpant, necnon etiam præcipitatum ipsum, quod vnguento resino vnà cum aliqua olei amygdalini portione, vbi absque dolore curationem peragere volunt, excipere, & in vnguenti formam redigere consueuerunt. Valentiora his sunt, chalcanthum vstum, sapo niger, necnon auri pigmentum. hoc enim; quod & arsenicum dicitur, si penicilla illinantur, neminem vnquam fefellerunt: Ob idque dum callus valde magnus, & durus est, vt reliquis non cedat, ad arsenicum puluerizatum confugiendum. Valentissimi quoque sunt, Galeno teste, tithymali omnes (septem enim eorum sunt genera) & præsertim characias: Sed eorum succus, siue lac validissimam habet vim, secundum locum tenent fructus, & folia. nam radix acris quoque facultatis particeps est; sed non ex æquo. Ex eodem quoque Galeno probantur misy, sory, & chalcitis. Et dum volumus vti medicamento in forma liquida, confugimus ad lixiuium è cinere, & calce viua. Si enim fistulę multos, & valde anfractuosos, aliosque cuniculos habeant, ita, vt in eos collyria proposita prout res exigit, immitti non possint, eadem ex aceto, aut liquore aliquo ad rem accommodo per auricularium clysterem intrò infundenda sunt: vt scilicet per omnes fistulæ anfractus perferantur. Vnde mirificè quoque prodest in antiquis fistulis, & admodum callosis sequens iniectio. Recipe vnguenti Aegyptiaci vnc. semis, sublimati drach. semis, lixiuij vncias quatuor, aquæ rosaceæ vnc. ij. arsenici scrupulum vnum, aquæ plantaginis vnc. quatuor. bulliant vsque ad consumptionem tertię partis. Eo autem iniecto, vlceris os linamento concerpto, aut quouis alio claudendum est, ne id refluat, sed aliquandiu manens effectum essatu dignum præstare possit. Si autem duplices, aut multiplices eiusmodi fistulæ breues, intraque carnem sint, eadem etiam medicamenta, quæ callos

cliduat,

Medicamenta, quæ callos exterunt, dissoluunt, & auferunt.

Galen. 1. de comp. per genera c. 7.

Gal. 8. simp. ferm. prop.

Gal. 6. simp. ferm. ppriо.

Gal. 8. simp. fer. proprio.

elidunt, arida in calamum scriptorium conijci possunt. Calamus igitur oti fistulæ aptandus est, postea in eum insufflare oportet, vt ea medicamina intus compellantur. Si quando verò longior, inquit Celsus, & transuersa fistula est, demisso specillo, contrà principium huius incidi commodissimum est, & collyrium vtrinque demitti. Pariter aqua fortis Alchimistarum saltem prima in eiusmodi tortuosis, flexuosisque fistulis mirificè prodest. Hoc enim, vt ex sententia Arnaldi à Villanoua refert Guido, omnes fistulas mortificat, & dirumpit. Fistula autem dilatata, & callo ablato, detergentibus, si qua sordes adhuc supersit, & sarcoticis medicamentis vtendum. Si itaque aliqua sordes subsit, mulso, vel aqua, in qua ftruum coctum sit, cui paulum mellis sit adiectum, locus abluendus: vel sequenti medicamento, quod post remotum callum repurgandis fistulis accommodatissimum est. Recipe therebinthinæ in aqua vitæ ablutæ vncias tres, succi apij, succi cynogloss. ana drachmas vj. mellis rosati colati vnciam vnam s. aristolochiæ rotundæ drachmas ij. farinæ lupinorum vnc. s. Coquantur succi, & therebinthina cum melle rosaceo, vsque ad consumptionem medietatis succorum, deinde reliqua commisceantur. Quod si prædicto absterfino pharmaco myrrhæ, sarcocollæ, radicis peucedani aridæ, & iridis ana parum adieceris, optimum incarnans, seu sarcoticum fiet, modo ex eo turunda illinatur. Sequens etiam Collyrium à quodam Chirurgo nostri temporis susceptum fistulas agglutinat, insigniter desiccat, affectæque parti robur addit. Recipe aquæ vitæ vncias duas, vini maluatici vnciam i. mellis rosati drachmas x. myrrhæ, radicis peucedani tritæ ana drachmas ij. sarcocollæ, aloes hepaticæ ana drach. j. s. misce, & bulliant omnia ad ignem moderatum vnico feruore, & per syringam, seu paruum clysterem inijciatur in fistulam. Dum autem fistulæ vsque ad os attingentes erant, Aetius recipiebat squamæ æris, æruginis, ammoniaci, thymiamatis an. & aceto trita hæc in pastillum, seu trochiscum redigebat. deinde collyria, id est, turundas fistulæ æquales formabat, & imponebat. Vnde sciendum ex Galeno, quod medicamenta quò magis solidiora immittuntur, eò efficaciora sunt; quò liquidiora, eò minus valentiora. Sed dum fistula plures habet cuniculos, & flexuosa est, & indirecta, alteque permeat, cogimur liquidis vti, quia facilius per paruos clysteres inijciuntur, & ad fundum deducuntur. Verum dum fistulas abluimus, & liquida immittimus, ea semper imponendo, seu deducendo (vehiculi enim vicem gerunt) medicamento proportione & viribus respondere debent. Vnde, dum egemus callum adimente pharmaco: ablutio futura est callum exterens, vti sunt calcis aqua, lixiuiumque, & præsertim si cum eo Aegyptiacum vnguentum diluatur. Si sarcoticum futurum est medicamentum, ablutio debet siccare, & abstergere, vti sunt melicratum, vinum mulsum, muria, aquæ thermales. Si debeat esse glutinarium, glutinatoria quoque ablutio erit, qualis fiet aqua aluminosa decocto malicorij, rubi, plantaginis, hypocistidis, aut vino nigro austero, præsertim si iam dicta ei incocta sint. Ex emplastris verò, quæ cicatricem vlceribus difficillimis, callosis, & inueteratis maximè inducunt, optimum est, quod ex Critonis auctoritate Galenus ita describit: Recipe spumę argenti libram vnam, ceræ libras sex, æruginis libras quatuor, Chamæleontis libras octo, olei libram vnam. Oleo spumam argenteam coquito rudicula mouens, donec consistat, & fiat melinum. Post hoc æruginem inspergito: inde ceram adijcito: Vbi verò diligenter liquata ab igne tuleris, chamæleonte indito: cum vnitas facta est, in mortarium demittito, vbi subacta, excipito. Ad fistulas pariter ex eiusdem Galeni monitis optimum est, quod Recipit olei vetustioris quantum fieri potest, pręsertimque Sabini libras iiij. aut iiij. s. si crassioris sit substantiæ, vel libras v. si tempus hybernum sit, argenti spumæ libras iij. aceti acerrimi libras ij. squamæ æris nigri, æruginis, chalcitidis ana vnc. ij. Argenti spuma cum oleo prius coquenda, donec sordium crassitudinem recipiat: deinde metallica ex aceto læuigata emittuntur, & sic coquuntur, donec non inficiat. potest quoque pro oleo veteri cicinum vsurpari. Cruenta enim vulnera facilè glutinat, magisq; in duris corporibus, quàm mollibus. dilutum verò ex oleo cicino, vel veteri, ac linteo exceptum, impositumque, mirum est, quàm vlcera curatu difficillima concoquat, quæ pus nequaquam faciunt. Ad hæc sinus conglutinat, & fistulas adstringit, exsiccat, & prorsus claudit. cicatricem verò promptius dysepuloris vlceribus inducit, si ei diphrygis, & chrysocollæ ana vnciam vnam adiicias. at hæc non simul cum squama, & ærugine committuntur, nec vbi coctum omnino medicamen fuerit, sed eo, quod intercedit

[Left margin: Notandum circa vnguẽta, & iniectiones. — Critonis emplastrũ. — Galeni emplastrum.]

[Right margin: *Galen. 2. de comp. medic. per gen. c. 5.* — *Galen. 2. de comp. per generc. c. 11.* — *Gal. cap. 12.*]

teriam per intestina expurgant. Ranæ quoque pulnerizatæ, vt alij tradunt, à proprietate conferunt. Chinæ quoq; radicis, & salsæ pariliæ decoctum propter exsiccādi vim, quā habent, mirum in modum prodesse possunt. Si verò fistulosum vlcus in tali loco sit, in quo curari perfectè non possit: aut in membris nobilibus, vel propè neruos, & venas notatu dignas perueniat, vt absque magno discrimine vitæ tolli, exacteque per iam dictam curationem submoueri nequeat, vel laborans imbecillus, aut meticulosus eam non admittat, vel periculum sit, ne propter ipsam in exitum fœcum inuoluntarium, & aliud maius malum labatur; tunc optimum est imperfecta, seu, vt nostrates aiunt, palliata curatione vti, quæ quidem nonnunquam adeo bene succedit, vt non modo per plures dies, verum etiam semper agglutinata fistula remaneat. Neque id mirum, cum clausa partis apertura, calor naturalis melius conseruetur, & naturales partes operationes probius perficiat, propriumque nutrimentum retineat, concoquat, & segregata ab eo excrementa dissipet, & per alios ductus expellat. Vt itaque curatio hæc prosperè succedat, oportet imprimis vti, & tenui diæta, probaque victus ratione, & prauorum succorum redundantium expurgatione, & porissimum deriuatione materiæ ad partem minus nobilem, aut ad proximum alium ductum, qui commodus conueniensque sit. Deinde oportet vlcus ipsum adeo abstergere, vt à praua viscidaque, & vnctuosa carne immunis sit. postea repleatur medicamentis exsiccantibus, quæ familiaria sint, de quibus toties diximus. extrinsecusque vel vnguentum diapalma, vel barbarum emplastrum admouendum. Sic enim fistulæ orificium diutius clausum, & glutinatum remanebit, præsertim si patiens & aquam ipsam, & situm dolorosum, & motum laboriosum, & alia omnia, quæ noxia sunt, deuitet. Verum quoniam rursus in interiore parte, & in profundo rursus excrementa, & virulentæ humiditates, quæ sui acredine, & putrida, aduentitiaque caliditate partem erodunt, regenerantur, & colliguntur: ideo rursus fistula disrumpitur, atque recurrit. non enim in partibus intimioribus, sed extrinsecis, & prope orificium tantummodò agglutinata erat. Vnde nonnulli sola spongia noua ex aqua thermali aut lixiuio, aut aqua calcis expressa, fistulæ orificio, post vniuersi corporis expurgationem, & congruam diætam, alligata fistulosi orificij clausuram, & palliatam hanc curationem perficiunt.

Curatio fistularū notha, & spuria.

De Vlcere canceroso. *Cap. XVIII.*

NVLLVM sanè inter dysepulota, malignaque vlcera magis rebelle, magisque malignum adinueniri potest, ipso vlcere canceroso. Tale enim est, & propter prauam, atq; omnium deterrimam fluxionem (ea est atrabilaris humoris) à qua continenter vexatur, & quia vlcerata pars reliquorum omnium prauissima intemperie laborat. Talis autem existit frigida, & sicca, eaque non in habitudine, sed in habitu: neque omnino nuda, sed cum materia, à qua quidem pertinacissimè fouetur. Antequam enim tumor cancrosus disrumpatur, & exedatur, & proinde vlcus cancrosum suboriatur, affecta pars tractu temporis adeo prolixo ab atra bile diuexatur, & obsidetur, vt de necessitate eius innatus calor omnino pereat, & eius temperies naturalis ex toto peruertatur. Fit autem peruersio hæc ad frigidum, & siccum, quia atrabilaris humor sui natura siccus, & exustus est, & licet ad instar cineris, aut aceti quasdam partes in se contineat, quæ caliditatis cuiusdam extraneæ, & adscititiæ non sunt expertes, attamen à prædominio frigidus est, quia propter exustionem vniuersus ipsius naturalis calor transpirauit, absumptusque est. Quare colligendum est vlcus cancerosum nil aliud esse, præterquam dysepultorum, malignissimumque vlcus ab atra bile insigniter exusta procreatum. Huius enim mali causa proxima, & immediata, quæ scilicet partem exedit, eroditque ac eius vnitatem soluit, & humor atribilaris, isque insigniter exustus; non tamen efferuescens, actuque putrescens. Dum enim atribilaris humor efferuescit, is non quidem cancrum, aut cancrosum vlcus, sed carbunculum producit. Si verò non ferueat, sed solum exustus sit, si exustio non sit intensa, sed potius remissa, cancer non vlceratus producitur, quem etiam cancrum occultum vocabat Hippoc. Si verò exustio sit intensa, exulceratus cancer nascitur. Fluit autem humor hic ad partem affectam,

Vlcus cancerosum quid.

Causæ.

ctam, & per modum transmissionis, & merito attractionis, quemadmodum in sermone de tumoribus præter naturam inferius docebimus. Quo fit, vt vlcus hoc, quamuis vt plurimum à cancro ipso non exulcerato ortum ducat, dum scilicet exustus humor vel ab internis causis exurentibus vel per moram, & corruptelam, aut calidorum medicaminum vi insigniorem calorem, & intensiorem exustionem nanciscitur: attamen nonnunquam etiam alijs vlceribus, ac vulneribus subsequitur, quotiescunque mala hæc ab acutis medicamentis adeo aduruntur, & irritantur, vt atrabilares humores, qui in corpore reperiuntur, tanquam causa antecedens dicta à vicinis partibus, aut etiam ab vniuerso corpore ad affectam partem trahuntur, in qua calfacti, & putrescentes acuitatem, virulentamque qualitatem acquirunt, & partis temperiem peruertunt, cancrosumque tandem vlcus producunt. Quæ autem causæ in corpore nostro atribilares, & exustos humores procreare valeant, huius loci non est declarare, sed ad superiores libros, & potissimum ad sermonē de febre quartana recurrendum est. Huius porrò vlceris differentiæ potissimæ vel ab affecta parte, & subiecto, in quo subsistit, vel ab eius forma, & essentia, vel ab effectrice causa, seu dicas materia, vel humore, ex quo fiunt, desumi possunt. Differētiæ. Ab affecta parte, prout vel in partibus similaribus, vel dissimilaribus consistit. In similaribus, quatenus est vel in carne, vel venis vel arterijs, aut in neruis, aut ossibus. In dissimilaribus dum oritur in facie, tuncque à chirurgorum schola, Noli me tangere, nuncupatur; vel in mamillis, quod frequentius, propter huius partis nimiam laxitatem, venarumque copiam, & cum vtero communicantiam, contingere solet: vel in coxis, & tibijs, quod Neoterici lupum vocant: vel in medio corporis, quod Rogerius cingulum appellat: quamuis antiqui nullo horum nominum vsi fuerint. Ab eius autem essentia differentias desumentes, dicimus, aliud esse paruum, benignum, aut mite, & non multum dolorosum; aliud verò magnū, & violentum, vehementerque dolorosum. Ab effectrice verò causa, seu humore, à quo producitur prout atra bilis, seu adusta melancholia vel est melancholia, seu fœcosus humor adustus, vel bilis flaua adusta, aut alius humor adustus. Cognoscitur autem vlcus hoc cancrosum eò, quia rotundum apparet, horribile, fœtidum, cum labijs crassis, duris, & nodosis, inuersis, subleuatis, & cauernosis, liuidum, & obscurum colorem habens, dolorem inferens, necnon venas melancholico humore turgentes in circuitu præ se ferens. Signa. Quò fit, vt malum hoc ex Auicenna cancer vocetur, vel quia propter suam tenacitatem, seu valde fixam adhærentiam cum affectâ parte cancrum marinum repræsentet, qui proprijs chelis id, quod venatur, arctissimè compræhendit: vel magis, quia venæ illæ nigro humore refertæ in eius ambitu conspicuæ pedes cancri satis obscuros præ se ferunt. Henricus verò scribebat ita nuncupari, quia ad cancri similitudinem corrodendo perambulat. Ad hæc vitium hoc cognoscitur ex promanante virulentia horribili, ac fœtida, eiusque conditionis, quæ scriptis describi vix potest: quicunque tamen in praxi versati sunt quàm primum à longè eam aspiciunt, atque cognoscunt. Insuper si vlcus hoc lixiuio abluatur, cinericium, ac viscosum efficitur. Quod si corrodentia medicamina, alioquin parua, & exigua ei admoueantur, facilimè irritatur, eiusque prauitas, vt Lanfrancus, & Henricus aiunt, statim augetur. Itaque in cancro vlcerato præter dolorem, duritiem, atque tumorem, vlcera erosa, & inæqualia apparent, vt plurimum sordida, labris prætumidis, adspectu horrenda, concretaque humorum colluuie ingrata. Quæ verò, inquit Paulus, pura videntur, fœculenta liuida, & interdum etiam subrubra, & cruenta apparent: sanies inde manat continuo, tenuis, aquosa, nigra, aut fulua, grauiter olens. At verò vlcus cancrosum, vt ex ipsius natura colligere licet, est adeo rebelle, vt Guido de Cauliaco scriptum reliquit, ex Albucasis quoque sententia, se nunquem curasse cancrum exulceratum qui antiquus, & magnus esset, neque aliquam vidisse, qui ipsum persanare potuerit. Prognostica. Cum enim vlcus nunquam sanari possit, nisi pars vlcerata, & ab omni intemperie morbosa, & ab omni tumore, & ab alio quocunque præter naturam affectu immunis sit, & in cancro vlcerato nedum tumor irresolubilis, vt in sermone de cancro occulto inferius in tractatu de tumoribus præter naturam loquemur; verum etiam intemperies in habitu, & cum materia partem obsideat, impossibile est, vt vlcus cancrosum citra vstionem, aut sectionem vnquam ad cicatricem perducatur. Hæc autem duo præsidia non nisi in paruis, ac superficialibus, ac proinde non antiquis, qui altas iam egerint radices, cancris administrari possunt. Vnde cum scripserit Hippoc. cancros occultos omnes melius esse non curare, Gal. in

Hip. 6. apho. 38. *Gal. in com.*

horum

horum verborum expositione scribebat, quod cum illud verbum curare duplex significatum habere possit, vnum quidem omnia peragere, vt pars affecta ad sanitatem reducatur: alterum vero eam adhibere prouidentiam, quæ passioni congruat, hoc est, ipsam mollire, ac mitiorem facere, hoc secundum curationis genus solum exulcerato cancro competere potest. tunc enim necessarium est, vt si non aliud agamus, saltem ichores, seu saniem abluamus, humido aliquo vtentes, non quocunque, sed vel per experientiam, vel per indicationem inuento, quod neque putrefacere, neque irritare partem affectam sit aptum, & ab hac curationis specie absistere nullo modo conuenit, sicuti ea non exulceratis cancris penitus non competit. Aliud verò genus curationis, quod fit per sectionem, vel vstionem (quæ sola sunt remedia cancrorum) consulit Hippoc. vt in cancris occultis illud non adhibeamus. Quod enim illi, qui sunt in partibus penitioribus talia remedia non desiderant, etiam experientia docet. Equidem scio (subdit ille) omnes, qui huiusmodi cancros curare tentarunt, magis illos irritasse, & breui homines interemisse. Nam & qui cancrum in palato constitutum, & in sede, & in sinu muliebri vel vsserunt, vel secuerunt, non potuerunt vlcera ad cicatricem perducere, & homines in curatione afflictos, ac maceratos vsque ad mortem detulerunt: qui, si curationem non adhibuissent, longiori tempore vitam cum minori molestia transegissent. Tales igitur cancros, siue vlcerati, siue non vlcerati sint, nullo modo curare tentemus: quia, vt ait Hip. curati cito pereunt; non curati verò longius tempus perdurant. Ex eis verò, inquit idem Galen. qui in summa parte corporis hærent, illos tantummodo, quos possumus vnà cum radicibus ipsis resecare, curare aggrediendum. Itaque enim malum est per similitudinem radices cancri nominare eas, quæ plenæ sunt sanguine melancholico, venas, & vsque ad loca circunstantia distenduntur. Multi verò magnæ auctoritatis Medici, neque hos omnes manus opera curari permittunt; sed illos tantum, qui exulcerati simul laborantes molestant, adeo, ut ipsi vltrò manu curati desiderent, & simul sunt in talibus partibus siti, quas possumus vnà cum radicibus resecare, & exurere. Quidam verò neque hos amoliri permittunt, sed omnino abstinendum consulunt à remedijs potentibus in omni cancro. Quare neque antiquus, habituatusque cancer, neque is, qui in venis, neruis, & ossibus infarctus est, neque occultus, seu interioribus, profundisq; partibus absconditus, neque qui in tali loco situatus est, in quo non potest totus comprehendi, & euelli, neque is, qui laborantem imbecillum, & meticulosum obsidet, vera curatione, quæ sit per fortiora remedia, curari debet, sed solum eam prouidentiam desiderat, quę passionem molliorem, ac mitiorem facit, quam quidem recentiores curationem notham, seu palliatam vocant. curati enim vti diximus, citius pereunt; non curati, & curatione palliata vtentes longiori tempore perdurant. Quinimo, vt Auicennas scriptum reliquit, si curatur in vno loco, sæpe in alio suboritur, & permutatur ita, vt exulcerato cancro extincto, in alio loco non exulceratus pullulet. Ex his verò, quæ de præsagijs scripsimus, facile videre est, quænam sint huius mali propriæ indicationes. Si enim tale sit, quod non possit perfectè curari, sed solam palliatam, quam vocant curationem desideret, vt docet Galen. passionem molliorem, ac mitiorem facere oportet, in qua quidem illud ante omnia obseruandum est, vt blandè in saniei detersione, & medicaminum applicatione pertractetur, & quantum fieri potest, leuiter attingatur, & attractetur. quanto enim magis palpatur, tanto magis irritatur, & sæuius euadit, vt nō ab re Recentiores quidam malum hoc noli me tangere vocitauerint. Deinde medicamina, atque præsidia, quæ potius actu humida sint, ne scilicet duriori consistentia malum exasperent, admouenda; verum ne vlcus, & partem affectam putrefaciant, quemadmodum consulit Gal. potius exsiccandi vim, & potentiam habere debent. Rursus quia siccantia hæc cuiuscunq; mordacitatis, ne malum irritent vllo modo, futura sunt expertia, propterea potius frigida, quam calida, & moderatè, quam valenter siccantia esse debent: Præsertim cū humor atribilaris huius mali causa sui natura siccior, & intensè exustus ab exsiccantibus, & calefacientibus omnino prauior fiat, atque mordacior, & fluxio ipsa adhuc magis proritetur. Si verò perfectam curationem malum admittat, vti notat Galenus, non nisi sectione, aut vstione administrari potest. qui quidem vniuersas huius mali radices (nam secus malum recurrit priore peius) omnino euellant. A reprimentibus verò, & adstringentibus præsidijs omnino abstinendum, & quia his crassus, & aridus humor in parte omnino fixus, & pertinacissimè hærens nullo pacto cedit, sed siccior, & crassior euadit, & quia hæc auxilia sui

Loco cit.

Indicationes.

Gal. 6. apho. com. 38.

lia sui valida astrictione partem affectam mordent, & malum irritant: & demum
quia humor adeo prauus, & perniciosus ad interiores, nobilioresque partes re-
percuti non debet. Quod autem, & conuenienti victus ratione, & medicamen-
tis ipsis, quæ vniuersum corpus, & atrabilarem humorem euacuare & expurgare,
& ad expulsionem parare, & nouam ipsius regenerationem inhibere, & proinde
nutritoria, & reliqua nobilia viscera corroborare, ad probamque temperiem re-
digere valeant, vti debeamus, tam clarum est, quàm quod clarissimum. Quare dum Præsidiorũ
studemus cancrum perfectè curare, post exhibitum leniens pharmacum, optimum materiæ.
est si vires, & ætas consentiant, aperta iecoraria vena, & inspecto exeunte sangui- Chirurgia.
ne, si is crassus, & niger appareat, ipsum in debita quantitate, vt ad octo, vel nouem Venę sectio
vncias euacuare, potissimum vere & autumno, quia huius euacuationis merito
non solum uniuersum corpus ab humore crasso, & melancholico euacuatum red-
ditur, & fluens humor ab affecta parte reuellitur; verum etiam iecur calidum atra-
bilarem generans humorem refrigeratur: Sin verò sanguis egrediens tenuis, &
flauus, vel rubicundus sit, ilico supprimendus, & hirudines hæmorrhoidibus po-
tius affigendæ, & per illas partes sanguis in decẽti copia extrahendus. quod etiam
faciendum est, dum aliqua de causa venam reserare non licet. Nullum enim præ-
stantius auxilium in cancri cuiuscũque curatione, & præseruatione, ne scilicet ma-
ius incrementum suscipiat, & denuo reuertatur, excogitari potest, ipsa euacua-
tione sanguinis per hæmorrhoidas, siue eæ sponte fluant, siue hirudinibus, aut alijs
auxilijs sæpius aperiantur. Quod autem per partem oppositam, seruataque debita
distantia, & recto tramite sanguis euacuandus sit, ex sæpius à nobis traditis clarè li-
quet: Quemadmodum etiam apertissimum est, tali venas esse referandas, quo-
Gale. 4. method. tiescunque menses fuerunt suppressi. Si verò, inquit Galen. cancrum per chirur- Sectio cancri.
giam curare audebis, cœpisse quidem ab euacuando per purgationem melancho-
lico humore oportebit (& propterea ab electuario lenitiuo pro leniente, à syru-
po de pomis, de boragine, de buglossà, de fumaria, & id genus alijs, pro præparan-
do atrabilari succo: & ab ipsa sena, polypodio, elleboro nigro, & à pilulis de lapide
lazuli vel cochijs cum elleboro, pro eodem euacuando, non erit desistendum) Vbi
vero subdit Galenus totum, quod vitiatum est, prorsus excideris, sic, vt nulla super-
sit radix, sine effluere sanguinem, nec properè eum inhibebis; imò premendo po-
tius vicinas partes exprimes ex his crassiorem sanguinem: mox alijs vlceribus si-
militer curabis. Hæc ille. Sunt autem qui exciso carcinomate, & crassiore san-
guine ex circumstantibus partibus expresso, ferramentis ignitis locum adurunt. In-
ter hos uero tum alij ex Neotericis, tum etiam ipse Guido reperitur. Alij verò cum Topica.
Guido tract. 4. cap. 6. cancer exulceratus aliquam partem occupauit, quæ sectionem admittit, cancrum Medicamẽta.
circumcidi opus esse tradunt, & postea viuotenus aduri, tritasque canthärides ex
alumine, & cyprino oleo superponi. Alij verò, vt Guido, à sectione, & vstione, quæ
fit ignito ferramento, abstinentes, corrosione valida ex adurentibus medicamen-
tis facta vitium hoc totum extirpant, ac destruunt. Hæc autem, si quando adhiben-
da sunt, valentia esse debent: quippe quod ab atra bile productum est, adeo mali-
gnum, & rebelle est, vt mitiora remedia plenè contemnat. Inter hæc igitur Guido
tanquam omnium optimum, atque tutissimum extollit arsenicum sublimatum.
Prima enim die, quemadmodum Theodoricus testatur, cancrum, lupum, esthio-
menum (hoc est sphacelum, seu syderationem) noli me tangere, fistulam, & hu-
iuscemodi alios pessimos morbos occidit & extirpat. Dum autẽ admouetur, ma-
gna circunstantium locorum cura semper habenda est, ne scilicet inflammatione,
humorumque confluxu occupentur. ideo hoc incommodum facile euitabitur, si
partes vicinę & cancrum ambientes vnguento de bolo Armeno, aut defensiuo nũ-
cupato, vel consimili illinantur. Modo autem legitimo, seu iusta quantitate arseni-
cum ipsum sublimatum adhibendum, quam quidem coniectura tantum artificiali
rationalis Medicus definit. Vbi verò effectum, quem cupimus, præstiterit (quod
ex loci inflatione, siue tumore, & mora triduana depræhendimus) dolor mitigan-
dus erit, & crustræ casus, vti superius docuimus in fistularum curatione, procuran-
dus. Cancro uerò sic penitus extincto, ac radicitus extirpato, vlcus, quod remanet,
similiter alijs cauis vlceribus curabitur. Prorsus autem extinctũ agnosces, si proba, Medicamẽta quę à ꝓprietate potius conferunt.
& sana caro apparuerit, & nulla virulenta proluuies se in parte affecta ostenderit,
nullaque amplius graueolentia, aut fœtor percipietur. Verum præter ea, quæ loco
exulcerato admouentur, Guido, ceu peculiaria in hoc malo cõferentia medicamẽ-
ta, & auxilia quędam in mediũ affert, quæ ab occulta potius proprietate prosunt, &

tum

tum intus per os sumuntur, tum extrinsecus suspensa gestari possunt. Ex his verò, quæ per os capiuntur, sunt omnes herbæ capillares, & potissimum asplenum, quod officinis cetrach appellatur, & herba Roberti, quæ nonnullis myrrhis Dioscoridis esse putatur, & scrofularia, quæ ob id etiam herba cancrosa nominatur. quibus pos sunt præsertim decocta parari. ab Arnoldo verò herba cenrinodia valde laudantur. Similiter à Guidone cancri fluuiatiles summopere extolluntur. Similiter vsus theriaces, necnon viperarum carnes per os assumptæ mitum in modum conducunt: quia omnem virulentiam interna viscera obsidentem ad cutem expellunt. Vt autem magnus tradit Albertus, smaragdus, & sapphyrus deportati cancro diuexatis valde prosunt. Hæc enim omnia iam proposita interiora viscera corroborare, & ad probos gignendos succos, qui atrabilaribus obsistant, adaptare sui proprierate facile possunt. Hæc sunt medicamenta, quæ pro legitima vlcerati cancri extirpatione ab auctoribus ponuntur. Gal. vero ex Archigenis quoq; auctoritate loquens de cancrosis, & malignis vlceribus cancri fluuiatilis combusti, cadmiæque pares portiones tritas inspergebat; aut cinerem cancrorum cum cerato imponebat; aut ery simi semen læuissimum ex melle feculentum faciens, splenij modo imponebat. Summè quoque facit, ait ille, ad Chironia, & vetusta, & cicatricem ægrè ducentia: item ad contumaces, & malignas nigritias tibiarum, & quæ in mamillis sunt, strumas, ac parotidas extrahit, si inspergas seui bubuli libras tres (vt quidam aiunt, quin que) therebinthinæ pondo vncias quinque, mannæ pondo semunclam, terræ Sardę dictæ, qua tinctores vtuntur, pondo vncias quinque: quæ liquari possunt, aridis misceto, ac in vnum coactis vtitor. Aut lentem coctam cum melle, aut oleæ virentis surculos, aut vtrumq; inspergito. In ijs verò, quæ callum contraxerunt, & prætumidas oras, ac duras habent, dulciaque vocantur vlcera, communiter quidem per experientiam benefacienr vrentia, proprie verò litrum torrefactum, calcemq; viuam cum vrina pueri incorrupti circumlinito, aut æruginem, thus, salem, ac mel inungito. Hæc Galenus, de cancrosis, callosisq; verba faciens. Si vero propter causas superius allatas cancrum perfectè, & ex toto curare nobis non liceat, tunc, vt ex Galeni, & aliorum monitis colligimus, oportet passionem molliorem, ac mitiorem facere, seu, vt Guido inquit, curatione palliata vti, & prohibere, ne malum incrementum suscipiat. Quare ante omnia optima victus ratio instituenda, quæ tenuis potius sit, & probum gignat succum, & potius aliquam attenuandi vim habeat, vt nullus prorsus crassus, & melancholicus succus in corpore colligatur. aut si propter iecoris nimiam caliditatem, & siccitatem inhiberi non possit, crassioris, & melancholici succi procreatio, cibis refrigerantibus, & humectantibus, & lacte ipso præsertim vtendum, vt iecoris intemperies paulatim corrigatur. & crassus hu mor per interualla purgari debet, & ad alias ignobiliores partes, præsertimque per conuenientes ductus diuertendus, & extra corpus expellendus. Quo fit, vt interdum purgante pharmaco sit vtendum, nonnunquam, si virtus, & ætas consentiant, venæ sectione. In mulieribus quoque, si quidem liceat per ætatem, menses sciendi, & in viris hæmorrhoides, præsertim, si has patiantur, proritandæ. Quæ vero loco affecto admouentur, leuia, & quasi abblandientia sint. à vehementibus enim, & acribus tanquam malum irritantibus omnino abstinendum est. Loco igitur affecto imponenda ea, quæ dolorem leniant, & partem adeo corroborent, vt nullum excrementum suscipiant: proindeq; refrigerent, & siccent. minimè verò mordeant, aut irritent Talia autem sunt solani succus, vel aqua stillatitia, vnguentum album, vnguentum de lithargyro, de plumbo vsto, de tutia, & diapompholygos, & alia mineralia vsta, & lota; & aquæ, ac succi camphorati ducti in mortario plumbeo, & lamina plumbea loco affecto alligata. Modus autem vsus succi solani talis esto. Solani succo linteum molle duplicatum imbuto, locoque affecto imponito. Extrinsecus verò lanam mollem, eodem succo madentem linteo circundato, atque hæc, ne siccescant, eodē succo subinde irrigato. Hoc enim remedium, vt ait Paulus, loco dolenti inductum sine dolore, ac molestia exulceratis cancris subuenit. Sed, vt præstantius euadat, eo modo in mortario plumbeo succus hic ducendus est, quem in libris simplicium pharmacorum in sermone de plumbo docuit Galen. Sic enim vnà cum solani succo succus plumbi commisceetur, & magis refrigerans euadit remedium. quod quidem & vlceribus rebellibus vtile est, & ad cancrosa eo vtens virtutem medicamenti mirabere, Quod si celeriter multum succi plumbei voles colligere, conare in sole terere, aut alio modo ære excalfacto. Mulrò autem vtilissimum habebis medicamentum, si adfuso refrigerantium succorum quopiam teras, ceu sem-

Medicamēta Gal. ad cancrosa vlcera.

Galen. 4. de composi. per gen. cap. 11. & 12.

Curatio p mitigantia.

Topica.

Gal. 9. simp. ferm. de molybdos.

ceu semperuiui,cotyledonis,intybi,lactucæ,chondryles,psyllij, omphacij,portulacæ. Porro si qua horum non facile in succum soluuntur, veluti portulaca,misceto illis aliorum succorum quempiam, velut omphacij: qui & ipse per se se prædicto mortario inditus medicamentum efficit refrigeratorium longè pulcherrimum. Simili modo plumbum combustum bonum est ad vlcera rebellia;sed vbi lotum fuerit,multo optimum est ad vlcerum impletionem, & ad eadem cicatrice obducenda. Conuenit & Chironis,quæ vocant,vlceribus,& cancrosis,& putredinosis omnibus tum ipsum per sese,tum medicaminum ad cicatricem perducentium quibusdam commistum, quale est, quod ex Cadmia conficitur. Ceterum soluenda est principio,si copiosa sit sanies,quotidie;sin minus,tertio,aut quarto quoq; die. Verum foris imponito spongiam aquæ frigidæ: quæ si deficcetur, rursum mergatur. Insuper ad vlceratos canceros à nonnullis extollitur medicamentum,quod Recip. argenti spumam, & cerusam in plumbea pila cum oleo rosaceo tantisper contritam,donec plumbi colorem vnguentum,quod ex his fit,acquisiuerit. Aliud,quod magnopere probatur,recipit plumbi vsti, & eloti; pompholygis,thuris,ana vnc.v. absynthij vnc.j.olei rosſ.lib.semis, ceræ vnc.j.s.succi solani quantum sufficit ad vnguenti crassitudinem, Insigniter autem dolorem leniunt,cruciatus tempore,malua,aut althæa in mulso subacta,liquefactaue,& rosacei paululo læuigata,instarque cataplasmatis illita. Adhæc cataplasma ex caricis,meliloro,ruta,thure, & napo diligenter cum oleo contusa.Lenit pariter cataplasma,quod constat ex palmularum dactylis in passo decoctis, quibus adiecta sint ouorum lutea,polentaque. Ad hæc quod ex papauere cum coriano factum est, aut polygono, aut seri, seu cichorio. Hæcin doloribus vsui sunt. Multi verò,vt inquit Guido, mitigant eius fraudulentiam,& lupacitatem(ita enim loquitur)cum petia scarlati, & appositione carnium gallinarum: & ob id vulgus virium hoc lupum vocat,quoniam singula quaque die vnam gallinam exedit, & absumit, quam si non haberet, proximas vlceratæ partis carnes,ceu lupus,exederet. Nonnulli autem malum hoc mitigant herba Roberti, & scabiosa,cerfolio,caprifolio,verbasco,puluere stercoris humani,& anethi combustorum. quæ omnia affecto ipsi loco admouenda esse iubent, quæ quidem quoniam remperata sunt,si minus prodesse, saltem obesse non possunt. Victus autem ratio ex albi dictis,& præsertim ex sermone de mania,& melancholia elicienda est. Conuenit autem potissimum in hoc affectu ptisanæ cremor, lactisque vsus,nec non eius serum, vinum paucissimum,& aquosum, pisces saxatiles,& omnes auiculæ montanæ,necnon domesticæ, palustribus exceptis. Ex oleribus probatur malua, atriplex,blitum, cucurbita, lactuca, & id genus alia. Acrium eius, & eorum, quæ crassum succum gignunt,omnino vitandus: Quare crassa omnia, siccaq; cibaria erunt euitanda,& potissimum lens, qua qui largius utuntur, inquit Galenus elephantiasim, quam vocant, & cancros incurrunt. Omnem pariter repletionem summopere cauere oportet. Hæc de vlceribus satis. *Victus ratio.* *Galen. 1. de alim. facult. cap. 18.*

Finis Libri Secundi.

EVSTA-

EVSTACHII RVDII VTINENSIS, DE MORBIS EXTERNIS LIBER TERTIVS,

In quo de Fracturis agitur.

De Fracturæ nomine, differentijs, causis, signis, ac prognosticis. *Caput Primum.*

CVM de ea soluta vnitate, quæ in mollioribus corporis partibus accidit, siue ea ab extrinseca, siue ab interna oriatur causa, abundè satis dictum sit, ordo iam expostulat, vt, pro huius morbi generis complemento, de ea quoque dicamus, quæ in ossibus ipsis, durioribusque corporis partibus contingit. Hæc porro ab ipsis Græcis communi nomine catagma, vt scribit *Gal.6.meth. c.pen.& plurib. in locis.*
Nomen. Gal. nuncupatur: cuius quidem quamuis plures reperiantur species, quatenus nonnunquam ossa eroduntur, & cariem vocat Gal. interdum scinduntur per longum, & scissuram, vel etiam schidacidon, quasi asseris modo factam vocant; aliquando inciduntur non tamen ex toto, & Guido ossis vulnus appellat; nonnunquam contunduntur, & collisionem Galenus vocabat; interim ex toto franguntur, seu rumpuntur; aut inuicem separantur, & diducuntur, vna scilicet ossis portione ab alia perfectè & ex toto separata, atque diuisa, *Galen.lib.de caus. morb. cap.11.* quam magis propriè tum Paulus, tum alij magni nominis scriprores fracturam appellarunt; nos tamen de sola hac postrema solutæ ossis vnitatis specie, quæ magis propriè fractura dicenda est, & à Græcis auctoribus cauledon, & raphanidon, atq; etiam sicyedon, hoc est ad caulium, aut raphani, vel cucumerũ fractorum similitudinem facta nuucupatur, verba faciemus, tanquam de illa, cui soli ea omnia, quæ ab Hippocr. & Galeno tum in libris de officina Medici, de fracturis, & de articulis, tum in sexto de medendi methodo scribuntur competere possunt. *Galen.6.method.5.* Curatioque diuersa, & ab alijs omnibus separata adhibenda est. Reliquarum verò differentiarum cognitio, atque curatio nedum ex his, quæ de vulneribus, & vlceribus exarauimus, verum etiam ex alijs, quæ de magis propriè dictis fracturis conscribemus, facilimè ab vnoquoq; hauriri poterit. Adhæc quamuis propriè dicta fractura ad cranij quoque seu caluariæ solutam vnitatem, dum vna eius pars ab alia ex toto separatur, possit extendi; nos attamen de crani fractura in præsentiarum agere non intendimus: hæc enim valde diuersam a reliquis ossium magis propriè dictis fracturis curationem exposcit, deque ea in sermone de capitis vulneribus abundè disseruimus.
Definitio. Quare ex dictis vnusquisque facile colligere poterit, fracturam magis propriè dictam, & de qua nunc sermonem instituimus, esse to-

Paul. lib. 6. talem ossis infra caluariam consistentis diuisionem, seu rupturam à violenta aliqua extrinsecus irruente causa productam. Eius porro differentiæ, vt in tractatione de vulneribus innuimus, eadem prorsus ratione erunt eliciendæ, quam in vulnerum, ac vlcerum differentijs rimandis aperuimus. **Differẽtiæ.** Vel enim propriæ sunt, vel impropriè vocatæ differentiæ. Quæ propriæ sunt, vel essentiales, vel accidentales existunt. Essentiales vel à solutæ ossis continuitatis seu dicas diuisionis forma, vel à subiecto, in quo hæc diuisio subsistit, vel ab efficiente causa violenta, & extrinseca desumuntur. Quæ ab ipsa fluunt forma, aut à figura ipsa prodeunt, prout quædam est transuersa, quam virgulam Guido vocat; quædam obliqua: aut à magnitudine: nam quædam magna, quædam parua; quædam simplex, & vnica, quædam multiplex: aut æqualitate, & inæqualitate, quatenus vel est æqualis, & plana, vel inæqualis, & frustulosa, aut alias eminentias, & inæquales concauitates habens: nonnunquam autem vno modo, nonnunquam multifariam ossa franguntur: & nonnunquam ad vnguis formam; interdum ad farinæ, & pollinis similitudinem, cum scilicet os in multas, tenuesque partes confringitur: hanc caryedon, aut etiam alphitidon; illam calamidon, id est, arundinatim factam Græci vocant. quas tamen appellationes spreuit Hippoc. easque vsitatis vtens nominibus oratione interpretari non est grauatus. Dum autem os in multas partes frangitur, aut fractura non in vno, sed in duobus ossibus inuicem connexis, & associatis accidit, moderni scriptores compositam fracturam appellant; sed cum ab eadem numero causa fiat, potest quoque ad ipsam magnitudinem, aut saltem ad quantitatem, & numerum ipsum redigi. A subiecto uero, in quo consistit fractura, aliæ rursus, eæque perutiles diuersitates emergunt. Nam vel humerus, vel brachij ossa, vel femur, aut crurum ossa, vel costa, vel clauicula, vel ossa nasi, vel huiuscemodi alia frangi comminuique possunt. Ab effectrice autem causa tot oriuntur differentiæ, quot causæ sunt, a quibus ossa franguntur, de quibus paulo post agemus; ab ijs tamen cum iam prorsus abierint nulla curatiua indicatio desumitur. In accidentalium verò differentiarum numero sunt illæ, quæ à situ, vel à tempore depromuntur: quædam enim in profundo, quædam superficiales sunt; nonnullæ sunt recentes, aliæ antiquæ, in quibus contingit aliquando, vt os super aliud os efferatur, & ex osse male commisso, vt ait Guido, veluti tophaceus aliquis nodus relinquatur. Impropriæ demum differentiæ, quæ rectius complicationes quædam vocitandæ sunt, ex varijs præter naturam affectibus, qui cum fractura connectuntur, desumi possunt. Nam sæpe cum fractura superpositæ quoque carnis, aut cutis vulnus accedit; nonnunquam ingens dolor; inflammatio, aliusue tumor subortitur; sæpe etiam cum fractura luxatio complicatur, dum præsertim articulorum processus, aut supercilia rumpuntur, & eodem tempore articuli, seu ossa prope articulos suo loco dimouentur, & in situm præter naturam dilabuntur. Abrumpitur autem os, vt scriptum reliquit Galen. quatuor de causis maximè generalibus. **Causæ.** *Galen. 2. de fract. com. 9.* Super ipsum enim ait ipse vehementius impetu incidit, aut aliquid conterendi vim habens, quod planè necesse est natura durum esse, & mole non exiguum: aut aliquid, quod non tantum cutem, & quæ inter cutem sunt, & ossa, sed hæc quoque secare possit: quem morbum Hippoc. in lib. de vulneribus capitis, quasi defetsionem appellat. Nonnulli etiam ob saltum ex altiori loco fregerunt tibiæ, vel femoris os, quod ficciora his esset, & non ita densa, quod etiam & iisdem, & alijs ossibus contingit in casu ab alto. Quartò uidemus item in palæstra comminui os cata periplasim, hoc est, vbi tibia unà cum sura constringitur, & præter fracturam vulnus quoque magnum accedit, atque ossa nudantur: quod fracturæ genus accidit, cum luctantis membrum cruri ipsi transuersum subijcitur, atq; vtrumque eius extremum, tam quod à genu, quam quod à pede est, deorsum versus cogitur. Euenit huiusmodi tale lignis, quæ nos de industria rumpimus. Imposita enim super vtrumque femur obliqua, & manibus ab vtroq; extremo in inferiorem partem coacta effringi media videmus. Quemadmodum igitur neq; magnum lignum, neq; validum, sed paruum, & infirmum hac ratione frangitur; ita, cum os infirmum natura fuerit, medium sub propositis palæstræ generibus, uel huiuscemodi alijs violentis causis, ac membrorum, & ossium motionibus, atque ictibus perrumpitur. *Haly ab. 8. ser. disp. reg. part. 1. & Auic. tract. prop.* At vero fractum os cognoscitur, vt aiunt Haly ab. & Auic. (de totali fractura sermo est) quia tactu ossis partes separatæ, ac diuisæ, variæque reperiuntur, & in fracturæ loco cauitas non naturalis persentitur: membrique figura ac naturalis compositio peruersa, & inæqualis apparet. **Signa.** Quæ quidem, vt facilius deprehendantur,

tur, optimum est, vt monet Hip. læsum membrum cum sano eoque compari, vt brachium cum brachio, crus cum crure, comparare. nonnunquam vero imò sæpe membrum in quo fractura subsistit, adeo tortuosum, & compari membro breuius apparet, eò quia musculi inferiorem ossis partem fractam sursum trahunt, vt etiam ab ipsis vulgaribus, ac mulierculis fractura facilimè dignoscatur: Præsertim quia causæ violentæ, ac vehementes, quæ frangendi, ac contundendi vim habent, prægressæ fuere. Insuper si fractum membrum manibus pertractetur, & variè dimoueatur, collisio, ac strepitus quidam, ex mutua videlicet ossium confricatione ortus, percipitur. & si vnà cum fractura vulnus accesserit, digito, aut stylo immisso asperitas, & fractura ossis facilè tangitur. Præterea carpus, membro fracto haudquaquam inniti potest, & fractum membrum ægrè admodum sustinetur: quia inferior ossis fracti portio pendet, & ea extremitate, in qua fractura facta est, neruosas, & alias sentientes partes pungit, aut vellicat, & exasperando quoquo pacto lædit. Hincque fit, vt propter puncturam eminentiarum, & extremitatum ossium in fracturam delinentium, à qua quidem neruosæ, sentientesque partes dilacerantur, dolor vehemens subsequatur, qui quidem, si tangatur membrum fractum, eò magis exacerbatur. Dolori autem & inflammatio, & tumor succedere plurimum solet. Vt autem præscire valeamus, quænam magis, vel minus difficiles, & periculosæ fracturæ sint, nos debemus tum ipsius morbi vim, & magnitudinem, tum ipsarum virium robur accuratè perpendere.

Prognostica.

Quantum attinet ad morbi vehementiam, hæc penes fracturæ differentias, & proinde figuram, magnitudinem, situm, subiectum, necnon tempus, & alios, qui cum ipsa complicantur affectus, æstimanda erit. Quò fit, vt minus difficilis sit, & maximè tolerabilis fractura simplex, transuersa, æqualis, & vniformis: difficilis verò, si fragmentis, & eminentijs prædita, & multiformis, ac inæqualis fit, aut obliqua; difficilima verò, vbi fragmenta, & eminentiæ acutæ sunt, quia nedum carnosas, & musculosas, verum etiam neruosas, & tendinosas partes dilacerant. Pariter quanto fractura maior fuerit, & ossa fracta grandiora, tanto difficilius, longiorique tempore conglutinabitur, potissimum si ossa sui natura duriora, ac solidiora, minusque spongiosa, ac medullosa fuerint. Insuper quanto ossium fragmenta numerosiora fuerint, & magis inæqualia, & inuicem separata, tanto difficilior redditur curatio: quia fractura ægrè coaptatur, & ossa difficilè inuicem committuntur, & ita commissa difficulter seruantur. Simili modo, vbi duo ossa, quæ inuicem, & mutuo connexa sunt, & ita connexa progrediuntur, ambo franguntur, periculum, & difficultas increscit: Contrà si ex duobus alterum saltem os integrum remaneat, facilior euadit curatio: altero namque osse integro remanente, necesse est neruos, ac tendines minus contrahi: quippe qui ab integro osse, & non comminuto adhuc tensi seruantur. Adde quod curiosius omnia in continendis ossibus fieri debent, vbi vtrumque os fractum est, & neutrum alteri auxilio est. Si enim alterum os integrum maneat, plus opis in eo, quàm in fascijs, ferulisque est. De situ illud prius sciendum est, quod sicuti mitior est fractura, quæ in ossis medietate fit (hæc porro penes ipsius longitudinem spectanda est) ita quo propior erit capiti ossis vel superiori, vel inferiori, eò sæuior, ac difficilior iudicatur. Nam prope caput inferius numerosi tendones sunt; prope caput superius, plures reperiuntur nerui, proindeque maiores excitantur dolores, periculosiorque curatio euadit. Si verò prope articulum sit, aut in eius regione, ægrius adhuc curatur, & maius imminet periculum: quia præter neruosas, & tendinosas partes, ligamenta quoque coafficiuntur, & fractura commodè deligari non potest. Præterea pars hæc, quippe frigida, exanguis, laxa, & imbecilla est, ægrè admodum sanatur. Quinimò etiam si fractura consolidetur, nihilominus vt plurimum articuli motum difficilem relinquit, quia à callo geniti musculi, ligamenta, & tendones quoquo pacto ligantur. Quantum attinet ad tempus, quò fractura vetustior est, hoc est, quò tardius ossa fracta, vti decet, committuntur, eò deterior efficitur, non quia tempus ipsum, quippe quod extratia res est, aliquid agat; sed quia callus illic gignitur, & spacia ipsa inania aliena quadam substantia replentur. Quo fit, vt dum instauratio molienda sit, maiore, multoque vehementiore extensione sit opus: Magna autem, & valens eiusmodi extensio non rarò conuulsionem inuehit, vt Auicen. & alij testantur. Demum si fractura sit aut cum dolore, aut phlegmone, vel alio quopiam tumore, aut carnis contusione, aut ossium frustulis, mala, & difficilis existit: quoniam non potest curari, nisi prius

illa corrigantur, & submoueantur. Quod si vnà cum vulnere, aut carnis distruptione coniuncta sit, sæuior adhuc, & difficilior euadit, præsertim si femoris, aut humeri musculi vulnerati sint. Nam & inflammationes multo grauiores, &, vt ait Celsus, promptiores gangrænas, & sphacelos accersunt: Adde, quod in tali fractura, neque ferulis, neque canalibus, inter quæ vulnus sanescere non potest, vti valemus: Oportet enim dimittere foramen, vt vulneri præsidia admouere possimus. qua in parte & vittæ & ferulæ deficiunt. quò fit, vt fractum membrum difficulter in sua rectitudine seruari possit. Altera ex parte debemus ætatem, corporis habitum, atque temperaturam, tolerantiam, vitæ genus, anni tempus, regionem, cœlique statum, & vno verbo virium statum, qui ab istis significatur, æstimare, vt aliquid certius de facilitate, aut difficultate, vel etiam impossibilitate curandi fracturas in medium proferre possimus. Ob id Auicen. affirmabat ossium agglutinationem in biliosis naturis, in conualescentibus, & in primo senio difficilimam esse; In decrepitis verò, ac valde senibus impossibilem. Consolidationem quoque in ossibus remorantur multa ex aqua calida perfusio, crebra superpositorum mutatio, festina nimis, ac præpopera membri affecti dimotio, nimia coarctatio: quia parti oblæsæ alimenti in eam distributionem prohibendo, atrophiam inducit, necnon sanguinis viscosi, quò callus gignitur, penuria, & ossium frustula, aut fragmenta, quæ incomposita, & minimè coaptata, & non coagulata remanserunt. Horum enim extramissio de necessitate expectatur. Minatur autem totalis fractura, de qua loquimur, membrorum prauam figuram, breuitatem, & imbecillitatem. Transuersa enim & integra fractura, si cum scissura, & incisione ossium non ex toto conferatur, ægrè ad sanitatem perducitur: quia cum difficultate remanent ossa secundum naturalem suam continuitatem, & ob id sæpe in totali fractura ossis praua coaptatio, & commissura, quam Guido superequitaturam vocat, contingere solet: præsertimque dum est in vnico osse non associato, vt in humero, vel coxa, vel etiam in ambobus ossibus, quæ simul associata sunt, inflicta fuit. Ossa autem fracta rectè commissa fuisse, testantur æqualis membri fracti compositio, naturalisque figura, & magnitudo, si alteri sibi compari, & sano comparetur; dolor sublatus, ac veluti quidam voluptatis sensus; & sanguinis quoque soletti quadam naturæ prouidentia ad fracturæ locum expulsi apparitio. Proinde communiter dici solet, quod tumor fracti membri post primam eorum, quæ fracturæ admota sunt, mutationem, sine magno dolore apparens: & vbi fracti ossis partes rectè concurrerint, & in naturalem situm aptatæ fuerint, euanescens, certam salutis spem pollicetur.

Guid. trac. 5 doct. 1. c. 1.

De Fracturæ curandæ methodo, & indicationibus. Cap. II.

Gal. 6. meth. 5.

VERVM quoniam in puerulis tantummodo, vt alibi docuimus, ossa per simplicem coalitum, & per se concrescere possunt, in iuuenibus verò, adolescentibus, & viris, multoq; magis in senibus solum aliorum ope, propter sui duritiem, vniuntur, & glutinum aliquod vinculumuè, quò commissa maneant, requirunt; ideo primus scopus, qui in hac fractura curanda nobis sese offert, & in quem reliquæ omnes indicationes tendunt, ille profectò erit, ut alia quapiam interueniente substantia, ceu glutino quodam agglutinare, colligareque separatas fracti ossis particulas studeamus. Nos autem id assequi posse, hinc maximè speret quispiam. Monstratum est, inquit Galenus, omnem animalis particulam proprium ac simile sibi trahere alimentum. Id si verum est ossium sanè idoneum nutrimentum, & crassius, & magis terreum, quàm aliud quoduis nutrimentum in toto animali fuerit. Ergo fieri potest, vt quod ex hoc ipso proprio alimento redundat, & in labris fracturæ concrescit, suo ipsius interuentu illa quoque conglutinet. quemadmodum spei, quam ratio suppeditat, experientia quoque ipsa subscribit. Itaque considerandum deinceps est, quanam potissimum ratione corpus hoc, quod fracturis innascitur (id turba chirurgorum poron sarcoidem vocat) quantum, qualeque sit, prouenire possit. Nam quod nec quãtumlibet, nec qualecunque, sed quod mediocritatem in vtroq; seruet, requirimus, id planè est euidens. Porro huius symmetriæ tum qualitate, tum quanti-

Gal. 6. meth. 5.

De callo in fracturis gignendo.

quantitate inuenta, deinceps est, vt, qua maximè quis vtrumque assequatur, rationem ipsam quærat. Sed nec tempus, quo hæc effici conueniat, minus necessarium quæsitu est, vtrumne statim à fractura facta, veluti statim in vulneribus moliebamur vnitionem: an id commodum tempus non est, sed aptius aliud requirendum, id autem ab ipsa rei natura edoctus inuenies. In perfecta, seu totali ossium fractura, quam, ceu per transuersum factam, cauledon appellant, de qua sermo est, dissident sic à se fracti ossis partes, vt è directo non iaceant. Quare id primùm agendum, vt in directum agantur: tum eorum, quæ deinceps sunt, aliquid geratur. Sanè eum situm habuerint, si quis ea, quæ sic dissident, integræ partis exemplo vsus, in contrarium adducat: à qua nimirum certissima indicatio transpositionis eorum erit. Fieri enim potest, vt tum prorsum, tum retrorsum, tum in hanc partem, tum in illam membri facta translatio sit. Quæcunque igitur retrorsum magis sunt acta, ea prorsum impelli conueniet: nec minus alteram quoque fracti ossis partem modicè ad contrarium retrudi: Contrà, quæ prorsum sunt emota, hæc rursus ipsa quidem retrorsum, reliquam verò partem sensim duci prorsum: ita quæ ad dextram sunt detorta, ad sinistram; quæ ad sinistram sunt mutata, ad dextram sunt agenda, semper scilicet altera parte modicè in contrarium acta. Verum quia in adducendis contrario motu partibus non leue periculum est, ne ossium extantiæ, eminentiæve frangantur (neque enim veluti in serra defectis visitur, leuis est vtriusque partis finis) & si illæ frangantur, non poterunt ad amussim secum coaptari fracti ossis fines (id enim duplici de causa fit: Si enim fragmenta inter partes coniungendas interciderint, non sinent ea, quæ adaptantur, se contingere; si verò quid fortè ossium extra ceciderit, nec sic eorum, quæ effinxeris, exacta coniunctio erit, sic vt pristinam vnionem imitetur: quippe quæ solum tum demum erit, cum ossis extantiæ in suas cauitates fuerint reconditæ: quod si semel comminutæ perierint, necesse est inter applicata simul ossa vacans interueniat spacium, in quod sanies collecta, & tempore putrescens totum pariter membrum secum corrumpet: & ob id, quæ dissident ossa, è directo admota esse oportet:) idcirco vt commodi, & absque eo, quod extantiæ frangantur, fracti ossis partes probè coaptentur, eæ retrorsum prius sunt agendæ: id antitasin Græci, nostrates extensionem appellant. Oportet igitur aut manibus ipsis, si paruum membrum sit, aut vinculis circumpositis, aut vnà cum ijs etiam instrumentis, de quibus suo loco, antitasim facere. Postea vero quam abundè retracta fuerint, nec vllus supersit metus, ne se in adducendo tangant, tum in directum opponere, vinculaque remittere, ac musculis ipsis diductorum in idem commissionem permittere; interim verò teipsum quoque manibus subseruire, ac sicubi paulum subsultet, corrigere, atque formare. Ab ijs secundum quò diriges, fuerit, vt immotum prorsus membrum consistat, ne quid eorum, quæ effinxeris, moueatur: quando ita necesse est ea rursum dissidere. Ac si ipsi quidem ægrotanti, vt quieti membri prospiciat, permiseris, vigilans forte probè id curauerit: at dormiens omnino membrum mouebit. Vt igitur & dum dormit, & dum surgit ad desidendum, & dum cubile resternitur, eorum, quæ formata sunt, positura seruetur, tuta deligatura complecti fracturam oportet, quæque fracti ossis partes secum coarctare ad amussim possit. At verò cum laxior deligatura ossibus moueri permittat; arctior verò constringendo dolorem excitet, danda opera est, vitato ambarum incommodo, vtriusque fruamur commodo. id fiet, si quod nimium est, declinabimus. Ergo nec adeo arctare deligaturam debebimus, vt iam comprimat; nec adeo remittere, vt laxa sit. Ac, si quidem æqualis esset crassitudinis, vnumquodque membrum, vtique latissima fascia esset commodissima, vtpote, quæ totum æqualiter, continenterque ex omni parte fractum os complecteretur, sed quoniam id non est, pectori quidem latissimam licet circumponas, artubus certè, & iugulo non potes, sed in talibus vtilior est angusta, vtpote quæ nec rugas contrahet, & totius membri, cui circundata est, cutem constringet. Verum si paucis complexibus fracturam continet, parum tuta est. Quantum igitur securitatis ex angustia deficit, tantum ei ex iniectionis numero, & versus integrum deductione est adijciendum. Sed quoniam deligationum, quæcunque citra dolorem carnem constipant, coarctantque, id virium habent, vt ex ijs partibus, quibus primum iniciuntur, succos exprimant in eas, in quas ipsæ sunt finitæ reponant, atque figant, ideo deligaturæ principium super ipsam fracturam inijci, abhinc vero ad reliquum membrum dispensari oportet. Qui enim

Extẽsio cur in fracturis necessaria.

contra diligat, is ab integris ad ægram partem sanguinem compellit. Atqui si ab ægro loco incipiat, in integrum finiat, non solum innoxia erit, sed etiam vtile quoddam contulerit: quippe cum nullam circum fracturam sinet excitari phlegmonem: cuius rei curam habere imprimis oportet. Timendum enim est, ne tum ex antitasi administrata, tum vel magis ex eo, quod causæ fracturæ plerumque circundatam ossibus carnem constipando, contundendoq; prius lædunt, magnæ subsequantur phlegmonæ. Nec sanè mirum si phlegmones quiddam simile etiam fractis ossibus ad portionem accidat, quando etiam, quæ malè sunt curata, magis humida, quàm pro natura sua, clarè cernantur, vbi.s.vna cum vulnere os fractum sub aspectus notitiam venit. Quinimò nec ossis caries, quem sphacelon vocant, ex alia occasione oboritur, quæ ipsa totius ossium substantiæ corruptela quædam est. Non igitur negligendum, quin totum superuacaneum humidum ex omnibus, quæ circa fracturam sunt, partibus exprimas. Incipies itaque ab ægra parte, ac cum bis terue circumdederis, inde sanum versus progredieris. Siquidem quia ita diligat, & ab integris ad laborantem partem sanguinis confluxum arcet, & quod iam collectum in ea est exprimit. Cum verò duæ partes sint, quæ & recipere aliquid à laborante particula, & transmittere ad eam possint, vtique quæ superiacent, tum propter multitudinem, tum magnitudinem ad ambo magis sunt habiles: extremæ verò propter contrarias conditiones, exiguum quidem aliquid vel recipere, vel transmittere possunt, multum verò nec ægris partibus subministrare, nec ab ipsis recipere. Quocirca cum duas primas fecerit Hippoc. deligaturas, priore quidem tum, quod in laborante particula continetur ad superposita expellit, tum, quod ex his confluxit, repellit: reliqua verò primis quidem complexibus, quos super ipsam fracturam facit, itemque fasciæ ad interna progressu, eò quædam extrudit; quædam, ne quid illinc confluat, prohibet: Reliquis deinceps omnibus, quibus scilicet ab infimis partibus sursum recurrere deligaturam censet, vt eodem scilicet loco cum priore finiatur, tum ad superiora repellit, tum confluxum ab iis prohibet. Muniunt igitur, ac stabiliunt fracturam duo prima lintea, non tamen ad ambos hos vsus ea, quæ dicta sunt, satisfaciunt, præsertim sola. Vnde ad eorum quidem tutelam Hippocr. præsidium excogitauit, vt splenia vnà cum exterioribus fascijs adhiberentur, quæ hæc quoque ipsa stabiliant. Ne autem phlegmone oriatur, cerato humido vtitur. Hæc igitur omnia ratione dictante sunt inuenta: & præter hæc repositionis figura; quæ ipsa quoque geminæ indicationi subijcitur, priori, quæ ex solis communibus notionibus pendet: alteri, quæ ex curandorum organorum naturali constitutione præstantur. Prior igitur eam, quæ maximè à dolore abest, eligenda figuram suadet: quo nec phlegmonem pars contrahat, & æger persistere in vnà ea diutissimè immotus possit. Secunda, quæ ex curandorum sumitur natura, arterias, venas, neruos, & musculos quàm rectissimos poni præcipit. Sed & consentiunt inter se hæ indicationes, quando & rectissima cuiusque partis figura maximè est à dolore aliena, & quæcunque magis, quam alia, est à dolore libera, ea maxime naturalis membro est, brachio quidem angulosa; cruri verò quę paulo minus porrecta est. Porro ad dolorem uitandum non modo naturalis habitus est vtilis; verum etiam consuetudo aliquid conducit. Atq; hæc quidem figuræ, in qua custodire membrum conuenit, inueniendæ ratio est. Eadem porrò figuræ inueniendæ ratio est, & in retractione partium à se, quàm extensionem vocant, & cum in naturalem situm aptantur fracti ossis partes. Etenim expedit, vt in rectissima, atque à dolore alienissima forma membrum tum retrorsum retrahas, tum in naturalem habitum coaptes, multoque etiam magis, vt sub eadem figura tum deliges, tum ad quietem reponas. Sub alia enim deligare, in aliam verò mutare, non dolorem modo incitare potest, sed etiam ossa intorquere. Vbi enim figura mutatur, alios musculorum rendi, ac veluti contractos rotundari, alios solui, ac remitti necesse est. Ergo, vbi tenduntur, tum premi eos à deligatura est necessarium, tum ex compressione ipsa dolere: Vbi verò tensio remittitur, ea in parte deligaturam esse laxam, fracturamque fulcimento destitui. Horum igitur omnium causa tum extendere, tum effingere, tum deligare, tum reponere ea figura, quæ doloris minimum habeat, præcipuè est studendum. Atque ad primum quidem opus, quod in fracturis molimur, nullum iam relictum est præceptum. Soluere autem ex Hippocrate tertio die debetis, quo in membro præter solitum coopetto, nec dolor, nec pruritus erectur, nec eius, quod iam infixum fracturæ est,

Repositionis figura qualis esse debeat.

est, perspiratio prohibeatur. Cuius occasione non modo noxius pruritus quibusdam accidit, sed etiam cutem ex acrimonia saniei erosam exulcerari. Infundendum igitur tantum aquæ temperatæ est, quantum ad euocandam eiusmodi saniem est satis. Quod si rursus quoque simili modo facies, vtique septimo id à primo die facere debebis. Apparuerit verò iam omnia, modo nihil impediat, phlegmone libera, ac, quam pro naturali habitu, magis aliquando gracilia. tum igitur licebit, & ferulas circumponere, & soluere ex maiore interuallo. Nam antea cum phlegmones scopus vinceret, tutum non erat ferulis premere. Nunc cum ea desijt, ac stabilire fracturam est opus, sanè commodè his vtare. Sed & soluere ex maiore interuallo licet, non desiderantibus scilicet præterea partibus saniem excernere. Quinetiam callus felicius ita prouenerit, quando ad hunc gignendum concrescere aliquid proprij ossium alimenti oportet. Non est igitur hoc à labris fracturæ eluendum, aut foras euocandum, quod certè assidua solutio faciet. At verò nec tanto interuallo intermittendum, vt nescias quomodo fractura procedat. Vidimus enim non semel, cum valenter siccarentur ossa, ægrè callum prouenisse. Expedit igitur istis tertio, vel quarto die modicè aquam calidam infundamus, hanc metam finiendæ perfusionis habentes, cum carnes in rubrum tumorem attolluntur. In his enim priusquam subsidere incipiant, desistendum est. Contrà vbi digeri quid volumus, non prius desistendum est, quàm quod ex perfusione intumuit, subsidat. In quibus verò quò minus callus in fractura proueniat, humiditas abundantior obstat, ibi hanc siccare (vti diximus) conuenienti deligatura, & perfusione aquæ, quæ vel minima sit, vel plurima, conabimur. Quippe minima, cum prius desistat, quàm aliquid confluat, & qui ad manum humores sunt, per spiritum digerit: & qui in alto sunt, modicè liquat. Expedit autem ita solui, liquarique ea, quæ per deligaturam sunt expellenda. Plurima verò digerit plus, quàm attrahit. Sanè constat in ea deligatura, quæ exprimet, minus esse arctandos fasciarum fines: In ea verò, quæ ad renutriendum est comparata, nec minus hos arctandos, & vniuersos circumductus laxiores faciendos. Sed quia non solum, quo tempore subueniendum callo gignendo sit, sed etiam, quo pacto est inuentum, reliquum fuerit de vniuersa victus ratione præcipere. Ac quod in principio quidem sit tenuissimè cibandum, id vbi de propria phlegmonarum curatione agemus, dicetur. Porrò monstrabitur, & quod venam incidere interdum oporteat, & per ventrem superuacua expellere. At, quo tempore callus gignitur, nutriendum corpus est cibis boni succi, & qui multum nutriant, ex quibus prouenire succus non solum bonus; sed etiam tenax, ex quali fieri callum maxime expedit: quippe cum ex serosa humiditate, ac tenui gigni prorsus nequeat: ex crassa verò, sed quæ fragilis sit, & pinguitudinis expers, gigni quidem poterit non segniter, cæterum tempore siccescens friabilior, atque ita fractioni obnoxius reddetur. Magnitudo calli ea sit, quæ & ossibus tuto vinculo sit, nec musculos tamen comprimat. Nam qui minor iusto est, hic ossa parum reddet tuta; qui maior est, dolorem musculis inuehet. Attendendum verò diligenter est, vt vel promoueatur, si minor iusto proueniat; vel inhibeatur, si immodicè increscat. Sunt verò, quibus hæc efficies, ipsius perfusionis quantitas, & ciborum quantitas, & qualitas, ac medicaminum, quæ illi extrinsecus imponuntur, facultates. ac de perfusione, & victus ratione dictum est. ex medicamentis verò quæcunque emplasticam substantiam habent, ac modicè calfaciunt, ea callos tum promouent, tum augent. Quæ autem digerendi vim obtinent, ea magnos callos diminuunt. Si verò neque augere callum, nec minuere studes, sed eo, sicut vltrò prouenit, es contentus, medicamento aliquo eorum, quæ cruentis adhibentur vulneribus, vtere: quæ cum modicè siccent, etiam coagulari, ac concrescere mediocriter callum faciunt; ac de transuersis quidem fracturis hæc satis. De longis verò reliqua omnia ad eundem se habent modum. cæterum comprimendæ hæ magis in ipso fracturæ loco sunt; tum quod recessit, retrudendum introrsus est. Hæc est præclara illa methodus, quam in curandis fracturis per scopos à rei natura desumptas Galenus omnibus numeris absolutissimam nobis aperuit. reliquum est igitur, vt omnem materiam, qua quisque his scopis, indicationibusque exactè satisfaciat, magisque distinctam ipsius administrationem ex Hippocratis mente subijciamus. Neque id ab re, cum idem Galenus fassus sit, hæc nosse non sat esse, nisi ijs ea quoque, quæ Hippocrates ipse de fracturis præcepit, adijciantur.

De fra-

De fracturæ curatione, & primum de membri fracti figuratione, extensione, & fractorum ossium compositione. Cap. III.

PRIMVS scopus, à quo rectà curandarum fracturarum methodus proficiscitur, est ipsius calli generatio, cuius merito ossa fracta vniuntur. Verum is gigni non potest, nisi fracti ossis partes rectè inuicem coaptentur, ita vt in naturali situ reposita sese inuicem contangant, & ita coaptata, & vnita debito tempore immota conseruentur. Sed rursus rectè coaptari non possunt, nisi prius retrò inuicem trahantur, & extendantur. Verum retractio, seu extensio hæc, antitasis dicta, probè fieri non potest, nisi prius membrum fractum rectè figuretur. Ad hæc fracta ossa rectè coaptata immota diutius seruari non possunt, nisi & eis conueniens adhibeatur deligatura, & alijs præsidijs, quæ fracturæ locum muniunt, ossaque probè composita stabiliunt, vtamur, & omnia accidentia, quæ deligaturam, & alia, quæ fracturam muniunt, auferre nos cogunt, & ante omnia dolorem, & phlegmonem ipsam fieri prohibeamus, aut si fracturæ superuenerint, auferamus. Cum itaque scopus, qui primus inuentione fuit, postremus in curatione prosequenda remaneat, & qui postremo loco inuentus est, primus in exequutione sit, clarum est nos hoc eodem ordine de ijs explendis indicationibus, earumque materijs agentes progredi debere: & proinde verba facturos primum de membri figuratione; secundo de eiusdem antitasi, seu extensione: tertio de ipsius coaptatione, seu compositione: quarto de deligatione, & alijs, quæ fracturam stabiliunt auxilijs: quintò de ijs, quæ dolorem, & inflammationem arcent. & quoniam hæc prohibenr nedum debita membri figuratio, verum etiam eiusdem conueniens repositio, necnon medicamenta, & præsidia, quæ tum parti laboranti admouentur, tum vniuersum corpus euacuant, & congrua demum victus ratio: ideo de membri fracti repositione, de ijs, quæ vniuersum corpus inaniunt, de localibus pharmacis, & tandem de callo congruo gignendo, & de ijs, quæ eius generationem impedire possunt, submouendis, necnon vltimo loco de victus ratione ad autes Gal. & magni imprimis Hippocr. loquemur. De membri itaque fracti figuratione verba faciens Hippocrates scribebat, quòd, dum ægrotans affectam partem Medico porrigit, vel vt intendatur solum ab inferiori parte, vbi scilicet adeo tenera est, vt abundè sit, si à superiori parte teneatur; vel in diuersa, vbi videlicet validior est: vel componatur, siue coaptetur; vel collocetur, ita vt vel contineatur, vel suspendatur, cum in omnibus his actionibus necesse sit affectam partem aliquo modo contineri, iure optimo secundum naturam, id est in naturali habitu, & positura videtur esse continenda. In peruestigatione autem habitus naturalis vult tria hæc esse animaduertenda, nempe quietem, medium, & consuetudinem. Quietem autem intelligit, cum homo feriatus ex toto in otio est: Vnde in otio considerare rectum habitum oportet, quia tunc temporis rectus, & naturalis habitus facilè colligitur, sicuti in brachio docuit, exempli causa, volens, dum illud notio detinetur, cubitum subijci, eique radium (est autem os, cuius merito manus in pronam, & supinam mouetur) insidere. Medium autem voluit esse membri posituram inter extremam porrectionem, & contractionem, in quo quidem medio naturalis habitus facile nobis apparet. quemadmodum, vt in eodem brachio gratia exempli persistamus, vbi cubitus cum humero prope ad rectum angulum figuratur. Quamuis enim voluerit Hippocr. brachij naturalem habitum, qui ad rectum angulum ad vnguem est, pro consuetudine variari (nam quidam præter extremam porrectionem cubitum adducunt ad exteriorem partem, sicuti contrà nonnulli perfectè brachium non extendunt) attamen mutatio exigua debet esse, hoc est prope rectum angulum accedere, sed paulum ab eo ad obtusum recedere, hoc est, ad porrectionem spectare. Verum sicut nullo modo fieri potest, vt medius ex toto seruetur habitus, vbi nec adijcere latum vnguem, nec demere queas; sic non expedit fractum membrum longè ab hoc medio figurari. id enim interest inter artificiosam coniecturam, & eam, quæ artis est expers, quod artificiosa exquisitam moderationem propè attingat; quæ artis est expers, plurimum

Margin notes: Chirurgica præsidia. — Hippoc. 3. de off. Med. tex. 3. & 20. Gal. in com. — De mêbri fracti figuratione. — In membri figuratione tria spectāda sunt. — Quies. — Medium.

nonnun-

nonnunquam aberrat. Ea itaque figura, in qua iacere singulæ partes solent, quum otiosæ sunt, & quæ inter extremam porrectionem, atque contractionem est, aut inter extremas motiones, & inclinationes iacet, in curationibus quoque eligi debet. nam in partibus commodè figurandis, id patet primò studendum esse, vt minimè doleant. Verum si talis figura à laborantibus non seruetur, sed alio modo iaceant sine dolore, haud diu mansuros esse manifestum est. Igitur, si respexeris ad homines quiescentes, & otiosos, sæpe comperies brachia non penitus media inter porrecta ex toto, & ex toto curuata; sed ad porrectionem magis accedentia. id quod etiam accidit in altera habituum oppositione. Cuncti enim homines, vbi defessi sunt, brachia aperientes habitum eligunt medium inter pronum, & supinum, vt qui omnium maximè dolore careat; coguntur tamen paulum inclinare in pronum. A dolore autem longissimè abest habitus, & figura hæc media, quia membrorum musculi inuicem oppositi, qui eorum flexioni, & extensioni subseruiunt, neque nimis laxantur, neque nimis trahuntur: Contrà in extrema flexione, seu contractione membrorum musculi, qui contractioni præsunt, nimis tenduntur, contrahunturque; oppositi verò porrectioni subseruientes nimium laxantur, & distenduntur. Consuetudo demum, vti subdit Hippoct. idcirco spectanda est, quia non alius habitus facilius fertur, cuiusmodi est in cruribus, vbi extenta habentur: quæ enim hoc modo collocantur, immobilia diu facillimè perseuerant. Habet enim consuetudo præcipuam in medicina vim, ita, vt à clarissimis Medicis natura aduentitia nuncupetur. quam constat inter ea, quæ necessario admodum spectantur, Hippocratem vbique numerasse in indicandi facultate, tribuentem ei secundas, illa scilicet primas occupante, quæ à natura sumitur. Collocandi, & figurandi enim ratio, quæ ab hac indicatur, eatenus inferior est, quatenus exquisitè in omnibus eadem esse non potest, sed pro cuiusque consuetudine variatur. Conspexi ego quosdam totum diem considentes, qui artes exercent sedentarias, alios stantes, aut ambulantes, censuique non immeritò ijs magis extenta figuranda esse crura, qui bonam temporis partem habere sic collocata consueuerunt: ex contrario minus extenta, quibus curuata diem vniuersum detinentur. Experimento autem rem comprobans, comperi, qualem speraui. Brachiorum verò eadem est ratio: Iacere enim ad rectum angulum debent, sed propius ne accedere ad ipsum oporteat, an longius abesse, ex consuetudine intelligitur. Hæc igitur duo maximè communia indicia, medium. scilicet inter extrema, & consuetudo, sub qua actio, & quies manifestè comprehenditur, vniuscuiusque partis naturalem habitum nobis exponent. quem etiam inueniri diximus ex quiete, atq; otio, id est, vbi quis conquiescit. Cum enim collocanda sint membra, quemadmodum minimè lædunt, non alium habitum inuenire licet, quàm eum, in quo detineri solent quiescentes, qui medius etiam est inter extrema. His tribus indicijs naturalem membri habitum nobis indicantibus, liceat nobis quartum ex sententia eiusdem Hippocr. adijcere. Illud autem erit rectus musculorum status. Cum enim habeat ille, Medicum oportere, quæ suo loco mota sunt, & fracta, recto admodum statu intendere, scribebat Gal. in horum verborum expositione, quod cum in fracturæ curatione quatuor agere debeamus, intendere, scilicet, componere, alligare, & continere eundem habitum omnium esse communem oportet. Subdit autem illum habitum optimum esse, sub quo non magna vi separata ossa in diuersa diducuntur: & quum membrum sub eo habitu continetur, ille dolore omni vacat. Vtrumque autem præstat, qui ita figurat, vt musculorum fibræ directæ intendantur. Directæ autem intenduntur, quum in vna membri parte vniuersus musculus collocatur: nam si musculus qui suum initium habet à parte interiori, ita collocetur, vt medius ab interiori parte membri, extremus ab exteriori, vel sic, vt medius à superiori, extremus ab exteriore situs sit, hoc pacto circa membrum circumuolutus amplius extenditur. Itaque si hoc modo figuratum musculum extendas, dum fracti ossis partes abundè diducantur, vehementer dolebit, magno cum periculo ne conuellatur. Constat enim intensionis vi conuulsos interdum musculos fuisse. Quare eundem esse habitum constat, qui minimè dolorem creat, & qui musculos nullo modo peruersos continet. Qui cum sub alijs tribus indicijs necessariò comprehendatur, & non ita vulgaribus notus sit, quemadmodum qui à quiete, medio, & consuetudine indicatur, fuit ab Hippocrate in lib. de offic. Medici silentio præteritus. Membro rectè figurato, illicò adhibenda intentio, seu extensio est, quam Græci antitasin vocant. De huius porrò necessitate, modo, quan-

[Margin notes: Consuetudo. — Rectus musculorũ, & aliarũ partium status ac positura. — Hippoc. 1. de fract. t. 1. — De fracti membri extensione.]

Galen. t. de fract.com.1. quantitate, seu mensura, & instrumentis, quibus efficitur, verba faciens Galenus scribebat maximè proprium esse musculorum, si ad reliquas corporis partes referantur, ad exemplum lori, seu funis in seipsos contrahi. sicut enim hæc distenduntur, vbi eorum extrema prehendentes in diuersa diducimus, & vbi finimus, ponimusq; contrahuntur; ita musculi ossibus vtraque parte innexi coniunctionem habent ijs, quæ manibus præhenduntur, respondentem, quia ab ipsis in contrarias partes attracti suo corpore vniuerso intenduntur; Idcirco vbi integro musculo os, cui innititur, vel luxatur, vel frangitur, finis musculi iunctus illi parti, quæ vel luxata est, vel infra fracturam est, quia totus musculus ad suum initium contrahitur, secum attrahit partem membri, cum qua coniungitur, hoc est caput ossis inferioris, dum facta luxatio est, vel partem ossis, quæ infra fracturam est, dum fractura facta fuit. Hac itaque de causa & quæ prociderunt ossa, & quæ comminuta sunt, intendi debent. Sicut enim in luxatis restituendum est, quod erupit; ita in fractis, quod affectum est, componi debet, ita, vt comminuti ossis extrema se rangant: quod fieri non potest, nisi fracti ossis partes è regione collocentur, quæ curatio Græcè conformatio dicitur. Si itaque os penitus confringatur (de hac enim totali fractura nos loquimur) necesse est partes inter se cedere, hac, vt puta, in priorem, illa in posteriorem regionem veniente, atque alia in dextram, alia in sinistram. Quare ambabus manibus vtrimque membrum prehendentes, quod in anteriorem partem erupit, retro cogimus, & è contra: quod in sinistram incidit, in dextram trudimus, & è conuerso, quod in hanc lapsum est, in contrariam repellimus, ita, vt omnes comminuti ossis partes per manus componentis in contrarias partes vrgeantur. Dum hæc itaque fiunt, periculum est, ne aliquæ fracti ossis eminentiæ confringantur: non enim redditur ex toto læue vtrumque ossis extremum, perinde quasi sectum sit serra gladium referente: nam quę dentata est, & ipsa exasperat. Quare fracti ossis partes in diuersa, partim sursum versus, partim deorsum deducentes, ad componendam fracturam venimus, cauentes, ne, dum coniunguntur partes ossis, quarum altera super alteram excessit, aliquæ ipsorum eminentiæ perstringantur. quod penitus assequimur, vbi ossa conduntur, vnum scilicet sub altero. ergo vt, quæ recesserunt, iungantur, necesse est alteram partem sursum, alteram deorsum attrahere. Quod iam omnes Medici faciunt, rem interdum solis ministrorum manibus committentes, interdum laqueos iniicientes,

Extensionis necessitas.

Modus, & quãtitas extẽsionis, & instrumenta.

Gal.3.de off. Med.com.3. vbi maiori vi opus sit, in diuersa contendere. Ad hæc vel intendi solum debet pars fracta ab inferiori parte, vbi scilicet adeo tenera est, vt abundè sit, si à superiori parte teneatur: vel in diuersa deduci, vbi validior est. Intendere autem illa valentissimè oportet, inquit Hippocr. quæ maxima sunt, & crassissima, & vbi vtrumque os

Hippoc. 3. de off. med. t. 2a Gal. in com. (in membris, quæ duo ossa habent iuxta posita, vti sunt brachium, & crus) comminutum est: minus, vbi vnicum fractum est, & illud est os subiectum, cubitus scilicet; minimè vbi id, quod superius, id est radius. Hoc enim os non habet musculos, qui sursum, sed solum, qui in pronum, & supinum ipsum trahant. Vult autem Hippocr. illa valentissimè esse intendenda, quæ maximis, & crassissimis ossibus continentur, & corpora, quæ ipsa cingunt, hoc est musculos maximos habent, quia hi sunt, qui potissimum intentione indigent, vt quibus maximè vis insit ad sua initia recurrendi. Ex harum partium numero est femur, deinde humerus, & crus, posthæc brachium, postremò, quæ iuxta manum sunt, & pedem. excipe hic, quæ in spina sita sunt. Subdit autem Hippocrates (de eadem extensionis quantitate & mensura loquens) quod si iusto valentior intensio adhibeatur, noxia erit, præterquam in pueris. Si enim ossa in pueris, inquit Gal. vbi franguntur, vel luxantur, minus, quàm expedit, extendantur, nec componi, quæ fracta sunt, nec restitui in suam sedem, quæ prolapsa sunt, poterunt: sed si valentius extendantur, proprium affertur detrimentum. Quo quidem tempore vis adhibetur, dolor excitatur; postea inflammatio superuenit, febris, neruorum distentio, & interdum etiam resolutio. quod testatur se vidisse Erasistratus in humeri capite nimium extenso. Minus tamen alijs pueri læduntur, si vehementius extendantur, propter humorem corporum, & mollitiem. Nam vt lora plurimum citra noxam distenduntur, cum mollia sunt, & madida; abrumpuntur verò cum arida sunt, & dura: ita musculi, atque nerui cum madent, & molles sunt, ducentem facile subsequuntur, neque multum dolent, neque rumpuntur; sicci verò, & duri, quum nisi magna vi cogantur, extendi nequeant, grauiori dolore vrgentur, non solum si iusto magis, sed etiam si modice intendantur. In eo enim casu neruorum ac musculorum fibræ

conuel-

conuelluntur, rumpunturque, quorum nihil manet pueros. neque enim postea inflammatione, atque idcirco febre, delirio, neruorum distentione, ac resolutione prehenduntur. Ipse igitur Hippoc. verba fecit de pueris: quæ transferenda nobis sunt ad eunuchos, fœminas, tum ad eos, qui natura, siue consuetudine madent, & molli carne sunt. cum talia temperamenta ducenti facilè pareant, neque sentire offensam vllam grauiorem soleant, si vltra debitum extendantur. At quibus vel natura, vel consuetudine corpus induruit, vix cedunt extendentibus, atque ea de causa minus ipse censuit à Medicis esse extendendos: valde siquidem læduntur, vbi immodica vis adhibeatur. Aduertendum denique ex Celsi auctoritate, quod si patiens prima die fractum membrum extendendum offerat, Medicus validiorem potest moliri extensionem: at si transacta prima die id accidat, aut ab extensione prorsus desistendum, potissimum si dolor infestet, aut tumor notatu dignus subortus sit, aut mitius, quo fieri potest, extendendum propter influxos humores, & inflammationis periculum imminens. Iubet autem Hippocr. vt in extensione molienda, partes paulò altius excitentur, idque duplici de causa proponitur, videlicet & vt fidelius contineantur (dilabuntur enim quæ contraria sunt) & ne doleant. Oportet autem aut manibus ipsis, si paruum membrum sit, & debilem exigat extensionem; aut vinculis circumpositis, si mediocrem; aut vnà cum ijs etiam instrumentis, de quibus in particulari fractorum ossium sermone loquemur, si validiorem requirant, eorum extensionem facere, superius cum Galeno declarauimus. Posteà verò quàm abundè, iam dictorum merito, ossa fracta fuerint retracta, nec vllus superfit metus, ne se in adducendo tangant, tum in directum opponere, vinculaque, aut trahentes manus remittere, ac musculis ipsis diductorum ossium in idem commissionem permittere: interim verò teipsum quoque manibus subseruire, ac sicubi aliquid paulum subsultet, corrigere, atque formare. In hac autem fractorum ossium coaptatione seruandam esse eandem prorsus membri tectam figurationem in extensione iam adhibitam & naturalem ipsum membri habitum, etiam superius admonuimus. At verò probam ac congruam fracti ossis compositionem factam esse cognoscimus, quia præter id, quod dolor non ita patientem infestat, sicuti prius, eò, quia ossium eminentiæ circumpositas sensibiles partes non amplius pungunt, & lacerant, dum pars fracta, & præsertim fracturæ locus manu tangitur, nulla cauitas, neque eminentia, nec inæqualitas, aut asperitas aliqua percipitur, & demum quia, vt habet diuinus Hippocr. si fractum membrum cum cognomini, cum pari, cum simili, cum sano comparetur, ei penes figuram, & magnitudinem ferè similis erit. diximus autem (fere) quia penes crassitiem potest esse aliqua diuersitas cum propter dolorem, & influxos humores fractum membrum quoquo pacto sæpius intumescat. Iubemur itaque, vt explicat Gal. cum aut prolapsum articulum in suam sedem reponimus, aut os fractum componimus, vti exemplo cognominis, paris, similis, sani. Cognominis quidem vbi humerus cum humero confertur, cum brachio brachium, femur cum femore, crus cum crure: Paris in eodem homine, & non in alio: Pari autem adiecit similem: quia potest, cum quo confertur, par esse, vt sanè similis non sit, cum sæpe alter humerus vitio quopiam tabuerit, aut abscessu ægrotauerit, vel crus valgum sit aut varum: atque idcirco sanum rursus adscripsit, ne quid nos perperam accipiamus, non grauatus verbum, quantum est in vi, idem penitus iterare: nam, quod par est, vtique sanum est, si simile sit, nisi vbi vtrumque membrum eodem modo sit affectum. tunc autem in alijs hominibus spectandum erit, in quo casu conuenit simili sanum adijcere; sed, si in eodem homine consideretur, abundè erit dixisse sanum, quod simili comprehenditur.

De fractorum ossium cópositione.

Galen. 6. meth. 5.

Hip. 3. de off. Med. t. 24.

Gal. in com.

De fracti membri deligatione. Cap. IV.

MEMBRI fracti extensione, & compositione peracta, ilicò eadem prorsus ipsius figuratione seruata, vt immotum prorsus, nedum tempore vigiliarum; Verum etiam tempore somni, membrum consistat, deligatio adhibenda erit. Cuius quidem rationes, ac scopi, cum in superiori capite fuerint explicati, nil aliud relinquitur, nisi vt & modum, secundum quem perficitur, & materias, seu instrumenta, quibus absoluitur, aperiamus. Hippoc. itaque primum vtitur duabus fascijs, quæ scilicet primo loco circumuoluuntur, quas ob id hypodesmidas, id est, subligamina vocat, cò quia ante pannos affectæ parti inijciuntur. Vult autem, vt prior ab affectu orsa in superiori parte desinat. & ob id huius primæ fasciæ initium super fracturam inijci debet, ac circa eam bis, aut ter conuoluta sursum versus ferri, & quasi cochleæ modo serpere, & illic desinere. secunda ab affectu similiter orsa, & proinde super fracturam incipiens, vbi primos complexus super fracturam fecit, deorsum tendere debet, atque inde iterum reducta in superiori parte vltra priorem fasciam desinere. Quocirca dimidio longior priore esse debet. Prior namque ex illis non modo prohibet, quod concurrit, ait Gal. sed & eius quod in affecto loco receptum est, sursum aliquid expellit: altera non nihil sanguinis in vitiata parte superantis ad extremum membrum transmittit. Commune autem est vtrique compositum os, ne dimoueatur, continere. Adstringendæ autem maximè sunt, subdit Hipp. qua morbus est, id est in loco fracturæ: extremis partibus minimè, alibi pro ratione, id est, in partibus, quæ intra locum fracturæ, & vinculi partes extremas continentur, oportet mediocriter adstringere: ita, vt quanto magis à fractura ipsa, seu affecto loco ad vinculi extremitates progredimur, tanto laxiorem, seu minus arctam deligationem efficiamus. In vniuersum enim sub omni vinculo, vbi subiecta caro magis adstringitur, humor in ea contentus ad proxima loca propellitur: vbi verò lenius, admittitur quod procedit ab ijs, quæ vehementius comprimuntur. Iubet insuper idem Hipp. vt vinculum compræhendat integræ partis quam plurimum. quia cum vinculum integræ partis multum complectitur, firmius continetur & humor ab affecta parte ad ea, quæ iuxta sunt, magis expellitur, reprimiturque valentius, quod à superiori parte descendit. Attrahere verò fascias vel à dextra debemus, vel à sinistra prout ab hac, vel ab illa parte ad fracturæ habitum, atque inclinationem in hanc, vel illam regionem confert. Ossa enim, quæ sub fracturis peruertuntur, modo in dextram membri partem, modo in sinistram declinantur. Quocirca priores duæ fasciæ attrahi à contraria debent, ab ea scilicet orsæ, in quam membrum conuertitur, atque in contrarium inclinatæ: sic enim fractum os æquè in vtramque partem inclinabit. ideo vult Hipp. vt fracturæ habitum intuiti fasciam circumagamus, hoc est, vt ad contrariam partem, atque fractura inclinat, fasciam adducamus. Nostrates porro chirurgi, vt dolorem adhuc magis arceant, priusquam has duas primas fascias circumuoluant, vnum, aut alterum panniculum lineum oui albo, & rosaceo madentem nudo membro admouent, vt penes membri fracti latitudinem vniuersam eius crassitiem ambiat; penes longitudinem verò etiam aliquid partis sanæ compræhendat. qui quidem dum præsertim doloris metus impendet, non improbatur, dummodo fasciæ ea lege ei superinijciantur, vt is complicationem, aut duplicationem, seu plexum aliquem qui postea membrum aggrauet, & dolorem inuehat, non contrahat. Alij, dum fractura inflammatione, & dolore vacat, ac recens est, & membri extensio difficilis ac dolorosa non præcessit, eundem panniculum lineum, aut posca, aut vino stiptico, austerove madidum, & expressum adhibent. Alij œnelæum sumunt, eique pares portiones boli Armeni, sanguinis draconis, balaustiorum, myrtillorum, & rosarum rubearum tenuissimè puluerizatorum permiscent; sicuti nonnulli iam dictis oui albumen adijciunt, & medicamentum ad mellis crassitudinem redigunt, eodemque panniculo exceptum admouent, vel etiam absque panniculo fractum membrum circumcirca illinunt. nam propter oui album, ac pulueres statim siccatur, & membro fortiter adhæret; & subinde partem propter fracturam languidam factam roborat, & si quæ sanies inter ossis

coaptati

Hip. 3. de offic. Med tex. 3. 4. & 5. & 1. de fract. à tex. 25. vsq; ad 30.

Gal. in com.

Hippo. 1. de frac. tex. 31. Gal. in com.

Deligandi modus. Primarum fasciarum iniectio.

coaptati cauernulas collecta sit, eam deficcat, & tum hanc, tum influentem omnem materiam repellit. Quinimò hac eadem de causa, & vt primæ duæ fasciæ firmius teneant, eas posca, aut vino nigro austero expressas circunducunt. præsertim si fractura inflammatione vacet, recensque sit. Si verò dolor vrgeat, & extensio prægressa fuit difficilis, ac laboriosa optimum est panniculum iam dictum Hippocratis cerato madefacere, aut oblinire, primasq; duas fascias vino nigro austero expressas circumligare, modo superius proposito. Quod si ceratum e cera, & oleo rosaceo, vel myrtino paretur, ad dolorem mitigandum, ratione olei, & inflammationem arcendam, fracturæque stabilimentum, ratione adstrictionis, optimum erit. Hippocr. nihilominus & post ipsum Galenus ad fracturæ robur respicientes duabus primis fascijs nullo prorsus medicamine madentibus nudo membro applicitis contenti fuere: quia dum neque dolor vrgens, neque aliud malum, quod ad se curationem trahat, cum fractura coniungitur, cum & actu, & potestate siccandi vim habeant, & ea lege, & ratione obuoluantur, vt humores tum influxos, tum influentes procul pellere ab affecta parte valeant, subinde & eius substantiam salubrem, & dolorem, & phlegmonem arcere valent. Quod insuper præstare adhuc facilius possunt, quia ipsis plagulas, de quibus nunc dicemus, medicamento quopiam ex ijs, quæ inflammationum quoque iniurias arcent, inunctas immediate superponunt. Cum enim duæ primæ fasciæ ad fracturæ firmitatem, & inflammationem arcendam non satis adhuc faciant, præsertim solæ, ideo ad earum tutelam, & fracturę stabilimen, Hippocr. plagulas, quas etiam splenia à splenis forma vocant, excogitauit, vnà cum exterioribus fascijs, quas superligamina appellat, quia supra plagulas superducuntur.

Plagularũ, seu pannorũ vsus, & applicatio.

Ideo scribebat diuinus Hippocrates, vt post hęc, id est, post duas primas fascias iniectas, panni, quos plagulas vocauimus, superdentur mo dico cerato inuncti, siquidem leniores sunt, & stabiliores: Hi enim panni duas fascias priores fulciunt: Inijciuntur autem contraria ratione, ac fasciæ: illæ enim feruntur circa membrum transuersæ: panni verò in longitudinem dantur, vniuersum vinculum ex binis prioribus fascijs excipientes. Iussit autem cerato modicè inungi: Fluerent enim vbi cerati copia labarent, non secus ac si parum inungerentur, quia subiectis fascijs minimè coirent. exhibet enim ceratum vicem glutinantis. & insuper vbi panni nullo pacto cerato inungantur, non amplius lenes sunt, sed comprimunt, sicuti vbi plus iusto vncti sint, non amplius stabiles sunt, quia cerati copia labuntur. Ipsi autem, vt tradit idem Hippocrates, debent fulcire, at non comprimere: ita vt alligatus nihil sentiat, quod comprimat. Hi verò panni subdit Hippocr. fascijs alligandi sunt inter se aduersis, alijs à dextra parte, alijs à sinistra, plurimum tamen ab inferiori parte sursum ductis, aliquatenus à superiori deorsum. Vnde fasciæ, quæ primo dabantur, non circuibant inter se aduersæ, sed vtraque membrum, quod peruersum erat, à contrario habitu ad naturalem restituebat: sed, quæ pannis superinijciuntur, cum eò pertineant, vt membrum vniuersum alligent, totumque tueantur vinculum, quale exceperint, aduersę inter se procedunt, atque vna quidem à dextra parte; altera à sinistra circumagitur: similiter altera à superiori, altera ab inferiori: sic enim cum inter se aduersæ sint, vinculum quale acceperint, potissimum seruabunt. Quare quatenus à dextra parte, vel sinistra procedunt, iunctura ex toto fit æqualis: quatenus verò à superiori, vel inferiori feruntur, altera non longè alteram excedit; sæpius tamen circuit, quæ ab inferiori parte sursum tendit, quod tutius est, vt sanguis à fractura ad summum membrum depellatur. Quod si quis vnica vtatur fascia, ad pannos illos firmiter continendos, non reclamabimus, dummodo duplici capite, seu initio donata sit, & eius medio supra fracturam dato, alterum huius fasciæ caput sursum, alterum deorsum obuoluatur, & propter iam dictam causam, arctius in parte fracta, quam alibi stringatur. Ex Gal. autem monitis, fasciæ quæ super pannos dantur, plerunque duæ sint, quarum vna ab inferiori parte sursum, alia à superiori deorsum tendat. has etiam licet & ternas, & quaternas imponere: Gal. verò binis vbique vtebatur. Verum quoniam membra quędam extremitate tenuantur, ideo vult Hipp. vt hęc sequentur pannis in orbem datis, qui vbi ea dirigimus, non subito, sed paulatim plurimi obuoluantur. Has enim partes, quæ extremitate tenuantur, circundatis pannis transuersis compleri vult Hipp. & pluribus fasciæ circuitibus cingi, ea tamen ratione, vt quod tenuius est, non subito (sic enim vinculum inæquale redderes) sed paulatim impleatur. Dum enim membrum inæquale est, partibus magis concauis, aut tenuioribus per pannos, seu splenia dicta repletis, membrũ vndiq; æquale, ac plagulis, & ferulis

Hipp. 1. de frac. tex. 32. *Gal. in com.* *Hip. 3. de off. Med. t. 13.* *Tex. 33.* *Gal. in com.* *Gal. 1. de fractu. tex. 36.* *Hippo. 1. de frac. tex. 34.*

suo loco suscipiendis accommodatum efficitur. Hinc autem cognosces, ait idem
Tex.37. Hippoc. rectè hominem curatum esse,& terminum deligandi, vbi, num prematur, Notę delirogaueris, atque is responderit, se premi quidem, sed leuiter, idque præsertim qua gationis re fractura est, extremis verò partibus minimè. Hæc enim sic habere necesse est fa- ctè factæ. teatur, qui rectè est alligatus. Ex hac itaque coniectura, & certis indicijs censer
Gal. in com. Hipp. iudicandum esse, quæ rectè iniectæ fasciæ fuerint, quæ malè. Si enim homo abundè sub fascijs vrgeatur, celerrimè soluentes aptius deligabimus. Sin fasciæ iusto laxiores sint, non patiemur diutius sic habere. Sed quoniam quæ arctius adstringuntur, dolent, inflammantur, & interdum etiam extrema parte emoriuntur: quæ laxius, tali periculo vacant, sed non prohibent membrum, qua fractura est, deprauari: Ideo arctior iunctura sic vrget, vt necesse sit eodem die soluere, & rursus deligare: quæ laxior est, non item, sed poteſt vnum diem, & interdum alterum sustineri. Hac igitur de causa rogandus, qui alligatus est, qualem sentiat fasciarum circuitum. quem debet arctiorem sentire circa fracturam, quam in alijs
Gal. cõ. t. 38. partibus, quia pars ægra acerrimè sentit, & à nobis magis fuit compressa. Verum quoniam modus astringendi maximum momentum habet, & hic variatur, tum quia quædam partes mollitie, ac duritie inter se distant, tum quia alia corpora
Hip. tex. 38 hebetioris, alia acrioris sensus natura sunt: ideo Hippocrates alia signa subdens inquit, quòd vbi moderatè strinxerimus, eodem die, ac nocte, quo deligatus fuerit, ipse sibi videbitur non leuius, sed valentius adstringi: postridie verò tumor mollis, id est cedens, si superdatis digitis prematur, ac paruus in extremitatibus apparebit. Quare si tumor hic vel nullus appareat, vel durus, scire licet vinculum, vbi nullus appareat, non satis fuisse adstrictum, vbi durus, nimis arctatum. Constat enim extremum membrum succis sub vinculo ad ipsum transmissis, cum multi sint, impleri, digitisque pressum non cedere: idque tibi indicio erit vinculi valentius adstricti, non secus, atque vbi extremitas nullo modo tumeat, conijcere poteris nihil fuisse sub vinculo expressum. ergo clarissimum est, vbi postridie tumor magnus sit, & renitatur membrum, solui protinus debere, perfundiq; multa aqua calida, cui oleum copiosè fuerit adiectum, rursusque modicè adstrictum: vbi postero die nullus tumor appareat, tertio die resolui & arctius alligari. Quod si tumor modicus fuerit, Hippocrates tertio die resoluit: Galenus verò vsque quartum, interdum quintum diem trahens, hyeme potissimum nihil vidit
Tex.39. deterius accidisse. Sequitur autem Hippocrates, & ait, quod labente iam postero die, id est secundo à facta deligatura, minus adstrictas fascias sentiet (loquitur autem de eiusdem moderatæ adstrictionis signis) sed tertio die pene resolutas. relaxantur autem eò, quia membrum extenuatum contrahitur, vbi rectè fuerit al-
Tex.40. ligatum, quod euidenter in omni fractura perpetuum conspicitur. Tertio verò Modus redie, postquam extenderis, atque direxeris, soluere membrum oportet. Quod si ctè admini primis diebus moderatè deuinxeris, paulò magis fascias adstringes. Deligare au- strandi setem incipies à fractura, vti prius: Si enim hanc partem prius deuinxeris, mate- cundã deli riam inde ad vtramque membri extremitatem depelles; sin aliam prius adstrin- gaturam. xeris, inde ad fracturam deduces, quod intellexisse pertinet ad multos locos. Sic ergo ordiri semper vinculum debet, atque hunc locum primum adstringere; alios verò pro portione: quò enim longius à fractura procedit, eò lenius arctari; nunquam verò ex toto laxari, sed adhærere. Posthæc inijciendæ fasciæ sunt, quotiescunque deuincimus. Rogatus autem homo respondeat adstringi se paulò magis, quàm ante: præsertim qua fractura est, atque alibi pro ratione: tumeat item membrum, vrgeatur, leuetur pro ratione prioris iuncturæ. ab hinc tertio die sentiat fascias relaxari, tum soluere conuenit, ac rursus deligare paulò arctius omnibus fascijs iniectis, quibus vtendum erit: posthæc laboranti omnia eueniant, quæ in superioribus alligandi circuitibus exposita sunt. Hæc Hippocrates. in quorum
Gal. in com. expositione inquit Galenus, quòd si primo die homine propter fracturam dolente, quantum adstringendum est, non adstrinxerimus, vbi, omnibus rectè factis, tertio die dolor remittatur, arctius alligamus, neque tunc quoque quantum res postulat. hoc siquidem, cum omnia rectè procedunt, quinto die conuenit. Quare tunc plurimis fascijs vtemur, & quantum res exigit adstrictis, non obliti hoc ab Hippocrate præcipi, vbi omnia conuenienti ordine sequantur. Nam si propterea, quod aliquid interim peccatum sit, membrum nondum quinto die ex toto inflammatione vacet, neque nos fascijs omnibus vtemur. Exhibet enim fasciarum multitudo vinculi firmitatem. Potissimum verò ea vtemur,
quo tem-

quo tempore desedit locus, qui circa fracturam est, & os fractum laxius effectum est, & facilius tractatur, vt componi possit. At si quando hoc quinto die non cedat, differemus in alium circuitum, qui ad diem septimum perueniet. Iubet enim donec ferulæ ad fracturam dentur, tertio quoque die solui ac rursus deligari ea de causa, vt aqua calida infundatur ad educendos succos in comminuta parte existentes, qui tenues sunt, & seri naturam habent, digestionemque requirunt, & simul etiam ad leniendum dolorem, & pruriginem finiendam. Itaque vbi nec dolor, nec prurigo hominem exerceat, atque indicia illa omnia se ostendant, ex quibus rectè fracturam habere cognoscimus: etiam si quarto quoque die solues, nihil lædes, hyeme potissimum, atque adeo magis homines agrestes, qui lauari fere non consueuerunt. sed eos, qui quotidie lauari solent, & qui præsertim bis id faciunt, conuenit non longo interposito spacio resoluere, ac præcipuè vbi carne fuerint molliori. Vbi autem ad eum diem ventum erit, subdit Hipp. qui septimus à primo, quum iniectum vinculum fuit, si rectè alligatus fuerit, tumor in extremitate apparebit non admodum magnus: locus item cui vinculum inijcitur, quotiescunque deligabitur, tenuior, & gracilior conspicietur, septimo autem die tenuissimus, atque ossa perrupta tractabuntur facilius, magisque ducentur, vt dirigantur. Quod si hæc ita habeant, dirigere oportet, alligareque, & ferulis, quas neoterici hastellas vocant, excipere, pauloque amplius, quàm ante adstringere, nisi tumor, qui in membri extremitate est, maiorem dolorem afferat. Vbi ergo primas fascias inieceris, imponendæ ferulæ sunt, superq; fasciæ alligandæ admodum laxæ, sic, vt circundatæ ferulæ contineantur, nec quidquam membrum adstringant. Quo facto, prematur offensus eodem modo, & releuetur, atque in prioribus vinciendi circuitibus. At, vbi ad tertium diem perueniens laxum vinculum sentiat, necesse est ferulæ magis arctentur, potissimum qua fractura est, atque alibi pro ratione. Siquidem ipsum vinculum laxum potius erat, quàm adstrictum. Pleniores autem adhibendæ ferulæ sunt ab ea parte, qua fractura extat, non multo tamen: videndumq; est, ne è regione alicuius articuli, in quo ossa excedunt, collocentur, sed hinc vel hinc: Verum si fractura omnino ferulas requirit, his locis breuissimæ superaccommodandæ, sic, vt ad ossa, quæ extant, minimè pertineant. Periculum enim esset, ne vlcus fieret, & nerui nudarentur, aut inflammatione corriperentur. quare iuxta articulos breuiores, tenuiores, laxiores, & magis flexibiles sint, quemadmodum valentiores, qua fractura excidit, atque inclinat. Et dum membrum est inæquale, vti superius diximus, partibus magis concauis, aut tenuatis per splenia repletis, vnde æquale, ac ferulis accommodatum efficiendum. & deinde ferulæ lana, aut stupa mediocriter inuolutæ, in orbem, non minore, quàm vnius digiti spacio inter se distantes, fracturæ circundandæ, & leniter, ac moderatè constringendæ. Debemus autem ferulas arctare tertio quoque die paululum omnino, quoniam imponuntur, vt vinculum tueantur, non vt adstringant. Quod si optimè perspexeris, ossa sub prioribus vinculis abundè fuisse directa, neque locum prurigo aliqua infestat, neque vlla exulcerationis suspicio est vsque ad vigesimum diem ab ictu finito alligatas ferulas manere. Si enim tertius dies fractum os nobis daret, quale ferè septimus exhibet, necessario tertio die à primo ad ferulas veniremus. Sed quia septimo tenuissimum apparet, id est, gracilius, quàm quum erat in statu salubri, ideo eodem die ferulas circumponimus, tunc scilicet membrum diligentius componendo, vtpote, quum ossa laxiora sint. eò autem ferulæ pertinent, quo & panni, seu plagulæ, scilicet vt fractum os contineant. Præcipit igitur Hippocrates, vt sicubi vinculum laxetur, ferulæ tertio quoque die arctentur, non tamen resoluatur tota iunctura, nisi homo ingenti prurigine vexetur, vel exulcerationis suspicio sit. Prurit autem fractura initio magis, deinde minus, quia vitiata pars exhauritur. Excitatur enim prurigo à vaporibus, qui ab eo, quod superest, profusi leuiter mordent. At vbi acrius mordeant, prurigini iam dolor iungitur. Quæ autem in posterum agenda sunt, dum de callo gignendo loquemur, clara fient; & hæc de modo deligandi sufficient. Verum, quoniam deligatio quatuor instrumentis perficitur, nempe primis duabus fascijs, plagulis, ferulis, & fascijs, quæ his superdantur, non erit ab re, si, pro exacta horum omnium doctrina, de horum omnium quantitate, qualitate, ac forma paucis agamus. De fasciarum itaque tum quæ primæ injiciuntur, tum quæ his superdantur, numero, longitudine, ac latitudine id habet diuinus Hippocrates, vt numero quidem tot accipiantur, vt à vitio minimè

Hipp. 1. de frac. tex. 41.

Quo tempore, & modo ferulæ adhibendæ.

De fasciarum numero, longitudine, & latitudine.

Hip. 3. de off. Med. t. 6. 7.

minimè ſuperentur, vt ferulas comprimere non ſinant, vt onere non lædant, vt inclinationis cauſa non ſint, nec effœminent. Vult igitur Hippocrates vt tot ſint, quot compoſitum os fideliter contineant. Si enim tunc vincunt, quum compoſitam partem immobilem conſeruant, ſi quid hæc moueatur, iure quis dicet eas ſuperari. Vult inſuper, vt ferulas comprimere non ſinant, quia ferulæ vbi faſciæ iuſto pauciores ſint, membrum prement, id eſt eogent, atque vrgebunt, quæ noxa violatam quoque ſedem afficiet: quin ſi tot adhibueris, vt laborantem oneres, ſic quoque peccaueris, quum modum excedas. Quæ duo cauentes, faſciarum numerum conijciemus, ea obſeruatione adhibita, vt neque premant, neque onerent. Sed ne faſciarum numerus (inquit) cauſa ſit inclinationis, ita, vt iunctura tota in alteram partem dextram, vel ſiniſtram inclinetur ob exſuperantem numerum faſciarum. Verbum autem (effœminare) quidam in partibus vitiatis accipiunt, vt quas redditurus ſit infirmas, & molles ſuperimpoſitorum linteorum numerus: Alij in ipſo vinculo, quod imbecillum fier, quum ferulæ ſub iniectorum linteorum numero laxius contineantur. Quo verò ad longitudinem, & latitudinem pertinet, impleant trium, quatuor, quinque, aut ſex, longitudinem quidem cubitorum, latitudinem verò digitorum, illius ſcilicet qui alligatur, non enim vnum ſtatuit longitudinis, & latitudinis terminum, eò, quod nullum ſit vinculum, quod adhiberi omnibus æquè longum debeat; ſed numerum longitudinem, & latitudinem faſciarum, pro magnitudine fracturæ definit. Nedum enim faſciæ, verum etiam panniculi debent variari pro longitudine, latitudine, ac craſſitudine ſedis affectæ: quia omnia hæc ad vitiatæ partis quantitatem referuntur.

Gal. in com. — *Tex. 7.*

Galen. 1. de fract. cō. 36. Conſtat igitur fracturæ magnitudine inſpecta à nobis inueniri longitudinem faſciarum, cum debeat vinculum ſemper plurimum integræ partis comprehendere. Quod ſi iterum, aut tertiò circundanda ſuper fracturam prima faſcia eſt, poſtea crebris circuitibus voluta non prius finienda, quàm integræ ſedis plurimum complexa fuerit, plane debet ita longa ſumi, vt propoſitis ab Hippocrate circuitibus ſufficiat. Eadem ratione & aliarum faſciarum longitudo tanta ſit, vt poſſit partes ab ipſo ſcriptas amplecti. Earum verò latitudinem comperies, ſi ad ea, quæ idem docuit, reſpexeris. Inquit enim: fulcianrur, non tamen egantur. ſignificat autem fulciri, quaſi hærere. quod fiet vbi faſciæ non ita latæ parentur: hæ ſiquidem rugant, dum circumaguntur. Nam alioquin latior faſcia, vt quę plurimum amplectatur, fracti oſſis partes firmius continet. Atque hac de cauſa latiſſima faſcia ex vſu maximè eſt. Verum quia, quæ talis eſt, rugas contrahens, quum ſuper affectas partes eſt obuoluta, laxior fit, & quæ ſubiecta ſunt, minus fideliter continet; ideo expedit non ita latam imponere, ſed eatenus eius latitudinem augere, quatenus nulla pars laxatur. Quamobrem ſi quis hæc omnia in membro cognomini, & pari experiatur, melius præſtabit. eiuſmodi enim obſeruationes coniecturales ſunt, neque ſcriptis, aut lectione comprehendi poſſunt.

Gal. com. 40. Demum ad vniuerſum vinculum, quod primùm omnium damus, cenſet Hippoc. paucioribus linteis (linteorum autem multitudo faſciarum, & pannorum numero, & longitudine augetur) opus eſſe, quàm procedente tempore futurum ſit. nam quinto die plurimis faſcijs vtemur, & quantum res exigit, adſtrictis, dummodo omnia conuenienti ordine ſequantur. ſi enim quia aliquid interim peccatum ſit, membrum quinto die nondum ex toto inflammatione vacet, neque nos omnibus faſcijs vtemur. Exhibet enim faſciarum multitudo vinculi firmitatem, ſed potiſſimum ea vtemur, quo tempore deſedit locus, qui circa fracturam eſt, & ipſum os fractum laxius effectum eſt, & facilius tractatur, vt componi poſſit. At ſi quando hoc quinto die non cedat, differemus in alium circuitum, qui ad diem ſeptimū perueniet.

De pannorum, ſeu plagularū longitudine, latitudine, craſſitudine, & numero.

At verò quod ad pannorum longitudinem, latitudinem, craſſitudinem, & numerum, iubet Hippocrates vt longitudo vinculi, quod conſtat ex faſcijs, quæ primò dantur, longitudinem æquet (eo enim nomine adhibentur panni, vt has faſcias fulciant, immobileſq; teneant) latitudo trium ſit, vel quatuor digitorum, hominis ſcilicet qui deligatur: Quod verò attinet ad craſſitudinem, triplices dentur, aut quadruplices. Vbi enim faſciæ primo iniectæ fulctura egent firmiori, quadruplices; vbi non tanta opus ſit, triplices obijci abundè putat. illud autem euidentiſſimum eſt, quod quò magis comminuta oſſa ſunt, eò debent firmius cōtineri. Tot autem numero adhibeantur, vt neque plures ſint, neque pauciores, quàm vt ambiant, & affectum ſcilicet membrum complectantur. Cum autem panni duplici de cauſa ſuperdentur, id eſt ad continendum, & ad eomplendum, vt ſ. impleantur partes, quæ in

Hip. 3. de off. Med. tex. 1. Gal. in com. — *Hipp. & Galen. 3. de offi. med. tex. & com. 2.*

extremitate teneantur, hique in orbem circundantur, vt postquam iniectæ fuerint postremæ fasciæ, quæ alijs superdantur, iunctura, seu vinculum sit æquè crassum, ideo admonet, vt qui complendi causa inijciuntur, ita longi adhibeantur, vt corpus; quod alligatum est, complecti in orbem possint: Lati verò & crassi pro eo, quod complendum est. Si enim longiores sint, quàm, vt partis ambitum æquent, necesse erit extremitatum alteram alteri insidentem reddere membrum tumidum magis ea parte, quàm vtrinque, sic vt iunctura inæqualis fiat, atque idcirco laxior: sin breuiores fuerint, quàm vt extremi se tangant, quum inter ipsos aliquid inanis spatij relinquatur, iunctura itidem contraria ratione inæqualis erit. Locus enim in ijs necessariò reddetur mancus, & cauus, perinde atque vbi longiores erant, gibbus & eminens. Iubet autem, ne semel subito inijciantur, seu paulatim, tenuiores quidem à superiori parte; crassiores ab inferiori. Quod si vnum subito inieceris, locus talem habitum acquiret, qualem primò habuit membrum. Consulit autem Hipp. vt pãniculorum ambitus totidem sint, quot fasciarum, id est, vt panniculi toties fascias cingant, quoties earum vnaquæque circumierit: vrgere tamen non debent, quia eatenus coarctari super fascias debent, vt firmiter maneant, sed non vrgere. nam ambitus panniculorum qualitate potius, quàm numero vinculum exhibent moderatum. Hæc autem omnia mollia adhibeantur, & minimè crassa, subiecta corpora comprimantur. Cum autem primæ duę fasciæ compositum os contineant, & affectum inflammari non sinant, panni qui superdantur, delabi ipsas non patiantur, ferulæ verò omnia, quæ subiecta sunt, muniant: ideo iubet Hippoc. vt ferulæ primum leues, & æquales sint. Fracturis enim saluberrimum est, ferulas nec asperas esse, nec peruersas: Vtraque enim de causa comprimunt, præterquam quod, quæ peruersæ sunt, vinculum quoque peruertunt. quo deprauato, pars etiam fracta deprauatur. Monet autem, vt ab extremo resimæ imponantur, id est leniter ab inferiori parte excauatæ, seu derasæ: quia quæ ad finem vsque æquali crassitudine sunt, vinculum ibi æquè, atque in cæteris partibus continent, quod minimè faciendum. placuit enim ipsi medium arctius adstringi, inde versus extrema laxari, extremisque partibus omnium esse laxissimum. Vult præterea ferulas vinculo paulò breuiores ab vtraque parte accommodandas esse, ne vltra ipsum vlla in parte cutim tangant, quæ sæpius intumescit, eò, quod humorem admittat sub fascijs depulsum. Crassiores item imponi vult, qua fractura est, quia ad hunc locum potissimum pertinent. Demum nos admonet, vt vbi partes gibbæ sunt, & natura minimum carnis habent, vereri oportere, quæ eminent, vt iuxta digitos, aut talos, vel non imponendo, vel breuiores dando. Cauendum igitur, ne iuxta ossium eminentias superaccommodentur, idque duplici ratione fit, vel vbi nullo modo ab illa parte ipsius vinculi dantur, vel vbi adhibentur breuiores, quàm vt ad eminentiam pertineant, quod expeditius est.

Hip. 3. de off. Medic. t. 8. & 9.

De ferularum quantitate, & qualitate.

Hippoc. 3. de offic. Medic. t 11. & 12

De membri fracti repositione, & alijs remedijs, & medicamentis. Cap. V.

FRACTI autem membri, sicuti decet, deligatione peracta, in eadem prorsus figura, in qua fuit deligatum, rectè, ac congruè reponendum, seu collocandum erit. Cum enim plura in eo, qui curatur, attendi tempora debeant, primũ vbi ad medicum accedit, aliquo modo figuratam habens affectam partem: alterum deinde, cum se præbet Medico, qui intuitus partem, & vitium eius cognoscat; & qua præparatione ad curationem opus sit; cui sequitur deinceps tẽpus præparationis, & postea intentionis, tum ossa componendi, vbi fracta sint, & restituendi vbi prolapsa, deinde alligandi, postremumque omnium sit tempus reponendi, seu collocandi, vt suspendendi in brachio, continendi in crure, & in locis iuxta spinam, & caput; commune est omnium vnum & idem, naturalis scilicet partium status, ad quem spectare illum iubet, qui postremo tempore vinculum diu seruandum constituit. Nam si membrum alio modo figuretur, dum alligatur, postremò tempore etiam mutabitur musculorum, venarum, & neruorum positio, & neque rectè continebuntur, nec rectè suspendentur. De repositione verò, seu collocatione fracti & alligati membri verba faciens Hipp. iubet, vt membra comminuta contineantur molliter, æqualiter, & altius excitata quæcunq; extant in corpore, cuiusmodi calx est, &

Gal. 3. de off med. com. 21

Hipp. t. 17.

est,& coxa,vt neque curuentur,neque peruertantur.Optimum itaque est molliter, æquabiliter, & sublimiores contineri. Molliter quidem, ne laborans eo loci prematur,& ob prementium sensum inflammatione periclitetur,neve coactus statum mutare, fractum membrum peruertat, quod seruari immobile debuit, & ex toto conquiescere. Quæ verò inæqualiter continentur, dolent simul, & deprauantur, cum alia parte sine fulcro sint,alia vrgeantur. Ad hęc vbi altius excitentur, defenduntur à materię cursu,cui,quum opportuna sint,quæ in inferiorem partem inclinantur, inflammatione pręhenduntur. Admonet autem Hippocr. partes potissimum extantes rectè continendas esse, vt neque curuentur, neque peruertantur: quia hæ si iusto altius excitentur, membrum curuabitur; si humiliores erunt, peruertentur. Collocandas autem esse singulas partes in eo situ, in quo iacere solent, çum otiosæ sunt,& in quo sanitatis tempore diutius permanere consueuerunt (quod quidem cum ipsamet proba figuratione coincidit) superius docuimus. In partibus enim commodè figurandis,& collocandis, id patet primo studēdum esse, vt minimè doleant. Verum si huiusmodi habitus a laborantibus non seruetur, sed alio modo iaceant sine dolore,haud diu mansuros esse clarum est. Vt autem comminuta membra facilius,& molliter,& æqualiter reponantur,ac reposita absq; dolore diutissimè conseruentur,nedum canales ex ligneis tabulis,aut crassiori charta confectos,in quibus membra fracta reponũt, gossypio,aut lana, vel stupis copiosis replent,intrinsecusq; substernunt;verum etiam easdem affectas partes mollibus in stratis reponunt: aut mollia puluinaria ex pluma,vel lana iisdem circũponunt,atq; deuinciunt. His omnibus indicationib. expletis,membro læso decenter collocato ad inflammationem arcendam, post clysteris, si opus sit,impositionem, quàm primum ita suadente Gal.sanguinem extrahere oportet,aut venæ sectione,dum vires, & ætas permittunt, & fractura non leuis momenti sit, aut cucurbitulis scarificatis, vel hirudinib.si hæc non adsint. Cum autem præsidia hæc non solum euacuationis totius corporis,verum etiam reuulsionis gratia adhibeantur, patet, in partibus iis, quæ affectæ sunt,oppositis,seruata tamen partium vel vasorum rectitudine,& debita distantia, administranda esse, & in summa ea omnia circa locum, sanguinis copiam educendam,& modum,obseruanda esse,quæ in vulneris ipsius curatione tradita fuere.Quo in loco petenda quoque sunt ea omnia medicamenta,quę vniuersi corporis expurgationem respiciunt. Hanc enim probat Gal.dum inquit monstratum esse, quod non solum venam incidere interdum oporteat, verum etiam per ventrem superuacua expellere. Dum itaque superuacanei humores à sanguine diuersi redundant, quia inflammationis periculum imminet, pharmaco purgante, quod præsertim tenues,biliosos scilicet ac serosos humores purget (hi enim ad affectam,doloreq; obsessam partem facilius cõfluunt) vtendum est. idq; potissimum in die post adhibitam phlebotomiam,& ante quartum ab ictu diem.Sit autem purgans vel syrupus ros.solutiuus,vel manna,vel flos cassiæ nouiter extractę,vel pulpa thamarindorum,vel huiusmodi aliud, quod potius refrigerandi, vel saltem minus calfaciendi vim habeat. Horum autem tum doses,tum conficiendi rationes in superioribus libris,atque tractatibus erunt perquirendæ. Pro dolore quoque submouendo,inflammationeq; prohibenda, Hipp.de topicis medicaminibus,quæ in fracturis vsurpantur,verba faciens, consulit, vt in affecta parte cerato molli, leui, puro,ac liquido vtamur. Quo quidem non solam vitiatæ partis cutem,vt Gal.nos admonet, inungendam censet, verum etiam subinde singulos fasciarum ambitus. Si enim cute tantum illita, siccas fascias dederis, eo præsidio affectas partes priuabis, quod per ceratum erant consecuturæ,cum lintea ceratum ipsum, quod cutem madefaciat absorbeant, & eam ob id siccam reddant. Voluit autem esse mollem, quia ipso vice perfusionis vtitur, quæ quidem hoc ipsum potest perficere, sed tutius id ceratum præstat, præsertim vbi tunc assidere Medicus non potest, nec ministrum nouit hominem laboriosum, quive sedulo det operam ægrotanti. Oportet autem ex eiusdem monitis inungere non ita liberaliter, ne fasciæ superinnatent, atque hoc modo deuincire. Cum enim in fracturis ad inhibendam inflammationem, nonnulla medicamenta adhibeantur, quæ linteis illinuntur, & his excepta imponuntur, vinculo superdato, alii humorem aliquem ingerunt ad rem idoneum, quale est vinum, vel per se, vel cum oleo, & sæpe liquidum aliquod pharmacum, cuiusmodi est ceratum hoc: cuius duplex est ratio: interdum enim ceratum ex rosa, vel oleo liquatur: interdum arida pix adiicitur, hincque piccatum ceratum nominatur. Sed liquida medicamenta spissa quoque sunt, & crassa, cuius-

Margin notes: Venę sectio. — Galen.6. metho.5. — Medicamenta. — Gal. loc. cit. — Purgantia. — Topica. — Hip.3.de off. Med.14. — Gal. in com. — Cerati conditiones. — Hippoc.1.de frac.t.21. — Gal. in com.

cuiusmodi est liquidum ceratum. Fiunt autem & ex emplastris inflammationem arcentibus liquatis in oleo, de quib. in lib. de medicamentis tum simplicibus, tum compositis loquutus est Gal. Hippoc. igitur liquido cerato vtitur, quod multò magis inflammationem coercet, quam quod durum est, seu quouis alio nomine libeat appellare. Modum autem vtendi indicauit inquiens, non ita liberaliter inungendum esse, ne fasciæ superinnatent, præteriens tanquam clarum non ita parum inungendum, vt iniecta lintea siccescant, priusquam tertio quoq; die resoluantur.

De aquæ perfusione. Verum quoniam vbicunque fasciæ resoluuntur, consueuerunt Medici omnes fracturas aqua calida perfundere, vtpote eius opem euidenter experti: ideo exigit fracturæ curatio, vt de aqua nonnihil etiam dicamus. In duobus itaque peccare solent ea vtentes, in modo scilicet, & qualitate: in hac quidem, quod calidiorem infundant, uel frigidiorem, quam opus sit; in modo quod longiori, vel breuiori tempore id faciant. Ideo Hippocr. temperamenti in quantitate iudicem constituit manum ipsius curantis, inquiens aquæ calorem vehementiorem esse non debere, quam vt infusa ferri possit à manu. insuper vbi primum fascias solueris, hac perfusa poteris de homine quærere nimis ne calida, an gelida sibi videatur: & ita calidiorem, vel frigidiorem perfundens pro ægrotante apposite temperabis. Temperatum ergo aquæ calorem iudicari primo nostra manu voluit, quem postea perfectissimè omnium iudicabit sensus ægrotantis. Copiam verò, & quamdiu in perfusione perseuerandum sit, docet Hippocr. dum ait: Vbi relaxandum, extenuandumque est, maximam esse debere, vbi caro producenda est, aut molliendum, modicam. inquit autem Galen. copiam hanc ex iisdem colligi animaduersionibus, quibus frictio, & quoduis præsidium calfaciens. Hæc enim admota non modo euocare possunt ad affectam partem, quod iuxta continetur, sed etiam digerere. Quocirca aquæ calidæ, & ob corporis modum, & ob diututniorem, & breuiorem vsum contrarij esse effectus videntur. Quoniam toto corpore inani digerit magis, quam euocat: contra repleto, magis euocat, quam digerit. Tum paruo tempore admota implet magis quam detrahat: sed si longior mora in perfusione sit, dirigendo plus potest, quam implendo. Iure igitur dixit, ubi relaxandum tenuandumque est, maximam copiam requiri; modicam vbi molliendum, & caro producenda. Extenuantur protinus, quæ exinaniuntur; non tamen ita protinus relaxantur, quæ extenta sunt, sed alijs medijs interiectis. quæ enim copia distenduntur, vti sunt omnia, quæ phlegmone tenentur, vbi exinanita sunt relaxantur: quæ verò frigore spissante, vbi calfacta sunt: quæ siccitate distenduntur, vbi madefacta, relaxantur. quare aqua calida potest, & superantem humorem detrahere, & solidum corpus madefacere. Hæc igitur aquæ calidæ uis est, quæ vbi pauca sit, quid præstare possit, proferre simpliciter non licet. Si quis enim iterum, vel tertio infudisse, aut per spongiam fouisse contentus sit, operam penitus luserit: sed, si modice perfusione vtatur, carnem producet, & emolliet, quibus tali præsidio opus fuerit. Quorsum verò adiecerim, quibus opus fuerit, cognosce. Moderata aquę calidæ perfusio graciliori corpore, ac repleto superanti humore calefactam partem implebit: sed si corpus macrum sit, & minimè repletum, carnem simul producet, & molliet. creatur enim caro in partibus, quæ temperatam naturam inter frigus, & calorem habent, & sanguis syncerus iusto modo ad illas fluit. Vtrumque autem efficit calidæ aquæ moderata perfusio. sanguinem enim concitat ad partem perfusam; & carnem prius existentem temperat; Si frigida erat, calfaciendo, si calida refrigerando, quia calorem euocat ad exteriora, & vtili humore madefacit, & ob id etiam refrigerat. In eo autem, quod perfunditur, subdit Hippoc. hac moderatione vtendum, vt dum intumescit, finiatur, priusquam resideat: primo enim attollitur, postea extenuatur. Modus igitur perfusionis, quæ carnem producere, & mollire debet, est, vt dum primum pars in tumorem assurgit naturali maiorem, desistamus antequam perfusus locus incipiat residere. intumescit: autem, tum quia funditur sanguis, qui in ea continetur, tum, quia à superioribus partibus eò descendit: post hæc extenuatur, quia multum sanguinis discutitur, tam eius, qui a superiori parte concurrit, quam eius, qui ibi subsistebat. Animaduertendum deniq; dum membrum fractum post septimum diem resoluitur, vt aqua calida perfundatur, præcipiendum esse, vt partem affectam quoquo pacto dimoueant, ita tamen, vt fractum os coaptatum immotum penitus seruēt nō enim ait Gal. debent diu affectæ partes immobiles haberi, sicuti nonnulli securitatis gratia faciunt; sed inflammatione sublata modice dimoueri, quod primò tantum faciendum

Gal. 3. de offic. Medic. com. 15.

Hip. lib. 3. de offic. Medic. tit. 15.

Tex. 16.

Preceptum vtile.

Gal. 3. de offic. Medic. com. 28.

ciendum est, quum affectæ sedi calida aqua infunditur, deinceps in balneis, postea etiam sine his. Omne enim corpus vbi in otio degit effœminatur, & imbecillum redditur; firmatur autem, & vires colligit, vbi aliquem vsum præstet. Verum quoniam ea omnia præsidia, quæ hucusque in medium allata sunt, per se primò ossa fracta agglutinare nullo pacto possunt, sed eò pertinent, vt fractum os probe coaptatum contineant, & ita compositum diutius conseruari possit: Ideo interim procurandum est, vt diuisæ ossis partes, cum præ sui duritie exactè coalescere absque alicuius corporis medij auxilio non valeant, saltem glutino aliquo vinculove coniungantur. Tale autem corpus medium, seu gluten, cuius merito connectuntur, poron Græci, nostrates callum appellant. Proinde maxima huius calli gignendi solicitudo habenda est. Eo enim ferulæ pertinent, inquit Gal. quo pannos ante diximus, nempe vt os fractum contineant. At quum ossa ob siccitatem naturalem nequeant carnis modo coalescere callo circa fracturæ oras increscente quasi quodam vinculo circundantur. Hic autem creatur de eo, quod superat ex ipso fracti ossis alimento. Quod si laborans vel non idoneo victu vtatur, vel plenus sit, id, quod superat, copiosius est, effusumque fascias totas veluti crasso sanguine madefacit. Quicquid igitur ex eo, dum effunditur, circa fracturæ oras concrescit, tempore ab osse, cui hœret, mutatur, & simile ipsi redditur, callusque nominatur. Ergo, si fracti ossis oræ agitentur, dimoueanturque, prohibebitur, quò minus adstrictum maneat, atque ob eam rem creari callus non poterit. Quod enim gluten lignis efficit, quæ glutinantur, id callus præstat ossibus fractis. Iure igitur summa quiete opus est ad fracturas, quæ callo debent solidari: nam si agitetur coactus callus, dissoluitur, perinde ac gluten, quo ligna cohœrent, & coactum lac. Summam verò hanc quietem dant fasciæ adstrictæ, ac earum multitudo, nec non ipsæ ferulæ. Vnum autem gignendi calli præfinitum tempus non est. Multum enim inquit Hipp. natura à natura, & ætas ab ætate distar, & insuper, vt ait Galenus aliæ sunt causæ cur nonnullæ fracturæ pluribus, aliæ verò paucioribus diebus consanescant, seu callo firmentur, quod quidem conferuere Hippoc. appellat. Sunt enim in causa anni tempus, regio, natura ægrotantis, anni temperatio, ratio victus, vinciendi modus, & fracturæ, fractiue ossis magnitudo. Nam citius conseruescunt, hoc est callo firmantur, & ob materiæ, ex qua callus oritur, quantitatem, ac qualitatem moderatam, & ob robur virium ipsam cogentium. diutius autem trahitur ex materiæ inopia. Quod enim breuiori tempore ob materiæ copiam vires efficiunt, id longiori præstant ob inopiam, & interdum etiam ob copiam immodicam. Callus enim concrescens abluitur humore, qui ab interiore parte fluit, vbi multus sit, & continuetur. Porro materia crassa commodè spissescit, & in callum vertitur; humor autem vbi aquosus fuerit, & habitu tenuis, spissando callo maximè est alienus. Vires quoque cum valent, maturè suo munere fungi, serò cum imbecillæ sunt, nihil attinet dicere. Quibus de causis callus diuerso tempore fractis ossibus circundatur. hæc autem ipsa, quæ nunc dicuntur, ob caussas prius positas mutantur. materia enim & plus, & minus abundat, & crassior est, ac tenuior ob temperamentum tam vniuscuiusque naturale, quam aduentitium ipsius fracturæ eo tempore quo curatur, & etiam ob victus rationem, qua homo vtitur, & ob modum, quo deligatur, præter hæc ætatem, tempus anni, regionem, ex quibus omnibus validiores vires sunt, aut infirmiores. Quamuis autem calli generatio in alijs citius: in alijs tardius eueniat: crassa tamen, & terrea hæc substantia, quæ ex genuino, & maximè idoneo ossis alimento redundans, propria est calli materia, diem circiter duodecimum, aut decimum quintum ab ossis fractura fere gigni, atque concrescere incipit, vt Recentiores testantur. Eius autem generatio ex eo depræhenditur, quia dolor, qui prius aderat, sedatur, nullus inflammationis, aut tumoris alicuius præter naturam metus adest, fasciolæ cruentæ apparent, nullo in parte oborto vulnere, in membro perfracto bonus, ac natiuus color efflorescit. Cum itaque pro callo gignendo, & accommodata victus ratione, & debito vinciendi modo Medicus vti debeat, de victus ratione in fine capitis, vti nostri moris est, loquemur. De vinciendi autem modo hæc habet Hipp. Vbi solueris, ait ille, aqua calida perfundito, & rursus alligato fascijs lenius, quàm ante, adstrictis, paucioribus item, quàm ante iniectis: inde tertio quoque die soluens rursus laxioribus fascijs, & paucioribus deuincito: hæc ille. A primo enim die, ait Gal. vsque dum ad ferulas veniat, & fasciarum numerum auget, & arctius adstringit: eas autem impo-

De cōgrua calli generatione.

Gal. 1. de fract. com. 41.

Hippo. 1. de frac. tex. 42. Gal. in com.

Hippoc. 1. de frac. tex. 43. Gal. in com.

nens

nens septimo die, membrum non soluit vsque ad vigesimum, statuere quasi firmam basim volens calli producendi, quo circundato fracturam penitus immobilem non amplius tuetur. nutrire enim callum oportet, vbi altius radices egit. nutritur autem, cum materia in ipsum deriuatur: quam sicuti ab initio auertimus ab affecta sede ad alias partes, ita nunc euocare debemus aqua calida perfusa. Quin & initio fascijs multis, atque adstrictis, quò minus ad vitiatum locum conflueret, ex toto ipsam prohibuimus: nunc paulatim numero demimus, pressumque laxamus, cum non expediat prohibere, ne confluat. Verum quoniam proprium, ac crassum scilicet ossis alimentum, ex quo callus gignitur nec eluendum, nec foras euocandum est, sed finendum, ideo in aquæ calidæ perfusione ita progrediendum est, vt ad partem affectam materiam calli quidem trahamus; non tamen foras euocemus. id autem fiet, si normam superius traditam de aquæ calidæ perfusione obseruemus, vt scilicet parte rubore, & tumore aliquo in perfundendo correpta, à perfusione desistamus, priusquam rubor, & tumor euanescat, & discutiatur. Hæc autem intelligenda sunt, dummodo callus conuenietem assequatur magnitudinem. Si enim aut maior, aut minor iusto sit, hic augendus, ille verò minuendus, & inhibendus. Vtrumque autem vitium corrigitur, & perfusionis quantitate, & qualitate, & victus ratione, de qua post, & medicamentorum, quæ extrinsecus apponuntur, facultate. Si itaque callus supra modum increuit, quod quidem ex eo cognoscitur, quod tactu percipitur, & musculos, neruosásq; partes comprimendo dolorem inuehit, & pars propter compressionem, & dolorem ad motum inepta redditur, tunc medicamenta digerentia conueniunt, quæ Gal. teste callos maiores imminuunt. quinimò cum recens adhuc callus est, Paulus valde adstringentibus pharmacis vtitur, compressam admodum deligationem adhibens, lamina plumbea interdum etiam imposita: quæ calli excrescētiam mirè reprimit, & imminuit. Efficaciter etiam subuenit, Celso auctore, multa leuisque ex oleo, & sale, & nitro affecti membri perfricatio, plurimusque ex aqua calida salsa fotus. alij quoq; probant, vt in altero pari membro sinapismus, qui aliquid erodat, ad ibi euocandam materiam, imponatur. Post hæc fracto membro malagma, quod digerat, imponatur, & arctius alligetur. Quod si callus durior videatur, emollentia digerentibus adijciantur. Vnde conueniunt emplastra ex radice altheæ, folijs maluarum, meliloti que in aqua decoctis cum axungia anatis: Et ante huius applicationem eorundem decocto locus affectus perfundatur. quibus callo emollito, fiant postea perfusiones ex aqua, in qua betonica, scordium, scabiosa, parietaria, & similia fuerint incocta. Fiat autem fomentum hoc non solum donec pars rubescat, & tumefiat; verum etiam donec tumor omnino discutiatur, & pars corrugetur. Laborans autem victu attenuante omnino vtatur. sed vbi ad mediocritatem callus redactus fuerit, rursus ad conuenientem ordinem, & rationem victus, de qua post, reuertendum erit. Si verò callus iusto minor sit, quod quidem cognoscitur, quia nullus, aut exiguus tactu percipitur, & pars ad motum debilis reddita est, & vel tenuis victus, vel cibi non crassi, nec viscidi, sed friabiles, vel fasciarum deligationes nimis coarctatæ, vel omnes huiusce modi causæ callum imminuentes præcessere, tunc contrarijs occurrendum præsidijs, & victus plenior adhibendus, fasciæ laxandæ, adstringentia pharmaca mitiora reddenda, & perfusiones ex aqua calida, nec non frictiones tam primum finiendæ, quam pars rubescit, & in tumorem attollitur. Ex medicamentis verò, quæcunque emplasticam substantiam habent (cuiusmodi est, quod ex pice conficitur) ac modicè calfaciunt, ea callos tum promouent, tum verò augent, quia alimentum copiosum ad locum fractum trahunt.

*

De malis,

De malis, quæ cum fractura complicantur, submouendis. Cap. VI.

Hip. 1. de fra ctur. com. 4. 4.

VERVM quoniam ea, quæ de callo ex arte gignendo posita sunt, intelligi debent, quum omnia recte procedant; ideo subdit Hip. quod si alligatis ferulis suspicio sit, ne ossa recte concurrerint, vel aliud quippiam infestet, vbi dimidium temporis præterierint, vel paulo ante soluere oportet, & rursus deuincire. Vbi enim sit sensus aliquis doloris vel exulcerationis suspicio, aut vereamur, ne fractura male composita sit, aut casu aliquo interueniente membrum motum sit, soluere vinculum ante vigesimum diem cogimur, quod quidem definiuit, ne quis existimet perpetuum esse, quod supra imperauit, scilicet fracturam quamlibet post iniectas ferulas vsque ad vigesimum diem seruandam esse penitus immobilem. Semper enim pugnare Medicus debet, aduersus id, quod magis vrget, neq; obligare se præceptis tanquam legi, quam contemnere nefas sit, quum omnia præter rationem eueniunt. Si itaque aliquod malum cum fractura connectatur, quod cõgruam ipsius curationem impediat, ei procul dubio occurrendum est, fractura tamen ipsa non despecta. De affectuum itaque præter naturam, quæ fracturæ accidunt, ablatione sermonem habens Hip. Vbicunque, ait, suffusio est, seu contusum, siue abruptio, siue tumor, si inflammatio nõ est, sanguinis plurimum à vitio sursum expellatur, reprimaturue, paulum verò deorsum. Sed nec brachium, nec crus dependeat. Fascia autem ab affecto loco incipiat, ibiq; validissimè insideat, extremis verò partibus minime, medijs modice; extrema item sursum adducta vinciatur: numeroque potius, quàm compressu fasciæ adstringant. Huc autem maximè accommodantur tenues, leues, molles, mundæ, latæ, valentes, vt quæ sine ferulis adhibeantur. Perfusione insuper copiosa vtendum. Hi itaque morbi omnes, quoad rationem victus, & medicamenta pertinet, aliam curationem exigunt: quantum autem attinet ad manum, vinciri cõuenienter debent, præsertim vbi ex præcedentibus vinculis oriuntur. Ceterum deligari hęc in lib. de fracturis voluit, fascia orsa à loco tumido: nunc verò à vitio partis, sed vinculum, quod ad fracturas pertinet, hic eatenus euariat, quatenus fascias plurimum ferri docet ad superiora, parum vero ad inferiora. Quod autem ait, sed nec brachium nec crus dependeat, maximum habet momẽtum, vti etiam superius docuimus, etiam in omnibus alijs fracturis. In illis enim cum primum alligantur antequam inflammatio, vel aliud ex dictis nunc vitijs accesserit, cautio est similiter, atque in his, ne quid ad affectam sedem concurrat, at non æquè in illis danda opera est, vt quæ affectam partem occupant, digerantur. Quocirca perfusionem hic adiungit, non quo illic quoque non adhibeatur, sed quo hic magis. Perfundenda enim copiosius hæc sunt aqua calida, vt quod in tumidis partibus collectum est, discutiatur. Igitur hoc quoque ad fracturas docuit, licet plus habeant ponderis in malis, quæ nunc commemorantur, nempe ea de causa, vt citra omnem pressum digerantur, ac ideo sine ferulis quoque deuincit, ita vt iunctura hæc duplici modo differat ab ea, quam fracturæ postulant, tum quod fascias requirat minus arctatas, potissimumque leues, tenues, molles, mundas (his enim maximè egent, quæcunque adstringi leuius oportet) tum quod digestione opus sit vehementiori. Addit autem vnumquodque ex propositis vitijs inflammatione vacare debere, si, qua docuit, ratione curandum sit. Siquidem inflammationes ne modicum quidem pressum ferunt. Contra eas igitur nitimur per cataplasmata per assiduam calidæ aquæ perfusionem, & per liquida medicamenta, quæ succurrere scilicet inflammationibus possunt, de quibus in proprio sermone sermo erit. Ex horum autem numero illud præsertim à Recentioribus vsurpatur, quod Recipit radic. althææ, flor. chamomel. violarum ana manip. j. coquantur in aqua, & contundantur, & postea adde farinæ hordei vnc. iiij. Sapæ, olei rosat. viol. ana vnc. iij. vini nigri austeri quant. suff. misce & fiat cataplasma, quod parti affectæ modicè calidum imponatur. Si verò inflammatio sit in principio, vel augmento, licet aliquam balaustiorum, ac plantaginis portionem ijs, qua decoquuntur, addere. Si autem dolor vrgeat, præter ceratum rosaceum, quod præstantissimum est, & fomentum cum spongia in aqua calida expressa, in qua malua, & chamæmelum sint incocta, probatur quoque lana succida in oleo, & aceto simul permistis, & deco-

Hip. 3. de off. Med. 30.

Ad suffusionem, abruptionẽ, & tumorẽ citra inflammationem.

Gal. in com.

Ad inflammationem, & dolorẽ.

decoctis infusa, aut spongia ex oleo rosaceo expressa, & applicita; vel inunctio ex oleo chamæmelino lumbricato. Quibus actu calidis adhibitis linteum vino nigro stiptico madefactum superponendum. In inflammatione autem,& dolore, deligationem,si iam facta est, statim soluimus, & ea, quæ proposita sunt, parti dolenti, & inflammatæ admouemus. Priusquam autem hæc fuerint sedata, neque deligatura vtendum, neque ferulis,nisi duntaxat eatenus,vt membrum fulciant,& laxè admodum medicamentum contineant. Inflammatione vero ac dolore sublatis,deligationes, & ferulæ,vt supra docuimus,adhibeantur. Si verò noxius pruritus accesserit, & erosa à saniei acrimonia (vt aliquando accidit) ipsa cute, excoriatio,aut exulceratio excitetur, aquæ temperatè calidæ tantum superinfundere oportet, quantum ad euocandam eiusmodi saniem est satis, vti supra cum Hippocr. & Galeno docuimus. Recentiores autem Chirurgi aquam salsam insunai præcipiunt,aut vnguento albo,vel linimento simplici, vel populeone vocato, vbi æstas sit, vel corpus præcalidum, membrum illini, & fracturarum more iam proposito deligari: alijs autem temporibus ac temperaturis vnguentum è lithargyro, vel de minio magis probatur. Si verò carnes fracturæ circunstantes valde contusæ sint, vt gangrænæ periculum euitetur,partem affectam scarificato. Quod si gangræna quoque ipsa, aut alia quæpiam serpens putredo iam inualit, partem affectam statim ab initio acri lixiuio, in quo scordium, & plantago incocta sint, abluere,ac per fundere debemus: deinde emplastrum ex lupinorum farina, puluere scordij, & oxymelite cum modico lixiuio confectum admouendum erit. Si verò callus ægrè proueniat: quia nimis ualenter siccata sint ossa, optimum est ossibus ita resiccatis, tertio uel quarto die modicè aquam calidam infundere, hanc metam finiendæ per fusionis habentes, cum carnes in rubrum tumorem attolluntur: priusquam enim desidere incipiant,desistendum. Contra si humiditas abundantior calli generationem impediat, hanc siccare oportet, & conuenienti deligatura, & aquæ calidæ perfusione, quæ plurima sit,& non prius desinat,quàm, quod ex perfusione intumuit,subsidat. De fractura autem cum uulnere tractationem particularem, eo, quia maximi momenti est, quemadmodum fecit Hipp. instituemus. De uictus pot ro ratione fracturis conueniente hæc habet Hippocr. Quibus initio cutis non abrumpitur, neque os cute excedit, idonea est ratio uictus prope quæuis, id est media inter quamuis simpliciter, & exquisitam uocatam. minus tamen, subdit ille, ci bi sumant usq; ad decimũ diem, præsertim cum quiescant. Quemadmodum enim inquit Gal. in horum uerborum expositione: exquisitam uictus rationem imperat, quib. initio præter ossis fracturam, carnis quoq; uulnus accessit, ac præcipuè, quum ex fracto osse aliquid cute excedit; Simplicem verò id est, quamuis, illis, qui omnino periculo vacant, ita prope quamuis, mediamq; proponit, quibus os fractum est primis diebus: quorum terminum constituit decimum, non quod non interdum maturius, interdum serius mutare victum liceat; sed quòd plerunque ita accidat. Viitur autem media victus ratione, quia neque ita magnum periculum est, sicut cum ossa nudantur, neque ita res tuta, sicut cum intacto osse, caro simpliciter vulneratur: præsertim cum vsque ad decimum diem ex toto quiescant, quia par est, exquisitiori victu sustinendos esse quiescentes, quam qui mouentur. Id autem præcepit Hip. quia, dum fractum membrum suspendi potest, post decimum diem ægrotantes deambulare sæpius permittimus, vt infra apparebit, dum de brachio fracto loquemur. Adhibeant autem ex obsonijs mollibus, quæcunq; aluum modicè deijciunt, ptissanam videlicet, betam, aut maluam, atriplicem, siue blitum vel cucurbitam, & pisces teneros. Sed à vino, & carne sibi temperent. Cum enim æger carnem edit, & vinum potat, victus simplex est, & quiuis vocatus: cum solo ptisanæ cremore, & mulsa viuit, victus tenuis est, & exquisitus: cum adhibent ex obsonijs mollibus, quæcunque aluum deijciunt, victus est prope quiuis dictus, & inter vtrumque medius, quem vsque ad decimum seruari præcepit. Tum paulatim se reficiant. ait autem paulatim, cui contrarium est repente, quia damnat, quod subito plurimum implet, aut demit, vel quid aliud præstat. Quare post decimum diem, quo tempore callus gignitur, victum paulo pleniorem, quam ab initio, laboranti instituito, & cibos qui boni succi sunt, vt Gal. nos admonet, & multum nutriant, exhibeto: & quæ offeruntur alimenta talia sunto, ex quibus prouenire succus soleat, non solum bonus, sed etiam tenax, ex quali fieri callum maximè expedit. Talia autem sunt ex Auicenna risum, vel oriza, panis similagineus, qui ex optima, purissimaque tritici farina conficitur, nec non pedes ven-

tres,

Margin notes: Ad pruritum. — Ad contusionem, & gangrænã. — Ad nimiã partis siccitatem, & humiditatem. — Victus ratio. — Hippo. 1. de frac. tex. 45 — Gal. in com. — Tex. 46. — Tex. 47. — Tex. 48.

tres, & capita animalium sed præsertim hœdi, & veruecis. Hæc enim multum alunt, & crassi, & tenacis succi sunt. Hoc quoque tempore vinum crassum, & stipticum audacter concedimus. Verum circa crassorum, ac viscidorum esculentorum vsum illud summopere in illis, qui decumbere coguntur, & in quibus fracta ossa suspendi non possunt, animaduertendum est, ne vel venarum iecoris angustia, vel iecoris, & renum nimia caliditas, hæc crassiora, viscidioraque alimenta prohibeat; à quibus sæpius, & febres putridas, & ischurias vitio renum productas fuisse vidimus. In his itaque, præter id, quod à cibis adeo crassis, & viscidis abstinere debemus, & mediocribus, longiorique tempore callum creare: medicamentis quoque, & stratis, quæ renes modicè refrigerent, extrinsecus occurrere optimum est. Dum autem callum maiorem, quam par sit, imminuere volumus, contraria victus ratione, attenuante scilicet & parum nutriente vtimur. Ob id Celsus in hoc casu oleribus potissimum, ac vomitu ipso vtebatur. Si verò ossa ipsa vel propter Medici imperitiam, & prauam deligaturam aut propter motus ægrotantis inordinatos, adeo prauè ferruminata, & inuicem agglutinata sint, vt nedum praua, & distorta læsi membri remaneat figura; verum etiam idem membrum ad motum ineptum reddatur, si recens adhuc callus sit, & non vltra sex menses radices egerit; patiens verò sit robustus, ætateque florens, & os fractum non adeo magnum sit, consulunt omnes, vt rursum frangatur, & congrua coaptatione adhibita rectè dirigatur. Id autem hoc modo fit: Calida aqua multa, vel decocto aliquo emolliente diebus quindecim, vel circiter membrum affectum fouetur, & ex cerato liquido perfricatur, aut emplastro ex althea, vel cataplasmate ex ficis pinguibus aridis, alijsque medicamentis callum soluentibus contegitur. Deinde facta sufficienti emollitione modo superius proposito à duobus ministris, qui in diuersa trahant, intenditur: & inter hæc Medicus pertractans ossa manibus ea diducit, idque, quod eminet, in suam sedem compellit: & si parum valuit, ab ea parte, in quam ossa inclinant, inuolutam lana tegulam obijcit, atque ita deligando (vt inquit Celsus) assuescere iterum vetustæ sedi cogit. Si verò ab osse perperam feruminato vetustas iam occupauit, & callus vehementer obduruit, aut laborans imbecillis sit, aut os fractum magnum, optimum est Albucasis consilium scilicet manum illi, propter praua, ac lethalia, quæ suboriuntur, symptomata, non admoliri. Et hæc de fractis ossibus in vniuersum satis erunt.

Si os fractum prauè coaluerit & distorta membri figura suborta sit.

De Fracturarum differentijs, & primo de fractura Brachij. Cap. VII.

HIPPOCRATES reliquis omnibus fracturarum differentijs prætermissis, eas tantummodo persequitur, quæ ab ipso subiecto, & subinde à fractorum ossium diuersitate desumuntur. Aliæ siquidem differentiæ nihil prorsus aut penes cognitionem, aut curationem exigunt, quod in illarum vniuersali tractatione non contineatur, & insuper ab his, quæ de fractut. in 3. lib. de offic. Medici vniuersaliter docuit, hauriri non possit, vnica differentia excepta, quæ impropria cum sit, rectius complicatio quædam dici debet: Ea autem est fractura, quæ cum vulnere à prima sui origine coniuncta est, de qua posttemo loco verba facit: quia solennis veteribus doctrina maximè naturalis est, qui de singulis simplicibus affectibus seorsim præcipiunt, post deinde de compositis alteram aliquam methodum indicant. Nos itaque eundem Hipp. imitati easdem differentias examini subijciemus, & alijs omissis (quarum curatio ex vniuersali à nobis iam instituto sermone à quolibet, alioquin in hac arte parùm exercitato, perfectè colligi potest) de fractis ossis brachij, humeri, cruris, femoris, nasi, de fractis clauiculis, ac costis, & postremo loco de fractura cùm vulnere à primo sui ortu complicata particularem sermonem instituemus. Hæ siquidem differentiæ sunt illæ, quæ penes curationem ipsam non parum variati ab Hip. & alijs magni nominis auctoribus visæ sunt. De aliorum autem ossium fractura separatum tractatum non apponemus, quia licet pes hominis ex multis minutisque ossibus constet, quemadmodum & manus, nihilominus ossa hæc, quemadmodum docet Hipp. & experientia ipsa, fere non rumpuntur, nisi acuta, vel graui quapiam re

Hip. 2. de fractur. tex. 8. & 9.

carnosæ

carnosæ partes vulnerentur. De fractura autem cum vulnere postremò loco, vt dictum est, loquemur. Carnosa enim pars extremis membris minima est, plurima autem in humero, & femore. Ea igitur tota facile læditur, vbi extremum aliquid super manum, vel pedem incidat, quod ex ipsorum ossibus frangere aliquid possit. nam ossa, quibus extrema membra continentur, sub ictu alioquin vehementi non facilè rumpuntur; sed ligamenta ossium magis franguntur, quam ossa ipsa cuius causa est, eorum non tum exiguitas, quam durities. Sed neque externa cum magna vi supercidunt, possunt hæc ossa facile perfringere, nisi duriora illis sint, & grandia, at quod tale est, neque carnem inuiolatam relinquit, quemadmodum nec ictus ab acuta re. nam & hic priusquam attingat ossa, quæ ipsi superiniecta sunt, discutit. At verò in fracturis curandis, ab ipso brachio fracto exordiri voluit Hipp. & quia appræhensorium organum humanæ vitæ apprimè necessarium cum sit, sæpius, quam reliqua ossa, frangi solet, & quia vt scribit Hippoc. brachium fractum non magno negotio pertractatur, idque (vt ita dicam) cuiuis Medico facile est. *Gal. in comment. 9.* *Hippoc. 1. de fract. tex. 5.*

Prognostica. Quantum igitur attinet ad prognosticum, scribit Hippo. quod quotiescunque ossium brachij non vtrumque fractum est, sed vnicum tantummodo, facilior curatio est, vbi rumpitur illud, quod superius est, & radius dicitur, etiamsi plenius sit. Huius autem facilioris curationis duplicem causam assignat Hippocrates, quarum vna est, quia os, quod subiectum est, & cubitus dicitur, integrum remanens fundamenti vicem præstat, cuius merito os fractum coaptatum atque repositum facilius immotum conseruatur: secunda causa est, quoniam facilius reconditur præterquam in vicinia manus. Superius enim os, nempe versus dearticulationem contegitur. id verò quod subiectum est, nempe prope summam manum, minimè carnosum est, ægrè conditur, ac maiori vi extenditur. Quibus aliam causam addere possumus. Ea autem est: quia osse subiecto, cubito scilicet, incolumi seruato, mitella, de qua post loquemur, facilius, ac tutius suspenditur. Ait autem idem Hip. quod plerisque summum triginta diebus brachij ossa conferueant, id est, callo firmantur. Nihil autem perpetuum est, multum enim natura à natura, & ætas ab ætate distat. quinimo alæ quoque causæ sunt, cur non omnes brachij fracturæ triginta diebus consanescant, sed quædam paucioribus. Sunt autem anni tempus, regio, natura ægrotantis, anni temperatio, ratio victus, & vinciendi modus, quæ quidem vel abbreuiant, vel protrahunt tempus generationis calli, eo scilicet modo, quem in sermone vniuersali, dum de congrua calli procreatione loquerentur, proposuimus. *Hip. tex. 18.* *Tex. 41.* *Tex. 42.* *Gal. in com.*

De brachij figuratione. In brachij verò figuratione, inquit Galen. constat eundem habitum esse debere, qui minimè dolorem creat, & qui musculos nullo modo peruersos continet: quod apertè Hippo. expressit, volens brachium cubito tantum inniti, nō ex toto curuatum, aut extentum; sed in medio inter hęc collocatum, quem habitum docuit optimum esse, primo quod cubiti os longius est radij sede, ipsumque firmiter sustinet: deinde quia musculi, qui oriuntur ab interiori tuberculo humeri, extrema habent ab interiori parte totius brachij: qui ab exteriori incipiunt, ab exteriori finiuntur. Ex duobus verò, quibus hic interiicitur, supinus musculos plurimum peruertit, & vehementem dolorem mouet, pronus minus peruertit, minusq; dolori est: ob idque scribit Hip. quod si in hanc vel illam partem declinatio fiat, si in pronum habitum id fiat, leuius peccatum est, quam si in supinum. Verum quoniam Hip. tempestate nonnulli sophistæ reperiebantur, qui hæc penitus ignorantes, prauè ante extensionem brachiū figurabant, & optima figuratio maximum habet in fracturis momentum, cum non solum extensione; verum etiam in coaptatione, deligatione, & repositione totocurationis tempore requiratur: ideo subdit Hip. quod Medici, qui nihil consilij capiunt, & ante naturalem brachij habitum nihil attendunt, plerunq; nihil errant, & melius curāt, quam qui male ratiocinantur. Idiota enim qui alligandus est, Medico brachium porrigit figuratum, quemadmodum minimè dolore afficiatur, instructus à natura, quam nunc iustam Hip. esse ait. quippe quæ generationis initio, & postea in tota vita degenda conuenientem singulis partibus habitum inuenit. Omnes enim homines natura singulas partes figurant, quemadmodum minimè dolore afficiantur, quem habitum indicat Hipp. esse maximè rectum. Porrigunt enim ægri seipsos ita figuratos, atq; ægrè ferunt, vbi aliliter à Medicis collocentur, renituntur q; atq; ob dolorem ducenti non parent, & ita præstantiores sunt Medicis, qui, cum sibi sapientes videantur, male brachium figurāt. Nullus enim idiota Medico brachium porrigit resupinatū, quia habitus hic, vti diximus, ab idolentia multum abest. Ex modis itaq; quibus brachium figuratur, *Gal. 1. de fractur. com. 1.* *Hip. 1. de fractur. tex. 3.* *Tex. 4.* *Gal. 1. de fractur. com. 11*

extensio flexui contraria est; supinus habitus prono. Hi ergo extremi sunt,& quasi quatuor habituum excessus: duo alij medici sunt, vnus inter extremum flexum, & extensionem angularis ab Hippoerate dictus; alter inter pronum, & supinum, sub quo ait eubitum radio subijci, ambosque iustos ac rectos dicit. Si quis ergo brachium figurauerit, vt Hippoc. iussit,musculi qui ab interiori parte cubiti oriuntur, roti ab interiori parte siti erunt; qui ab exteriori, in hac similiter continebuntur, quemadmodum qui à superiori, positum à superiori ruebuntur in vniuerso membro. ab inferiori autem cubiti parte nullus situs est omnino musculus, suspensum itaque brachium in eodem habitu continebitur,in quo fuerit colligatum, neque dolori erit, aut molestiæ, siue ingrediatur homo, siue cubet. collocari autem sic hominem oporter, vt id ossis quod excedit, ad lumen, quantum maximè potest, illustre conuertatur, ne chirurgicum lateat, dum intendit,quando satis fuerit directum. Porro qui vsum habeat, quum admota manu os excedens continget, rem optimè compræhender. Quod si ægri vires, & fracturæ magnitudinem intueamur, ipsum modo iacentem, modo sedentem vinciemus. Verum vtrouis modo collocetur, vt vitiata pars conspectui magis pateat, ex luminibus, quæ dantur, spectare debet ad maximè illustre. Vbi autem radius, seu os, quod superius est, fuerit comminutum, simplicrori vi, & quæ non magno negotio adhibetur, opus est ad intendendum; vbi cubitus, & quod inferius est os, validiori egemus; vbi vtrumque, vehementiore adhuc extentione opus est. & quamuis Hippoc. puerum viderit plus iusto intentum, non est tamen, vt minus, quam par sit, intendamus; quod dictum sit, quia, vt ait Hippoc. plerique minus, quàm res postulat, extenduntur,quod quidem & propter laboranris dolorem, & propter eiusdem & ipsius chirurgi timorem contingere solet. Intentione adhibita, conuenit admotis prominentioribus palmarum partibus os fractum dirigere.quidam autem volunt prominentiores palmarum partes appellari eas,quæ pollici subijciuntur. Ipsius autem facta directione deligandum erit eo prorsus modo, quem in vniuersali superiori tractatu docuimus. In ipsius autem repositione, seu collocatione,cura habenda est, vt docet Hippo. ne manus inferior iunctura cubiti collocetur,ne sanguis ad imum fluat,sed paulò superior retineatur. Constat enim,vbi membra dependcat,ad ima concurrere materiam,ac propterea quemadmodum qui totum diem inambulant, quibusque crura calidiora sunt,maximi momenti censent, noctu hæc vniuerso corpore sublimiora continere, ita iubet, vt caueamus, ne manus dependeat,sed sublimior collocetur; nō tamen multò sublimior,sed paulò:quia si cubiti iuncturā multò sublimiorē figurari iussisset, talis habitus dolorem afferret vniuerso brachio,potissimumq; musculis à ptiori parte humeri sitis. Verum quoniā fracto brachio ante decimum diem laborans plerumq; cubat brachio(vti supra ostensum est)ita figurato,vt manus paulò sublimior haberetur;à decimo autē die nō amplius cubat,sed inambulare incipit,ideo Hip. vult diligenter animaduertēdum esse, qua ratione totum brachium suspendatur,eo scilicet,vt fieri consueuit,ex ceruicibus suspenso:inquitq; quod si vtroq; osse comminuto,vel eo,quod subiectum est,tantum, id est solo cubito,deligatū brachium mitella suspendatur, eaq; plurima circa fracturam detur: partes verò hinc,atq; hinc suspensæ sint,necesse est os ad superiora peruerti: Et hic est primus modus,quo mitella brachio male subijcitur,quia fracturā solummodo sustinet;partes autem hinc,atq; hinc suspensæ manent.Secundus modus prauus est, vbi extremæ brachij partes, & supra à cubiro, & infra à manu diligenter mitella fulciuntur, medium verò non suspenditur. Tertius,& quartus modus similiter viriosus est, vbi interdum prior brachij pars, interdum posterior mitella excipitur; cum tamen mitella sic adhibenda sit, vt brachium vniuersum sustineat, totumque æqualiter amplectatur, neque vllam partem eius relinquat,quam non fulciat. His quatuor prauis modis possumus quintū addere,qui omnibus illis sit communis,dum scilicet brachio mitella subijcitur angustior, quā vt totum membrum complectatur. Sub priori autem malo suspendendi modo deprauatur brachium in superiorem partem conuersum,quia os ad superiora peruertitur. Sub secundo modo in inferiorem inclinat: quia si mitella manum duntaxat,& articulum cubiti excipiat, reliquum verò brachium suspensum sit, inquit Hippoc. deprauatum inclinabitur deorsum, & quomodocunque id accidat,eum habitum,quo membrum callo solidabitur, in posterum perpetuo seruabit. Quare sæpius necessarium est, vt habet Galenus, quæ sic peruersa sunt, à nobis de integro abrumpi, extentoque membro rursus fracturam, qualis initio fuerat,reddere cogimur, nam callum

extenden-

Hip. & Gal. 1. de fractu. 16. & 17. tex. & com.

Tex. et com. 19. & 20.

Hippo. 1. de fract. tex. 22

Hip. tex. 51. 52. & 53.

De eiusdē extensione, directione, ac deligatione.

De brachij fracti repositione.

De mitellæ suspēsione.

extendendo dissoluimus, rursusque operam damus, vt callus increscat, fractura conuenienter figurata. Vbi autem solus radius, seu os superius frangitur, quia quod subiectum est, fundamenti vicem præstat ei, quod abruptum est, atque ipsum deprauari non patitur, in metella suspendenda errores propositi contingere non possunt, quemadmodum vbi vtrumque os, vel solum inferius comminuatur; minus tamen peruertetur brachium, vbi cubitus solus frangatur, quam vbi vtrumque, quia radius, vbi intactus sit, cubitum quodammodo secum dirigit, si rectè vinculum adhibeatur: tueri tamen ipsum à deprauatione ex toto non valet, vbi aliquis error fit in suspendendo, quia cubitus subiectus nihil habet, quo fulciatur, præter vinculum ipsum. sub tertio autem, & quarto prauo modo suspendendi; membrum non ita peruertitur, quemadmodum sub primo & secundo, dummodo in deligando nihil peccetur, & potius ad superiora peruersio accidit, & propterea hos duos modos, tertium scilicet & quartum præterijt Hip. tum quia leuem omnino noxam afferunt, tum quia ex alijs & ex optima suspendendi ratione intelligi possunt. quemadmodum etiam & quintus modus vnicuique perspicuus erat; qui omnium minimè, data conuenienti deligatura, brachium peruertit, & potius ad latera, dum ipsum omnino non complectitur, delabi sinit. Optimus itaque modus ab Hippoc. proponitur, dum ait, quod debet brachium suspendi per mitellam latam, mollemque, multum brachij cum prima palmæ parte æqualiter sustinentem. Hæc fracti brachij propria sunt præcepta, quæ reliquis fracturis communia sunt, in superiori tractatu perquirantur. posthac quæ fracti humeri propria, ac peculiaria sunt, persequemur.

De humeri fractura. *Cap. VIII.*

Extensio. VBI humerus perfringatur, iustissima intentio, inquit Hip. ad ipsum sic adhibetur; Toto brachio sic figurato, vt cubitus cum humero ad rectum angulum collocetur, præcipiendum est hominem sedere: deinde iuxta ipsum à priori parte, lignum, quod cubitum æquet, vel paulo breuius sit, *Hippo. 2. de fract. tex. 3.* qualia sunt ligonum manubriola, habena ab vtraque parte alligatum, transuersumque suspenditur, & immobile redditur, sic, vt dum manus admouetur, nec sursum feratur, nec deorsum, quod continget, si ab vtroq; extremo habenis vinciatur, quæ ad aliquid sublime religentur, vt lignum inde suspendatur; homo autem laborans sublimiori alicui sedi insidet, brachiumque super manubriolum imponit, sic, vt in alam indatur ea moderatione, vt ille vix considere possit, nihilq; propius sit, quam vt suspendatur. Sedere autem ægrum iubet Hipp. vt vires, dum manus adhibetur, sufficiant; neque propterea, quod stet, conuellantur; neque in humiliore sedili hominem collocat, sed quam maximè potest alto, quum sedet, & ob ipsum Medicum, vt rectus agere possit, neque plurimum cogatur deorsum inclinari: & ob ægrotantem ipsum, cui magis expediat ita sedere. Solent enim quibus brachium extenditur, præ dolore ducentem sequi, atque attolli, nec in eadem sede penitus, qua collocati sunt à principio, permanere; quo fit, vt intentio remittatur. Hoc igitur cauens imperat, vt homo sedeat, quantum maximè potest, sublimis, & prope suspendatur, ac si paulum attollatur, stet: quod vbi eueniat, neq; ipsum ægrū, neq; alios latebit, atq; vbi non lateat, paruo negotio rursus vel ab alijs, vel per se ipsum in priorem sedem restituetur. Quin vbi homo ita sedens stabit, paululum mutabitur; plurimū verò, vbi humilior fuerit collocatus. Quare ex sessionis mutatione minimum læduntur, qui sublimiori insident sedili: plurimum, qui humiliori. Constat itaq; transuersum lignum ab Hip. ea de causa sub alam demitti, ne brachio ab inferiori parte intento, æger sequatur, & intentionem soluat. Posthęc autem, inquit Hipp. aliquid aliud paretur, cui brachium ipsum inhæreat, scorteo puluino superdato, vno, vel pluribus, ita vt ad eā altitudinē perueniat, vt cubitus ad rectum angulū cū humero collocetur. Deinde ab imo humero iuxta cubiti articulum graue aliquod suspendatur, ex ferro scilicet, ære, aut plumbo confectū. commodissimè verò lorū molle, latūq; vel habena valida, & lata imo humero circundatur, atq; inde magnū illud pondus suspenditur, quod os fractū extēdere conuenienter possit, aut in vicē huius robustus aliquis in inferiorē partē cogit, cubito cū humero ad rectum angulum figurato. Gal. verò sæpius sine ligno trāsuerso, seu manubriolo sub alam

demisso, solitus erat extensionem facere, idque per laqueos alæ circundatos, quorum extrema versus posteriorem partem extendenda sunt. non secus eriam alijs laqueis circumligatis fractum os in diuersa diducimus, vbi intentio, quæ per manus adhibetur, imbecillior sit, quàm oporteat. Verum si hanc credamus posse per se effectum præstare, vti in puerili corpore, non opus est laqueis, & mulro minus machinamentis habentibus axes, ad quos extremos laqueos alligantes valentius in diuersa contendamus: quo extendi modo ad luxata potissimum vtimur. In ea autem extendendi ratione, quam nunc probauit, debet, vt ipse subdit, Medi-
Tex.4. cus curare, stans altero pede super quapiam re sublimiori collato (hunc enim tanquam firmiorem chirurgici habitum eligit, de quo in lib. de offic. Medici scribebat, stantem oportere pariter ambobus pedibus bene insidere, sed agere alteri insistentem, at non eius partis, cuius manus agit) componere autem os prominentioribus palmarum partibus. facile autem componitur, ea enim extendendi ratio optima est, si quis conuenienter ipsam adhibeat: post fascias inijcere debet à fractura orsus: reliqua verò omnia, vt antea iussimus, exequi, eademq; de homine requirere: tum ex ijsdem indicijs intelligere, moderata, necne sint: ac tertio quoque
Tex.5. die soluere, & rursus deligare, arctiusq; adstringere: deinde septimo aut nono die ferulas alligare. quod si vereatur, vt rectè ossa cōcurrerint, interea soluere, dirigensque rursus deuincire. Quemadmodum verò de brachio agens, iubet septimo die simplicirer ferulas circundari; ita in sermone de humero ait, septimo, aut nono ferulas alligandas esse, eò, quod in humero ob musculorum, quibus continetur, magnitudinem, quæ circa fracturam sunt, diuturniori tempore ex toto gracilia fiant, laxaque. Vbi verò talia essent, ostendimus opportunè tunc ad ferulas veniri. Humeri autem os ferè quadraginta diebus conferuet. Quò enim grandius est humeri
Tex.7. os, eò longiori tempore per callum glutinatur. Illud insuper ignorare non oportet, quod humerus sui natura ab exteriori parte gibbus est, & peruerti facilè solet, vbi male curetur. Quin & alia ossa omnia, quæ naturaliter aliqua parte gibba sunt, vbi comminuta curantur, facile ab ea peruertuntur. Ergo vbi tale aliquid timetur, lata fascia humerum excipiens in orbem circa pectus agatur, & quum quiescere humerum oporteat, pannus multiplex implicitus inter cubitum, & latus subijciatur, vel aliud quippiam huius generis aliud. hac enim via os gibbum dirige-
Gal. in com. tur. Est autem cauendum, ne nimis in interiorem partem conuertatur. Iubet autem Hippocr. vt multiplex pannus inter latus, & cubitum demittatur, ne humerus attingat latus, sed in medio spacium sit, quo compulsus habena ad pectus adducente minimè deprauetur, quum natura in exteriorem partem spectans ad interiorem conuersus dirigitur.

Repositio seu collocatio.

De crure, ac femore perfractis. Cap. IX.

Hippoc. 2. de fract. tex. 60 & 40. & 41 vsque ad 52.

Extensio.

SI integra cute vtrumque cruris os comminuatur, validius intendendum est, quatenus corpus hac etiam parte validius est. At si alterum os abrumpatur, lenius intendendum est, sed non propterea omittenda intensio est, aut negligenda: potissimum autem, vel cum fractura primò deligatur, vel certè quam celerrimè extendenda semper ossa sunt, dum in suum locum reuertantur. ex ossibus autem cruris interius, quod apparet in priore parte cruris, intensionem postulat valentiorem. Dum itaque vtrumque os frangitur, ferè satis sunt duo homines robusti, qui in diuersa contendant; vnus ab vna parte, alter ab altera. Extendere autem recta secundum naturam oportet, & è regione cruris, ac femoris: tam si huius, quam si illius fracti ossa extendantur. Si verò vna pars fracturæ valde super alteram excedat, aliquo vtendum est ex proponendis intendendi modis, quam abunde quoque sit, & per homines extendere. Qui vbi nequeant abundè extendere, facile est validiorem intentionem adhibere. Nam vel rotæ modiolum defigere oportet, vel aliud quid simile, quod recipere possit imam partem vectis, aut putilli, per quem membrum debet ab inferiori parte extendi. Vbique enim ex illis quæ ad curationem conducunt, illis vti debemus, quæ in promptu sunt, vti est rotæ modiolus, qui præsto nobis esse potest vbiuis gentium: Tum molli aliqua re pedem
obuoluere

obuoluere oportet, bubulisque loris latis circumligare, & eorum capita vel ad pistillum, vel vestem, vel ad aliud lignum deuincire, eiusque imam partem in modio lum demittere, & summā recurnare : alios verò ministros & à femoris capite, & à poplite in contrariam partem extendere. Sed à superiori quoq; parte adhiberi vim licet, hoc est, valentem in vtramque partem intensionem. Licet quoque altè lignum defigere rotundum, ac læue, sic, vt pars eius extet, quæ inter crura media, inter anum, & naturale, seu in perinœon, dimittatur, vt prohibeat sequi corpus, quod à pedibus extenditur: Deinde ne corpus inclinetur in id crus, quod extenditur, collocare aliquem à latere oportet, qui clunem repellat, ne corpus ducatur, & in ea parte tractum, & inclinatum permittat crus ducentem sequi. Vbi enim id accidat, intentionem remitti necesse est. Idem quoque fiet, si ad vtramque alam lignum figatur, brachia verò seruentur extenta, & alius genu præhendens in contrariam partem adducat. hoc enim pacto totum corpus extentam membri par rem non sequetur. Nihil etiam prohibet, si placeat, lora alia ad genu, vel ad femur alligare, aliumque rotę modiolum post caput hominis figere, loraque ad aliquod lignum date, quod in modiolum demittatur, & ad contraria, atque ad pedes attrahat. Pro modiolo etiam poteris lecto mediocrem trabeculam subijcere, eiusque vtrumque caput stabilire, lignis recuruatis lora extendere. Si enim modioli præsto non sint, lignum, quod lecti, super quo æger iacet, longitudinem æquet, subijciendum est. nam ligni capita modicè vtrimque lectum excedentia, & à capite, & à pedibus, extendentibus vectibus, aut pistillis, mora sunt. Commodè item extendens per axiculos ab vtraq; parte collocatos. hi autem axes versatiles collocandi sunt, non recti in longitudinem corporis, sed transuersi ab ijs, quæ hinc, atque hinc sunt partibus corporis, quod curatur: id est alterum ab inferiori parte à pedibus, alterum à superiori à capite. Post hæc inicta lora extrema ad axes danda, qui versati crus, quod curatur, in diuersas partes diducant. Sunt & aliæ extendendi rationes quàm plurimæ. Optimum autem est, si quis medicinam in magna vrbe exerceat, paratum habere lignum, per quod vim omnem adhibeamus, & ad fracta, & luxata omnia restituenda, tum extendentes, tum impellentes. abunde autem erit, lignum tale, quales sunt quadratæ columnæ quernæ, quod ad longitudinem, latitudinem, & crassitudinem pertinet. Huius autem organi Hip. fabricam docet in lib. de articul. quam ibi nos declarabimus. Oportet autem, vt superius diximus, quocumque modo intensio adhibeatur, extendere recta secundum naturam, & è regione cruris, ac femoris, tam si huius, quàm si illius fracti ossa extendantur. Atque ita extenta ambo deligare, vtrumuis deuinxeris. Crus enim quia ambulando, & stando in inferiorem partem, nunc ex toto, nunc prope ex toto intendi secundum naturam, & ferre etiam reliquum corpus consueuit, idcirco sine molestia extenditur, quum opus est. Quid quod etiam in lecto sæpius hoc modo continetur figuratum? Sed vbi frangitur, necessitas hominis animum subigit: Nequit enim excitari: quare de curuando crure, aut de surgendo nullum verbum facit, sed ita figuratus quiescit, & cubat. Quare siue femur, siue crus alligetur, præcipit Hippo. vt vtraque commissura scilicet quæ in coxa est, & quę in genu extendatur. consueuit enim crus & eorum, qui stant, & eorum, qui ambulant, extendi. à natura enim corporis ferendi gratia factum ab eadem ad hunc habitum præparatum est, atque ea de causa in cubando plerunque extentum seruatur. Ob has igitur euidentissimas causas non conuenit idem habitus brachio, atq; cruti extendendo, ac vinciendo. Quod si abunde fuerit per duos homines adhibita vis, frustra laborandum non est. Iactantiæ enim est, vti machinamentis, vbi res non exigit. At si duo homines non satis extendant, confugiendum ad eum ex propositis intendendi modis, qui expeditissimus sit. intentione satis adhibita, ossa facile restituuntur, & in suam sedem compelluntur, prominentioribus palmarum partibus derecta, atque diducta. Postquam restituta fuerint, extenta fascijs alliganda sunt, quæ siue à dextra, siue à sinistra parte magis attrahi debeant, illis primò inuoluendæ sunt. Ordiantur autem ab ea parte, qua fractura est, primoque ibi circumeant, deinceps ad partem cruris superiorem porrigantur, vt alibi dictum est. fasciæ verò latiores, & longiores, ac multo plures ad crus adhibeantur, quam ad brachium. Vbi deligatum fuerit, super aliqua re plana, mollique collocandum est, ne in hoc vel illud latus deprauetur, neue in anteriorem, aut posteriorem partem peruertatur. Maximè autem pro valetudine est, ceruical subijcere ex lino, aut lana, quod medium in longitudinem molle sit, vel quippiam tale, & quoniam Hippoc.

De directione, deligatione, ac repositione, seu collocatione.

Tex. 61.

Tex. 62.

ceruical magis, quam canalem adhibet, ideo proximè subdit, cuius rei illos ac-
Tex.64. cusset, qui canali vtuntur. De canali enim, inquit ille, qui fracto cruri subijcitur, incertus sum, quid dem consilij, subijci, necne debeat. Prodest enim, sed non quantū existimant, qui illum admouent. Non enim quiescere cogit, vt arbitrantur. nam neque si reliquum corpus in hanc, vel illam partem conuertatur, prohibet canalis quo minus sequatur crus, nisi ipse homo caueat. Neque item prohibet, quò minus sine corpore crus in hanc, vel illam partem moueatur. Sed & subiectum lignum immite est, nisi molle aliquid in ipsum indatur: est tamen commodissimum, quando vel sterni lectum, vel desidere hominem oportet. Licet igitur, & cum canali, & sine eo curationem bene, vel male admouere. Vulgo sibi persuasum habent Medicum culpa magis vacare, si canalem subijciat, quamquam res minus artificiosa est. crus enim rectum prorsus iaceat oportet, ac super plana, ac molli aliqua re, quum necesse sit contineri vinculum, ne peruertatur, dum
Hip.3.de off. Med.tex. 18. membrum iacet, quocunque se vertat, & moueatur. Quare præcipit Hip. vt dum canalis adhibetur, crus non dimidium, sed totum excipiat. vult enim canalis vsum necessarium non esse; si tamen adhibeatur, subijciendum esse toti cruri, inguinibus tenus, non ad genu duntaxat pertinentem, quia censet canalem vniuerso cruri innocenter subijci. Verum subdit, quod & morbus, & cetera, quæ oriuntur incommoda manifesta in eius adhibitione spectanda sunt: Morbus quidem est fractura grauis ossium cruris, ad cuius curationem opus est crure penitus immobili. Canalis enim probatur à quibusdam, vt qui vtilissimè tunc subijciatur, quum æger è lecto surgit. id autem accidit, vbi vel desidere cupit, vel cubilis duritiem non ferens ad alterum stratum transfertur. Imperat itaque vt morbum intuiti, cuius gratia eo vtimur, & ea, quæ canalis affert incommoda, ipsum modo accipiamus, modo repudiemus. Vbi enim molestia, quam canalis exhibet, exuperet, vitandus erit: contrà, si vincat vtilitas, præstabit crus non vsque ad Genu tantum, sed totum
Gal.2.de fractur.com.64 canali excepisse. Canalis enim à Galeno magis probatur, quam glossocomum, de quo post dicemus. nam canalis in ceteris glossocomo similis est, sed figura differt, quia ab exteriori parte teres est, ab interiori cauus, ad exemplum fictilis canalis, vnde nomen traxit. Videtur autem ad propositum vsum maximè idoneus, quia totum crus in orbem complectitur magis, quam glossocomum, in quo nonnulla loca inania relinquuntur, postquam demissum crus fuerit. Quidam verò Medici plures canales paratos habent, vt ad singula membra eo vtantur, qui idoneus sit, id lignum conquirentes, ex quo cauare eos possint firmos, albos, & molles. Ob id quidam eos ex tilia conficiebat, & ad singula crura eos adhibebat, qui membri magnitudini responderent, non sine vinculis, quæ, vt diximus, à quibusdam ceruicalibus superdantur. Sed vincula in ceruicialibus laxantur, & compositum crus corrumpunt: canales verò dum homo ex vno lecto ad alterum transfertur, ob ligni mollitudinem, sine vlla compressione id continent. Glossocomum Glossocomum.
verò ab Atticis dicitur arcula illa, in qua seruare solent homines eas res, quas in precio habent, qua quidam ad itinera vtuntur. Constat autem, illud, quod cruri subijciendum est, longius esse debere, & angustius quam quæ sunt in vsu. eius enim latitudo parum excedere debet cruris latitudinem, seu crassitudinem. Vt lana vndique adiecta bene crus firmetur, sic vt loci angustias etiam si æger velit, crus moueri non patiatur. Sed ne in dexteram, vel sinistram partem moueatur, potest imposito lana efficere: at quò minus in superiorem, vel inferiorem feratur, aut excitetur, prohibere non potest. Ideo Hippocrati non placet, quia præter cetera incommoda durum est, & nihil cedit, quemadmodum ceruical, & ille puluinus, modicè cedentia cruri minimè infesta sunt. Commodum autem est glossocomum, quum surgere è lecto homo debet, qua potissimum causa ipsum admittimus. quanquam alij ceruical adhibentes habenam transuersa initio illi protinus subiecta, atque vbi crus in id coniectum fuerit, habenæ capitibus inter se aduersis vtrinque ductis in altitudinem cruris, & in superiori parte membri inter se deuinctis, fideliter contineri crus existimant. Quoniam ceruical, vbi homo ex vno lecto ad alterum transfertur, cruri vicem glossocomi præstat. Adiecerunt nōnulli ad imam eius partem lignum rectum lana superdata, vt pes extremus moram habeat: ne homo crus vel ad superiora attrahat, vel ad inferiora demittat. ad superiora enim ferri vinculum non patitur, ad inferiora verò lignum, quod plantæ adijcitur. Verum non prohibetur motio articulorum, quum languens possit articulum tali, ac genu paulatim dimouere. De coxæ enim articulo nihil attinet dicere, cum nec à

vinculo,

vinculo, nec à glossocomo compræhendatur; Nihilominus glossocomum à iunioribus Medicis inuentum est ad firmiter continendum, seu femur, seu crus fractum sit, & vbi callus circundatur, commodissimè adhibetur. Huius autem structura talis esto. Habeat ab ima parte axem, ad quem extremi laquei in diuersa extendentes deligantur. inijciantur laquei extremis partibus ossis, quod curatur, fiantque ex duabus habenis, sic, vt quatuor vterque capita habeat, bina à dextra parte, totidem à sinistra. Ex ijs capitibus, quæ inferioris laquei sunt per foramina facta in inferiori parte glossocomi ad axem duci debent, quæ superioris, primo procedere ad superiora: deinde ipsa quoque per latera glossocomi perforata traijci, quibus foraminibus trochleæ inclusæ sint. Vtrinque autem ab exteriori parte glossocomi superioris laquei capita ferenda sunt ad axem. His enim ita constitutis vna axis conuersio pariter ambos laqueos extendit, deorsum versus illum, qui ad inferiora fracti ossis alligatur, sursum alterum, sic, vt vbi crus iacet, liceat in posterum cotidie hanc laqueorum in diuersas partes intentionem corrigere valentius, vel lenius extendendo. Laqueum igitur, qui in inferiori parte est, directa ductione axis extendit, eum, qui in superiori parte, intercedente alio motu, Græci ex transsumptiua intentione dicunt. Iam verò septimo, vel nono die ad ferulas veniendum est, sicuti dictum est in alijs fracturis. Cauendum autem est, ne ipsæ è regione talorum, *Tex.65.* vel eius chordæ quæ à crure ad pedem tendit, imponantur. Conseruent autem ossa cruris quadraginta diebus, si rectè curentur; Sed, vbi suspicio sit, ne quid ossis dirigi debeat, neue aliqua interim facta fuerit exulceratio, infra hoc tempus soluere oportet, tum dirigere, & rursus alligare. Quodcunque autem membrum ossibus non rectè compositis sub vinculo adstringitur, magis indolescit. reliqua curatio eadem est. Ex ossibus autem cruris interius, quod conspicitur in priori parte cruris, & tibia dicitur, curationem ægrius admittit, neque latere potest, vbi non rectè ossa concurrant. Totum enim se ostendit, & sine carne est, multòque tardius homo ingreditur, & inambulat, vbi hoc fractum est. Quod si exterius os, quod suram, seu fibulam appellant, abrumpatur, casus longè tolerabilior est; neque id ita facilè depræhenditur, quum minus rectè componitur, quia carnosum est; maturius item æger pedibus consistit; maximam enim oneris partem sustinet os, quod ab anteriori parte situm est; tum quia magis laborat, & ob ipsum crus, & ob pondus, quod è regione est. Femoris enim caput superius corpus fert: id autem ab interiori cruris parte situm est; at non ab exteriori, sed è regione prioris partis tibiæ: tum quia altera pars totius corporis è regione huc propius accedit, quam ad exterius os. Adde, quod interius os plenius est, quam exterius. *Tex. 66.* Ob has causas, si os, quod ab exteriori parte est, perstingatur, maturè homo ingreditur: si, quod ab interiori, tardè. At si femoris os fractum sit, valenter omnino extendi debet, ne minus, quàm res postulat, id fiat. maximi enim sunt musculi, qui femur circundant: & plus iusto intentum non læditur. Nam ossa hæc, *Tex.67.* quæ per vim diducta sunt, si sic recedentia inter se vinciantur, non sanè poterunt ita diducta vinculis contineri, quin celerrimè concurrant, quum primum, qui extendunt, ex opere se receperint. Cum enim musculi maximi sint, hos vinculum non superat, sed eis cedit. Quare cum musculorum motus vinculo validior sit, ipsi ad suum initium contrahuntur, atque vnà trahunt, & ad superiora adducunt comminuti ossis partem inferiorem, & ita periculum non est, vt inter diducta ossa inane spacium relinquatur, in quo sanies contrahatur, & os ab ea corrumpatur. Crassa enim & robusta musculosa caro vinculum superabit; at non superabitur. Id ergo, quo de agitur, extendi valenter oportet, sicque vt in neutram partem conuertatur, neue minor vis, quam ipsum exigat, adhibeatur; quum turpe magnopere sit, atque incommodum femur breuius reddere. brachium enim si breuius fiat, celari poterit, neque noxa magna erit: crus si breuius reddatur, hominem clandum demonstrabit. ab integro enim quod longius erit, prodetur, adeo, vt illi, qui male curandus sit, satius fuerit vtrumque crus frangi, quam alterum. æquè enim in vtramque partem inclinaretur. Vbi vero extentum sit abundè, prominentioribus palmarum partibus, vt alibi dictum est, dirigatur, ac deligetur; & reliqua omnia deinceps fiant, quæ in sermone vniuersali præcepta sunt. Tum iridem respondeat, vt ibi diximus. Præterea & magis vrgeatur, & laxius vinculum sentiat ijs partibus, quæ supra positæ sunt: ad hæc similiter resoluatur, ac rursus deligetur; ferulæque eodem modo superaccommodentur. Consenuet autem femur, calloque firmatur quinquaginta diebus. Illud etiam scire

De femoris extensione.

Directio, & deligatio.

re licet, quod femur ab exteriori parte gibbum eſt magis, quàm ab interiore, & à priori magis, quàm à poſteriori. In has igitur partes conuertitur, vbi non rectè curatur. Quin & in his partibus minus carnoſum eſt, quàm in alijs: vt quando peruertitur, latere minimè poſſit. Ergo ſi quid eiuſmodi ſuſpectum ſit, tale quip-

Tex.70. piam moliri oportet, quale traditum eſt ad humerum peruerſum. Circundare autem aliquot lintea oportet, eaque in orbem circa coxam, & ilia, vt inguina etiam, & quod inter anum, & naturale eſt, inuoluantur. quod & ob aliam cauſam vtile eſt, & ne extremæ ferulæ nudam partem offendant. quando enim ſuperior femoris pars comminuitur, faſcia non ſolum vſque ad inguina ferri debet, ſed vltra aliquam ex ſuperioribus partibus comprehendere. tales ſunt, primùm coxa, deinde oſſa ilium, poſtremò ea pars, quæ ſine oſſe eſt (laparan Græci vocant) quam, vbi vis, complecti licet, dum ilium oſſa etiam deuinxeris, quibus omiſſis, faſciam pro-

Gal. in com. tinus ad hanc ſedem porrigendam eſſe minimè putat Gal. quum Hippoc. maximi fecerit, nullum relinqui locum nudum, ſed æquè perpetua, donec ex integra parte comprehenſum aliquid eſſe videatur, omnia faſcijs alligari: tum ob aliam cauſam, tum ne extremæ ferulæ nudam partem offendant: Semper enim vtrinque ſatis recedere debent: Et ſemper cautio ſit, ne imponantur ſuper oſſa in articulis naturaliter prominentia, neque in articulorum vicinia ſuper neruum. In omnibus enim fracturis, quæ ferulas poſtulant, breuiores ſint oportet, quàm vt ad eam ſedem perueniant, quæ faſcia non excipitur. quod potiſſimum obſeruandum, vbi ferularum extremitates proximæ ſunt oſſium tuberculis. Tumores verò iuxta po- *Si tumor ſu*
plitem, vel pedem, aut alibi ſub conſtringentibus vinculis aſſurgentes multa lana *perueniat.*
ſuccida curentur, bene carpta, & vino, & oleo reſperſa: tum cerato inuncti deligentur, atque ad eandem rationem vinculum adhibeatur à tumoribus ſurſum procedens. Atque vbi ferulæ vrgeant, citius laxentur. Extenuarentur autem tumores, ſi ſurſum verſus ad ferulas tenues faſciæ vincirentur, quæ ab imis partibus orſæ ad ſuperiores intenderent. Hac ſiquidem via tumor celerrimè extenuarentur. à qua enim parte quis incipit deuincire, ab eadem materia tranſmittitur, atque depellitur. quia ergo danda opera eſt, vt tumor ex toto euaneſcat, ideo ad hoc conſilium pertinet ratio vinciendi tumoris, quæ ex tumidis partibus ad ſuperiora ſuccos expellit. Ideo inquit Hippocrates, quod hac via tumor celerrimè extenuaretur, & ad priorem iuncturam ſuperferretur. Sed ad hunc deligandi modum, ſubdit ille, veniendum non eſt, niſi tumor aut puſtulis, aut nigritie periclitetur. Sed nihil tale ſequitur, niſi quis fracturam vehementer adſtrinxerit, aut ſiuerit dependere, aut manu ſcalpſerit, aut aliquid cutem attigerit, quod ipſam irritauerit. ait autem, quod ad priorem iuncturam ſuperferretur, quia vbi ferulis relaxatis, tumida pars, vt ſupra oſtenſum eſt, alligetur, aliquid ſanguinis ad loca, quæ iuxta iuncturam ſunt, depelletur; ſed, ſi ferulis ſummotis, atque omni vinculo penitus reſoluto, de integro vinciamus, ſimul & eam iuncturam adhibentes, quæ fracturis accommodatur, & eam, quæ à tumore incipit, ſuccus hac via expreſſus vltra partem prius deligatam ad ſuperiora transfertur. Vtitur autem Hippocr. oleo, quia dolorem *Medicami-*
leuat, & diſcutiendi vim habet: vtitur vino, quia ſiccare poteſt, repellere, & con- *nũ quibus*
coquere, item mollire, & digerere. Conſtat autem lanam ſuccidam & ceratum *Hippo. vti-*
præter leniendi vim digerendo quoq; eſſe, & repellendo aptã. non ab re igitur his *tur in tumo*
vtitur. Quoniam verò tumor iuſto maior fit ab iis, quæ ſub vinculis eo exprimun- *ribus ſuper*
tur, curatio primum dirigi debet ad id exhauriendum, quod in tumida parte præ- *ueniẽtib. fa*
ter naturam ſubſiſtit. At cum multa ſint, quæ hoc efficiunt, quibuſnam vtemur? *cultas.*
digerentibus, repellentibus, lenientibus: digerentibus quidem, ac reprimentibus, quia apertè exhauriunt: at lenientibus eo nomine, quod prohibent, ne materia præ dolore ad vitiatam ſedem concitetur, atque ob hanc cauſam lenius digerentia ac reprimentia ad inflammatam partem admouemus. quia quæ horum vtrumque fortiter præſtant, dolorem irritant. His rationibus ductus Hippocr. lana ſuccida vſus, hoc eſt œſypo redundante, curationi adijcit oleum, vinum, ac ceratum, lanamque ipſam bene carptam eſſe vult, quo lenior ſit, & dolorem leuet. Si enim negligenter carpta ſit (nam ſuccida non ita facilè carpitur) dura dolenti parti inhæret, & dolorem mouet. Si quis femori canalem ſubijciat breuiorem, quàm vt vltra poplitem pertineat, noxam magis, quàm opem afferet. prohibere *Repoſitio.*
enim non poterit, quin corpore, aut crure moto, femur quoque moueatur. Popliti item infeſtiſſimus erit, vbi adhibeatur, cogetque id fieri, quod minimè eſt opus. minimè enim opus eſt curuari genu. omnia namque deuincti cruris, ac fe-

moris

moris vincula necessariò mouerentur, si quis genu curuaret: neque fieri posset, quin musculi alio, atque alio modo figurarentur, & comminuta ossa agitarentur, seu dimouerentur. In primis igitur danda opera est, vt extendatur poples. Videtur autem femur in eum canalem vtiliter conijci, qui à coxa ad pedem est. Glossocomum pariter rectè fuit a iunioribus repertum. Datur item fascia lenta iuxta poplitem cum canali, quo modo & infantes inuoluuntur in cunis. Sic enim vbi femur in superiorem partem, siue in latus vertatur, cum canali alligatum melius continebitur. Canalis igitur vel totum excipere crus debet, vel nullo modo adhiberi. Item maximè videndum est, vt in fractura tam femoris, quàm cruris, quantum potest, imus calx optimè contineatur. Nam si dependente pede crus reliqnnm fulciatur, necesse est ossa gibba in priori parte cruris conspici: sin calx iusto sublimior collocetur, reliquo crure leniter suspenso, os in priori parte cruris iusto magis simum necessariò se ostendet, idque adeo, si calx hominis naturaliter est grandior. Adhæc omnia ossa tardius conseruent, vbi non figurantur naturaliter, neq; in eodem habitu detinentur; præterea callus infirmior circuudatur.

De fractura nasi. Cap. X.

Differētiæ.

DVM nasus perfringitur, vt inquit Hipp. fracturæ modus non est vnus. (*Hip. 2. de ar. tex. 37.*) Aut enim pars eius abrumpitur: ipse tamen seruatur perpetuus, sic, vt neque deorsum inclinetur, nec in alteram partem conuertatur: aut horum alterum fit, idque aut in parte eius, quæ cartilaginosa prominet, aut in reliqua, quæ ossibus continetur. Nonnunquam in medio naso, qua acutus est, caro iuxta os contunditur, seu conteritur, vel paululum etiam os ipsum læditur; non tamen multum: nonnunquam etiam fracturæ vulnus accedit.

Directio, seu coaptatio.

Si nasus in inferiorem partē æqualiter subsidat.

Quibus igitur fractus nasus in inferiorem partem demittitur, simusque efficitur, si ab inferiori parte, qua cartilago est, desidat, potest in nares indi aliquid, quod dirigat; quod vbi non fiat, omnia hæc excitanda sunt digitis, si fieri potest, in nares coniectis, vel certè eo instrumento, quo ad illinendum vtimur, qualia sunt specillum, spatha, idque instrumentum, quod diapirinon dicitur, quæ omnia in summo capitulum habent rotundum. (*Tex. 44.*) hoc autem instrumento non quidem tenuissimo, sed pleniori vtendum est: quandoquidem & digitos, vbi licet admouemus, & in nares conijcimus, eos nempe, qui aptantur, & qui fractam nasi partem componant. Qua ratione autem vti conueniat hoc instrumento, apertè exponit, imperans, vt digitis compellatur, & indatur in cauum, non in priorem partem nasi, sed qua desidet, id est, qua potissimum fracta pars in eius cauum decidit. ea enim est, quæ impulsu eget, vt excitata possit in suam sedem reuerti. nihil enim aliud est componere quamlibet partem, quam vnamquamque eius particulam in suum locum compellere. Instrumento autem iam dicto in cauum, eo modo, quo diximus, digitis compulso, iubet Hipp. (*Tex. 45.*) vt extrinsecus digitis vtrinque compressis impellamus simul, & excitemus. Dum itaque digitos inijcere non possumus, specillum crassum non in anteriorem nariū partem digitis indere oportet, sed qua parte nasus subsidit; Extrinsecus autem ab vtraque parte nasum appræhendere, simulque cogere, ac sursum ducere optimum est. & si quidem valde in anteriori parte fuerit fractura, fieri poterit, vt aliquid intra nares indatur, scilicet lintei rasura, vel quid simile linteo inuolutum, aut potius in corio seu pellicula Carthaginiensi consutum, ea figura, quæ congruat loco, cui incumbet. Vult enim Hipp. vt corium molle accipiatur, cuiusmodi tunc fortasse fuit Carthagini. At vbi fractura vlterius facta fuerit, id est superiori loco facta, nihil demitti intus potest. Si enim in anteriori, seu etiam dicas, in inferiori parte molesta est gestatio, & præsidium id alienum est, quomodo in superiore, seu in intimiore, magis alienum, & molestius non erit? Primum itaque & intrinsecus conformando, & forinsecus non parcendo, & vtrinque compellendo ad pristinam naturam, ac sedem reducere, ac dirigere oportet. Commodissimè enim conformatur nasus fractus, potissimum eadem die, vel certè paulò post. Verum segniter agunt Medici, & leuius, quam conuenit, primum contingunt, leuiusq; rem pertractant, quàm opus sit. Inijcere enim digitos, qui naso accommodentur, hinc, atque illinc iuxta naturam nasi quam infimè oportet, ex internis sursum cogendo,

& sic

& sic quàm maximè erigere; vnà cum interna directione etiam extrinsecus dirigendo. Ad quam rem nullus alius medicus magis idoneus est, si homo id dare operam velit, audeatque, quàm ipsius digiti indices. hi enim maximè secundum naturam sunt. Vtrumque enim digitum inijcere, vt toti naso inhæreat, oportet, eoque totum nasum firmare, atque ita in quiete habere, potissimum, si fieri posset, assiduè, donec glutinaretur; sin minus, plurimo tempore, vt dictum est. Quod si non ipse ægrotans, saltem puer, vel mulier aliqua digitos demittat, mollibus enim manibus opus est, vt optimè nasus curetur, vbi non in obliquum, sed ad infernam partem æqualiter subsidat. Nullum ergo vnquam nasum vidit Hippoc. qui sic fractus dirigi non potuisset, si statim ita cogeretur, priusquam callus obduceretur, si modo quis rectè curare velit. Atqui deformitatem maximè homines oderunt; Curationem verò partim ignorant, partim non admittunt, aut sustinent, nisi dolore premantur, aut mortem pertimescant. Quamquam in naribus callus citò increscit: nam decem diebus sanescit, firmaturq; nisi corrumpatur. Quibuscunq; verò os à latere abrumpitur, curatio eadem est. dirigere enim oportet nõ æquè ab vtraque parte, sed eam quæ inclinat ad naturalẽ situm adurgere ab exteriori parte compellendo: in naribus item altè conquirere, & contrectare, ac ea, quæ intrò repunt, impigrè dirigere, & quod in interiorem partem conuersum est, assiduè conformare, donec correcta fuerint, & ad pristinum situm restituta, cum eo, vt sciamus nasum, nisi protinus dirigatur, dirigi postea non posse, sed peruerti. Ipso autem ad naturalem sedem reducto, digitos plures, aut vnum digitum ad locum admouere oportet vel ipsius hominis, vel alterius, qua parte eminebat, vt qua excedit, repellatur, donec fractura sanescat. Sed & in narem paruum digitum immittere oportet, & alias, atque alias impellendo, ea, quæ inclinata sunt, dirigere. At si quid inflammationis superueniat, farina vti conuenit ex aqua subacta: digitosq; similiter dare, eiusmodi etiam farina inducta. Si verò iuxta cartilaginem nasus in obliquum fractus sit, necesse est summum nasum distorqueri. Itaque oportet ad extremum nasum aliquid ex ijs, quæ dicta sunt adhibere, quod ipsum componat, vel aliquid tale demittere. Multa enim inueniri possunt accommodata, quę odorem non mouent, & alioquin mollia sunt. Vnde Hipp. interdum frustum pulmonis ouilli coniecit. id enim fortè tunc temporis nactus fuit. nam si spongiæ indantur, humorem combibunt, excrescuntq;, ac dolorem mouent, & compositum nasum peruertunt, & ob id fugiendæ sunt. Posthæc ex parte exteriori corij Carthaginensis incidenda habena est magni digiti latitudine, vel quantum conuenit, & extrinsecus naso, qua inclinatur, agglutinanda: postea intendenda est, quantum expedit; paulò tamen amplius intendenda, quàm vt nasus erectus, & absolutè directus sit. longa autem sit hæc habena, vt postea infra aurem abducta, circum caput obducatur. & licet eius extremitatem ad frontem agglutinare. licet etiam longius ducere, & circa caput volutam deligare. Hæc enim iustè nasum dirigit, & intendi, & remitti potest, atque, vbi velis, nasum in contrariam partem, ac iacet, magis, aut minus repellere. Nam & quibus à latere nasus abrumpitur, in cæteris eadem curatio conuenit, quæ proposita est. Plerisque autem opus est naso extremam habenam agglutinare, vt in contrariam partem repellatur, atque inclinet. Ne autem, vt Galenus ait, auxilium hoc experimento imbecillum inueniamus, gluten debet esse valde tenax, quale nos in tractatu de vulneribus descripsimus. nam secus, si habena vehementius intendatur, gluten discutitur, atque resoluitur, si modicè, nihil ferè perficitur. De nasi autem perfracti deligatura mirum non est, si auctores digladiati sint: & Albucasis, & Auicennas ipsam admittere; Recentiores, & præsertim Henricus ipsam reprobare videantur: & qui ipsam probant, diuersimodè eam adhibeant: quia etiam Hippocr. tempore Medici de hac re altercati sunt. & ipsam Hippocrates in differentijs iam enumeratis damnasse visus est. De ea enim, quæ plurimis locis asciæ imaginem refert, & aliquod spatium cutis nudum, & sine fascia intermittens, rhombos variè admodum repræsentat, sermonem habens, qui huiusmodi vinculis student, inquit Diuinus vir, comminutum nasum libenter deligant, sed vinculo iniecto, vno vel altero die Medicus lætus est, necnon is, qui deligatur, deinde ægrum cito satietas capit: inuentio enim noxia est, & efficit hæc vinciendi ratio omnia contrà, atque oporteat: tum quod qui ob fracturam simi sunt, si à superiori parte adstringantur, magis adhuc simi euadunt, tum quod quibus in hanc vel illam partem, seu qua cartilago est, seu suprà, nasus conuertitur, nihil superposito vinculo iuuandos, sed magis lædendos esse, clarum est. Si autem panni

à latere

Si os à latere abrumpatur.

Si iuxta cartilaginẽ nasus in obliquũ fractus sit.

Deligatio.

à latere nasi non bene aptantur; quamquam neque hoc faciunt, qui alligant. Verum si qua alligatio naso fracto congruit, ea conuenire videtur, si in medio naso, qua acutus est, caro circa os conteratur, vel paululum etiam os ipsum lędatur, non tamen multum. His siquidem nasus callo obducitur, & aliquanto asperior fit. sed tamen neque hi vinculo egent magni negotij, si sanè alliganda sunt. Sufficit enim ad contusum pannum admouere cerato inunctum; deinde semel fasciam circundare, quæ in vtramque partem ducatur. Vinculum itaque in his casibus coercens, repellensque affectum locum prodesse aliquid videbitur, non tamen necessarium est. Conari enim debemus, quæ contusa sunt, maximè ab inflammatione defendere: & vbi inflammetur, celerrimè inflammationem tollere. quin & callus, cum paruus increscit, nihil profectò huiusmodi vinculis eget. Satis est itaque ad contusum admouere pannum cerato inunctum, deinde mediam fasciam medio naso inijcere, cuius vtraque capita ad posteriorem capitis partem non magna vi adducenda sunt, atque inde fronti circundata inter se vincienda. Optimum tamen est præsidium illinire hæc, id est pannum, & fasciam, farina tritici huius anni, lota, glutinosa, respersa, pauca, per triticum autem huius anni intelligere debemus illud, quod vere satum est: quia parum furfurum habet, & eius farina ex aqua subacta plurimum glutinosa est, appellat autem farinam lotam, vbi ex tritico fit prius madefacto, sic enim furfures grandiorum partium remanent, & cum farina non miscentur, sed facilè expurgantur, & sic farina magis glutinosa redditur. Vti autem conuenit ad omnia hæc huiusmodi farina, si ex optimo tritico fuerit, facileq; duci possit: sed si non omnino bene ducatur, modicum pulueris illius, qui ex thure concusso habetur, in tenuissimum puluerem redacti, & aqua diluti farinæ adijcere, vel paulum omnino gummi similiter admiscere oportet. Quod si fracturæ vulnus accedat, nihil solicitare nos debet, sed super vulnere ceratum picatum imponere, aut ex emplastris aliquod, quod cruentis vulneribus idoneum est. facilia enim curatu talia sunt. Similiter etiam si ossa recessura sunt, primò dirigere assiduè, & citius conuenit, nulla re prætermissa, & in posterum digitis compellere laxius superdatis, superdatis tamen. nasus enim ex omnibus corporis partibus facilius componitur. Habena autem agglutinata, & impulsu in contrariam partem, atque nasus declinatur, nihil vti omnino prohibet, neque si vlcus sit, neque si inflammatio. innocenter enim eiusmodi præsidia adhibentur.

Marginalia: Si in medio naso caro cōtūdatur, vel parum os ipsum lędatur. — Medicamenta. — Si fracturæ vulnus accedat.

De fractura clauiculæ, seu iuguli. *Cap. XI.*

Differētiæ.

CLAVICVLAE, seu iuguli fracturæ sex ab Hippocrate ponuntur differentiæ. Vel enim caulatim, & per transuersum frangitur, vel in longitudinem. Dum autem per transuersum id accidit, vel prope humeri articulum, & versus summitatem lati scapularum ossis, vel magis versus os pectoris abrumpitur. & insuper vel iugulum ita frangitur, vt ea pars, quæ à pectore est, sursum feratur; quæ verò à summitate lati scapularum ossis, deorsum, quod plerunque contingit; vel contrà, quæ prope latum scapularum os, sursum, quæ prope pectus est, deorsum fertur, quod rarius accidit. Si itaque caulatim rumpatur, & per transuersum, inquit Hippocrates, facilius curatur; si in longitudinem ægrius. Hæc autem contraria sunt, atque aliquis existimet. Vbi enim transuersum abrumpitur, partes cedere inter se plerunque solent, atque vna sursum ferri, altera deorsum, tum altera in interiora, in exteriora altera: qua de causa videtur fractura grauis, & ægrè sanabilis. Altero autem modo, cum fractura in longitudinem est, leuior quidē apparet, ægrius tamen curationem admittit, quia iugulum fascia excipi in orbem nequit, sicut membra qua via duntaxat propelli, atque adduci posset, quod in longitudinem fissum est. Id igitur, quod transuersim fractum est, magis vtique in suam sedem compelli potest: & si diligens cura adhibeatur, quod sublimius est, magis deorsum cogetur idoneo habitu, ac debito vinculo. Quamuis autem ex toto in suam sedem non collocetur; tamen ea pars, quæ excedit, non valde acuta apparebit; at quibus in longitudinem frangitur, simile vitium est, atque vbi ossa diducuntur, seu inuicem separantur. Non ita enim in suam sedem restituitur, extansque ossis extremitas aspicitur admodum acuta. In vniuersum autem scire conuenit, nihil humeri commissuram,

Marginalia: Prognosticū. — Hippoc. 1. de artic. tex. 62.

aliamve

aliamvè partem lædi, quum iugulum frangitur, nisi (quod rarò accidit) corrumpatur. Iuguli autem fractura in principio propter nouitatem rei, deforme vitium videtur, sed procedente tempore, quia deformitatem parui facimus, & ei assuescimus, minor apparet. Sanescit autem cito iugulum, atque alia ossa, quæcunque rara sunt: quoniam callo hæc maturius obducuntur. Igitur, vbi casus recens est, ægri soliciti sunt, putantes malum grauius esse, quam sit; Medici autem sedulos in probè curando se exhibent: procedente tempore laborantes, vt qui non doleant, neque ingressu, neq; cibo prohibeantur, rem contemnunt. at Medici, vt qui locum reddere decorum non possunt, se subducunt, neque offensorum negligentiam iniquo animo ferunt. interimque callus festinat increscere. in iis enim, quæ rara sunt, multum humoris contrahitur. effuso enim humore ob affecti ossis vim spissato, in oris fracturæ callum increscit, qui vbi satis increuit, fracturæ oras illigat, atq; astringit. Scire autem licet, iugulum plerunque ita frangi, vt ea pars, quæ à pectore est, sursum feratur; qua à summitate lati scapularum ossis, deorsum. cuius causa pectus est, quod neque admodum sursum, neque admodum deorsum mouetur. Exiguus enim est motus articuli à parte ossis pectoris, quod Græce sternon vocatur. ipsum enim sibi ipsi, & spinæ ex continuitate commissum est. nam costæ à posteriori parte, spinæ, a priori ossi pectoris inhærent. Sed & iugulum prope humeri articulum fluctuat. cogitur autem moueri sæpissimè, quia cum summitate lati scapularum ossis iungatur. maximè autem, vbi perrumpitur, pars, quę ab osse pectoris est, sursum fertur, neque facile solet deorsum repelli. nam & natura leuis est, & loci amplitudo ipsi superne maior est, quam inferne: latum verò scapularū os, humerus, & quæ his annexa sunt, à costis ac pectore optimè soluuntur: & propterea possunt plurimum attolli, atque demitti. Itaque vbi iugulum frangitur, ea pars, quæ est à lato scapularum osse, deorsum conuertitur. facilius enim deorsum fertur vnà cum humero, ac lato scapularum osse, quam sursum. Quando igitur sic se res habet, decipiuntur, qui censent posse, quod super excedit os, deorsum compelli. namque in aperto est inferiorem partem ad superiorem adducendam esse. hæc enim motum habet, & à naturali sede recessit. clarum itaque est, hanc aliter nullo modo propelli posse. Deligationes enim nihil magis adducunt, quam repellant. si quis autem humerum ad latus, quantum potest, adductum sursum attollat, vt humeri commissura maximè acutam se ostendat, hoc pacto concurret cum osse pectoris, à quo recessit. Si quis igitur legitimum, ac consuetum vinculum adhibeat, vt celeriter glutinetur, cetera verò omnia extra huiusmodi habitum superuacua existimet, rectè vtique sentiet, celeriterq; hominem ad optimam valetudinem perducet, quem iacere maximè ad rem pertinet, satisque sunt quatuordecim dies, si quiescat, aut ad summum viginti. Si verò contrario modo iugulum fractum sit (quod rarò accidit) ita vt os, quod à pectore est, subsidat, quod verò à summo humero est, superemineat, ac super alterum excedat, nulla magna curatione in his opus erit. demissō enim lato scapularum osse cum humero, rectè ossa inter se concurrent, ac quęuis ratio vinciendi satis erit, & callus paucis diebus increscet. Deligandi autem ratio ea conuenit, quæ plerisque consimilis est. & cerato, pannis, ac fascijs mollibus administratur. Sed insuper hæc animaduersio habenda est, vt præsertim in hac curatione, plurimos pannos, qua os extat, obijciamus, ac fascias plurimas, ibi maximè premendo adhibeamus. Ad hæc ex Gal. monitis panni, seu plagulæ in aliorum ossium fracturis, vt in generali sermone aperuimus, affectum membrum complectuntur; at iugulum fractum, & costa compræhendi in orbem nequeunt, ideo non oportet, vt tot numero panni adhibeantur, vt affectum membrum complectantur. Sed magnitudo fracturæ in quibusdam pannorum numerum indicabit. Sed iugulo ternos pannos quadruplices plerunq; imponimus: duos quidē primos ad similitudinem literæ X, vt medium vtriusque, qua inter se committuntur, fracturæ obijciatur: tertium extendimus super reliquos duos in longitudinem iuguli, vt ea, quæ subiecta sunt, adstringat. & fracturam ipsam adurgeat. Sunt autem aliqui, ait Hipp. quibus complacuit plumbum graue insuper adalligare, vt supereminentem partem sui grauitate deorsum cogat. Sed neque hic modus claiculæ fractæ conuenit. Neque enim fieri potest, vt id, quod eminet, memorabili pondo deprimatur. Sunt & alij, qui cognoscētes vincula ipsa aliena esse, neq; in naturalem locum adducere, quod extat, diligant quidem eiusmodi ægrotantes, pannis, fascijsq; superdatis, perinde atque alij: Sed hominem fascia aliqua cingunt, qua parte commodissimè cingitur, & vbi pannos obiecerint, qua fractura extat, sic, vt ea parte in tumorē assurgant, caput fasciæ

Marginal notes (left): Tex. 63. — Tex. 68. & 69. — Tex. 70. — Tex. 64. — Gal. 3. de off. Med. com. 1. — Hip. 1. de ar. tex. 64.

Marginal notes (right): Coaptatio. Si os, quod à pectoris osse est, sursum, quod autem à lato scapularū osse, deorsum feratur curatio. — Si cōtrario modo claui cula fracta sit. — Deligatio. — Prauarum deligationum reprobatio.

put fasciæ ad cingulum à priori parte deuinciunt, fasciamq; è regione iuguli porrigunt ad partem posteriorem, & in cingulum demissam ad priorem adducunt, atque inde rursus ad posteriorem. Alij verò non cincturæ linteum, seu fasciam circundant, sed inter anum, & naturale demittunt, tum iuxta anum ipsum, deinde circa spinam ducentes sic fracturam comprimunt. Hæc itaque si quis inexpertus audit, prope secundum naturam esse videntur. At vbi quis ea experiatur, inutilia comperiet. Neque enim aliquod tempus immobilia manent, etiam si homo cubet, quamuis ita vel maximè stabilitas contingat; tamen si cubans crus flectat, aut ipse curuetur, omnes fasciæ mouebuntur. præterquam quod hæc vinciendi ratio alioquin fœda est. siquidem anus intercluditur, fasciæque in hac loci angustia colliguntur, aceruanturque. *Tex.65.* Quod verò ad eas fascias pertinet, quæ in zonam induntur, non ita arctè hæc cingitur, quin sursum ferri cogatur. quod vbi accidit, necesse est totum vinculum relaxari. Quam proximè verò quis rem conficere videri possit, etiam si non magna faciat, si fascias nonnullas in cingulum demittat, seu quibusdam linteis cingulum circundet, sed plurimis linteis, seu fascijs priorem deligationem perficiat. Hac enim ratione maximè stabiles erunt, & alteri circuitui alter auxiliabitur. Itaque longè melius est, vt ea deligatura vtamur, quam Albucasis, & alij præcipiunt. Ea autem longa est, & per alas sub axillas pertransit, in quibus pila ex lana, aut stupa, vel gossypio confecta inditur, & toties obuoluitur, donec locus affectus optimè firmatus, ac stabilis reddatur. Repositio. Debet autem brachium ad collum suspendi, vt optimè quiescat. *Tex.72.* Plerisque enim, ait Hippocr. vbi alligati sunt, conuenit ita figurari, vt cubitus iuxta costas, seu latus contineatur, sicq; humeri caput excitetur, & ad supernam partem cogatur, vt ex superius dictis apparet.

De fractura costarum. *Cap. XII.*

Prognostica si fractura simplex sit.

Hippoc.3.de artic.tex.55

QVIBVS fracta fuerit costa vna, aut plures, inquit Hippocrates, velut plurimis frangitur, ita tamen, vt ossa ad internam partem non vergant, neque denudata sint, & proinde fractura simplex & sola sit, casus quidem asperior videtur; sed nihilominus leuior est, quàm vbi atteritur costa. Dum enim fractura simplex, & sola est, & proinde costa ad interiorem partem non vergit (si enim in interiorem thoracis partem vergat, necesse est, vt à superiecta carne tota nudetur, & pleura membrana scindatur, & subinde fractura non simplex; sed cum vulnere suboriatur) celerrimè curatur, & sine periculo. Pauci enim ex his, ait Hippocrates, febricitarunt; sed neque sanguinem multi iam expuerunt, neque suppurati multi fiunt, neque curatione medicamentorum ex illitis linamentis opus habent, neque ossium corruptiones accedunt, & victus vulgaris sufficit. Quin & vbi continens febris non inuadat, deterior est inedia, quam cibus, & dolorem, febrem, ac tussim magis concitat. Venter enim modicè repletus costas fulcit, ac dirigit, quas inedia suspendit. at vbi suspendantur, dolorem inferunt. Quod si continens febris hominem occupet, inedia vti debet, quoniam magis læditur à cibo, quàm à costis non fulctis. At si nulla febris sit, expedit eatenus cibum sumere, vt venter in eum tumorem assurgat, vt costis sedes sit, ac fulcimentum citra offensæ partis compressionem. Hinc patet, cur costis abruptis, qui magis ventricosi sunt, minus dolent; quibus gracilis venter est, & contractus, dolore magis vexantur, quum costas sentiant sine fulcro suspensas. Extrinsecus autem vulgaris, seu quæuis deligatio talibus sufficit, ita, vt cerato, & splenijs, & linteis plana deligatio placidè firmetur, aut etiam lanæ aliquid insuper imponatur. Conferuet autem costa viginti diebus. In huiusmodi enim ossibus cito callus increscit.

Si caro circa costas atteratur, & cõtúdatur, Prognosticum.

Si verò absque fractura caro circa costas atteratur, eò, quia homo percutiatur, aut cadat, aut re aliqua vrgeatur, aut alio tali modo, in maximo interdum periculo reuoluuntur, qui sic affecti sunt: & multi iam multum sanguinem expuerunt. Sanguis enim per ipsam pleuram ab affecta costa in interiorem regionem ducitur, & deinde in expiratione in asperam pulmonis arteriam transfertur. Periclitantur itaque, qui carnem circa costas attritam habent, quia & arteriæ, & nerui inter ossa singula costarum incedentes ex ijs, quæ in corpore præstantissima sunt, oriuntur. Multi igitur

sæpe tussi, tuberculis, & pure in thorace collecto oppressi sunt, & ad id venerunt, vt linamentis egerent, costaque vitiaretur, & corrumperetur. Sed & quibus nihil tale superuenit, carne circa costas attrita, tardius dolore liberantur, quàm quibus perfracta costa est, atque in eiusmodi casu dolor sæpius locum repetit. Verum nonnulli longè magis hæc mala contemnunt, quàm si abrupta costa esset.

Tex. 60 61. 62. vsque ad 65. Curatione tamen egent magis exquisita, si sapiant. Conuenit enim inedia externa ri, corpore quàm maximè conquiescere, abstinere à Venere, item ab esculentis pinguibus, & fauces exasperantibus, ac tussim mouentibus, & a bijs, quæ valentissimæ sunt materiæ. tussim enim mouent, ac fauces exasperant nedum pinguia; sed etiam acuta & acria. hæc igitur cauenda, quia affectæ partes omnes quietem postulant, qua de causa quàm maximè etiam silentium habere oportet. Ad hæc venam secare in cubito conuenit, inducereque super sedem attritam pannos non multiplices, sed complures, & multo latiores, quàm sit attritus locus, cerati inunctione adhibita, linteisque latis, ac fascijs item latis, & mollibus alligare, modiceque adstringere, ita, vt qui deligatus est, dicat sentire se vinculum non valde adstrictum, neque item laxum. Inde autem ordiri debet, vbi locus est attritus, ibique maximè insidere, & firmari. Facienda verò deligatio est velut à duobus initijs, & proinde inijciendum vinculum medium est, & in vtramque partem attrahendum, ne cutis circa costas in alterutram partem inclinet, sed sine inclinatione seruetur. Deligandum autem vel singulis diebus, vel tertio quoque die. Satius item est aluum mollire leui aliquo medicamento, quod deiectionem citet, ne scilicet fecibus durioribus redditis, thorax, & musculi intercostales in earum excretione laborent; ac decem diebus inedia vti, deinde corpus reficere, & implere. Ad hæc dum offensus inedia vtitur, arctius alligandus est; vbi pleniore victu, laxius. Quod si ab initio sanguinem expuat, quadraginta diebus habenda cura, alligandumque est: si sanguinem non expuat, ferè viginti abundè sunt. Conijcere autem tempus ex vi casus oportet. Quicunque autem paruifecerint huiusmodi ictum, seu contusionem, etiam si nihil aliud maioris mali ipsis contingat, tamen locus contusus mucosiorem carnem habet, quàm antea habebat. Vbi verò tale quippiam relinquitur, nec curatione probè exprimitur, & ad bonum habitum restituitur, res peior est, si mucositas circa os ipsum relinquatur, quia caro non amplius similiter os attingit, & ipsum os morbis opportunius redditur. Ob huiusmodi autem causas ossa multis vitiatur, quod malum diutius extrahitur. est autem mucosus humor glutinosus, & albus, qui colligitur in partibus exsanguibus, vt in osse & cartilagine, vbi ipsorum natura rectè concoquere alimentum non potest. Si verò non quæ iuxta os sunt, sed ipsa caro mucosa fiat, nihilominus subinde morbus, & dolor reuertitur, si quis corpore laborauerit. Quapropter deligatione vti oportet bona, ac simul multum conueniente, donec ea humoris effusio, quæ in contusione facta est, resiccetur, ac resorbeatur, discutiaturque sanguis in attrito loco suffusus, & caro integra ibi augeatur, & ossis quoque caro augescat. Constat enim mucosum succum maximo negotio excerni, eò quia nec perfusione, cataplasmate, aut medicamentis euocari, digerique possit, neque alio præsidio educi, nisi ex toto antea tenuetur, atque in vapores resoluatur. Ergo quia succus glutinosus in vapores soluendus est, ideo ægrè mouetur; vbi verò tale quippiam superans relinquitur, leui de causa pars affligitur cum ob infirmitatem, quicquid in reliquo corpore qualitate, vel modo superans collectum fuerit, promptè recipiat. Quibus autem neglectus morbus inueterauerit, & locum dolor exerceat, caroque mucosa sit, his ferramentū candens medicina optima est. Quod si caro ipsa mucosa sit, adurere conuenit vsq; ad os, ea obseruatione, ne hoc ipsum calefiat. Vbi verò inter costas mucositas fuerit, neq; sic in superficie conuenit adurere. cauendum tamen est, ne candens ferramentum penetret vsq; ad partem interiorem. Si verò ad os ipsum contusio esse videatur, sed recens casus sit, neq; os adhuc vitiatum, & corruptum fuerit, si exiguum vitium sit, ita vrere conuenit sicut dictum est. Si verò oblonga fuerit iuxta os contusionis eleuatio, pluribus in locis expedit adurere. Si verò costa simpliciter frangatur, & comminuta ossa, neque in anteriorem partem vergant, neque denudata sint, quia fractura hæc multa cum perfractione iugali habet communia, non solum penes differentias, prout costæ nonnunquam ad interiora, quod sæpius accidit, interdum ad exteriora franguntur, verum etiam penes causas, signa, & curationem: idcirco de hac re breuiter Hippocrates se expediens, scribebat, quod ab exteriori parte vincere quouis modo satis est, & tantum cerato, pannis fascijsq;

Curatio si caro circa costas attrita sit.

Curatio fracturæ costæ.

fasciisq́; leniter adstrictis debemus æquale vinculum reddere, aut etiam lanæ aliquid superinijcere; vulgariq́; victu vti, subdens, quod vbi febris continua non inua dat, deterior est inedia, quàm cibus propter causam superius allatam. Si verò costa ita frangatur, vt comminuta ossa intetius vergant, & subinde pleura scindatur, & fractura simplex nō amplius sit, quod quidem nedum ad tactum cognoscitur, quia cauitas digitis deprehenditur, verum etiam ex eo, quia pleuritidis signa superueniunt, vt spirandi difficultas, tussis, & sanguinis sputum, & alia symptomata, quæ valde periculosa sunt, suppofita totius, & pectoris euacuatione per sanguinis missionem, & purgans medicamentum, necnon per diuretica, & lambitiua, de quibus in thoracis vulneribus egimus; & tenui victu pariter supposito, imprimis considerandum est, an abrupta costa ad extra vergat, vel ad intra. Si ad extra vergat, oportet ipsam manibus ipsis æqualiter comprimere, & postea cum emplastro ex albuminibus ouorum, farina fabacea, & alijs agglutinantibus, optimisq́; stupatis, & plagulis eodem prorsus modo applicitis, quem in superiori capite in clauicula perfracta proposuimus, locum fracturæ firmare oportet, & in fine cum emplastro dialthæa, & oxycrato, cui paululum mellis adiectum sit, occurrere oportet. Si verò ad intra vergat, in balneo, vel iuxta ignem manibus linitis cum therebinthina, aut aliquo visco, & super depressam partem applicitis depressam costam omni ingenio ad extra trahere oportet, quod facilius succedet, si patiens eodem tempore tussiat, & expirationem vehementius cohibeat. Optimum quoque est, vbi alijs auxilijs attrahi non possit, cucurbitulam non incisam depresso loco admouere. Vbi autem auxilia hæc in cassum administrantur, cogimur tandem, vti iubet Auic. locum aperire, & costā depressam extrahere. Oportet autem primis quatuor diebus, ad sedandū dolorem, & inflammationem arcendam, ros. oleum, & albumina ouorum cum stupis admouere, leuiq́; deligatura, quæ ad retinenda medicamina tantummodo sufficiat, deligare. Postea verò cum emplastro ex fabarū farina, & melle ipso confecto, & postremo loco cum dialthea, & oxycrato iam dicto, curationem peragere opus est: ita tamen, vt singula quinta die locus resoluatur, & noua medicamenta admoueantur.

De fractura cum vulnere. *Cap. XIII.*

Differētiæ.

GALENVS vnà cum Hippocrate de fractura, cui vulnus quoque adijcitur, sermonē habens, duplicem ipsius proponit differentiam, quorum singula peculiarem curationem exposcit. Altera enim, inquit, cōpetit curatio, dum aliquid fracti ossis nudatur, vel testa vrget, quæ à contrito osse didu cta est: altera, quum nihil tale est, sed extra fracturam, quæ rectè composita est, vno vulnere solicitamur. Si enim subdit ille, nudum os cute excidit, quod protinus bene compositum fuerit, & restitutum, neque suspicio est, ne aliqua testa à perfracto osse resoluatur, Hipp. mutandum esse superius genus curationis, in sermone vniuersali propositū, non censet, sed vtitur iunctura, quam posuit conuenire, vbi os integra cute perrumpitur. Quibus enim, inquit, sine fragmentis ossa simplici modo comminuta eodem die, vel certè posteriori reposita sunt, atq; in suam sedem restituta, nec testæ alicuius expectatio est, quæ ab osse abscedat: aut quibus vulnus quidem est, sed abrupta ossa non excidunt, neque fractura talis est, vt metuēdum sit, ne testa quæpiam ab osse abscedat, his omnib. aptissima deligandi ratio est, quæ simplici fracturæ accommodatur. Si enim, subdit ille, quorundam more soli vulneris curationi per enemata in principio incumbamus, & vbi vulnus purum est, & iam glutinatur, tunc lintea complura adhibeamus, & per ferulas fracturam dirigamus, sub hac ratione curandi ossa in suum locum non similiter reponuntur, sed fiunt aliquanto tumidiora, quàm par sit, & si tam cruris, quàm brachij vtraque ossa fuerint comminuta, etiam breuiora fiunt. Ob id fractura initio non est negligenda, sed idoneum vinculum dandum, & per omne tempus curationis satius est ossa comprimere, & adstringere, quoniam sine conuenienti iunctura composita ossa nequeunt contineri, qua de re donec increscat callus, curiosè deliganda. Non tamen eo pacto deliganda, quemadmodum nonnulli Hippoc. tempestate faciebant, qui quidem lintea à principio protinus circundantes vtrinque deuinciebant, & ex adnerso eorum, de quibus diximus, soli fracturæ quasi incumbentes vulnus ipsum relinquebāt, & refrigerari patiebantur: deinde super ipsum imponebant aliquod ex purgan-

Hip. & Gal. 3 comm. de fract. tex. & com. 2.

Tex. 3.

Curatio fracturæ cum vulnere, in qua fractū os non nudatur, & nulla est suspicio, ne aliqua testa à perfracto osse resoluatur.

purgantibus pharmacis, tum pannis ex vino madentib. ac lana succida medebātur. Hęc.n.curatio valde aliena est:quia illi,qui sic deligatus fuerit, necesse est vulnus in tumorem assurgere. Si enim carnosa pars,quæ sana est,hinc,atque hinc vinciatur, media non comprehensa, ea pars, quæ relicta sine vinculo fuerit, maximè turgebit, minusq́; erit sui coloris, quanto magis vlcerata caro hæc efficiet? Necesse est igitur sub hac curandi norma, vt vlcus decoloretur, & materia ad ipsum exprimatur, tum lachrymetur, ac minimè suppuret, & ossa, quæ abscessura non essent, abscedant. his enim crudorum succorum abundantia madefactis, mirum non est, si qua particula abscedat, vbi qui sic medetur, ab alieno vinculo non desistat. Vlcus item pulsu affligetur, atque igneum euadet, & tumor coget cataplasmata superdari.

Tex.8. Hac itaque curandi praua ratione prorsus abiecta,oportet (vt summatim dicam) vbi nullum recessurum os expectatur, similiter curare, atque vbi sine vulnere fractura est. extendenda enim æquè ossa sunt, ac dirigenda, & eodem modo vincienda, vt in sermone docuimus vniuersali. Ad hæc vulnus suendum, cerato, quod picem habeat,si hyems sit; aut cerato rosaceo,si æstas,aut cerato simplici reliquis temporibus inungendum,tenuiq́; panno duplici contegendum, proximæq́; partes albo cerato illinendæ. fasciæ verò, cæteraq́; scindenda paulò latiora, quàm si vlcus non esset, & qua parte primum dantur, latiora multo danda, quàm vlcus, quum quæ angustiora sunt instar zonæ ipsum cingant, quod minimè expedit. primus enim circuitus totum vlcus complecti debet. Feratur item fascia pręter vlcus ad partes etiam,quæ supra sunt,atque infra. Ergo caput fasciæ iniijciatur è regione vlceris, & laxius paulò attrahatur,quàm si fractura esset citra vlcus. circumagatur autem eo modo, quo in sermone vniuersali positum est: sintque fasciæ molliores semper, quàm si integra cute os esset abruptum, neque pauciores, quàm prius ibi diximus, sed aliquanto plures. Homini verò quum inuolutus fuerit, videantur aptissimè inhærentes, non tamen adstrictæ, afferatq́; super plagam maximè inhærere.tum eodem tempore, quo eodem vniuersali sermone indicauimus, ipsas & bene insidentes,& laxiores sentiat. deinde tertio quoque die soluantur,& rursus alligentur. In cæteris similiter agendum, vt ibidem diximus: hic tantum latius,quàm ibi, coarctentur. Quod si fiant, quæ rationi consentanea sunt, locus, in quo plaga est,& reliqua etiam sub vinculo comprehensa semper graciliora se ostendent. Iam verò & pus ocyus orietur, quàm si alia curatio admoueatur. Caruncula præterea, quæ in vulnere nigrescunt, & emoriuntur, celerius sub curatione hac resoluentur, & recedent, quàm sub alia, & vlcus celerius cicatricem recipiet sub hac via, quàm sub alia. Cuncta verò hæc propterea fiunt,quia & locus vulneratus, & quæ iuxta sunt, extenuantur. Reliqua curatio esse debet, ac si ossa citra plagam frangantur, nisi quod ferulæ non sunt imponendæ. quamobrem pluribus fasciis hic opus est, quam alibi, quum & minus adstringendum sit, & ferulæ tardius circundandæ,super quas fasciæ arctius non sunt deligandæ. Tamen si ferulæ in principio superaccommodentur, è regione vlceris minimè circumponantur, deturq́; opera, vt laxiores sint, ne vehementer adstrictæ premant. In illis enim fracturis, quibus in longitudinem membri,carnis quoque vulnus accedit, ferulæ vtrinque à lateribus vulneris adhibendæ.Sed si hoc transuersum fuerit,non patitur ferulas superdari,præsertim vbi grandius sit. Clarum est autem,quod elapso inflammationis metu, & nullo existente dolore,oportet & fracturæ firmitati,& vna ipsius vulneris agglutinationi stupis pexis, & oui albo illitis, & linteis vino nigro, & oleo rosaceo expressis, studere: & si pars omnino dolore vacet, licet quoque pulueres adstringentes oui albo admistos, de quibus in sermone de vulnerib. diximus, àdmouere.

Victus ratio. Tenuiori autem cibo diutius contenti sint,quibus à principio carnis quoq; vulnus accessit,vel ossa cute exciderunt. & in summa grauissimæ fracturæ rationem victus tenuiorem amant, & diuturniorem.

Si cum fractura vlcus nō à principio, sed postea aliqua de causa cōiungatur. Eandem verò curationem requirunt vlcera, quæ non à principio fracturæ, sed, vel ob lintea nimium arctata, vel ob impositas ferulas,aliave de causa sub curatione postea oriūtur. Cognoscitur autem vbi vlcus subest, ex dolore, & pulsu, item ex tumore, qui tunc extremis partibus indurescit, & si digito presseris, exprimitur, ac rursus cito reuertitur. Igitur si quid tale suspectum sit, soluere oportet, atque vbi vel ea pars, cui superdantur illæ fasciæ, quæ primæ iniiciuntur, vel altera, quæ deuincta fuerit, pruriat, in vicem alterius cerati inungenda est eo; quod picem habeat. At si nihil eiusmodi sit; sed ipsum vlcus irritatum, nigrum valde, aut sordidum reperiatur, tum caro purulenta, futurumque etiam sit, vt nerui excidant, hos non conuenit ex toto refrigerare, seu

dicamus

dicamus nudare, siue vinculum detrahere fracturæ idoneum, vt vlcus curetur. neque debemus suppurata hæc timere, sed in cæteris eadem ratione mederi, atq; vbi initio vulnus adiectum est. Proinde vbi aliquid ex dictis signis apparet, quam primum soluenda iunctura fractis ossibus accommodata, & vno, atque altero die curatio, quam vlcera postulant, adhibenda, membrumq; rursus deligãdum. Tantum fasciæ laxæ admodum ordiantur à tumore, qui in extremitatibus est, deinde semper rursum versus circumagantur, neque vllo modo coarctentur: Insideant item vlceri commodissimè; alibi verò laxius vinciantur. Sint autem hæc prima lintea munda, non angusta, & eorum, quæ circundari solent, vbi ferulæ imponuntur, vel numerum æquent, vel non multum pauciora sint. Vlceri autem abunde est pannum inducere albo cerato inunctum. Nam siue caro, siue neruus nigrescat, procidet. his enim acria superdare non expedit, sed miria, non secus, atque adustis. Insuper tertio quoque die soluere conuenit, ac rursus deuincire, tum ferulas vitare, & magis, quàm ante conquiescere, atque abstinere. Scire etiam oportet, vbi futurum sit, vt vel caro, vel neruus excidat, hac ratione vitium minus serpere, & celerius multo excidere, ac proximas partes fieri longè graciliores, quàm si vlcus linteis resolutis, quopiam ex medicamentis purgantibus nutriatur. Iam verò vbi excidat, quod purulentum est, citius caro increscet, & cicatrix maturius inducetur hoc pacto, quàm si alio succurramus. Hæc omnia igitur eò pertinent, vt sciamus rectè, & cum moderatione deligare. Eò etiam confert idoneus habitus, reliqua victus ratio, & fascia quàm aptissima. Si autem quis deceptus recenti vulnere nullo modo existimans fore, vt os recedat, quod recessurum sit, eam vinciendi rationem adhibeat, quam simplices fracturæ postulant, talem medendi rationem non debet pertimescere: quandoquidem nullum ingens malum apportabit, dummodo possit rectè & citra noxam manu deuincire. Si verò de curatione fracturæ cum vulnere, in qua os recessurum sit, verba fiant, oportet in primis recessurum os præcognoscere. Denunciat itaque futurum esse, inquit Hippocr. vt sub curatione hac ossa recedant, pus, quod ex vlcere amplius profluit, & videtur ad exitum festinare. Vbi enim copiosius, quàm pro vulneris, & vlceris modo pus feratur, verendum est, ne subiectum os vitiatum sit: sed si præter id, videtur ad exitum festinare, iam certa res est. At vnde cognoscemus membrum festinare ad expellendum? Primum ex oris plagæ, quæ inter se non committuntur, sed dehiscunt, & in interiora vertuntur: deinde ex hominis sensu, qui exiguum quendam motum sentire sibi in altioribus partib. videtur, vbi cæteras non sensu, non animo aduertens, hanc vnam obseruet, cui hæc superueniunt. Aliud signum tradit Paulus, quod magis in diuturnis, & annuis vlceribus locum habet, & est, quod caro, quæ supra labia vulneris, & vlceris accrescit, hebes, laxa, & spongiosa apparet. natura enim dum aliquid intus habet, quod expellat, plagam non sanat. Vnde qua parte os recessurum est, caro flaccida, & spongiosa est. Ad hæc vbi ossa nudata sunt, necesse est, vt aliquid ipsorum recedat, quia venæ & arteriæ nudatis ossibus alimentum deferre non valent, & tum ob hanc causam, tum quia ab externo aere alterantur, corrumpuntur. Recessurum quoque os expectamus, quoties ossa fracta minimè, vel perperam conformata, & coaptata fuerunt. aut talis percussio, & externus impetus præcessit, qui ossa minutim, & in plura frustula confringere poterit. Quam citissimè verò os recessurum speramus, si citissima in vulnere suppuratio fiat, & citissima, atque optima carnis excrescentia. Caro enim, quæ in parietibus sani ossis excrescit, est illa, quæ ossis frustula à tergo propellens foras expellit. Clarum est autem, quod quemadmodum maiora, & solida ossa in ætate prouecta, & hyberno tempore tardius recedunt, vt puta sexaginta diebus: ita minora, & laxa in tenera ætate, æstiuoque tempore citius, vt quadraginta diebus expelluntur. Ossis quoque pars citius recedit, quàm integer ossis circulus. Dum itaque recessuri ossis signa se produnt, resoluere ait Hippocrates, ac deligare frequentius oportet, ob humoris abundantiam, tum alioquin febres excitentur, & vulnus cum his, quæ proxima sunt, si nimium vinculis coarctentur, gracilia fiant. Cum itaque pus collectum, si diutius detineatur, sanum quoque os corrumpit, ideo non fasciarum nimia arctatione, sed earum resolutione, ac frequentiori deligatione ipsum educere oportet. Vbi itaque tenuium ossium recessum expectamus, haud multum expedit curationem fracturis accommodatam iam propositam variare: sed fascia tantum laxior circumligetur, ne pus retineatur, sed exitum facilè habeat, & dum os recedat, sæpius soluatur, ac deligetur; ferulæq;

[Margin notes: Tex. 18. — Curatio fracturæ cum vulnere, in qua os recessurũ expectamus. Signa ossis recessuri. — Hippoc. 3. de fract. tex. 18. — Paul. lib. 6. c. 107. — Si os paruũ recessurũ sit curatio. — Tex. 19.]

omni modo vitentur, & quartò (quod vbique ab Hippocrate præcipitur) fasciarum numerus augeatur, vbi vel laxius deligantur, vel ferulæ omittuntur. Quod autem seruatur, est modus ille vinciendi, qui pertinet ad fracturas: panni siquidem extrinsecus inducendi ad eundem modum, quo in prioribus declarauit Hippocrates, & super hos fasciæ dandæ, quæ omnia docuit, vbi vinculum fracturæ

Tex.21. idoneum indicauit. At quibus grandius expectas fragmentum ab osse recessurum, subdit ille, siue initio præsenseris, siue postea cognoueris, non amplius eadem curatione opus est; sed quod ad intendendum membrum ac dirigendum pertinet, idem fieri debet: panni verò duplices sint, non angustiores dimidio palmo (quale tamen fuerit vulnus, iuxta hoc coniectura facienda est) tum quo ad longitudinem paulò breuiores, quàm vt bis fractum membrum complectantur, multò autem longiores, quàm vt semel, totque numero sint, quot res postulat. Satius autem est plures ponere, quàm pauciores, vt fractura melius stabiliatur, non tamen adeo plures, vt grauando comprimant. Tincti autem in vino nigro austero primum medij superdentur, perinde ac fasciæ, quæ à medijs orsæ in vtramque partem attrahuntur: posthæc ad figuram asciæ dextrum caput ad sinisteriorem partem, sinistrum ad dexteriorem procedat. Est autem ascia breuis ille circuitus, qui rectus incipiens ad latus attrahitur, nondum tamen est obliquus, definitque ad similitudinem asciæ, qua fabri vtuntur. A recta enim linea paulùlum recedens curuatur, vnde nomen asciæ traxit. In hanc igitur figuram præcipit Hippocr. vt panni super fractum membrum imponantur, eorumque capita ducantur, non secus, atque vbi fasciæ à medijs orsæ vinciuntur, hoc est, vt panni super membrum medij primum dentur, deinde eorum capita per vitiatum locum ferantur, non in orbem, sed paululum inclinati: sic, vt à contraria parte, atque inceperint, ad X literæ similitudinem inter se committantur: quod non fieret, si circumagerentur in orbem. quæ enim ita procedunt, planè inter se coeunt. Diligenter autem contemplati membri crassitudinem oportet, & de ipsa pannorum longitudinem coniectare, eosque tantos admouere, vt primo circuitu totum, secundò dimidium duntaxat complectantur. Vbi verò minus tuæ coniecturæ confidas, si eos super integrum, & par membrum inducas, ad vnguem longitudinem reperies. Dubium autem non est, quin panni ita cohærere inter se debeant, vt nullum inter ipsos inane spatium relinquatur. Hos porrò docet ex vino madefieri, quod colore nigrum sit, gustu austerum. tale enim repellit succos, qui iam recepti sunt, & eos, qui influunt, coercet. Oportet autem vulnus ex eo continenter madere. Vbi enim superiniecta lintea paulatim siccentur, atque incalescant, vulnus inflammari necesse est, potissimum æstate. Ob id eo tempore Galeni eos, qui grauissimè vulnerati fuerant, curabat, multiplicem pannum vulneribus inducens, tali vino madentem. Extrinsecus verò superimponens spongiam mollem, deinde totum fere diem, noctemque perfundebat. Vulnerato autem membro pellem subiiciebat leniter à pedibus situatam, per quam procederet et infusum vinum, & quasi per canalem efflueret, atque inani pelui receptum, tegestumque rursus infunderetur. Quod si huiusmodi præsidij copia vtendi non sit, inungendum est liquidum ceratum, quo simplices fracturæ illinuntur, quod tamen vino longè imbecillius est. Hi autem panni super ipsum vlcus imponantur, & hinc atque hinc respectu scilicet ad longitudinem, non autem latitudinem membri, neque vllo modo adstringantur, sed eatenus insidant, vt vlcus fulciant. Seruandum est autem commune præceptum, vt vincula non patum super integram partem ferantur, vbi ingens vitium est. Ad

Tex.23. vulnus autem ante pannorum admotionem applicetur ceratum, quod picem habeat, vel aliquod ex iis medicamentis, quæ cruentis vulneribus imponuntur, vel aliud ex iis, quæ idonea sunt, quæ perfunduntur. Summa enim curationis primis diebus in perfusione sita est, vt tum influxi, tum influentes humores procul ab affecta parte reprimantur. A tertio autem die ceratum, quod picem accipit, expeditius est, quo maturantur, quæ in vulnere collecta sunt. At Hippocrates cerato initio cum vini proprietate vtitur, eò quia exulceratas partes attingi nolit à vino puro, sed medium aliquid interijci, ne qua illis iniuria propter adstringentem vini facultatem accedat. Sed insuper imponit quoque aliquod medicamentum ex ijs, quæ statim cruentis vulneribus iniiciuntur, vt attrita cutet, ac mitiora efficiat (dum enim frangitur os, necesse est, vt caro circunstans atteratur.) Vult autem, vt idonea legantur, quę id, quod extrinsecus infunditur, admittant: Vnde non improbatur quoque ceratum rosatum. Quod si æstas fuerit, panni subinde vino

Vbi magnú offis fragmentum recessurú expectatur.

Medicamenta, quæ vulneri imponenda sunt.

made-

madefiant: Superdetur autem hyeme multa lana succida vino, atque oleo respersa. Vbi enim vitia hæc vehementer frigefiunt, interdum neruorum distentione periclitantur. quia enim vinum tum habitu, tum natura frigidum infunditur, ob id veritus Hip. ne quid hyeme grauius accidat, quum frigidæ medicinæ temporis quoque frigus accedat, occurrit immodico frigori lanam multam inducens tinctam vino cui olei aliquid adiectum sit, eamque succidam, quò per oesypum aliquid calefaciat, & modice refrigeret. Subijciaturque pellis sic figurata, vt humor, quo membrum perfunditur, & sanies, quæ abluitur, per ipsam facilè descendat, & quod effunditur, recipiatur, eaque à pedibus, vt superius diximus, figuretur. Meminisse etiam debemus exulcerari huiusmodi partes, si diu in eodem habitu perseuerent, & ægerrimè ad sanitatem postea perduci. In ijs autem, qui aliquo ex superioribus modis, vel ex ijs, qui postea subijcientur, sub vinculis nequeunt ad sanitatem perduci, eò potissimum incumbendum est, vt pars comminuta rectè contineatur, atque è regione corporis ea obseruatione, vt ad superiora magis spectet, quam ad inferiora. humilior autem membri habitus cauendus, ne humores ad ipsum fluant, superior verò hactenus accipiendus, quatenus cruri, aut alij membro dolorem nondum afferat. In quacunque autem fractura, in qua os recessurum expectatur, inflammationis tempore, ac metu iam elapso, expedit medicamentis quin etiam naturam ad ossis expulsionem adiuuare. Talia autem sunt, quæ calfaciendi vim habent, vti sunt propolis, cera citrina ad ignem liquata. Auicennas autem liquatæ propolidi partem vnam euphorbij, duas tithymali, & tres aristolochiæ permiscebat, & hoc pharmaco hyberno tempore, & in duris, adultisque corporibus vtebatur. dum vero corpora molliora sunt, non erit ab re oleum verus eidem adijcere. Alijs autem temporibus, & corporibus probatur ammoniacum, & bdellium oleo liliaceo dissolutum; ceratum quoque diadictamnum idem præstat. Dum autem os recessurum à reliquo osse omnino separatum est, & intra vulnus eiectum, volsella foras trahendum. Quod si ab osse reliquo seiunctum sit, sed in suo loco adhuc consistat, eodem modo appræhendendum, sed absque omni violentia extrahendum; Si citra violentiam id fieri nequit, expulsio ipsi naturę omnino permittenda. nam secus & dolor, & inflammatio, & conuulsio excitatur, & vulnus fistulosum redditur. Verum quoniam interdum ossa fracta excidunt, & extra vulnus eminent, &, quia grandiora sunt, difficulter in propriam sedem restitui possunt, &, dum magna vi extenduntur, periculum imminet, ne musculorum, ac tendonum fibræ tendantur, & disrumpantur, & dolores, ac conuulsiones suboriantur, idcirco subdit Hipp. quod si bene expeditèque rem agere quis velit, necesse est, vt machinationibus vtatur, vt fracti ossis intentio iusta sit, ac minimè violenta. Præcipuè autem ad crura machinationibus opus est. Quidam sanè reperiuntur, qui, quoties crus abruptum est, & alligatum, extremum pedem ad lectum deuinciunt, aut ad aliud lignum, quod iuxta lectum defigunt. Hi ergo omnia mala efficiunt, nec quicquam boni, eò, quod nihil ad extendendum conferat vinculum pedis. quia nihilominus reliquum corpus ad pedes fertur, & ea de causa non amplius extenditur; neque etiam ad continendum è regione aliquid conducat, sed potius peruertat. Reliquo enim corpore in hanc vel illam partem conuerso, vinculum nō prohibebit, quo minus pes, atque ossa, quibus continetur, reliquum corpus sequantur. quod si nullo modo vinciatur, minus vtique peruertetur. minus enim relinquetur, vbi reliquum corpus moueatur. Optimum igitur est, vt quis è corio Aegyptio (tale enim validum est, & molle) binos orbes suat, qualibus vtuntur, qui diu in magnis compedibus detinentur, sintque orbes hi vndique tunicis inuoluti, altioribus quidem à fractura, ab articulis autem humilioribus, tumidi præterea, & molles. Accommodentur autem vnus quidem super talos, alter infra genu. à lateribus verò vtrinque habeant ex simplici, vel duplici loro exiguos quasi sinus, alios vtrinque à talis, alios à genu, sinusque superioris orbis è regione illis respondeant, qui in inferiori sunt. Deinde cornea bacula (talia enim firmiora sunt) eiusdem magnitudinis præhendat, scilicet digiti crassitudine, & ea longitudine, vt cum flectuntur, diducere ossa possint, sic, vt non inhæreant, huc diligentia adhibita, vt extremæ virgarum partes non ad corpus, & ad cutem, sed ad summas orbium eminentias innitantur, inhæreantve: Sit autem assutum corium ita longum, vt compedum modo talos ipsos complecti in orbem possit. & alter præterea orbis, seu, vt exactius loquamur, circulcus, ientaculusve, ad regionem, quæ sub genu est, similiter detur. his enim binis opus est ad singula

Si ossa fracta excide rint, & diffi culter restitui possint.

Tex. 28.

membra,

membra, quæ curantur. quorum item multa paria disparis magnitudinis habeantur, vt, prout vnicuique conueniunt, huic quidem maiores, illi verò minores iniiciantur. In appendices autem, quæ vtrique orbi binæ innectuntur, conijci vult quatuor bacula extrema, quæ vbi coniecta fuerint, eodem pene momento paulatim curuentur, vt, dum ad naturalem rectum habitum redeunt, orbes compellant, superiorem ad summum membrum, inferiorem ad imum. hoc enim facto, fracturæ partes in diuersa extentæ rectè componuntur, seruanturque. Parentur autem baculorum paria tria, vel plura: fintque alia alijs aliquanto longiora, breuiorave, vt, vbi magis extendere volumus, commodè possimus: demittanturque hinc, atque hinc a talis. Hæc, si rectè parentur, iuste intendent, tum pariter è regione, & æqualiter, nec vulnus aliquem dolorem sentiet. Nam si quid exprimatur, partim ad pedem, partim ad femur transmittetur. Commodius autem bacula collocantur à talis hinc, atque hinc, vt tibiæ positio non impediatur, & vt fractura bene oculis subijciatur, & facile curetur. Nihil autem prohibet, si quis velit, duo bacula superiora inter se iungere, & inter se alligare, vt maneant recta, ne, dum magna vi curuantur inter se aduersa, ad proxima loca conuertantur. Sed dum ligantur, id, quod superinijcitur, à fractura attollatur. Si igitur orbes leues, firmi, molles, ac noui fuantur, & bacula rectè extendantur, machinatio optima est, & maximè idonea; Sed si quid horum non rectè habeat, oberit magis, quam proficiet. Quare etiam aliæ machinationes vel rectè, vel nullo modo adhibendæ. Turpe enim est, & ab artificio plurimum abhorret, machinationibus vtentem ipsa machinatione destitui. Subdit autem Hipp. illos pessimè se gerere, qui in quacunque fractura primis diebus lana succida medentur: tertio autem & quarto die lintea inijcientes tunc maximè adstringunt, atque extendunt. Omnia enim vulnera tertio, & quarto die minimè vexanda sunt, omnisque opera specilli fugienda est his diebus, & quibuscunque alijs vulnera recrudescunt, & inflammatione, aut sordibus grauiter excipiuntur, aut febrem inferunt. quo præcepto nullum aliud tradi potest vtilius. Quare initio membrum extendendum est, tertio autem, & quarto die leniendum. Quicunque verò existimant lana vtendum esse, donec ad septimum diem ventum fuerit, deinde extendendum, dirigendum, & fascijs vinciendum, non ita videntur imprudentes. Tunc enim inflammationis impetus conquieuit; atque ossa ab his diebus laxantur, & facilè tractari possunt. Hac tamen curatione longè melior est, quæ à principio vinculum adhibet, sub qua septimus dies membrum exhibet ex toto alligandis ferulis idoneum. Quod sub hac multo posterius contingit, & alia affert incommoda, quæ omnia persequi longum esset. Quibus verò ossa fracta, & cute excedentia nudataque restitui nequeunt, hoc modo, inquit Hippoc. in suam sedem collocantur. Ferramenta facere oportet ad similitudinem vectium, quibus lapicidæ vtuntur, & scalpelli vulgo dicuntur, latiora ex vna parte, angustiora ex altera. Quæ terna habeantur, aut etiam plura, latiora, & angustiora, vt semper adijci aptissima possint. Quibus demissis ossa eodem pene momento, quo intenduntur, impellenda sunt. Innitantur autem ab imo, inferiori ossi, à summo, superiori: ita vt ad superiorem partem ossis, superiorem ferramenti partem innitendo firmes, quemadmodum in summa, si quis lapidem, aut lignum vehementer rectè commoueat. Sint autem ferramenta, quam fieri potest, firmissima, ne flectantur. & parati multa debent, quorum alia alijs pleniora, vel tenuiora sint, vel minora, ab extrema parte, qua maximè suum effectum præstant. Hæc itaque curatio maximum momentum habet, si ferramenta idonea sint, & impulsus conueniens adhibeatur. ossa enim vel hac via, vel nulla alia, reconduntur; sed si id os, quod super alterum excedit, vecti idoneum locum non præstet, sitque ita acutum, vt vectis effugiat, scalpro excauandum, donec vecti locus fiat, cui firmiter hæreat. Impellere autem oportet, atque extendere eodem die, vel postridie, sed non tertio: quarto verò vel quinto minimè. Nam si his diebus lacessita ossa nequeant in suam sedem reuerti, inflammatio superueniet, ac nihilominus etiam, vbi restituantur. Si enim quamuis non reponas, sed aliàs molestiam exhibeas in his diebus, inflammationem induxeris: Quanto magis si reponas? Quare multò magis neruorum distentio excitabitur, si os restituatur, quam si restitui nequeat. Quodquidem ignorare non oportet. Nam si condito osse neruorum distentio superueniat, in angusto spes est: Præstat autem iterum expellere, si potest citra molestiam fieri. Neque enim ijs, quæ iusto laxiora sunt, neruorum distentio, aut rigor supernascitur, sed ijs,

Notandum vtilissimú.

Tex.36.

Tex.38.

Si os nudatum extra vulnus emineat, curatio.

Animaduersio maximè notáda.

quæ

quæ vltra debitum intenduntur. Quare propositis diebus irritare non conuenit (nam musculi & inflammationis, & extensionis vi distenti conuelluntur) sed operam dare, vt vulnus quam minimè inflammatione tentetur, & quàm maximè suppuret. Atque vbi septem dies, vel paulo plures transierint, si febris non sit, atq; vulnus inflammatione vacet, tunc minus prohibemur eniti ad reponendum, vbi voti compotes fieri posse non desperemus. quoniam sine effectus spe non conuenit. & sibi & alteri molestiam afferre. Ergo si ossa in suam sedem collocentur, quæ curatio admouenda sit, iam declaratum est, siue abscessura credamus, siue non. naturali enim tegumento, & cute ipsa, merito futuræ, ossa nudata tegenda sunt, ne propter externi aeris iniuriam putrescant. Quod si abscessura esse videantur, fasciæ, vt dictum est, in omnibus his ordiri à medijs debent plerunque, quemadmodum illæ, quæ primæ circundantur, in vtramque partem attractæ: & ita ex duobus initijs fasciæ deligentur. Attendenda insuper est figura vulneris, ne sub vinculo hiet, ac diuaricetur. Cauendum enim ne oræ vulneris diductæ vinciantur, quia ea contrahi debent, cutis partibus suum situm recipientibus. quandoquidem subiectum musculorum vulnus hac via minimè comprimetur, & maximè tegetur. Scire etiam licet, quæcunque cute conteguntur, hac eadem delectari, nihilque nudari innocenter. Nuda enim caro si sine cute relinquatur, ægrè ad cicatricem perducitur, præterquam quod morsum omnino sentit, & sordida redditur. Medicamenta enim quæ inflammationem coercent, ac lenlunt, cuiusmodi est, quod tetrapharmacon appellatur, affectam partem ab inflammatione tuentur, sed vulnus sordidum efficiunt: quæ verò vulnus purgant ob detergendi facultatem mordent. Iure igitur Hippoc. magni momenti existimat oras huiusmodi vlcerum contrahi, id, quod bene vtique cedet, si diligenter figura vlceris animaduertatur. Si vna enim ora in alterum latus inclinetur, fascia inde orta ad contrarium conuertenda est; si pariter in vtrumque, media primò inijci debet, atque oræ vulneris inter se committi. Fascia itaque commodè quibusdam à dextra parte attrahitur, quibusdam à sinistra, alijs in vtramque partem ducitur. Quæcunque autem ossa reuerti in suam sedem non potuerunt, hæc scire licet abscessura esse, non secus etiam ea, quæ ex toto carne sunt nudata. Nudatur autem quibusdam pars superior; plerisque verò emoritur caro, quæ circa fracturam est. Adhæc ossa quædam sub fractura diuturna alijs putrescunt, alijs minimè, & quibusdam grauius, quibusdam leuius; tum modo grandia, modo exigua ossa infestantur. Ob hæc igitur, quæ posita sunt, non licet vno verbo explicare, quo tempore abscessura sint. Nonnulla enim & quod exigua sint, & quod in summo contineantur, celerius excidunt: nonnulla non excidunt, sed arefacta, & putria squamam remittunt. Adhæc multum curatio alia ab alia differt: Ferè tamen ossa illis celerrimè abscedunt, in quibus celerrimè pus apparet, & celerrimè etiam atque optimè, vt superius diximus, caro increscit. Caro enim quæ in vitiata parte succrescit, plerunque os attollit. Ambitus ergo totius ossis, si quadraginta diebus abscedit, optimè abscedet, quum nonnulla vsque ad sexagesimum perueniant. Rariora quidem ossa maturius abscedunt, firmiora serius: alia, quæ minora sunt, intra tempus multo breuius, atque alia aliter. His autem de caussis os præcidendum est, si restitui nequit, & parum quid excedere videatur, abscindere quoque licet, si noxium sit, & carnem aliqua ex parte vulneret, ac molestiam afferat. Vnde id ex ipsis præcidendum, quod in caussa est, cur non condantur, vt quod proximam carnem pungit, atque molestiam affert, hoc est cum perturbatione, atque tormento reponitur. Sed & si nudum fuerit tale auferre oportet. Reliqua verò non multum refert, præcidantur, nec ne. Scire enim certum licet ossa, quæ carne nudata sunt ex toto, & arida, omnia penitus abscessura. ea verò præcidi non oportet, a quibus squama resoluenda est. Ex propositis autem superius indicijs conijciendum est, quæ penitus abscessura sint. Ad horum curationem pannis vtendum est, ac vini perfusione, sicut ante indicauimus in ossibus, quæ abscessura sunt. Vini autem vsus, vt Gal. testatur, summam diligentiam postulat. nisi enim subinde infundatur, aridæ fasciæ maximo sunt detrimento. Quia itaque summum periculum circumstat, ministri vltrò fatigandos se præbere, & Medicis imperantibus parere debent. Adde, quod nos etiam ob periculum ingens frequentius his adsumus, & interdum totam noctem immoramur. Cauendumque ne frigida aliqua re à principio perfundantur. nam periculum est, ne cum febre grauis horror sequatur, neue neruorum distentio superueniat. Nam frigida semper neruorum distentionem afferunt, præ-

Margin notes: Aliud notandum. — Si ossa fracta cute excedentia in suam sedē reuerti non possint. — Tex. 44. — Ossis præcisio quando facienda. — Tex. 46. — Reliqua cuратio quo modo peragenda. — Ga. 1. de fra. com. 21.

præsertim vulneribus. Illud item ignorare non oportet, quod membra, in quibus vtraque ossa comminuta sunt, dum inter se cedentia curantur & ea, quibus fragmentum à toto ossis ambitu recedit, necessario breuiora fiunt. Quibus verò femoris, vel humeri os excessit, fere non euadunt. Sunt enim ossa hæc grandia, & medullosa. Adde quod multa, ac magna simul lacerentur, nerui scilicet, musculi, ac venæ. Quod si reponantur, solet neruorum distentio superuenire; Si non reponantur, acutæ, biliosæque febres cum singultu, ac nigritie. Non minus euadunt, quibus nec reponimus, nec reponere tentamus. Magis adhuc euadunt, quibus inferior pars ossis, quàm quibus superior excessit. Euadere etiam possunt, quibus reponuntur, rarò tamen. Multum enim curatio, multumque natura corporis, alia ab alia distat, quod ad facile ferendum attinet; multum quoque refert, an ab exteriori humeri, femorisue parte ossa excesserint. multæ enim, & grandes venæ, & arteriæ per interiorem partem feruntur, quarum nonnullæ vulneratæ, arteriæque potissimum, hominem iugulant; per exteriorem verò pauciores incedunt. In huiusmodi igitur casibus periculi meminisse oportet, quod proprie circumstat, idque in tempore prædicere. Quod si restituere cogaris, speresque te id assecuturum, neque ossa nimium inter se cesserint, neque musculi contracti sint (consueuerunt enim ad suum initium recurrere) hæc quoque per vectem impellendo, extendendoque in suam sedem reponito. Vbi autem restituantur, & reponantur ossa fracta, leuiori per album veratrum purgatione vtendum est eodem die, si eodem die restituuntur. nam secus curatio aggredienda non est: potissimum verò laudatur veratrum, dum femur, vel crus fractum sit, vt vomitione succi redundantes euacuentur, & vnà ad superiora reuellantur. Si quis autem veratrum pertimescat, aut ipsum natura non ferat, antimonium præparatum, correctumque, & præsertim, quod hyacinthinum vocant, ad grana duo, vel circiter, prout pariens magis vel minus robustum est, propinari poterit. Quemadmodum humero perfracto aliquod valens purgatorium per aluum offerre licebit. Galenus verò in huiusce modi casu radiculam ex oxymelite interdum dedit, in qua veratri radicum surculi duntaxat per totum diem, ac noctem fuissent infixi. Sed quo pacto, & quibus modis veratrum tutò exhiberi possit, nos in primo libro in capite de melãcholia docuimus. Vulnus verò curandum est, non aliter, quam caluariæ ossa, vbi comminuuntur, nihil frigidum imponendum, à ciboque penitus abstinendum. Si verò homo naturaliter amara bile redundat, sustineri debet potione aquæ, cui oxyglicis odorati, quod apomeli vocant, seu fauorum cremorem odoratum coctum paulum asperium fuerit; Sed si amara bile non redundet, contentus sit aquæ potu. Et si quidem continua febre laborauerit, non minus quatuordecim diebus hoc victu vtatur; Sin febre vacet, septem. Eligendum autem apomeli, quod dulce est, ne tentet partes neruosas; nam quod magis acidum est, magis nocet, præsertimque vbi ex melle constat, & aceto, non autem ex fauis. Deinde verò paulatim pro ratione ad vulgarem victum reuertatur. Quibus item recondita ossa non fuerint, eadem purgatio conuenit, eodemque modo vulnus curandum, & eadem abstinentia seruanda: pars item corporis, quæ tumida est, extendi non debet, sed contrahi potius, vt spatium in vulnere laxius sit. Ossa autem longiori tempore abscedunt, vt suprà diximus. Cauere autem hæc oportet, præsertim si bella cautio est. Siquidem spes in angusto est, & pericula multa circunstant, atque vbi ossa non reponantur, Medicus videtur arte destitui. Vbi reponantur, homo ad interitum magis præcipiatur, quam liberetur: Et hæc hactenus de fracturis.

Tex. 49. & 50.

(✻)

Finis Libri Tertij.

EVSTA-

EVSTACHII RVDII VTINENSIS, DE MORBIS EXTERNIS LIBER QVARTVS,

In quo de Luxationibus differitur.

De Luxationis nomine, differentijs, causis, signis, prognosticis, & curatione. Caput Primum.

Continuatio.

ABSOLVTIS externis morbis, qui ad vnitatem solutam attinebant, reliquum est, vt ad eos, qui ad malam ipsam compositionem referuntur, explicandos accedamus, à luxationibus ipsis auspicati, quæ in prauo, & vitiato ossiū, & articulorum situ consistunt, & quia morbi simplices sunt; tumores verò præter naturam de necessitate compositi, & quia luxationes & penes causas, & multò magis penes curationem fracturis proximæ sunt, & cum his talem, ac tantam habent conuenientiam, vt, ita referente Galeno, Hippocrates librum de articulis illi, qui de fracturis est, proximè subiecerit, quemadmodum vtriusque libri principium planè demonstrat. In eo enim, qui de fracturis est, ita orditur; Medicum oportet, quæ suo loco mota sunt, & fracta, recto admodum habitu intendere: vbi aperte de fracturis, ac luxatis tractaturum se indicat. Sed in libro de articulis ab initio protinus coniunctionem (autem) adiungit, quæ ibi adijci solet, vbi aliquid agitur, cuius ante mentio facta fuerit; nunquam tamen in principio Sermonis ascribitur.

Gal. 1. de ar. in prin. com.

Nomen.

Vt itaque sciamus, quænam propriè dicta luxatio dicatur, & sit, animaduertendum, ossa pluribus modis, multisque de causis fuisse à natura diuisa, ac inuicem complicata, atque composita. Imprimis itaque vel componuntur per symphysin; vel vniuntur per articulum. Si vniuntur per symphysin, quæ est ossium vnio absque vllo prorsus motu, hæc vel est sutura, qualis apparet in capitis ossibus, atque hæc facta fuit & transitus gratia, vt scilicet cerebri membranæ per ipsam transeant, & pericranium producant, & causa perspiratus, vt per easdem suturas capitis excrementa fuliginosa perspirent, & causa securitatis, ne scilicet vno osse fracto, diuisio, & fractura alteri contiguo ossi communicetur, & propter partium, seu ossium discrimen, dum scilicet os valde durum alteri longè minus duro complicatur, quemadmodum bregmatis, vel sincipitis ossa, quæ tenuiora, molliora, ac imbecilliora sunt, cum ossibus squamosis, atque petrosis, quę crassiora, robustiora, & durissima sunt, complicantur: vel est gomphosis Græcis dicta, quæ est cum ad instar claui os ossi infigitur, vt sunt dentes in maxillis, patetque hanc propter partium differentiam fuisse fa-

ctam

ctam: vel harmonia, quæ est ossium structura per simplicem lineam, quæ aliis potius de causis iam enumeratis ab ipsa natura fuit excogitata. Si verò ossa componantur per articulum, qui quidem est ossium compositio cum motu, quia huius causa est, eius duæ sunt differentiæ, nempe, Diarthrosis, & Synarthrosis: Et hęc quidem est coarticulatio cum motu obscuro, quemadmodum diarthosis est dearticulatio cum motu manifesto, & apertissimo. Per synarthrosin enim coniungitur os tali cum cyboide osse, necnon cum ipso calce: eodem modo tertium os brachialis cum primo & secundo eiusdem, necnon tarsi ossa inter se, & nonnulla item brachialis ossa inuicem coniunguntur. Diarthrosis verò triplici rursus modo facta est. nam ossa, quæ ad apertum motum dearticulata sunt, vel per enarthrosin vnita sunt, & tunc rotundum, aut oblongum caput ossis in acetabulum, seu cauum aliquid inseritur, vti sunt articulatio femoris cum coxendice, humeri cum scapula, & primæ aciei digitorum cum ossibus metacarpi, seu post brachialis: vel per arthrodrian, quæ leuiter cauū, & in superficie, & capitulum etiam depressum habet, vt prima ceruicis vertebra cum secunda, & radius cum cubito: vel per ginglymon, & in hac articulatione ossa sese inuicem ingrediuntur, & partim suscipiunt, partim suscipiuntur, vt cubitus, seu vlna cum humero, femur cum tibia, & secunda & tertia digitorum acies. Hac itaque posita diuisione, clarum est nos in præsentia de ea ossium coniunctione vitiata, & prauo eorum situ, quæ quidem coniunctio sine motu est, nullo pacto loqui, quia morbus hic non luxatio, sed potius separatio, aut diductio dici debet, de qua in sermone de vulneribus capitis egimus. Sed in præsenti sermone de ea vitiata ossium vnione differimus, quę quidem vnio cum motu est, & ope orbicularis ligamenti facta articulus ab omnib. nuncupatur. Hæc itaque ossium vnio cum motu, ac per articulum facta, dum dissoluitur, ac vitiatur, vt per eam complicata ossa inuicem separentur, ac propria sede, ac situ naturali dimoueantur, communiter luxatio, necnon etiam exarticulatio à Latinis, à Græcis exarthrema vocatur, quamuis maximè propriè dicta Luxatio sit illa, in qua ossium compositio, quæ cum manifesto; & perspicuo motu est, peruertitur. Nos itaque cuiuscunq; luxationis disciplinā tradituri, dicimus ipsam communiter acceptam, & prout tum de diarthrosi, tum de synarthrosi viriata prædicatur, esse articuli è naturali situ, seu proprio acetabulo in alienam sedem, aut posituram prolapsum, arbitrarium motum impedientem. Per articulum verò non aggregatum quoddam ex duabus ossium extremitatibus inuicem cōnexis intelligimus, sed illud, quod etiam Hippoc. vt Galenus refert, intellexit. is enim solitus est mutuari nomen articuli ad significandum ossium, quæ inter se committuntur, non cauum, quo proximi ossis caput recipitur, sed ipsum caput. Luxationis porrò differentiæ vel propriæ sunt, vel impropriæ. Quæ propriæ sunt, vel ab ipso subiecto, & vitiato, seu prolapso articulo, vel ab ipsa forma, & subinde, vel ab ipsa magnitudine, seu articuli recessus quantitate, vel à situs immutati varietate; vel tertio ab effectrice causa desumuntur. A prolapso articulo, quatenus vel est per synarthrosin, & cum motu obscuro, vti dum latum scapularum os ab humero, vel ingulum, seu clauicula à summitate lati scapularum ossis, aut radius à cubito, vel sura à tibia recedit, quam Luxationem Arabes disiunctionem vocant, sub qua Hip. ossa dehiscere scribebat. Vel per diarthrosin, & cum motu aperto, & manifesto, tuncque maximè propria luxatio producitur. A recessus autem articuli magnitudine duæ præsertim habentur differentiæ, quæ quidem ex maioris, minorisque ratione sumuntur. Cum enim articulus sua sede in totum excussus deciderit, communi generis vocabulo Grecis exarthrema, Latinis luxatio dicitur. Si verò à compagibus suis paululum duntaxat emotus est, aut vsque ad sinus, seu concauitatis supercilium, (quod nonnulli marginem vocant) prolapsus, nobis subluxatio, Græcis verò pararthrema nominatur, sub qua differentia, & laxationem ipsam, seu, vt Auicen. inquit, elongationem ligamenti, cum ossa propter mollitiem, & laxitatem, & distentionem ligamentorum elongantur ita, vt articulus paululum à sua sede elongetur, non tamen ex toto excidat, & distorsiones ac peruersiones cum pluribus ossibus compræhendimus. Quantum verò attinet ad praui situs, in quem articulus prolabitur, varietatem, ossa luxari, aut peruerti, seu aliquatenus detorqueri contingit, vel in partem priorem, seu anteriorem, vel posteriorem, vel interiorem, vel exteriorem, vel superiorem, vel inferiorem. quamuis articuli quidam in omnes, nonnulli in certas ex iam dictis differentias promoueantur, vt in speciali luxationum sermone clarum fiet. Ab effectrice verò causa eatenus luxationes variari diximus, quatenus nonnunquam articuli

Margin notes: Gal. 2. de ar. com. 8. — Natura. — Hip. & Gal. 1. de art. tex. & com. 1. — Differētia — A subiecto — A forma. — Ab effuientte causa.

ticuli è sua sede excidunt propter causas externas (idque vt plurimum contingit) veluti sunt casus, cursus, saltus, percussio, & violenta, atque incongrua membri alicuius extensio, aut distorsio, seu peruersio, nonnunquam verò ob causas intrinsecus ingruentes, vt cum mucosus, & pituitosus aliquis humor in articulis, seu juncturis aceruatur, & influit, qui primum articulationis ipsius ligamenta madefacit, deinde laxiora reddit, & tandem, ob eius multitudinem, sua sede os ipsum protrudit. Sunt denique differentiæ impropriæ, quæ reuera differentiæ non sunt, sed potius quædam affectuum præter naturam cum luxationibus complicationes, dum scilicet cum ipsis vel inflammatio, vel fractura, quæ sæpius contingit, vel vulnus, vel ingens dolor, vel tophacea quædam durities, aliusuè tumor connectitur. Has tamen differentias proposuisse operæ precium est, quia curandæ luxationis rationem & peruertunt, & non parum aliquando inturbant. Ex huius autem morbi natura signa, quibus dignoscatur, statim emergunt. Cum enim articulus in prauā delabatur sedem, & morbo in situ, seu positione teneatur, quamprimum os in alienam sedem prolabitur, tam primùm nedum manibus nostris articulum attrectantibus, verum etiam oculis ipsis intuentibus vitiata articuli positura sese offert. Tumor enim præter naturam ea parte, qua os prorumpit, & sinus seu cauitas insolita ea, à qua recessit, manifesto apparent. Dum enim concauitas in loco insueto conspicitur, necesse est, vt in parte, & loco opposito eminentia protuberet. quæ quidem facilius adhuc apparent, si iunctura, & superposita corpora, vt musculi, tendones, & ligamenta, necnon cutis ipsa, aut sui natura, aut propter aliquem morbum graciliora sint. Quod si luxatio perfecta sit, membrum læsum vt plurimum breuius, quia prolapsus articulus, cum amplius propriæ cauitati non innitatur, à musculis sursum trahitur; nonnunquam verò longius euadit, vt dum particulares luxationes enodabimus, apparebit. Cum itaque luxatum membrum sano semper dissimile fiat, in situ, & compositura, & in longitudine, idcirco monet Hipp. vt semper affectum membrum cum sano conferamus, ita tamen, vt vtamur exemplo cognominis, partis, similis, sani. Cognominis quidem vbi humerus cum humero cōfertur cum brachio brachium, crus cum crure, & sic de reliquis: paris in eodem homine, & non in alio: similis, quia potest, cum quo confertur, par esse, non tamen similis, cum sæpe alter humerus vitio quopiam tabuerit, aut abscessu ægrotauerit, vel crus valgum sit, aut varum: & idcirco sanum rursus adscripsit, ne quid nos perperam accipiamus, non grauatus verbum, quantum est in vi, idem penitus iterate. Nam quod par est, vtique sanum est, si simile sit, nisi, vbi vtrumque membrum eodem modo sit affectum. Tunc autem in alijs hominibus spectandum erit, in quo casu conuenit simili sanum adijcere. Sed si in eodem homine consideretur abundè erit dixisse sanum, quod simili compræhenditur. Insuper quia per articulum ossa nulla alia de causa componuntur, nisi gratia motus membrorum, vti superius declarauimus. ideo, dum situm naturalem articulus immutat, necesse est, vt articuli motus pereat, aut saltem maximè lædatur, ita vt motus difficilis euadat. Vnde quamdiu motus articuli non læditur, quamuis luxationis adsit suspicio, non tamen luxatio facta est. denique quia articulus in alienam sedem prorumpens, tendinosas, neruosas, musculosas, aut alias sentientes partes comprimit, dolor ipse luxationem consequitur. Si verò Luxatio sit articuli per synarthrosin, in qua ossa dehiscunt, signum certum est crassities membri maior facta, quam status naturalis requirat; & qua capita ossium consistunt, extuberantia quædam maior. Quemadmodum verò exarthrema, & perfecta luxatio ex intentione signorum, de quibus quibus supra, cognoscitur: ita, dum signa proposita remissiora sunt, parathrema, seu subluxatio potius indicatur. Ea verò luxatio, in qua membra longiora fiunt propter ligamentorum remollitionem, primò cognoscitur, quia luxatum membrum, & articulus quodammodo filo suspensus apparet, & huc, & illuc inordinatis motibus mouetur, & vacillat: & dum articulus in naturalem sedem impellitur, membrum naturalem acquirit longitudinem, quo rursus dimisso, statim longius euadit. Circa ipsum autem articulum vndique cauitas gignitur, in quam interdum etiam digitum immittere possumus. Articulus autem optimè repositus cognoscitur, quia membrum, & iunctura ipsa & propriam figuram, & naturalem longitudinem, & omnes amissos motus recuperat: quæ quidem omnia in relatione ad membrum cognomen, par, simile, & sanum, vt diximus, æstimanda sunt. Illud autem circa motiones naturales animaduertere debemus, quod articuli, quò rotūdiores

[Margin notes: Differentiæ impropriæ. — Signa. — Hip. 3. de off. Med. tex. 24 — Articuli optimè repositi signa.]

sunt, & in acetabula rotundiora, profundioraque inseruntur, eò maiorem motionum numerum, seu differentias obtinent: quò depressiores sunt, & in cauitates magis superficiales recipiuntur, eò pauciores motuum differentias sortiti sunt. Vnde articuli per enarthrosin habent motum ante, retrò, dextrorsum, sinistrorsum, & in girum; pauciores motus habent, qui per arthrodiam; duos tantum motus, nempe flexionem, & extensionem, qui per ginglymon dearticulantur. Aliud quoque signum repositionis factæ cum Auicenna addere licet, strepitum videlicet & sonum, qui ab ægrotantibus, & assidentibus, dum os in cauitatem redit, percipi solet. Sunt autem luxationibus magis obnoxij pueri, & adolescentuli, quàm robustiora corpora. Similiter si corpus tenuè, macilentumque sit, si temperatura humidum, si nerui, & ligamenta infirma, ossa facilius luxantur, sed expeditius reponuntur, postea tamen minus fideliter continentur. Quæ contraria his sunt, in ijs ossa difficilius excidunt, & luxata ægrius reponuntur, sed reposita melius continentur. Adhæc articuli quanto maiorem motionum numerum, seu differentias habent, tanto facilius è proprio sinu excidunt, ac rursus reponuntur, sed minus fideliter continentur: quò pauciores motuum species obtinent, eò difficilius tum luxantur, tum reponuntur, & melius continentur. Idcirco articuli per enarthrosin compositi facillime luxantur, & suo loco restituuntur; per ginglymon verò difficillimè; medio modo se habet arthrodia. Semper tamen ossium, & articulorum magnitudo, & ligamentorum robur, ac numerus inuicem conferenda, & contemplanda erunt. Qui enim articuli vnico ligamento, orbiculari nempe fulciuntur, proculdubio facilius luxantur, quàm illi, qui duplici ligamento, orbiculari scilicet & tereti donati sunt. Pariter maiora ossa, quia causam exigunt valentiorem, ægrius, quàm minora luxantur. Ob id digitorum luxatio, sicuti frequentior est, ita nullum facessit negotium. Ossa demum alia alijs facilius, alia difficilius & excidunt, & reponuntur, pro ratione, & naturæ iuncturæ, vnde propelluntur. qua de causa genu, vt non ita difficulter prolabitur; sic non ita magno impendio in suam sursus sedem impellitur. Cubitus verò, vt rarò, ac difficilius luxatur, ita negotij plurimum exhibet. Quemadmodum verò articuli cubiti, manus, tibiæ, pedis, & digitorum tum perfectam, tum imperfectam luxationem patiuntur, ita articuli femoris, & humeri, si luxatio ab externa causa ortum ducat, solummodo perfectam subire possunt luxationem, quia propter exactam rotunditatem, & superciliorum tenuitatem necesse est, vt vel prorsus extra cauitatem, & sinum labantur, vel in eundem sinum rursus reuertantur. Cum enim veluti in puncto tangant supercilia, statim à musculis in propriam cauitatem trahuntur, nisi ab ictu externo perfectè expellantur. dum autem hi duo articuli ab interna causa luxantur, etiam imperfectam perpeti possunt, quia influens humor paulatim in proprijs eorum cauitatibus aceruatur, & eos sensim extra pellit. Quibus autem luxationibus, ait Auicennas, inflammatio, aut vulnus, aut dolor ingens accedit, hæ præterquam quod curatu admodum difficiles sunt, periculo quoque non vacant. Adeo vt in ijs casibus aliquoties tutum non sit, repositionem aggredi, quia ne conuulsio, & mors sequatur, melius est, luxationem sic remanere. quin imò si reposito osse nerui distendantur, rursus id protinus, vt consulit Celsus, expellendum est. Vetustæ autem luxationes, & quæ spatio temporis iam callo obduruerunt, vel difficillimè, vel nunquam consanescunt. proinde statim, si fieri potest, reponi luxata debent. Similiter luxatio, in qua supercilia, seu margines ossium franguntur, pessimæ iudicantur. Repulsi enim in suum locum articuli, inibi diu persistere non possunt: sed leuissima quaque occasione iterum relabuntur. Articuli pariter, qui neruorum, ac ligamentorum vitio prolapsi sunt, & postea in suas sedes compulsi, iterum propter ligamentorum relaxationem excidunt. Quibus autem in pueritia articuli exciderunt, neq; repositi sunt, minus, quàm cęteri crescunt. Quemadmodum etiā membrum, quodcunque diuturna luxatione labotans, quanto magis à naturali motu prohibetur, eò magis extenuatur, & maiori corripitur marcore, quod tum propter motum impeditum contingit, cuius causa natiuus membri calor hebetatur, tum quia ab articulo luxato & prominente & superpositorum vasorum, & partium distorsione & compressione spiritus, & sanguinis viæ vt plurimum angustæ redduntur. Quia verò curatiuæ indicationes à morbi natura fluunt, & luxatio in malo articuli situ consistit, idcirco primus curandæ luxationis scopus ipsis quoque vulgaribus non ignotus, seu finis, in quem intendere debemus, & à quo artificib. notę indicationes eliciuntur,

Prognostica.

Indicationes, & curatio.

Repositio articuli.

eliciuntur, erit luxati articuli, & suo loco moti in propriam, ac naturalem sedem

Extensio. reductio. Verum quoniam in hac administranda periculum imminet, ne articulus ipse, seu caput ossis conteratur, & contundatur, & sinus supercilia frangantur, & insuper, quia articulo è proprio sinu prolapso, statim à musculis sursum trahitur, & membrum fere, vti superius diximus, abbreuiatur, aut si elongetur, articulus tamen in locum præter naturam retrocedit, & à musculis vi quadam attractus firmiter detinetur, idcirco, vt absque iactura articulus placidè reponi, ac omnis prorsus circumrotatio euitari possit, membrum luxatum, aut solis manibus, aut habenis iniectis, alijsvè machinamentis adhibitis, prout ossis, & membri magnitudo, & robur exigit, primum in diuersas partes decenter extendendum

Coaptatio. erit, eodem prorsus modo, quem in fracturarum extensione præscripsimus. Tum id os, quod suo loco excidit, ab ea parte, in quam prolapsum est, in contrariam impellere oportet, atque ita in germanum suum acetabulum restituere, vt sinus,

Figuratio. seu cauitatis insolita vacuitas impleatur. Hæc autem quia leniter, & sine dolore, quatenus fieri licet, agenda sunt, & inflammatio summopere præcauenda est, ideo antequam fiat extensio, luxatum membrum eadem prorsus ratione, ac methodo, quam in curandis fractutis in vniuersum tradidimus, decenter prius figurandum est, ne scilicet musculi tendones, & nerui peruersi, ac malè figurati, & à natura-

Deligatio. li positura alieni magis, quam decet, extendantur. Verum quoniam articulo repositio, propter laxata ligamenta, periculum est, ne rursum sua sede prolabatur, & quia propter dolorem, qui & in luxandi actu, & post factam luxationem, ab osse partes neruosas, & musculosas comprimente, & a membri extensione promouetur, periculum imminet, ne inflammatio ipsa suboriatur: ideo post articuli repositionem, statim membrum ea ratione deligandum, vt articuli iunctura omnibus modis firmetur, ac roboretur, & vnà dolor ipse, si quis est, tollatur, & inflammatio arceatur. Optimè itaque iunctura firmabitur, ac dolor mitigabitur, si rosaceo oleo perlinatur, & postea, pannus aliquis lineus gracilis, vetus, & lenis

Medicamenta opportuna. eodem rosaceo imbutus, aut si dolor exiguus sit, stuppæ cum oui albumine, ipsi applicetur. deinde si stuppæ lenes, ac panni multiplices ouorum candido perfusi, vel si dolor aliquatenus vrgeat, cerato rosaceo delibuti superaccommodentur, & postremò si fascijs posca madentibus, pro ratione particulæ, longis, latisque subligetur. Quin etiam ferulæ ex corio, aut densa papyro factæ, si necessitas vocet, circumdandæ sunt. Cauenda autem semper est vehementior perstrictio, ne in-

Repositio membri. flammationem moueat. Ijs ita ritè peractis, pro eadem inflammatione arcenda, ligatum membrum in figura ei maximè naturali, atque a dolore alienissima, de-

Resolutio quando sit peragenda. qua in fracturis egimus, ad quietem reponendum est. Nec verò ante diem septimum ipsum resoluere oportet, aut alijs adhibitis medicamentis curare, nisi aliquod symptoma prauum accedat, aut pruritus vrgeat, vel fasciæ nimis laxentur, sed ipsum ita sinere oportet. Porro nihil noxæ attuleris, si, dum legitimo tempore resoluitur, & secundo curatur, aqua modicè calida foueris (nimis enim calida ligamenta laxat) quia fotus hic gemina tunc ratione prodest, nam, & dolorem, si quis sit, demulcet, & quod in laborante particula noxium conceptum est, & pruritum promouet, ab eo digeritur, & transpirat. Quocirca dum abest, pruritus, in aquæ calidæ perfusione nullo pacto persistendum est, cum ligamen-

Adstringentia medicamenta. ta non quidem laxari, sed astringi potius debeant. Vbi autem sic, vt res exigit, laxatum membrum foueris, mox huic emplastrum adhibebis, quod constet polline, id est, farina volatili puluere rubro communiter vocato (qui ex bolo Armeno, sanguine draconis, myrtillis, & malicorio confici potest) & albo oui ad mellis crassitudinem in vnum corpus redactis: aut si ceratum aliquod mauis, hyeme ceratum barbarum, æstate ceratum de minio, aut diapalma, vel oxycroceum applicabis. Hæc enim adstringentia laxata ligamenta contrahunt; partem roborant, & inflammationem arcent. Qua de causa in principio cerata quoque propter sui duritiem euitamus. Post hęc verò, quia inflammationis timor iam præterijt, membrum strictius obligandum erit. Ea autem fomenta quæ calfaciendi, & humectandi vim habent, in recentibus luxationibus, & ijs, quæ nuper inciderunt, omnino cauenda sunt, nisi dolor, aut pruritus vrgeant & ad sese curationem trahant. Relaxant enim & dissoluunt huiuscemodi calfacientia, & humectantia, vnde pars afflicta imbecillior redditur, & ad fluxionem recipiendam pronior, & subinde inflãmationi opportuna efficitur, & articuli sinus superflua humiditate oppletur. quo fit, vt articulus in proprio sinu diu persistere non possit, sed lubricus, ac

ſubterfugiens dilabatur. Vertat etiam Auic. pannos impensè calidos membro re
center luxato admoueri, ne fluxio, & inflammatio promoueatur. Ob id potius eos
cerato refrigeratorio, aut vino aliquo auſtero imbutos adhibebat. Simili modo
pro eadem inflãmatione prohibenda, articulo in ſuam ſedem repoſito, humorum
in affectam partem influxio omni ingenio erit arcenda. Si enim fluxione tente-
tur, & dolorem ſtatim ſentiet, & inflammatione occupabitur. Quare pręter eo-
rum, quæ roborant, & de quibus diximus, parti luxatæ appoſitionem, oportet, ſi ni-
hil prohibeat, & venæ ſectione vti, & purgans medicamentum offerre, & tenuem
initio probamque victus rationem inſtituere. Si verò antequam voceris, luxata Si luxatio
pars iam dolore infeſtetur, aut inflammatione occupetur, non prius articulum in dolore, aut
ſuam ſedem reponere tentabis, quam dolor finitus fuerit, & inflammatio con- inflãmatio-
quieuerit. Si enim membrum ſic dolore, aut inflammatione affectum diſtenden- ne teneatur
do laceſſiueris, periculum eſt, ne conuulſio, vel neruorum diſtentio, vel ſimile ali-
quod prauum ſymptoma ſuſcitetur. Hoc itaque præceptum in luxatis omnibus
curiosè obſeruandum, & proinde articulus ante inflammationem reponendus, aut
ſi illa iam occupauit, non prius repoſitio tentanda, quam illa conquieſcat. Quocir-
ca inflammationem ipſam, atque dolorem leuare oportet lana ſuccida ex hydre-
læo moderatè calido, acetique momento ſuperimpoſita. Si verò etiam febris ac-
ceſſit, & luxata oſſa validis, & plenis muſculis, & tendonibus contineantur, curio-
ſius omnia facienda ſunt: ſed maximè, quæ ad victus rationem, venæ ſectionem,
& purgationem attinent. Sedato autem dolore, & finita omnino inflammatio-
ne, pleniore victu (vti de fracturis diximus lib. ſuper.) laborans refici poteſt, cibiſ-
que bonis, & modico vino vti. Sub fine autem curationis, ſi e ſententia res ceſ-
ſerit, luxatum ipſum membrum roborabis perfuſione aquæ decoctionis roſarum,
abſynthij, & muſci albi quercini. Facta verò perfuſione, Guido iubet, vt oxycro-
ceum, ad maius laxatorum ligamentorum robur, ſuperponatur. Tuncque ad pro-
prios etiam vſus membrum ſenſim, ac ſuauiter promouere oportet. Motus enim
vt in dolore, & inflammatione noxius, & pernicioſus, ſic alias luxato, præſertim
iam obfirmato ſaluberrimus corpori eſt. Si verò luxationi vulnus acceſſerit, ex- Si luxatio
quiſita vti debemus diligentia. dum enim hæc reponitur, ingens periculum, & ſit cum vul
nonnunquam mortem maturam infert. Cum enim ex diſtentione adiacentes ner- nere.
ui, & muſculi inflammantur, & dolores validi, conuulſiones, ac febres acutæ
oboriuntur. atque hoc præſertim in luxato cubito, genu, ſuperioribuſque arti-
culis etiam magis. Quanto enim principalibus membris articuli luxati cum vul-
nere viciniores ſunt, tanto maior timor eſt. Sed eò quoque grauius periculum
concitatur, quò membrum maius eſt, quovè validioribus neruis, aut muſculis
continetur, ideoque humeris, femoribuſque cum vulnere laxatis metus mortis
eſt. Ac ſi repoſita oſſa ſunt, ſpes (inquit Celſus) nulla eſt: non repoſitis tamen
aliquod etiam periculum ſubeſt: eoque maior in vtroque timor eſt, quo propius
Hip. 2. de ar. vulnus articulo eſt. Quamobrem Hippoc. horum repoſitionem, valentioremq;
& 3. deligaturam omnino auerſatur, ſoliſque inflammationem abigentibus, & miti-
gantibus præſidijs per initia vti iubet. Sic enim (inquit ille) ipſis ſupereſſe lice-
bit. Itaque nihil tutò reponi poſſe, præter digitos, & plantas, & manus dixit:
atque in his quoque diligenter agendum eſſe, ne præcipitent. Verum ne digitus
quidem, in quo minimum cum malum, ſic etiam periculum eſt, reponi debet,
niſi ante inflammationem, aut poſtea cum iam vetus res eſt. Sed quod ipſe in ſo-
lis digitis faciendum conſulit, id nos in reliquis quoque articulis facere aggredie-
mur, ac ſtatim quidem inter initia, dum pars adhuc inflammatione vacat, prola-
pſum cum vulnere articulum mediocri extenſione (validam enim citra pericu-
lum ferre non poteſt) reponere tentabimus. Quod ſi iuxta animi inſtitutum eue-
nerit, in ſola ratione, quæ inflammationem arcet, perſiſtemus. Si verò inflamma-
tio aliqua, aut conuulſio, aut quippiam ex ſupradictis, repoſito oſſe, acciderit, rur
ſus id (ſi modo ſine vlla vi poteſt) ſuo loco protinus expellendum eſt. At, ſi hoc
quoq; diſcrimen, ſeu periculum metuamus (non enim inflammatus articulus ſine
vi fortaſſe cedet, & ſua ſede iterum propelletur) ſatius fuerit per initia in maiorib.
quidem membris, vt femoribus, & humeris ſuperſedere, & repoſitionem dif-
ferre. Vbi verò inflammatio conquieuerit (quod poſt ſeptimum nonumvè diem
contingit) præfati periculum apud neceſſarios ægrotantis, quod ex repoſitione fu-
turum ſit, tum quod ſi non reponatur, debilem ea parte hominem, & claudũ, man-
cumvè prorſus fore, conabimur tutò, & ſine vlla violentia os in ſuam ſedem com-
pellere.

pellere: eandemque vulneris curationem, quæ in fractura cum vulnere fuit proposita, administrabimus. Omne autem membrum cum vulnere luxatum, & non repositum, sic, ex Hippoc. iacere conuenit, vt maximè cubantem iuuat, tantum, ne moueatur, neuè dependeat. Si verò luxatio cum fractura sit, communi ratione membrum extendendum est, ac manibus conformandum, vt in simplicibus fractu ris diximus. Si verò etiam vulnus accedit, rursus ab ijs, quæ de fracturis cum vulnere, & luxationibus cum eodem vulnere, priuatim à nobis dicta sunt, congrua repetenda curatio. Dum autem cum fractura luxatio incidit, hæc primum, si fieri possit, illa verò secundò curanda erit. Quod si ante fracturæ prouidentiam, luxatio commode reduci non possit, fracturam primò curabimus, deinde cum fractura callo iam obfirmata fuerit, luxationis curationem aggrediemur. Quod si luxatio inueterauerit, & ob temporis spatium callosa inibi durities contracta fuerit, præter aquæ simplicis calidæ fotum, qui in hac re plurimum confert, vtendum etiam decocto maluæ, althεæ, fœnigræci, & consimilium, antequam reducatur articulus in suum locum, vt molliamus, laxemus, discutiamus, & membrum aptius extensioni efficiamus. Post membri autem perfusionem huiusmodi decocto administratam, vnguentum dialtheæ collinendum erit. ita lana succida viscilagine quapiam emolliente delibuta commodè admouetur. efficax etiam est cortex radicis althææ in aqua decoctus, & cum axungia, vel pinguedine anserina subactus, vt quasi malagmatis lentor contrahatur. Dum autem callus contractus maior, ac durior exstitit, in supra scriptorum decoctione radices cucumeris asinini vtiliter adduntur: Post hæc emplastrum, quod diachylon magnum, aut etiam cum gummis vocatur, superponendum erit. Quod magis adhuc proficuum euader, si prius pars affecta œsypo humida perfricetur, aut etiam œsypus crassior admoueatur. Expedit quoque membrum sæpe infundere in loturis lanarum calidis per horam vnam, vel duas, manè & vesperi ante cibum. Nec minus prodest thermale lutum Diui Bartholomæi. His facta emollitione, si aliqua durities callosa supersit, ad discutientia validiora ascendimus, vt ad ceratum de betonica in molliotibus; ad emplastrum facrum in durioribus corporibus. Sed vt hæc facilius permeare, & discutere valeant, membrum prius decocto saluiæ, chamemæli, hyssopi, stœchadisq; perfundendum erit. Dum cetera non conferunt, expedit cum Galeno ad suffumigium è lapide pyrite, quem marchesitam vocant, vel molari, vel ad fotum è decocto radicum cucumeris asinini, iuæ, althææ, & ipsius colocynthidis, quæ crassos succos proprietate trahit, tanquam ad sacram anchoram confugere. Medici Patauini talia membra in aquis Apponianis infundunt, & in eotundem foueis, e quibus halitus calidus insigniter digerens euapotat, suffumigari præcipiunt. Sub quibus loco affecto sufficienter emollito, ab eoque dura materia discussa, luxatum os in suam sedem reponendum est, & alia omnia peragenda, quæ in recenti luxatione fuere proposita.

Si luxatio sit cum fractura.

Luxationis vetustæ curatio.

De luxationum differentijs, & primò de luxatione humeri, & partium articulo humeri pertinentium. Cap. II.

HIPPOCRATES librum, quem de articulis conscripsit, iure optimo ab humeri luxatione auspicatur. Ipsius enim articulus, seu caput, quod cum lato scapularum osse committitur, reliquis & frequentius & facilius, multisque prolabitur, & absque magna difficultate multisq; modis in propriam sedem restituitur, & vt plurimum in vnicum tantum locum excidere consueuit, in alam scilicet subaxillam. Adeo autem rarò in alias loci differentias luxatur, vt scripserit Hippocratis articulum hunc, qui cum lato scapularum osse coniungitur, nouisse vno tantum modo excidere, nempe in alam; in superiorem verò locum, aut exteriorem nunquam. Cur autem lati scapularum ossis articulus inter ceteros omnes facilimè prolabatur, plurimas causas tradit Galenus. Vnius enim formæ est, inquit, & simplex non duplex, quemadmodum, qui in genu est, neque varius, & nullo modo simplex, quemadmodum, qui in cubito: & quoniam humeri caput grande est, & ponderosum; & sine oblonga ceruice in sinum parum desidentem, seu

Gal. lib. 1. de art. com. 3.

Differētiæ.

Gal. 1. de art. tex. 1.

Articulus humeri cur omnium facilimè excidat.

Gal. loco cit.

excauatum conijcitur. femur verò caput paruum habet, & ceruicem longam, id verò cauum, quo recipitur, valde sinuatum est, & altis labris, seu superciliis cingitur. Adde quod in summo capite per validissimum ligamentum ad suum cauum qua maximè altum est, detinetur; humerus verò præter orbiculare, quod etiam laxissimum est, nullum aliud ligamentum habet, neque in altiori cauo se insinuat. Quibus addere possumus, quod articulus humeri non ita à musculis carnosis tegitur. ideo excarnis cum sit, facilè è propria sede prolabitur. Qua verò de causa idem humeri articulus vt plurimum, & fere semper in alam excidat sub axillam, ex

Galen. 1. de art. com. 2. ipsa partium natura edoctus Galen. nobis his verbis declarauit: Quum enim, ait, commissuræ vniuersæ sex sint partes circumstantes, superior, & inferior, prior, & posterior, exterior, & interior, pars huius commissuræ exquisitæ superior tegitur carnosa parte musculi deltoidis vocati: qua verò ad collum inclinat, & ab exteriori parte, superiectum habet dorsum lati scapularum ossis, qua id summo cum iugulo coniungitur, & partim iugulum. Ab interiori parte obijcitur processus lati scapularum ossis, quem anchiroidem ab anchoræ similitudine, aut etiam chorachoidem à rostri figura appellant: hic itaque prohibet, quò minus in eam partem articulus elabatur; In posteriorem verò quis nostrum poterit concipere, quum ibi latum scapularum os sit? Priori autem parte magnis musculis continetur, præterquam, quod articulus deorsum naturaliter inclinatur. Quatenus itaque deorsum fertur, manere in priori parte non potest. Iure itaque vt plurimum descendit in alam, in qua nullum adest propugnaculum, & in quam sui ponderositate naturaliter inclinatur. His de causis ductus Hip. non solum dixit in alam solummodo laxari; verum etiam apertè negauit in priorem partem excidere posse. quamobrem à Medicis, & à vulgo male audiuit, & ignarus habitus fuit, ceteri autem periti habiti sunt. Cum enim ipse in priorem partem laxari nunquam vidisset, commentitias causas scribendas esse minimè credidit, vbiq; magis fide dignum existimans, quod euidenter apparet, quàm quod à ratione ducitur. Verum quoniam cum alij prio-

Cur in alã subaxillam fere labatur.

Gal. 1. de ar. com. 3. et 22 res Medici nonnunquam, tum ipsemet Gal. quinquies humeri articulum, non quidem in alam, sed in priorem partem prolapsum fuisse experientia comprobarunt, ideo Gal. huius rei causam exquirens, inquit, quod cum necesse sit, humerũ, cũ prolabitur, principio in eã partem moueri, in quam compellitur vi illius habitus, quo figuratur, & cum propter iam descripta propugnacula, non nisi in priorem partem principio moueri possit, quamuis ibi manere non possit, & ob loci angustiam, & musculorum vires, & quod suopte nutu deorsum feratur; interdum tamen violentus habitus, qui musculos possit inter se diducere, potest in spaciũ, quod inter eos est, articulum compellere, quo deinde adstrictus musculis contineatur: quatenus enim deorsum fertur, manere in priori parte non potest: diductis autem musculis nihil alienum videtur, adstrictum ibi contineri. Hæc itaq; ratio à Gal. inuenta fuit,

Cur etiam in partem priorem excidere possit.

Com. 22. cui iam subscripserat experientia. Cur autem hæc Hip. latuerit, ipsum verò minimè, alibi declarat inquiens: se quinquies eiusmodi casum nactũ esse. semel in Asia, Romæ quater, quoniam Medici omnes, vt ipsum cõsulerent, quæ præter opinionẽ euenirent, ei ostendebant. At vrbes, quarum meminit Hip. vbi diutius egit, nõ plures incolunt, quam Romæ vicum vnum. nihil ergo mirum, si in frequentissima vrbe plures incidunt in idem malum. illud præterea experientia discens, ductus est ad causam inueniendam. Nonnullis enim palæstram, nonnullis Medicorum opera, visus est articulus eo modo excidere. nam duo quidem ex ijs, quos vidit, articulum in alam venisse ei retulerunt: Medicis autem imperitè vrgentibus, musculorum complexu arctè contentum fuisse, secus, ac principio apparuisset. Quocirca si Romę has duas causas præter hominum frequentiã adijcias, requires, non quidem cur tot nactus sit, quibus ita prociderit, sed cur non plures. Hip. enim seculo Medici optimæ artis, præsertim, quæ ad chirurgiam pertinet, præcepta discebant. Ea nunc a Medicis vel nullo modo addiscuntur, vel exiguo tẽporis spatio. Deinde palęstrę vsus mirum in modũ increuit, vbi eius magistri membra varijs modis contorquent, atq; peruertunt. Romam verò tot homines habitabant Gal. seculo, vt Polemo Rhetor eam celebrans dixerit terræ habitatæ compendium. Colligamus itaq;

Cur Hip. solum in alã humeri articulum prolapsum viderit.

Epilogus.

duas esse huius luxationis differentias, quatenus vel in alam articulus hic prolabitur, idque vt plurimũ, vel quod raró contingit, in partem priorem, & hæc rursus dif-

Gal. 1. de ar. com. 22. ferentia bifariam secatur, quia, vt monet Gal. dum in priorem procedit partẽ, nunc magis ad commissuram accedit, nunc ab ipsa magis diducitur in longitudinem, vel latitudinem membri, vt ipsemet obseruauit. Non posse autem caput humeri, neq;

etiam

etiam femoris caput paulum suo loco excedere, & vitio parathrema à Græcis dicto, seu semiluxatione corripi, eò, quia capita hæc rotunda sint, & in cauitates inserantur, quæ oras in orbem habent, in quibus consistere non possunt, superius ex

Signa. Si in alam decidat.

Hip. mente dictum fuit. Vbi autem humeri articulus in alam prolabitur, facilimè cognoscitur, quia huius rei signum maximum, id est, maximam vim habens, atque certissimum, seu proprium, & inseparabile, nec non facilimum, id est, quod nullo negotio percipiatur, habemus. Nam si quid rotundum, ac durum sub ala se ostendat, id ibi esse, inquit Gal. nulla ratione potest, nisi humeri caput suo loco motum in alam exciderit. Sed sinus in ea parte, quæ humeri iuncturæ superiecta est, commune indicium est, & humeri prolapsi, & lati scapularum ossis, quatenus summum à iugulo recedens attollitur: atque idcirco debemus affectam partem integræ comparare, quæ vbi non suæ naturæ deprahendatur, existimare licebit, humerum excidisse. In hoc tamen signo non æquè magna vis est, & expedita cognitio, atque in tumore sub ala. Qua de re dum in summo humero sinum, seu cauitatem quandã insolitam, & præter naturam conspicimus, non debemus statim pronunciare caput humeri in alam excidisse, quemadmodum perperam palæstræ præfectus in ipsomet Gal. laborante pronunciauit. Cum enim Gal. in palæstra sese exerceret, factum est, vt iugulum ab humeri capite interuallo trium digitorum diductum sit. Magister autem intuitus partem superpositam humeri commissuræ depressam, falsò putauit humeri caput in alam excidisse, & cum intentionem, & impulsum frustra tentasset, & Gal. existimans aliquid in impellendo peccari, alios adhiberi iussisset, qui humerum ab inferiori parte, & à contraria extenderent, ipse autem met integræ manus digitos inter latus, & humeri caput immisisset, vt ipsum impelleret, nihil inueniens in ala præter naturam, statim cognouit non quidem caput humeri fuisse luxatum, sed iugulum ipsum à summitate lati scapularum ossis fuisse diductum, & ob id iussit, vt extendere cessarent. Hæc eadem cauitas in summo humero alium Medicum decepit, sed contrario modo, ac palæstræ magister deceptus fuit. Quoniam in homine quodam caput humeri in alam exciderat; is tamen existimabat, non quidem excidisse, sed laborantem non posse brachium attollere eò, quia plagam in eo accepisset. Erroris autem causa fuit, quia cum latum scapularum os summum in eo laborante multò ante à iugulo recessisset: deinde in palæstra alterius brachij humerus loco suo motus esset, Medicus ille intuitus sedem iuncturæ humeri superiectam ab vtraque æqualem, inconsideratè dixit, eum ipsum locum plagam accepisse, & iure hominem dolere, iuncturam verò illæsam esse. Sed Gal. tertio die vocatus conspiciens partem iuncturæ superiectam magis cauam esse ab eo humero, qui dolore vacabat, quam ab eo, qui dolebat, inflammatione scilicet aucta, humerum dolore carentem diligenter inspexit, & visum sibi est ab ea parte summum lati ossis scapularum in superiorem partem recessisse; vnde sub inflammati humeri alam digitum demittens ibi humeri caput inuenit, sub alterius verò ala nihil inueniens, pronunciauit humerum luxatum esse, Medicos verò id latuisse eò, quod ignorarent latum os scapularum in altero brachio summum à iugulo recessisse, compararentque percussum locum ad illud perinde, ac si in statu esset naturali, quod tamen non erat, cum antea è curru decidens fuisset percussum. Cauitas itaque in summo humero, ratione cuius processus scapulæ superior non amplius rotundus, sed acutus apparet, est quidem articuli in alam prolapsi signum inseparabile non tamen proprium, sed commune. In eo igitur non æquè magna vis inest, & expedita cognitio, atq; in tumore sub ala. Imbecillius adhuc est, quod ex motu colligitur. Quamuis enim articulo in alam prolapso cubitus valde à costis recedat, & ad eas non nisi maximo dolore admoueri possit, & æger nõ valeat manum ad caput porrigere, & proinde motus brachij impeditus sit signum inseparabile, non est tamen proprium; sed adhuc magis commune est, quam cauitas in summo humero, quia, vt Gal. nos admonet, humerus sursum non porrigitur, & vbi huius partis musculi atteruntur, tenduntur, inflammantur, & vbi aliquæ ipsorum fibræ altius abrumpuntur. ita chordæ musculorum, qui in eadem parte sunt, eadẽ pati possunt, & sursum ferre brachium non sustinent. neque solum sub hoc, sed sub omni etiam motu chordæ ac musculi indolescunt. Caput igitur humeri in ala repertum magnam vim habet, nulloq; negotio cognoscitur: at musculorum affectus maiori

Epilogus.

egent consideratione, ac cogitatione. Quare Medicus concipiens humeri caput in alam excidisse, id simul intelligit, primo quod tumor ea parte non naturalis appareat: deinde quod sinus erit super humeri cõmissura, cum humeri caput in alam veniens

Gal. 1. de off. medic. 1. & Hip. 1. de art. à tex. 33 vsque ad 40. exclus.

Gal. 1. de ar. com. 61.

Gal. 1. de off. Med. com. 1.

pulens inde absit, vbi esse consueuerat; tum quod ceruix lati scapularum ossis humero superimposita sursum porrigi brachiū non ita finet, & quod musculi admodum dolebunt, quum vehementer extendantur, vbi attollere humerū conentur, quodq; non absimile tormentum sentient, cum ad latus teniant affectum membrum adducere. Similiter luxatum brachium altero fieri longius necesse est; & quia caput humeri curem ipsam, quæ sub ala laxissima est, deorsum compellit, rugas efficit in luxato humero longè inferiores & ante, & retrò, quàm in brachio sano. Si verò caput humeri in priorem partem prolabatur, rotundum, & durum sub ala non percipitur, neque cubitus à costis recedit, sed potius ad posteriores partes inclinat, & sicuti in parte iuncturæ humeri posteriore insolita cauitas deprehenditur, ita in eius parte priore rotunda quædam, & ea incontinenta eminentia atque durities musculis brachium attollentibus inuoluta contrectatur. Hæc autem dura eminentia non propè, sed longè, & satis distans, atque diducta valde ab ipso lato scapularum osse conspicitur, & nonnunquam è regione sui caui, interdum in interiorem, aliquando in exteriorem partem adstricta à musculis inclinata conspicitur. Hoc autem dictum sit, ne decipiamur, maximè in ijs, quorum caro circa articulum, & humerum tabe consumpta est. Siquidem in his, vt docet Hippocrates, humeri caput in priori parte prominens se ostendit. Vnde vbi in carne, quæ humeri commissuram contegit, macies summa oritur, caput humeri ita extans conspicitur, vt quibusdam excidisse videatur. quinimò si quis carnem detraxerit ab ea parte, quæ superiecta commissuræ humeri cum lato scapularum osse ad ceruicem intendit, & ab ea, qua situs est musculus, qui versus superiorem partem extendit, & à chorda iuxta alam, & à iugulo ad pectus, ita vt, quæ in commissura sunt, ossa nudentur, humeri caput, quamuis prolapsum non sit, in priore parte admodum se ostendet. naturaliter enim humeri caput in priorem partem prominet. non tamen adeo ab ipso scapularum osse recedit, & distat, quemadmodum cernitur, dum in priorem partem luxatur. Cum autem superius dictum sit, caput humeri facile luxari, illud hoc loco addere liceat, facilius adhuc excidere ex Hippocratis sententia, vbi huius articuli ligamenta, & neruosa corpora ob humorem hominis naturalem laxiora sunt. quod de reliquis etiam articulis audiendum est. Differunt etiam inter se corporis habitus. quibus enim membrum boni habitus est, & carnosum, articulus minus excidit, & ægrius reponitur: quibus, quam soleat, tenuius est, & minus carnosum, magis elabitur, & facilius reponitur, ac restituitur. Inquit autem Hippoc. quibus, quam solet, tenuius est, vt adscititium temperamentum innueret. Hominibus enim, vt scribit Galenus, quò habitiores efficiūtur, eò articuli ægrius excidunt, ac reponuntur. quoniam carnis copia vndiq; constringuntur: contra ijs, qui emacrescunt, relaxatur cutis eius carnis, quæ commissuram complectitur, parumque prohibet, quominus articulus excidat, & reuertatur: nec quidque deterius agitur cum his, qui natura graciliores sunt, quàm cum his, qui pleniores. Ostensum est enim in sermone de temperamentis graciliorem esse naturę siccioris; pleniorem verò magis madere. Quocirca musculi cum gracilibus robustiores sint, commissuram coarctant: Plenioribus caro, quatenus magis abundat, astringit id, quod articulum ambit: quatenus autem mollis est, facile peruertitur, quum rotundorum ossium, quæ sua sede mouentur, capita admittat, sic vt vtrique, quod ad articulos excidentes attinet, æquales sint. Si quis tamen habitior aliquandò emacrescit, facilius huic articulus elabitur, ac rursus reconditur, tunc, quàm antea: non secus etiam si quis natura gracilis carne impleatur, ei vix procidit, & ægrè reuertitur. Complures autem, inquit Hipp. videre licet ita humidos, vt, vbi velint sine dolore articulos sua sede moueant, & item sine dolore restituant. Gracilibus autē, subdit ille, magis prolabitur articulus, ac citius reponitur, quàm ijs, qui bono sunt habitu: minusq; inflammatione tentantur madentes, & graciles, quàm sicci, & carnosi. Quum enim facilius articulus excidat, sequitur, vt similiter recondatur. quò fit, vt nulla, vel certè quàm minima inflāmatio superueniat. Vbi enim magna vi procidat, ac reuertatur, musculi dolore vexantur, quem subsequitur inflāmatio. Minusq; in posterum articulus alligatur. Vbi verò inflammatio sit, magis alligatur, quia articulus ab ipsa constringitur. Imò & subsequenti tempore, quod deinceps citra molestiam insequitur, & post curationem à validis siccorum, & carnosorum hominum musculis, & à quadam duritie, quam musculis ingens inflammatio relinquit, articulus quasi vinculo coarctatur. Si verò citra inflammationem muci iusto plures fuerint, idcirco facile etiam procidet. Fere autem circa articulos muci redundant

Si in priorem labatur partem signa.

Hippoc. t. de artic. tex. 3.

Prognosticum.

Hip. 1. de artic. tex. 24. & 25.

Gal. in com

Hip. tex. 27.

dundant magis in gracili, quàm in pleno. Sed & caro quoque gracilium, qui arte non fuerint rectè extenuati, mucosa magis est, quàm eorum, qui pleni sunt. Quicunque enim aut fame, aut obsidione, aut luctu, aut mœrore, aut cibi fastidio alimenti non satis sumentes extenuati sunt, caro nō statim siccescit, sicut illis, qui arte rectè à Medico sunt extenuati; sed ferè in omnibus propositis casibus madentior efficitur, quibusdā tunc ob inopiam liquatis. Sed vbi Medicus de industria corpus aliquod extenuat, per ea, quæ excogitauit, moliri id contendit: deinceps frictione vtitur, quo tempore si quid liquatur, vel per sudorem sensibilem, vel per insensibilem expirationem exhauritur. Adhæc per esculenta, & poculenta non temere dāta conatur, vt, quæcunque educenda sunt, bene exitum habeant per deiectioues, & per vrinam. Hoc autem pacto quicquid liquatur, vndique extra corpus effluit. nam vbi in corpore maneat, tempore mucosas carnes efficit. quod igitur serosum est, & liquatur, effertur præcipuè per insensibilem expirationem: tantum autem subsistit id, quod aliquatenus crassum est, quod tempore glutinosum efficitur, & simile mucis euadit. Vbicunque autem muci cum inflammatione sunt, inflammatio articulum illigat, & ideo non admodum elabitur, vbi muci redundant, qui lapsurus vtique fuisset, nisi locum vel amplius, vel minus inflammatio occupasset. Qui verò, reposito articulo, partibus, quæ iuxta sunt, nulla inflammatione affectis protinus humero vti sine dolore possunt, hi nulla cura sibi opus esse arbitrantur; sed Medici officium est præsagire contra eorum opinionem. Si quidem his rursus prolabitur magis, quàm quibus nerui inflammatione tentantur. Hoc in omnibus articulis ita habet, & præcipuè in commissura humeri, ac in genu. hi enim præcipuè luxantur. At quibus nerui inflammatione vexantur, humero vti non possunt. dolore enim, & inflammatione extendente prohibentur. Quibus verò reponi humeri caput non potuit, si adhuc crescunt, humerus non æquè augetur, atque is, qui integer est. Sed quamuis aliquid augeatur, altero tamen breuior redditur. Cum enim minus alatur, si membrum iam increuit, gracilitas sequitur; si adhuc augeatur, exiguitas. non aliter autem & ob musculorum, & venarum deprauationem, & quia totus articulus immobilis est. Quibus verò ætate iam robusta humeri caput erupit, pars, quæ supra commissuram est, tenuatur, & gracilioris habitus fit. nam & inter initia pars, quæ supra humeri commissuram est, gracilior apparet, atque tenuior, quia humeri caput lati scapularum ossis cauum relinquit, & procedente tempore ob iam dictas causas, partes musculi deltoidis emarcescunt. De indicationibus verò, quæ in huius articuli in alam prolapsi restitutione nobis peculiariter sese offerunt, verba faciens Galenus scribebat, tria in ipsius restitutione esse agenda; nam primò quidem in priorem partem caput humeri impellendum est, deinde in superiorem, postremo in posteriorem. hoc siquidem necesse est, quocunque modo quis reponere id tentauerit, vt scilicet contrarium iter (ait ille) ipsi luxationi moliamur. nam caput humeri à proprio sinu recedens primò in partem priorem impellitur, secundò sui ponderositate deorsum fertur, tertio retro in alam, nempe à musculis trahitur. Contrarium itidem iter efficiendum, dum caput humeri in priorem labitur, seu impellitur partem: in posteriorem enim adurgendum est. Sed quia, vti superius diximus, à musculis inuicem diductis implicatus detinetur, ideo priusquam retro impellatur, & in proprium sinum vrgeatur, vt ab ipsis musculis explicetur, aliqua extensio, modica tamen, ipsius humeri efficienda est. Si itaque in alam caput humeri prolapsum sit, quibus sæpenumero id excidit, ipsi per se restituere vt plurimum possunt. Cum enim articuli duabus de causis frequenter vel leui occasione erumpant, videlicet vel ob ipsos sinus parum desidentes, atque ipsis labris resupinatos, aut ob humorem earum partium, quæ commissuram comprehendunt, ob quem laxantur, & facile extenduntur, iisdem quoque de causis promptè restituuntur. quamobrem ab ægrotantibus per se citra operam Medici reponuntur. In alam enim conijcientes tubercula digitorum alterius manus, articulum ad superiorem partem adurgent: cubitum verò ad pectus adducunt. Cum enim vel æger, vel Medicus aliquis digitorum tubercula subijcit, non quouis modo, sed à parte interiori primo ad priorem partem caput humeri compellit, deinde cubitum ad pectus adducendo ad superiorem, ipsumque è regione collocat sui caui, vbi musculi, qui commissuram complectuntur, cum sui natura in seipsos contrahantur, non patiuntur caput humeri in eodem loco manere, sed ipsum in sinum suum trahunt. Cum enim caput humeri situm est

Marginalia: Notādum. — Hipp. lib. 1. de art. t. 57. — Indicationes. — Gal. 1. de artic. comm. 6. — Curatio. Si in alam articulus lapsus sit. — Hip. & Gal. 1. de art. tex. & com. 6. — Primus restituēdi modus.

tum est è regione sui caui, duorum alterum faciendum est, vel res tota musculis committenda, vel vnà cum ipsis attrahentibus adurgendum est. At vbi rem musculis commiseris, inferiorem locum fine fulctura ne relinquito. Sustineri enim hic re aliqua humerum oportet, ne, eum musculi nondum sic confirmati fint, vt ipsum attrahant, deorsum feratur, priusquam ab illis in suam sedem adducatur.

Tex. 8. 9. & 10. Alios duos reponendi modos tradit Hippocr. in ijs, quibus sæpe caput humeri excidit, qui cum circumducendo fiant, &, vt ipse inquit, secundum naturam non sint, quia articulus ad rectam lineam non fertur, sed in orbem, & ex circumactione ipsius articuli periculum est, ne processus aliqui abscindantur, eos consulto prætermittimus, & ad alios describendos properamus, qui etiam ijs, quibus nunc primum articulus excidit, adhiberi possunt. Callere enim plures modos, quibus Medici luxatum reponant, & qua ratione ipsis vtendum sit, eruditi est, inquit

Tex. 5. Hippocrates. Tunc autem adhibere modum validissimum debes, cum maxima vi

Tex. 12. opus esse intelligis. Validissimus autem erit, qui omnium postremus adscribetur. Secundus modus fit per calcem, & prope secundum naturam est. Oportet hominem humi resupinare; Medicum verò ab ea parte, à qua articulus eruperit, humi sedere, deinde suis manibus hominis brachium affectum prehendere, ac deorsum versus extendere, & calce in alam demisso, dextro quidem in dextram, sinistro in sinistram, in contrariam partem vrgere. Necesse autem est in sinum alæ rotundum aliquid, vt paruam pilam è corio suram, ac duram demittere. nam nisi tale aliquid indatur, non potest calx ad humeri caput peruenire, dum enim brachium ab inferiori parte extenditur, locus sub ala cauatur, & sinuatur ala, quia tendines, qui hinc, atque illinc locum sub ala constringunt, inter se aduersi sunt. Oportet autem aliquem ab altera parte eius, qui extenditur, sedentem, continere hominem ab integro humero, ne corpus ducatur, dum affectum brachium ab altera parte extenditur. Postea vbi pila sub alam subdita fuerit, molle lorum sufficienti latitudine præditum (vt scilicet pilam comprehendere valeat) seu etiam fasciam circum pilam circundare oportet, ita, vt quidem eo loro ex vtrisque initijs apprehenso, sursum retrahat, à capite eius, qui extenditur confidens, & pede ad summi humeri os innitens. Pila verò quam penitissimè, & maximè intus ad costas sita sit, & non ad humeri caput, sed ab eo, quantum fieri potest, recedat. Cum enim humeri caput ad partem priorem, merito pilæ, & calcis, impelli debeat, ideo calx intra costas, & caput humeri, seu pilam inseri debet. Apponitur enim pila, vt eò pertingat, quo peruenire calx non potest propter alæ sinuationem à tendonibus vtrinque positis factam, & subinde calx beneficio pilæ caput humeri ad priorem partem impellat. Hunc autem reponendi modum, quatenus humerum extendit, & calce hominem retrò repellit, ne sequatur, cum brachium attrahitur, & loro circa alam iniecto, hominem in partem posteriorem ducit, Galenus probat, & secundum naturam adhiberi ait: Sed quatenus impulsu caret, à conuenienti modo recedere inquit, eò, quod nequeat exigua pila inter latus, & humeri caput penetrare, ac multò minus etiam calx. At, vbi eo nihil indatur, quomodo impellemus? Vbi non impellamus, neque reponere secundum naturam poterimus. Vnde mirum non est, si Hipp. prope secundum naturam esse dixerit. Tertius modus, quem per subhumerationem dicunt, fit per collocationem hominis super summum humerum alterius: Maiorem tamen esse oportet eum, qui humerum supponit, ita, vt apprehensa manu humerum suum acuminatum sub illius luxati alam supponat, & deinde aliquantum vertet, & conuertatur, quasi sedili velit insidere, ea conte ctura facta, vt homo ille circa humerum suum ex ala pendeat, ipse verò seipsum in hunc humerum altiorem faciat, quàm in alterum, brachium autem pendentis laborantis ad pectus suum quàm citissimè cogendo adducat. In hac verò figura insuper concutiat, vbi hominem sustulerit, quo reliquum corpus in aduersam partem brachio, quod continetur, vergat. Si verò valde leuis fuerit laborans, puer aliquis leuis insuper ex ipso retrorsum dependeat. Atque hæ omnes repositiones in palæstra sunt aptissimæ, eò, quod non opus habent aliorum instrumentorum importatione.

Secundus modus.

Tertius modus.

Tex. 15. Sed & qui per pistillum cogunt, prope secundum naturam restituunt. Inuoluatur autem pistillum molli aliqua fascia. minus enim elabitur: atq; inter latus, & humeri caput demittatur. Quod si pistillum breuius fuerit, homo alicubi sedeat, sic, vt vix inijcere humerum super pistillum possit. Fere autem pistillum adhiberi longius conuenit, sic, vt homo stans pene ex eo pendeat. Deinceps humerus, & brachium iuxta pistillum extendatur. corpus verò alter in alteram partem adurgeat, manibus

Quartus modus.

ad collum

Quintus modus. ad collum datis iuxta iugulum. Verum quoniam quamuis pistillo humeri articulus inhæreat, periculum tamen est ne corpus in hanc, vel illam partem labatur, vt ob id dixerit Hipp. non absolutè, sed propè secundum naturam modum hunc restituere luxatum humerum: idcirco subdit Hippoc. quod alius quidam modus, qui per scalam administratur, adhuc melior est. Quandoquidem tutius suspensum corpus non magis in hanc, quàm in illam partem inclinabitur. Alligandum autem est super gradum rotundū aliquid, quod alæ sinui conueniat, quo humeri caput in suam sedem compellatur. Hoc autem scalæ machinamento frequenter vtebatur. Debet autem Medicus ex anteriori parte luxatum humerum deorsum trahere: & alius minister apprehensa ceruice, & summo humero ex posteriori, & altera parte scalæ deorsum similiter trahere. Nos verò aliquando iussimus, vt laborans scamnum ascenderet, nam luxato brachio à ministro in anteriori parte scalæ apprehenso, & deorsum tracto, & statim è pedib. laborantis sublato scamno per alium ministrum, laborans sui pondere deorsum vergit, & ita articulus humeri eodem tempore ferè ad anteriora, & sursum promouetur. & brachio dimisso statim in propriam sedem à musculis trahitur. Sed inter omnes reponendi modos hic præstantissimus est. *Gal. in com.*

Sextus modus, qui tripliciter absolui potest. Lignum accipitur ad summum quinos, vel certè quaternos digitos latum, crassum verò binos, aut etiam minus, longum cubitos duos, vel paulò breuius, quod ab altero extremo rotundum sit, angustissimum ac maximè tenue, in summo capitulum rotundum, ac leuiter cauū habeat vt firmiter, quod gibbum est, ex humeri capite excipiat, parumq; extet ab vna parte non quidem versus latus, sed versus humeri caput, vt huic subiectum, alæ iuxta latus accommodetur. Summo item ligno vel linteum, vel mollis habena obuoluatur, vt mitius reddatur, deinde caput ligni in alam demittitur intrò, quantum potest inter latus, & humeri caput, & brachium totum super lignum extenditur, alligaturq; paulum infra humeri caput supra cubitum, & supra manum, vt quàm maximè immobile sit. Est autem maximi momenti extremum lignum vltrà humeri caput in alam intimè indere. Post hæc lignum transuersum inter duas columnas bene alligandum est, superq; id brachium cum ligno imponendum, ita, vt ab vna parte brachium sit, corpus ab altera, sed tignum iuxta alam: deinde ab altera parte circa tignum attrahendum brachium cum ligno, ab altera reliquum corpus. Vinciatur autem transuersum lignū sublime, vt reliquum corpus suspensum imis pedibus sit. Modus hic igitur præstantissimus est. Iustissimè enim impellit, modo lignum retrò magis, quàm humeri caput demittatur: iustissimè item in contrarias partes inclinat, osque humeri tutum seruat, & vbi casus recens sit, articulus citius opinione reconditur, & prius, quàm extentus videatur: Sed & quæ iam diu exciderunt, hoc tantum modo reponi possunt, nisi tempore caro in cauum venerit, atque humeri caput locum sibi tritum fecerit, in quem veniat. Vbi autem luxato humero malum ita inueterauerit, hac via arbitratur Hippocrates posse restitui. nam quid non moueat iustus impulsus? manere tamen suo loco non putat, sed prolabi, vt consueuit. Nam & quia ipse sinus capitis humeri obstructus est, & quia locus, in quem venit, occalescens, sinus vicem præstans, fit, vt, si quando reponatur, contineri non possit: cum caro, quæ iuxta erat, sinum præter naturam occuper, & ea, quæ ossi locum facit, occalescens commissuræ sinum referat. Eodem modo humeri articulus restituetur, si super scalam, eodem modo, vti diximus, præparatam, coactio transmissi brachij fiat: Sed si recens adhuc vitium sit, satis omnino fuerit super magnum sedile Thessalum vim adhibere. Sed parari lignum conuenit, quemadmodum dictum est, atque hominem in latus conuersum sedili insidere, brachio cum ligno super eam partem sedilis iniecto, cui sedentes dorso inhærent, atque ab vna parte corpus attrahere, ab altera humerum cum ligno. Idem quoque licet super fores bipartitas. His autem modis propositis vtendum est, prout præsto sunt. *Tex. 19.*

Lignū trāsuersum inter duas columnas.

Sedile Thessalū.

Ianua bipartita.

Si articulus humeri in priorē partem lapsus sit. Si verò caput humeri in priorem partem prolabatur, ijsdem consilijs, vt ait Galenus, restituitur, scilicet extendendo, impellendo, & collocando. Non tamen conuenit ita impellere in hoc casu, sicut quando in alam eruperat. Ibi enim opus erat articulum primo in priorem partem, deinde sursum adducere, dum collocaretur è regione sui caui: nunc verò cum penitus in priori parte commissuræ sit, siue in interiorem, siue in exteriorem partem adstrictus à musculis inclinetur, impellere ipsum oportet ad contrariam regionem, in quo faciendo periculum est, ne ipse deorsum lapsus a musculis in alam trahatur. quam rem in diuersa extendentes præcipuè vitamus. Non est autem ab re, dum in diuersa contenditur locum sepire, qui sub ala est. Ob id Galenus *Galen. 1. de art. com. 22.*

homine

homine resupinato, intentionem in contrarias partes adhibuit similem illi, qui per calcem fit, quodam à posteriori parte sedente, ac loro sublato sub alam iniecto, sinu aliqua re prius completo. & ita articulum è musculis, quibus adstringebatur, expellens, deinde remissa intentione fuit attractum à musculis in seipsos recurrentib. in suum locum reponi. Interdum quoque extendendi causa laqueum inijciebat. Sit autem laqueus ex ijs, qui facultatem habent extendendi æqualiter, qualis est duplex carchesius, qui ex duabus habenis conficitur. Sed vbi iam diu procidit, opus fuit scamno Hippocratis, quod ipse in quarto de articulis proponit. His præsidijs articulo reposito, reliqua omnia absoluenda sunt, quę in sermone generali fuere præcepta. Id peculiariter in hac luxatione animaduertendum, vt sub ala pila aliqua è stupis, vel linteis obuolutis confecta ponatur, ne humeri caput propter ponderositatem, & ligamentorum relaxationem rursus descendat. Deinde latum linteum vino nigro stiptico madidum admouendum: fasciaq; circumducenda, quæ medio pilam apprehendat, & constringat, brachiumque semper sursum trahat. circumuoluatur autem semel aut bis circa articulum, & post ambo capita ad alterius lateris ceruicem obuoluatur. & hoc eodem præsidio occurrēdum etiam post primam solutionē fasciarum, donec omnis inflammationis timor prætereat, & ligamenta roborentur. Si verò luxationi propter dolorem inflammatio superueniat, mederi oportet cerato, pannisque & multas fascias circundare: tum lanam mollem, ac mundam in alam subijcere, donec id cauum compleatur, vt vinculum fulciat, & articulum sustineat. Continere autem humerum oportet, plerunque in superiorem partem conuersum. sic enim fiet, vt humeri caput longè collocetur à loco, in quem proruperat. Conuenit autem humeri articulo deligato humerum ipsum ad latus deuincire, fasciæ in orbem circa corpus porrecta. Necesse est insuper humeri commissuram sensim, molliterque perfricare. Sed opus est Medico multarum rerum, & frictionis etiam perito. Potest enim frictio & laxiorem articulum illigare, & iusto duriorem soluere. Ergo hanc humeri commissuram conuenit mollibus manibus perfricare, tum leniter, quod alioquin vtile est. Efficit enim frictio sensim, molliterque adhibita, ne quæ maneant inflammationis reliquiæ. Variè autem procedat oporter, modo manus à superiori parte deorsum, modo ab inferiori sursum ferantur, deinde obliquè non solum ab inferiori parte sursum, sed à superiori deorsum, post hæc in orbem, & quasi transuersæ à dextra in sinistram, & rursus à sinistra in dextram, vt musculorum fibræ omnes molliantur. Articulus autem non violenter dimouendus est, sed quatenus citra dolorem moueatur. Inflammatione siquidem remissa, nihil expeditius est, quàm eiusmodi motus. Omnes enim illius reliquias soluit, quibus neglectis, articuli contracti, atque illigati redduntur. Confirmantur autem omnes, alij quidem longiori tempore, alij breuiori. Quibus verò sæpe humeri caput elabitur, cum multi ob hanc calamitatem ad bellum, & ad alias plurimas operationes inutiles reddantur, ijs, vt consulit Hippocrates, vstione ipsa opem ferre oportet. Sic autem, inquit ille, adurere hos conuenit. Cutis sub ala pręhendenda digitis est, atque attrahenda è regione potissimum eius partis, in quam humeri caput elabitur: tum cute sic attracta, ita admouendum candens ferramentum est, vt traijciatur, ita, vt ex cute extenta nihil relinquatur, quod non vratur; sed candens ferrum traijciatur à dextra parte alæ in sinistram, atque ab hac ad dextram. Ferramentis autem adurere oportet non crassis, neque nimium rotundis, sed oblongis. Celerius enim manu impulsa traijciūtur. Talia verò sunt, quorum extremitas non est rotunda, sed acuta. illis aliquo modo similia, quæ ad perforandum accommodantur. Sint autem candentia, vt traijci quam celerrime possint. Quæcunq; enim plena sunt, tardius traijciuntur, & crustæ inde latiores resoluuntur, periculumq; est, ne vlcera abrumpantur, quod, etsi nihilo deterius esset, turpius tamen, atq; expers artis penitus haberetur. Postquam verò in vlteriorem partem ferramentum traieceris, in plurimis sat est, vt infernæ parti soli has crustas inuras. At si nullum instare periculum videatur, ne vlcera abrumpantur, sed magnum spatium in medio integrum relinquatur instrumentum, quoad illinendū vtimur, seu tenue quoddam specillum per multa foramina traijcere oportet, cute adhuc attracta (neque enim alias traijcere possis) Vbi verò traieceris, cutem dimittere: postea inter crustas aliam crustam tenui ferramento infligere, ac inurere, non amplius transuerso ab vna parte ad aliam, sed prorsus in altitudinem, donec specillū contingas. Quantum verò de cute sub ala pręhendere conueniat, hinc conijcere poteris, quod glandulæ

Margin notes:
Medicamenta.
Tex. 29.
Si luxationi inflāmatio superueniat.
In ijs, quibus articulus sæpe prolabit, quomodo sit ustio administranda.
Hip. 1. de artic. à tex. 40. usque ad 53.

dulæ

dulæ sub ala sitæ sunt, sicuti in multis alijs corporis partibus. Glandulas igitur præhendere non oportet, nec quæcunque glandulis interiora sunt. id siquidem valde periculosum est. Proximæ enim sunt neruis, seu tendonibus magni momenti. extra glandulas verò plurimum præhendendum est, quia id fit innocenter. & plagæ, quas candens ferramentum facit, magis inter se distant. Oportet enim inter vtramque plagam, quam ferramenta candentia faciunt, non exiguum spacium interijcere. Vbi enim exiguum fit, periculum est, ne vlcera abrumpantur, & vna magna exulceratio fiat. quam ob rem etsi nihil deterius accidat (adurimus enim vt partem exiccemus, atque adstringamus) non tamen necesse est magna inducta cicatrice locum deformem reddere, quum per exigua foramina liceat æquè succurrere. Sciendum quoque, quod vbi humerum valde in superiorem partem porrexeris, nihil præhendere ex cute sub ala poteris, quod attractu memorabile sit. nam vbi in superiorem partem porrigatur, cutis, quæ sub ala est, absumitur. Adhæc nerui etiam nulla ratione violandi sunt; hi verò in huiusmodi habitu prominent, & extenduntur. Sed si humerus paulum excitetur, multum cutis appræhendi potest, & nerui, quos cauere oportet, intrò magis recedent, longiusque aberunt ab eo, quod apræhenditur. Altera ex parte si humerus ita demittatur, vt latus attingat, nimis parum excitabitur, nec poterit altitudo alæ se ostendere, nec cutis digitis extendi, & aduri. Eatenus igitur attollere humerum conuenit, & ab ala reducere, vt locus in conspectum ueniat: fitque qua subijcere digitos facilè possimus, & cutem extendere, atque adurere. Præter vstionem autem alæ duo solum loci sunt vbi quis crustas inurere queat huic affectioni auxiliantes. Vnam in anteriore parte inter brachij caput, seu humeri articulum, & tendinem iuxta alam; & hac quidem parte cutem penitus perurere oportet, sed non altius: fieri enim hoc potest in primis cutem attrahendo, quo modo in ala diximus; dein transuersam adurendo, post hæc instrumentum, quo ad illinendum utimur, traijciendo atque in orbem iterum adurendo. non tamen altius adurendum. Vena enim crassa, seu lata, & grandis propinqua est, & nerui, quorum neutra igni calfacienda sunt. Alteram verò crustam retrorsum, id est, ab exteriori parte inurere licet, multum supra tendinem, qui est iuxta alam, & paululum infra humeri caput. Traijciatur autem ex toto cutis candenti ferramento, sed non nimis altè. ignis enim neruis est inimicus. Curare igitur vlcera per omnem curationem oportet, ita vt nunquam brachium vehementer extendas, sed moderatè vlcerum saltem curandorum gratia. Minus enim perstigerantur. Conducit enim omnes vstiones tegere, & lenirer curare, quia sic minus hiant, minus sanguis erumpit, & minus neruorum distentio sequitur. Vbi verò vlcera pura sint, & ad cicatricem intendant, tunc sanè oportet humerum die noctuque semper ad latus deligatum continere. Quare humerus non nisi paululum duntaxat à latere diducatur, idque cum vlcera curantur. At vbi vlcera conualuerunt, humerus diu debet ad latus similiter deligari. namq; hac via cicatrix maximè confirmabitur, atque id spacium, in quod maximè humerus procidit, contrahetur. Quibus autem lati scapularum ossis summitas diducitur, extare videtur os, quod recedit. his enim os auulsum extra eminens apparet. Est autem hoc velut vinculum clauiculæ, & scapulæ. Constat enim summitatem lati scapularum ossis esse cartilaginosum os, quod situm est, qua iugulum cum lato scapularū osse committitur, à quo dependent membranæ, quibus ossium extrema colligantur. Medici itaque in hoc casu decipiuntur: excitato enim osse, quod recedit, humeri commissuræ pars superior apparet depressa, & caua, quasi prociderit humeri caput; cum tamen suo loco motum non sit. Vbi itaque os cartilaginosum, & summitas lati scapularum ossis recedit, iugulum etiam sequi consueuit, & idcirco restituitur iugulo deorsum compulso, sic, vt ea parte in orbem quodammodo inclinetur. quo fit, vt in iuuenibus facilius cogatur. nam quò magis ætas procedit, eò magis corpora nostra siccantur. Ergo quemadmodū sicca ligna minimè idonea sunt, quæ curuentur, madentia, & viridia id facile patiuntur: eodem modo & ossa eorū, qui adhuc increscunt, coacta curuari possunt, & eò magis, vbi rara sint, & cauis plena, quale est iugulū, vti Gal. sensit, iugulū in seipso curuari. cum. n. vinculi vi vehementer cōpelleretur, altè vrgebat. quod ipse pertulit quadraginta dies, quibus iuguli caput ita adductum est, vt aspicientibus nunquam recessisse videretur; cum tamen trium digitorum interuallo diductum fuisset. in adolescente autē, & multo magis in puero, os facilius vinculo cogitur. His itaque, inquit Hip. eadem curatio conueniunt, quæ ceteris eius generis, nempe ceratum, panni, fasciæ, & eadē vinciendi ratio.

De summitate lati scapularū ossis luxata.

Curatio.

Tex. 61.

Verumtamen deorsum cogendum est id quod excedit, tum ea parte plurimi panni iniiciendi, maximeque adstringendum, humerusque ad latus continendus est suspensus à parte superiori. Hac enim ratione id, quod recessit, proximè adducetur. quam rem scire optimè licet, atque prædicere omni periculo vacare, si alioquin tibi videatur. Ex hoc enim casu nec paruum, nec magnum in humeri commissura oritur detrimentum, sed aliquid decoris eo loco amittitur. Nunquam enim huiusmodi os in naturalem, & antiquam sedem reuertitur, sed necessariò, siue amplius, siue minus à superiori parte prominet. Neque enim aliud os vllum in pristinam sedem reuertitur, quod recesserit ab aliquo osse, cum quo naturaliter iungeretur. Paucis autem diebus à dolore liberatur latum scapularum os summum, si commodè vinciatur. Quod si iugulum ab hac, vel illa parte in latere erumpat, in suum locum collocandum erit, lato scapularum osse vnà cum humero sursum adducto, velut etiam in iuguli fractura dictum fuit. Vbi restitutum fuerit in pristinum statum, reliqua curatio celerrimè perficietur. Plerasque igitur immutationes ac luxationes, brachium siue humerus si sursum cogatur, corrigit. Vbicunque autem, quod à superiore parte est ipsius iuguli & ea pars, quæ cum pectoris osse committitur, vel in latus, vel in interiorem partem veniat, commode restituitur, si homo resupinetur, subiecta aliqua re, vt puluino, seu ceruicali inter scapulas, quæ attollat sic, vt pectus quàm maximè recuruetur: aliquis item humerum iuxta latus extentum sursum adducat: Medicus verò altera manu ad humeri caput data prominentiori palmæ parte repellat: altera, quod diductum est, componat. Sic enim maximè in naturalem sedem restituet. Sed (vt in eius fractura diximus) superius os deorsum ferri maximè solet. Plerisque verò, vbi alligati sunt, conuenit ita figurari, ut cubitus iuxta latus contineatur, sicque humeri caput excitetur. Sed quibusdam, vt diximus, debet humeri caput sursum vrgeri: cubitus autem ad pectus adduci: manus verò ad summitatem lati scapularum ossis partis sanæ porrigenda est. Quod si homo cubare non recuset, aliquid imponere conuenit, quo fulciatur, sic, vt humeri caput maximè sublime sit: at si inambulet, fundam ex fascia factam à ceruicibus suspendere oportet, quæ cubiti eminentiam complectatur. Hæc itaque figurandi ratio efficit, ut humeri caput in exteriorem partem compellatur, cum quo adducitur & iuguli pars, quæ summitati lati scapularum ossis adiuncta est. sed tali habitu, inquit Hippoc. fere opus non esse, quod superiori satis restituatur, sub quo humerus iuxta latus extentus adducebatur: cubito ibidem collocato, non vti nunc pectori superimposito. Abstinere igitur debemus ab imponendo cubito super pectus, in quo hic habitus priori sit deterior, sed quo per illum duntaxat pleraque præstari possint, quæ ad reponendum idonea posita sunt. Quo modo si res non succedat, ad habitum transibimus, secundo loco ostensum.

De iugulo luxato.

Tex. 72.

Gal. 1. de artic. com. vlt.

De Luxatione cubiti, & radij ab ipso diductione.

Cap. III.

CVBITVS quemadmodum ex Hippoc. colligimus, cum in fine libri de fracturis, tum in principio libri de articulis, in quatuor loci differentias prolabitur. Nam modo ad pectus, seu costas, siue etiam dicamus in interiorem partem; nonnunquam in exteriorem partem excedit, & inclinatur. Ad hæc nonnunquam in priorem, aliquando in posteriorem luxatur partem. At verò duæ primæ differentiæ ab Hippo. rursus diuiduntur, quatenus dum in interiorem, vel exteriorem partem mouetur, articulus interdum non toto loco mouetur, sed aliquid ex cubiti processu, qua excedit, in humeri cauo manet; tuncque non totus articulus emotus est, sed, vt diximus, manet quid iuxta ossis brachij, seu humeri cauitatem, qua parte cubiti os excedens habet: interdum articulus aut hac, aut illac transgreditur supra cubiti os, quod ad brachij cauitatem excedit; tuncque humeri articulus in hanc, vel illam partem mouetur vltra cubiti processum, qui in cauo eius recipitur; adeo vt in has duas priores differentias possimus dicere cubiti articulum interdum imperfectè, nonnunquam perfectè, & ex toto prolabi posse.

Hip. in fi. li. de fractur.

Quod

Quod de reliquis duabus differentijs non asserit Hipp. quia non nisi ex toto, pro-
pter naturalem cubiti per ginglymon cum humero dearticulationē, luxari potest.
Signa. Si itaque in interiorem partem, seu ad costas cubitus elabatur, in parte interiori si
brachium læsum cum sano conferatur, tumor, & eminentia quædam, seu processus
præter naturam, & naturalem articuli compositionem tum tactu ipso, tum oculis
deprehenditur; in exteriori autem parte cauitas itidem pręter naturā apparet. con-
tra si in exteriorem partem excidat; tumor, & eminentia in exteriori, cauitas in in-
teriori parte præter naturam se nobis ostendit. Vbi non ex parte; sed ex toto cubiti
articulus è loco proprio in has loci differentias mouetur, supræscripta signa maio-
ra, & intensiora sunt, præter id, quod reliquæ notæ, quæ sunt reliquis luxationibus
alioquin cōes, veluti sunt dolor, & motus naturalis impeditus (vti sunt cubiti flexio
& extensio) maiores, & intensiores nobis sese offerunt. Si vero retrò abeat, ita, vt in
posteriorem luxetur partem, signum est, quod ita excesserit, inquit Hipp. cū exten-
dere totum brachium nequeunt, quemadmodum cum conflectere id non ualent, *Hippoc. 2. de art. tex. 1. & 3. de fract. tex. vlt.*
quod in anteriorem partem exciderit cubitus, indicium est. Tunc enim neq; mini-
mum quid curuare cubitū possunt: quod etiam articulum contingenti patet, & cau
sa, seu ictus vehementissimus præcessit. quemadmodū verò cauitas præter naturam
in posteriori parte conspicitur, ita tumor insuetus in parte videtur anteriori: econ-
uerso si cubitus excidat in partem posteriorem, cauitas in priori, tumor in posterio
ri parte præter naturam apparet: & luxatio hæc omnium maximè dolorosa existit
(quamuis rarò ipsa contingat) & febres continuas syncerae bilis paucorum dierū,
ac maximè lethales producit. paucis. n. diebus hominem præcipitat. Dissidentiæ au
Diducti cubiti signa. tem ossium nota est, si iuxta venam, quæ ad brachium discinditur, attrectaris. cubiti
enim os crassius est, quumq; ab altero diducitur, cubiti iunctura neq; curuari, neq;
extendi similiter potest. Id aūt patebit, si quis priorem iuncturæ partem tangat, qua
Prognostica. diuiditur vena, quæ à superiori parte musculi procedit. Scribebat aūt Hip. cubitum *Hipp. loc. cit*
minus excidere, quam ossa, quæ in genu articulo sunt, sed ægrius in suum locū col-
locari, ac dirigi. Adhæc cubiti articulus fere paululum excedit, & maximè versus co
stas excidit, minus frequētior in exteriorem partem & quomodocunq; id accidat,
luxata hæc non ægre in suum locum vel sedem reponuntur, si priusquā inflamma-
tio superueniat, recondantur. Rarius vero ex toto ad inferiorem, & exteriorem la-
bitur partem, ægriusq; tunc in suum locum reuertitur. At brachio, ut in priorē par-
tem erumpat, aut in posteriorem, rarò admodū accidit. Sed quid subita vis non im
pellit? Multa. n. suo loco excedunt, licet magnum sit quo prohibētur. In hoc autem
casu grande est, quod super os crassius excedit, plurimumq; nerui tenduntur. Qui-
busdam tn̄ excidit: & nisi subito reponatur, graues, vehementesq; inflammationes
cum febre oriuntur: sed vbi brachium in priorem partē erumpat, si statim occurra-
tur, non adeo magno negotio reconditur. Verū vbi in posteriorē partem prorum-
pat, maximè omnium dolorem mouet, & febrem, eaq; sub pura bile cōtinuatur, &
lethalis est, & paucis diebus hominē interficit. In summa recrudescit maximè gib-
bus cubiti quocunq; modo luxatus, febresq; ac dolores, & meræ bilis vomitus mo-
uet: atq; id maximè, si in posteriorem partem, ob torporem; secūdo si in anteriorē
prolapsus sit. Simili modo, quum os cubiti ab altero osse diducitur, non facilè resti-
tuitur. Neq; enim alia ossa, quæ bina inter se iunguntur, vbi dehiscunt, facile in pri-
stinum locum reuertuntur. Sed necesse est ossibus sic diductis partem reddi tumi-
dam, & ossa cito callo circundari. Est etiam, quum perrumpitur, interdum os cubi-
ti, quod humero subiectum est; interdū eius cartilago, à qua nascitur chorda, quæ
sita est in humeri parte posteriori. Id quum accidit, febrem concitat, & malis vitijs
annumeratur; articulus tn̄ suo loco manet. Basis. n. eius tota & æqualiter hac parte
excedit. At quum ea pars comminuitur, quæ subiecta est humeri capiti, vagabūdus
magis fit articulus, quam si transuersa penitus frangatur. Sed (vt summatim rē ex-
ponam) leuiora uitia sunt, sub quibus os frangitur, quā sub quibus hoc inuiolato,
venæ ac nerui grandiores ibi conteruntur. Hæc. n. hominem magis ad interitū præ
cipitant, quā illa, si continua febris accedat, sed huiusmodi fractura rarò accidit. Est
ēt interdum, quum imum humeri caput frangitur, qua prominet. Id aūt multo gra
uius videtur vitijs, quæ cubito incidunt, sed aliquanto leuius est. Vbi aūt extra exci-
dit articulus, in interiori parte caro imminuitur. Sin minus, in contraria parte quā
exciderit. Qua aūt via restitui potissimum, curarique luxata singula debeant, in vni
uersali tractatione diximus, atque id etiam, articulum protinus reponendum esse,
quod nerui celerrimè inflammatione præhendantur. Nam etiam si, vbi excidant,

ſtatim recondantur, nerui tamen contrahi ſolent, & aliquandiu conſuetam porrectionem, contractionemque non præſtare. Vbi itaque à principio adhibearis, protinus coge cubitum extendi: ſed ſi iam febris anteuerterit, non amplius reponendus eſt: adhibita enim vi dolor hominem interimeret. atque (vt vno verbo dicam) nullum articulum, dum febris eſt, compellere in ſuam ſedem conuenit, ſed minimè omnium cubitum. Quia itaque articulus cubiti luxatus maximè, ac facilimè inflammatione præhenditur, & callo circundatur, quia propter vehementem dolorem (qui ob compreſſionem circumiacentium neruoſarum partium excitatur) humores ad ipſum vehementer fluunt, quorum partibus tenuioribus reſolutis, reliquiæ ab eius frigidiori temperamento denſantur, ideo quàm citiſſimè; & antequam inflammatio ſuboriatur, reſtituendus. Vbi itaque in interiorem, vel exteriorem partem, non tamen ex toto, ſed ex parte, quemadmodum diximus, prolabitur, ſatis eſt, vt docet Hipp. e regione humeri rectà extendere, ſic, vt vnus brachium à prima palmæ parte extendat, alter præhendat hominem ſub ala; alius item vna manu ad os, quod extat, admota, prominentiori eius palmæ parte ipſum propellat, altera vero prope articulum data cogat in contrariam partem. hæc enim luxata non ægre reſtituuntur, ſi priuſquam inflammatio ſuperueniat, recondantur: ſæpiuſque hæc licet abſque valida intentione reſtituere. Vbi autem in inreriorem partem erumpant, neceſſe eſt articulum ad naturalem ſedem repellere: brachium verò magis in pronum habitum conuerſum circumducere. Si vero articulus in hanc vel illam partem moueatur ex toto, & humeri articulus in hanc vel illã partẽ moueatur vltra cubiti proceſſum, qui in cauo eius recipitur, ad hæc luxata non amplius accõmodatur directa extendendi ratio. Vbi.n.ſic extendimus, id cubiti, quod excedit, humeri transgreſſionem prohibet. Quæ igitur ſic luxantur, eo modo extendenda ſunt, qui ſuperius in ſermone de fractura humeri traditus eſt ad extendendum humerum fractum, quum alligandus eſt. Ab ala enim conuenit ſurſum verſus extendere, a cubito verò deorſum cogere. Similiter cum extenſio in communi figuratione brachij ad cubitum facienda ſit, alæ habena ſubiecta, brachium retrahendum eſt; ſummo verò gibbo iuxta articulum pondus aliquod appendendum, vel manibus depellendum: atque ita ſuſpenſo articulo palmis coaptationes fiunt. Humerus enim hac ratione diductus è regione ſui receſſus collocabitur, & ſupra ſuum ſinum maximè eleuabitur, ſic, vt non hœreat. hoc, vbi accidet, facile reſtituemus prominentioribus palmarum partibus, partim id humeri, quod extat impulſum reponentes, partim id cubiti, quod iuxta humeri articulum eſt, à contraria parte coactum in ſuam ſedem collocantes, eodem modo in vtroque caſu. Hæc autem intentio ad huiuſmodi luxata iuſtiſſima eſt: reſtitui etiam poſſent, ſi recta intentio adhiberetur, minus tamen, quàm ſi hoc modo intendantur. Si verò in priorem partem erumpat, ſi ſtatim occurratur, non magno negotio conditur. Expedit autem linteum durum implicitum, non magnum, qua parte cubitus curuatur, tranſuerſum inijcere, tum repente in cubitum flectere, & quantum maximè poteſt manum ad humeri caput porrigere. Hæc enim reponendi ratio ijs, quæ ſic luxata ſunt, abunde eſt. Poteſt item directus intendi modus ad hanc reponendi rationem aptari. Neque enim audiendi ſunt illi, qui in congrua cubiti figuratione, quæ ad rectum angulum vergat, faciendam eſſe præcipiunt, cum in hac luxatione, vt teſtatur Hipp. & experientia ipſa, neque minimũ quid curuare cubitum poſſint. Facta itaque conuenienti extenſione, durum, & implicitum linteum cubiti curuaturæ, vt dictum eſt, inijciendum, & ad cubitum appoſitum comprimendum, vt deinde facta ſubita cubiti flexione, repoſitio ſubſequatur. Licet quoque poſt adhibitam extenſionem manus ad ipſum cubitum admouere, & retrò comprimendo ipſum inflectere, quia ita tuto, & non difficulter reponetur. Debet autem, qui reſtituit prominentioribus palmarum partibus id humeri, quod, qua cubitus curuatur, præter naturam extat, retro cogere: alter ab interiori parte cubiti eminentiam adurgere, ſic, vt ad cubitum ipſum è regione ſpectet. Valet autem ad huiuſmodi luxata ille extendendi modus, quem ſupra narrauimus, pertinere ad extendendum humeri oſſa comminuta, quũ loris vincienda ſunt. Intentione adhibita prominentiores palmarum partes admouendæ ſunt, vti ſuperius demonſtrauimus. Si verò in poſteriorem partem luxetur, & à principio protinus adhibearis, coge cubitum extendi, ac per ſe reſtituetur. Licet quoque in hac luxatione extenſionem prius efficere, vel manibus, vel machinamentis, de quibus dictum eſt. Extentum enim totum brachium intendere oportet, & eodem modo, quem diximus,

Hippo. 3. de fract. tex. vl.

Si in interiorem, vel exteriorem prolabatur partem nó tamen perfectè.

Si in propoſitas partes perfectè labatur.

Si in priorẽ partem cubitus erumpat.

Si in poſteriorem part em prolabatur.

mus, repônere, & coaptare. Similiter dum cubitus, & radius inuicem diducuntur, ea ratione ossa hæc deligare oportet, quam apponemus, vbi vinculum eius commissuræ, quæ ad talos est, ostendemus. Curare autem hæc omnia similiter conuenit, & quæ franguntur, & quæ dehiscunt, & quæ luxantur. Omnia enim pluribus fascijs, pannisque, & cerato nutrienda sunt, non secus, ac cœtera, quæ franguntur. Figuranda autem est in his omnibus cubiti commissura, sicuti quando humerus, & cubitus fractus deligabatur. huiusmodi enim habitus maximè communis est omnium, quæ excidunt, dehiscunt, seu disparantur, aut franguntur. Communissimus item ad mutationem postea faciendam, & ad singula extendenda ac inflectenda, siue curuati commissura illa, siue extendi debeat. Ab eo enim habitu mora æquè & curuari, & extendi potest. Præterea membrum ita figuratum citra molestiam ægrotantis continetur, atque suspenditur. Adhæc si extento brachio callus obduceretur, contineretque, satius esset nullo modo incteuisse. Multum enim esset impedimento, & parum proficeret. Expeditius autem esset callo curuatum brachium firmati. multò autem melius est callum circundari brachio medio inter hos habitu collocato. Deligare autem conuenit fasciæ capite super vitiatam partem iniecto, seu fracta sit, seu prolapsa, seu diducta, & primas obuolutiones super ipsam facere, ac maximè adstringere, sed hinc, atque hinc leuius, vinculoque & humerum, & brachium comprehendi, & vtramque magis, quàm plerique soleant, vt à vitiata sede tumor quàm longissimè ad partes, quæ hinc sunt, atque hinc, depellatur. Iniiciatur autem vinculum eminentiæ cubiti, si ea parte vitium sit, ne tumor ibi excitetur. Cauendum insuper est, quantum potest, ne in vinciendo plurimum vinculum, qua cubitus flectitur, colligatur, ne scilicet circa flexuram multa lintea coaceruata sint. Adstringenda verò est quàm maximè pars vitiata. Reliqua eadem sequantur, quod ad vinculum spectat, arctius, ac laxius; atque eodem tempore singula, quo superius scripsimus in curatione fracturæ. Tum tertio quoque die fasciæ soluantur, ac rursus alligentur, sentianturque tertio die laxæ, sicut in fracturis. Ferulæ quoque debito tempore circundentur. Nihil enim alienæ sunt tam si fractura sit, quàm si non sit, nisi homo febriciter. Laxissimæ autem imponantur, ac tum ad humerum, tum ad brachium dentur, neque crassæ sint; adhiberi item debent inæquales inter se sic, vt vna alteram excedat, quantum conferre ad flexum coniiciemus. quin & panni superiniiciendi sunt eadem ratione, qua ferulas diximus: Sed qua vitium est, paulò pleniores. Temporis verò coniecturam facere oportet, & ex inflammatione, & ex ijs, quæ supra scripsimus.

Hip. 2. de ar. tex. 1.

Cubiti figuratio, & deligatura.

De Luxatione articulorum summæ manus, & digitorum. Cap. IIII.

Hip. 2. de ar. tex. 2.

MANVS articulus, seu tota summa manus vel initio vel extra, vel hac vel illac, potissimum tamen intrò luxatur. Quas quidem differentias facilè cognoscimus, quia in parte, in quam prorumpit, tumor præter naturam; in ea verò, quæ contraria est, & ex qua prolabitur, cauitas apparet; Adhæc vbi intrò luxatur, digitos inflectere non possunt; si extra eosdem extendere nequeunt. Repositio fit, vbi intrò, vel extrà, manu supra mensam posita, supina, si intrò: prona, si extra luxetur; & in diuersas partes extensione facta. hac autem effecta, id, quod eminet, aut vola manus ipsius chirurgi, aut si patiens robustus sit, calce retrudendum est. Ab inferiori autem parte ad alterum os inuolucrum aliquod molle subijciatur, vt retrusio minori cum dolore, & cum maiori efficacia fiat. reliqua autem curatio postea linteis peragenda. Si verò hac vel illac luxetur, facta extensione, chirurgus in partem contrariam impellere manum debet. Si verò & appendix emota sit, aut alterum os diffidear, disparatumve distet, his valida extensio adhibenda est, &, quod quidem eminet, retrudendum; alterum verò contrà trudendum, duabus speciebus simul contingētibus, & retrorsum, & in obliquū, aut manib. supra mensam, aut calcaneo. nam ossa quoq; carpi, & metacarpij, manu in tabula collocata, & supposito corpore duro, manu, aut calce, ossibus in propria loca retrusis, facilè reponuntur.

Differētiæ.

Signa.

Curatio.

Curatioque his quoque linteis adhibetur, cum manu,& cubito; ferulæque vsque ad digitos apponuntur. At ferulis hæc deligata frequentius, quam fracturas, soluere oportet, & perfusionem ampliorem adhibere. Digiti articulus cum prolapsus est, facilè patet. Reponitur verò si in rectum extendatur, quodque eminet trudatur, & contrarium contra retrudatur. Curatio verò fascijs, & linteis fit. Si verò non reponatur, forinsecus callo obducitur. At si ex natiuitate, aut dum adhuc crescit homo, luxata fuerint ossa, breuiora fiunt infra luxationem, & carnes imminuuntur contraria maximè parte ei, in qua luxatio facta est. ei vero qui iam adultus est, ossa non imminuta manent.

De luxatione Mandibulæ. Cap. V.

MANDIBVLA inferior (de hac enim sermo est, quia superior immobilis omnino est in homine,& brutis, vnico excepto crocodilo,& cum ossibus capitis per harmoniam coniungitur) in vnam tantummodo, anteriorem scilicet seu priorem prolabitur partem. Quinimò in hanc quoque partem, vt ait Hipp. paucis iam perfectè luxata est.
Hip. 2. de ar. tex. 3.
Huius autem rei causa est, ait idem, quia os, quod iugale appellatur, vtrosque maxillæ processus, quos capita vocat Hippoc. diducit, ac separat inter se, alterum ab inferiori parte, à superiori alterum. adhæc ex maxillæ processibus vnus quidem rostro similis, quem coronon Græci appellant, ob longitudinem non facile expellitur. iugale enim os excedit. Quare constat maxillam procidere non posse, nisi processus hic rostro similis iugali osse humilior demittatur. at non propterea simpliciter luxabitur, vbi illud accidat. Aperto enim ore in suum locum reuertetur. Ad hoc igitur, vt luxetur, necesse est reditum prohiberi eò, quod ipsa in latus conuertatur. Luxari ergo non potest, nisi ore vehementer aperto, in alteram partem conuertatur. *Causæ.* neque enim ferri potest processus dictus infra os iugale, priusquam maxilla à malis plurimum diducatur; quod accidit, vbi homo maximè hiat. neq; reditu in suam sedem prohibetur, nisi in latus conuertatur. Insuper ægrè prolabitur ob musculorum robur, quibus ad superiores partes alligatur. Ab vtroq; enim
Gal. 2. de ar. com. 5.
horum capitum, seu processuum inferioris maxillæ neruosæ oriũtur chordæ, quibus musculi illigantur, qui crotaphitæ,& mastitires dicuntur, eò, quia mouentur, quum mandimus. nam crotaphitæ, qui & temporales vocantur eò, quia à temporum ossibus oriuntur, vbi intenduntur, os claudunt,& sursum solummodo maxillam adducunt, non tamen in latera mouent, sed maxillæ processum rostro similẽ amplectuntur, & sursum ad caput trahunt; mastitires verò in mandendo maxillã circumagunt,& in latera mouent, & alterum processum attrahunt, qui in commissuræ cauum inseritur. Quare & propter ossium naturam, & propter robur musculorum, maxilla non admodum prolabitur. Sunt autem robusti hi musculi; quia neruosi admodum sunt. Insuper præter has duas causas maxilla rarò luxa-
Hip. 2. de ar. t. 11. & 12.
tur, quia nulla ferè in edendo necessitas est, quæ cogat hominem aperire os, vltra quam possit. Eiusmodi enim actio duplici vsui accommodatur, vel vbi volumus ore magnæ molis quidpiam apprehendere, vel vbi quàm maximè hiamus, quorum illud rarò accidit, hoc delirantibus duntaxat. Luxari autem aliter maxilla non potest, quomodocunque figuretur, quàm cum ore vehementer aperto in alteram partem conuertitur. Excidit itaque rarò, non tamen adeo rarò, ait Gal. vt eiusmodi casum permulti nostrum non viderint. Quia illud etiam efficit, vt maxilla excidat, eò, quia eiusmodi commissura multum mouetur, & musculi, neruiq; ipsius tenduntur,& opportuniores sunt, qui extendantur, quam quibus rarò motis opus est. Quemadmodum & coria optimè mollita plurimum extendi possunt. Quia itaque in loquendi,& mandendi assidua motione musculi fatigantur, & languidi,& relaxati euadunt, fieri potest, vt maxilla non ita rarissimè luxetur; quia, vt ait Hippoc. dum musculi repentè mutant alias partes,& antiquam sedem non reti-
Tex. 13.
nent, aliqua ex parte deprauantur, aliqua etiam extenduntur. Euidentissimè autem, ait Hippoc. maxillam excidisse cognoscitur, quia interna maxilla in anteriorẽ *Signa.* partem prominet, conuertiturque in contrariam, atque vnde luxata est, processusque ossis rostrum referens magis extat iuxta malas, maxillaque inferior cum malis,

lis,seu superiori maxilla ægrè committitur. Si quando enim maxilla excidat, necesse est, processum rostrum referentem extra iugale os ferri. Quare meritò extat iuxta malas,qua situm est iugale os; sed qua potissimum situm sit, facilè percipies in homine gracili, musculum temporis genamque intuitus. Inter vtrumque enim situm est iugale os. In memoria itaque habens eius situm, vbi aliquem videris,qui os claudere nequeat,maxilla in priorem partem proiecta, atque in alteram inclinata,conari debes exquisitè oculis, digitisque summitatem comprehendere,quæ iuxta genam,& iugale os extat.& vbi sic habere comperies, optimum indicium erit maxillam excidisse. Vbi autem ex vtraque id accidat parte, processus acutus iam dictus ex vtraque parte prominentior apparet, & dentes inferiores multò superiores excedunt,& musculi temporales ambo intenti admodum ac duri conspiciuntur,quia maxilla tota in anteriorem partem prominet, neque distorta,sed recta conspicitur,& os apertum manet; Minus enim,ait Hipp.comprimere os possunt; & tunc mentum magis prominet, sed in neutram partem inclinatur. quod ex eo constat, quia inferiores dentes è regione superioribus respondent. Vnde,dum vtraque parte parte excidit, quamuis in priorem partem magis propellatur, quam vbi excidit altera tantum parte, magisque à malis recedat,non tamen deprauatur,aut peruertitur,sed naturalem sedem sine inclinatione tuetur. id autẽ indicant dentes, quia inferiores superioribus respondent, qui secant, secantibus, canini caninis, maxillaribus maxillares. Si verò in vna tantum parte luxetur, in hac maxilla quidem in anteriorem partem prominet, non tamen æqualiter, sed solum in luxatam partem mentum inclinatur, & processus rostro similis prominentior conspicitur. & quia obliquam habent maxillam, ideo dentes dentibus nõ respondent,sed in ea parte,in qua est luxatio,sub incisoribus sunt canini. Scribebat autem Hippoc. quod nisi quàm celerrimè restituatur, mortis periculum instat, *Tex. 20.* propter febres continentes,& inexpugnabilem dormiendi necessitatem. Periculo itaque non vacat maxilla etiamsi in altera parte duntaxat luxetur; sed si vtraque ægrius restituitur,quum musculi omnes,quibus maxilla continetur, intendantur. Vnde cum hi musculi neruos habeant ab ipso cerebro, ac prope cerebrum ipsum contingant,hinc fit,vt celerrimè afficiatur. Hi ergo musculi maximè affliguntur, quum inter omnes præcipui sint,vt qui neruos ex cerebro habeant à tertia coniugatione,quæ non longè ab ipso principio sita est. Ob id itaque periculum mortis impendet,quum præter naturam intendantur,ac propterea doleant, & idcirco inflammatione premantur. similique vitio cerebrum afficiunt. Quo affecto acutæ febres sequuntur, simulque læduntur omnes animi actiones. non enim solet, vbi *Gal.in com.* cerebrum inexpugnabili dormiendi necessitate prematur, eius vitio sensus duntaxat lædi,& motus,sed ratiocinatio,memoria,sensus,& motus voluntarius corrumpi. Quare huiusmodi musculi,& quum intemperie,aut tumore aliquo inflammatorio,aut putredine præhenduntur, & quum præter naturam extenduntur, inexpugnabilem dormiendi necessitatem inducunt. Hinc patet,cur neruorum distentionis,rigorisque hic articulus primus indicio sit,vbi contrahitur; & quamobrem plagæ in temporum musculis graues sint, & stuporem inferant. quia enim hic articulus ad neruorum initium propius accedet, primus neruorum distentionem concitat,plagasque habet stuporem inducentes. Ad hæc quibus luxata maxilla celerrime non reponitur,solet aluus bilem puram, atq; exiguam reddere,ac, si euomant,vomitus purus est. In febribus enim admodum acutis nil mirum, si pura *Gal.com. 22* bilis in corpore producitur. nam & adeps, & caro renera, ac paulò ante concreta sub his febribus tabescit, & sanguis aduritur. Concurrere autem hæc ad aluum, & intestina,quum tabent, proprium est, vbi tantum neruosæ partes laborant. Cũ ipsis enim vitiatur, læditurque os ventriculi, quod maximè neruosum est. Rectè autem ab ipso Hippocrate docemur proximas,communesque partes primùm, potissimumque affici: præterea,vbi ventriculi os lædatur,dolorem ne leuem quidem posse sustinere. Sequitur enim animæ defectio,vbi ipsum malè affligatur,& quum animus deficit,omnia quæ supersunt tenuia,ad ventrem concurrunt. Quin etiam si hoc non accidat,sub vehementi dolore, ac mœrore, quæ superant in corpore huius generis,videntur ad ventriculum,atque intestina decurrere. Quæ autem in ventriculo cocuut,vomitu excernuntur;quæ in intestinis,deiectione.Decedunt autem hi,subdit.Hipp.maximè decimo die,vel circiter. His itaque quàm celerrimè restituenda est,priusquam musculi distenti ob consortium cerebrum afficiant. Qua autem ratione reponi debeat, in aperto est. Oportet enim aliquo laborantis

Prognostica. (margin, beside "autem Hippoc. quod nisi…")

Indicationes, & Curatio. (margin, beside the last three lines)

caput

caput continente, alterum digitis maxillam ad mentum comprahendere, tam ab exteriori parte, quam ab interiori, homine hiante, quantum modicè potest; ac primò quidem aliquandiu maxillam manu in hanc atque illam partem adductam dimouere, imperareque vt ipse homo maxillam relaxet, simulque cum Medico ipsam adducat, & adducenti quàm maximè pareat. Deinde subito mutare ad tres habitus simul consilio directo. Siquidem ab ea sede, in quam peruersa est, ad naturalem adducenda; præterea in posteriorem partem est adurgenda: tum æger obsequens eam debet cum malis, seu superiori maxilla committere, ac minimè hiare. Ratio quidem reponendi huiusmodi est, neque reponi maxilla potest, si aliter figuretur, lenisque medicina abunde est, nempe panni cum cerato laxiori fascia alligari. Tutius autem est admouere manum homine resupinato, capiti subiecto scorteo puluino maximè farcto, vt quàm minimè cedat. aliquis autem laborantis caput continere debet. Hæc Hippoc. Vbi enim prius neruis, & musculis agitatis, atque emollitis maxillam deorsum traxerimus, & quantum potest, à malis reduxerimus, debemus agere, quod ab Hippoc. iubemur, & proinde repente ac simul articulum collocare è regione suæ sedis: tum ita collocatum rursus in posteriorē partem momento impellere, homini imperantes, vt os claudat. Antea siquidem præcipiebat, vt homo hiaret, laxam maxillam præbens, id est, nullum musculum intendens. id enim maximè confert ad neruos, & musculos agitandos, repenteque ad naturalem sedem adducendum maxillam deprauatam, atque ad compellēdum in posteriorem partem. Nunc iam vbi vtraque maxillæ summitas sita est è regione suæ sedis, permittit musculos crotaphitas dictos agentes eam totam ad se ipsos attrahere. agunt enim vbi æger comprimere, claudereque os velit. Dum autem maxilla agitatur, ac modicè deorsum demittitur, præcipit, vt caput contineatur, ne sequatur maxillam, quod perpetuum est in omnibus, quæ in diuersa duci debent.

Hip. tex. 15. & 16. — Repositio. — Gal. in com.

Quod si maxilla vtraque parte elabatur, curatio eadem est. Oportet enim primum ipsam deorsum extendere, secundo retro ipsam adducere, & tertio sursum, & ob id oportet ambos pollices in os immittere, & cum reliquis mentum exterius apprehendere, & maxillam deorsum trahere, postea retrò impellere, sed ne caput cedat, dum retrò pellitur, caput ægrotantis vt diximus, à ministro firmiter teneatur, & demum sursum adducere oportet. Si verò maxilla, qua ad mentum iungitur, diducatur, componi à quouis potest. nam quod extat, intus repellendum est, digitis superdatis, quod in inreriorem partem conuertitur, in exteriorem adducendum digitis adurgendo. hæc autem facienda sunt, ossibus in diuersa diductis. Ossa enim sic facilius in suum locum reuertentur, quàm si quis tenret altero sub altero condito compellere. quod quidem communiter attinet ad ossa omnia, quæ componuntur. Composita maxilla, alligare inter se dentes conuenit, qui hinc sunt, atque hinc. Simili modo si frangatur, non tamen transuersim, & ex toto, sed aliqua ex parte icta ossa inter se cohærent, in suam sedem compellenda sunt, digitis vtrimq; prementibus, tum ab ore, lingua in latus adducta, tum à cute, vt conueniet repellendo. Quod si peruertantur dentes ad fracturam moti, vbi ossa in suam sedem collocata sunt, non solum bini, sed plures etiam inter se ligandi sunt auro potissimum, vel certe lineo filo, donec ossa confirmentur. Quo facto, vincire oportet paucis pannis, ceratoque iniectis, paucisque fascijs non valde adstrictis, sed laxioribus. Scire autem conuenir maxillam fractam fascijs parum iuuari, si rectè inijciantur: Vbi minus rectè, multum lædi. Maxillę enim ossa ex ijs sunt, quæ fascia compræhendi in orbem nequeunt, qua vitiatum os, quo modo à Medico compositum exceptum fuerit, seruetur. adde quod in maxilla vinculum infestum est, cum semper solita sit nuda esse, ac sine velamento. Subinde autem circa linguam altè inquirere oportet, ac diutius digitis vtrinque reprimere, dirigereque id ossis, quod inclinatum est. Optimum autem esset, si semper id fieri posset, (ab ægro scilicet non à Medico) sed non potest. Quod si os omnino transuersum abrumpatur modo iam dicto collocare in suam sedem oportet, & deinde deligare dentes inter se, vt dictum est. hoc enim maxillam valde immobilem præstat, si quis capita rectè, vt oportet, futura insuper coniunxerit. Deinde si laborans puer sit, satis erit corij Carthaginensis, vel alterius, quod molle sit, exterioris partis id, quod durius est, & magis densum admouere; Sed si robustior fuerit, ipsum corium. Incidenda autem habena est, quæ trium digitorum latitudinem æquet, vel quanta conuenit, tum maxilla gummi inungenda. Maxillæ enim, qua transuersa fracta est, firmius hæret extrema habena agglutinata interposito digiti spacio, vel paulo longiori,

Si maxilla, qua ad mentum iungitur, diducatur, curatio: & item si frangatur. — Deligatio.

giori, idque ab inferiori parte. Incidaturque habena hæc media in longitudinem, vt vtrinque acutam menti partem complectatur. Altera item habena æqualis, vel paulo latior superiori parti maxillæ agglutinetur, distetque à fractura, quantum prior. Scindatur autem quatenus possit aurem comprehendere. Conuenit enim fracti ossis alteram partem deorsum à mento extendi, alteram à capite sursum. Acuantur autem habenæ, qua coniungi, alligarique inter se debent. Si enim paulatim earum latitudo imminuatur, iunctura firmior redditur, quia capita, quæ lata sunt, quamuis summa cura vinciantur, non tamen fideliter continentur. In glutinando autem corij caro, id est pars interna, quæ mollior rarior, & carnosior est, cutem contingat. Sic enim magis adhærescit. Deinde extendenda est huiusmodi habena, magis autem, quæ à mento sita est, vt potissimum cautio sit, ne maxilla in acutam figuram ducatur. In vertice autem iungendæ sunt vtræque habenæ, dein circa frontem fascia alliganda. Aliquid etiam super omnia extrinsecus inijci debet, vt fieri solet, quo vincula immobilia reddantur. Cubet autem homo in maxillam integram, non tamen huic, sed capiti innixus. Corpus extenuandum est, vsque decimum diem: postea reficiendum est non tardè. Nam vbi primis diebus inflammatio non oritur, maxilla viginti diebus conferuet, confirmaturque. Celeriter enim callus increscit, sicut in alijs ossibus, quæ rara sunt, nisi corrumpantur. Intentio autem, quæ per gluten adhibita firmiter manet, intendi, & minui potest, & ad multa dirigenda sæpenumero proficit. At Medici non intelligentia æquè, ac manibus prompti varijs modis, & bene, & male fractam maxillam deligant. Omne enim vinculum maxillæ ita abruptæ ad fracturam ossa inclinat magis, quam secundum naturam. Si verò maxilla, qua ad mentum iuncta est, diducta sit, composita maxilla, & dentibus, qui hinc, atque hinc sunt, inter se alligatis, oportet mederi cerato, ac pannis paucis, fasciisque. Vinculum autem exiguum, variumque maximè huic loco accommodatur. prope enim sine inclinatione est, quamquam non ex toto. Admittit autem maxilla varia vincula, sicuti, qui in fasciando exercitati sunt (hæc enim omnium prima exercitatio est) dicidecrunt. Attrahi autem fascia debet, si maxilla à dextro latere extat, à parte dextra. Tunc autem à dextra parte esse indicatur, cum dextra manus fasciam ducit: Sed si ab altero latere maxilla excedat, alio modo trahenda fascia est. Est enim hoc perpetuum in omnibus, quæ restitui ad pristinam naturam debent, quo excedens pars repellatur, cogaturque. id autem continget, si ea fascijs ad alteram adducatur. Adducetur autem si dextra parte, vtputa, excedente fascia inde orsa porrigatur ad sinistram: Si sinistra læsa sit, ab hac incipiens ad dextram feratur. Nam vbi intuearis Medicum è regione eius, qui deligatur collocatum, fascia, quæ à dextro latere maxillæ ad sinistrum procedet, à dextra manu Medici attrahetur; contraria, à sinistra. Vbi autem rectè componatur, atque (vt oportet) immobilis seruetur, cito sanescit, dentesque integri remanent. Sin secus, longiori tempore confirmatur, tum peruertitur, dentes autem vitiantur, & inutiles redduntur. Quemadmodum uerò, dum maxilla diducitur, & diuellitur imo mento, dum frangitur, aut rumpitur, fracturæ loco, ita dum luxatur, maxillæ capitibus, id est, temporibus ipsis ea, quæ dolorem leniunt, & adstringunt, qualia sunt certum rosaceum, & stupæ oui albumine cum pulueribus adstringentibus ad mixtæ subacto, admouenda sunt, in qua etiam luxatione vniuersum temporalem musculum oleo rosaceo lumbricato inungere expedit. Et fascia, cum qua ligatura fit, media ad mentum imponenda, & in longitudinem incidenda, vt vtrinque acutam menti partem complectatur. Pariter scindenda est, quatenus possit aures comprehendere: quas foras trahere expedit. Et in capitis vertice eadem fascia alliganda est, & sic seruanda est, donec maxillæ capita in proprijs locis confirmentur: quod trium dierum ad summum spacio fit. quo tempore ægrotantem inedia vti optimum erit, tum venæ sectione, & alijs in auxilijs, de quibus in sermone diximus vniuersali. Quod si absque cibo, & alimento, aut aliqua sorbitione omnino detineri æger non possit, medicamina saltem per diem in loco affecto continenda erunt & tempore sumendi sorbitionem fascias laxare oportebit.

De Vertebrarum luxatione. Cap. VI.

Hip. & Gal. 3. de art. à tex. & com. 1. infra.

Differentiæ

Vertebræ triplici modo, vt Hippoc. & Gal. tradunt, loco mouentur. Vel enim in posteriorem, seu dicamus exteriorem, partem conuertuntur, & tunc spina gibba vocatur, & à Græcis hoc vitium chiphosis vocatur: vel in priorem partem, seu dicamus auteriorem conuertuntur, tuncque spina curua dicitur, & malum hoc lordosis Græcè nuncupatur: vel tertio in latus inclinant, vt ob id spina à latere deprauetur, & obliqua euadat, quod vitium ab ijsdem Græcis scholiosis nominatur. Extra hæc quartum vitium in spina incidit, quod quassatio à Galeno vocatur, in quo vertebrę loco manent, sed earum compago dimouetur. dicitur autem quassatio, Græcè sisis, à concutiendo. id autem est, quum vertebrarum spinæ compago vniuersa dimouetur, dum scil. vertebræ, nec in exteriorem partem, nec in interiorem exciderint, sed concussæ vehementer fuerint, manentes è regione spinæ; vnde periculum est, ne conuellatur, atteraturque spina vehementer concussa. Siue autem in priorem, siue in posteriorem partem, siue in latus vertebræ moueantur, vel magis vel minus in hanc vel illam partem inclinare possunt, & insuper, vel una, vel plures vertebræ è suo loco dimoueri possunt; & dum unica excidit, spinæ subuersio fit, quam ad angulum factam nominat Hippoc. Sin plures erumpant, ita tamen, vt vna aliqua vertebra reliquarum omnium maximè sublimis conspiciatur; illæ autem, quæ hinc, atque hinc sunt, minus, nec plurimum illa vertebra ab alijs recedat, sed parũ, quando scil. singulæ subito plurimum cedunt, tunc spinæ peruersio ab eodem in orbem facta nuncupatur. Locum aũt naturalem immutant vertebræ, exciduntque propter causam internam, vel externam. Et sicuti ab externo ista, & in orbem, & ad angulũ peruerti possunt, & modo una, modo plures è propria sede dimoueri; ita ab interna causa solum in orbem peruertuntur. Internæ autem causæ sunt cruda tubercula, magna, dura, ac diuturna: non tamen, quia ab horum onere, vt perperam nonnulli antiqui existimarunt, vertebræ in posteriorem, aut aliam partem compellantur. Impossibile enim est tam valida ac firma, & tam arctè inter se colligata ossa ab onere adeo exiguo dimoueri, & impelli (vnde uertebrarum ossa per se neque peruertuntur à tuberculis, neque trahuntur) sed quia primum uitium, ait Galenus, est in ijs corporibus, quibus uertebræ alligantur. Igitur vbi ad uertebras tuberculum oriatur, cum in tumorem assurgit, atque augetur, ab interiori, siue priori parte necesse est, ut tuberculum sequantur ligamenta, atque hæc rursus vertebræ. Itaque si in vna parte duntaxat tuberculum oriatur, vbi hæc in interiorem trahatur, spina in priorem partem conuertetur. Sed si in duabus, ubi aliqua interiecta sit inuiolata, gibba euadet. Vtroque enim tuberculo adiunctam uertebram trahente, quæ in medio sunt, a posteriori parte gibbæ fiunt, ut euenit ijs, quæ curuari modicè possunt, cuiusmodi sunt virides rami, & ex scriptorijs calamis plerique, quos si quis dextrę digitis ab vna parte, sinistræ ab altera præhendens ad se traxerit, medium in contrariam partem attractum gibbumque conspiciet. Neque alia de causa spina ad latus conuertitur, quam ob crudum tuberculum, quod à latere eius fit. His causis internis licet quoque vna cum Hippoc. & senectutem ipsam, & dolorem, & usum adijcere. obliquatur enim spina, inquit ille, etiam sanis iuxta multos modos. nam & in natura, & in vsu sic se habet. Sed & præ senectute, & sub dolore. Sed ipso vsu, qui ex uoluntatis præscripto dependet, posthabito, quia inter causas præter naturam recensendus non est, nec non dolore ipso, qui voluntatis pariter arbitrium ad spinam obliquandam cogit, si de senio ipso loquamur, ab hoc spina curuatur, & gibba fit, quia vertebræ, qua priori parte committuntur, exiccantur, & inuicem subsidentes. Externæ porro causæ, ob quas spina quocunque modo peruertitur, & vertícula è proprio loco dimouentur, sunt casus, & ictus, seu percussiones ualde uehementes. Sed ab externa causa gibba spina plerunque fit, quum homo uel in coxas, uel in scapulas cadit. Quocunque autem modo spina obliqua fiat, ac peruertatur, & tactu, & visu facilimè cognoscitur. quemadmodum ex temporis diuturnitate ex causa externa prægressa, & ex prauis symptomatibus subsequentibus, de quibus in prognosticis agemus, vitium hoc ab intrinseca causa prouenient absque vlla difficultate ab

Tex. 49.

Causæ.

Gale. com. 1. 3. de artic.

Causæ internæ.

Causa lordosis.

Causa chiphosis.

Causa scholiosis.

Hip. tex. 49.

Causæ externæ.

Signa.

tate ab

tate ab eo, quod ab externa oritur causa, distinguitur. Neque minus facile chiphosis, lordosis, & scholiosis, necnon an vna, vel plures vertebræ luxatæ sint, & vtrum vel ad angulum vel in orbem, tum ex symptomatibus superuenientibus, de quibus post, tum tactu, & visu depræhendere licebit. Sed, ne in curuata spina, seu ad interiorem prioremve partem luxata dignoscenda decipiamur, animaduertendum, quod dum in spina aliqua cauitas præter naturam apparet, debemus diligenter inquirere, an potius aliquis spinæ processus perfractus sit, nec ne. dum enim processus, qui extra prominent, franguntur, & subsident, etiamsi vertebræ non luxentur, cauitas nihilominus in spina ipsa percipitur. Sed non est adeo magna, neque prauæ suboriuntur symptomata, quemadmodum si vertebræ luxatæ sint. De hac itaque re, & deceptione quorundam loquens Hipp. Nonnulli, inquit, sibi persuadent se sanasse eos, quibus vertebræ articulis ex toto excedentes in interiorem partem venerunt: & facilimum putant, vertebris eo modo luxatis, euadere, nihilque opus esse restituere, sed eas per se restitui. Sed ignari sunt, & ob imperitiam lucrum faciunt: vulgo enim suadent. Verum falluntur hi hac de causa. Spinam, quæ in dorso extat, putant esse ipsas vertebras. Nam singula tactu ibi rotunda sentiuntur: neque intelligunt hæc ossa, processusve à vertebris procedere, ipsas verò vertebras multò magis in priorem partem sitas esse: ergo vbi aliquod ex ijs ossibus, quæ valde excedunt, comminuatur, siue unum, siue plura, is locus humilior fit, quam qui hinc est, atque hinc. ac propterea errant putantes vertebras in interiorem partem procidisse. Quos item fallit habitus eorum, qui icti sunt. Nam si curuari uelint, dolent, cum, qua parte percussi sunt, cutis tendatur, sicque ossis fragmenta carnem magis vulnerent: sin ita figurari, vt spina à posteriori parte caua sit, leuantur. Cutis enim qua fractura est, laxior efficitur, & ossa minus vulnerant: quin si ea parte tangantur, cedunt, spinam in priorem partem compellentes, isque locus inanis, & mollis tangenti apparet, & hæc sunt illa, quæ Medicos fallunt. Cito autem ac sine aliquo detrimento huiusmodi homines per se sanescunt. hæc enim ossa omnia, quæ rara sunt, callo celeriter glutinantur. De ijs autem quibus spinæ vertebræ propter tubercula peruertuntur, loquens Hippo. scribebat, quod plerunque solui nequeunt, præcipuè vbi spina supra septi transuersi coniunctionem, id est, in vertebris thoracis, gibba fiat. Infra verò quædam soluuntur, cum varices in cruribus fiunt. Magis autem hæ varices, quæ in uena iuxta poplitem fiunt, quibuscũque gibbositas contigerit, eam soluunt. Solutum quoque iam id vitium est à torminibus diuturnis. à talibus autem vitijs, scribit Galenus, hæ gibbositates soluuntur, quum succi, qui eas faciunt, primo ferantur in venam maximam ipsius spinæ. deinde in eas, quæ ab eadem deductæ ad crura intendunt, huiusmodi autem in thorace nulla vena est, quæ possit vitiatos succos recipere. Succi enim qui cruda, & dura tubercula faciunt, glutinosi sunt, & crassi: quare non facile per tenues venas feruntur: sed vena, quæ ad lumbos est, latissima est, & sanguinem ad venas omnes transmittit. Ergo cum hos crassos, ac glutinosos succos receperit, si affectæ partes viribus adeo valeant, vt, quod superat, expellant, ad venas hic sitas transmittit. Quo, fit, vt latescant, & in varices assurgant, vbi quidem succi crassiores fuerint, id accidit in inguine protinus; sin mediocriter crassi, in poplite. In vniuersum autem in varicibus crassus sanguis continetur. nam id uitium plerunque à succo melancholico interdum etiam ab alijs crudis, crassisque concitatur. Vbi verò succi, qui præter naturam in corpore sunt, ad intestina transferuntur, tormina fiunt, quum abradantur intestina ob succos acres ad ipsa confluentes, nempe vbi tubercula suppurant: neque enim aliter ob suam crassitudinem confluere ad intestina potuissent. Sed in suppurationibus succi crassi extenuantur, & naturam affectæ partis ad expellendum excitant id, quod in ea contentum iam molestum est. Quibus verò adhuc pueris, ait Hipp. spina gibba fit, antequam corpus perfectè increscat, his corpus ad spinam non augetur: sed crura, & brachia solum perficiuntur. quæ verò sunt ad spinam, non complentur. nam & propter venas peruersas, & quia ægrius membrum moueatur, naturaque in eiusmodi affectibus langueat, læsæ partes deterius, quam ante necessariò nutriuntur. Quibus item supra septum transuersum gibba spina fit, costæ in latitudinem augeri non solent, sed in partem priorem. nam vertebræ increscere in longitudinem prohibentur, &, cum spina gibba fit, in posteriorem partem conuertuntur. Pectus itaque latum non fit, sed acutum, spiritus difficulter mouetur, & cum sono, quum cauum, quo spiritus recipitur, atque emittitur, angustius reddatur. Spiritus itaque exiguus, & creber cooritur. Sonus autem

Marginal notes: Tex. 47. (beside "que re, & deceptione…"); Prognostica. (beside "quæ rara sunt…"); Tex. 2. & 3 (beside "pter tubercula…"); Gal. com. 4. & 5. (beside "nis. à talibus…"); Tex. 6. (beside "pueris, ait Hipp.…")

autem adijcitur ob angustiam iuxta fauces, & asperam arteriam. augetur autem angustia hæc, qui a coguntur ceruices iuxta magnam vertebram in priorem partem conuertere, ne caput in eandem proijciatur. Hoc autem reddit fauces admodum angustas. Ob id igitur, quod ita figurentur, guttur his omnibus magis extare videtur, quàm bene valentibus. His tubercula plerunque circa pulmonem sunt, eaque dura, & cruda. plerisque enim eiusmodi tumores sunt causa gibbi, & distentionis, quibus proximi nerui afficiuntur. Ex his verò, quibus sub septo transuerso gibba spina est, nonnullis renum, & vesicæ vitia superueniunt. Sed & abscessus ad suppurationem, ad ilia, & inguina, qui diu manent, & ægrè sanantur; quorum neutrum gibbum soluit, quia mala hæc consensus causa oriuntur. His autem coxæ extenuantur magis, quam quibus spina supra gibbam est, propter consensum, quem coxæ habent cum spina. Tota autem spina longior his est, quam quibus à superiori parte gibba est. quò enim magis versus inirium spina vitiatur, cò minus augetur, cum habeat & originem, & incrementum supernè. Pubes autem, & barba sæpius increscit, & minus completur, minus item fœcundi fiunt, quàm quibus gibba est pars superior. Sed quibus corpore iam robusto gibba spina fit, his euidenter soluit morbum tunc existentem. Multi autem gibbi facile, & non secus, quam bene valentes iam vsque ad senectutem quasi sani vitam degunt, præsertim quibus corpus carnis plenum, & pingue effectum est, ob ualidas vires, ob morbum leuem, & ob vniuersam victus rationem: pauci tamen ex ijs supra sexagesimum annum vixerunt; plerique enim citius moriuntur. Si verò cum eodem Hippoc. de vertebrarum luxatione ab externa concussione loquamur, expulsio, seu luxatio vertebrarum in partem posteriorem, scribebat ille, qua spina gibba fiat, non accidit multis, sed paucis. non enim facilè incidunt huiusmodi casus. nam nec facilè in exteriorem partem veniunt vertebræ, nisi à priori per ventrem vehementi ictu tradantur; sic autem homo interiret: aut nisi quis ex superiori loco decidens in coxas, vel scapulas cadat; sed & sic quoque expiraret. A posteriori autem parte non facile expellitur vertebra in interiorem, nisi aliquid graue admodum super ipsam incidat. Ossa enim, quæ ab exteriori parte procedunt, singula talia sunt, vt potius frangi possint, quam magnam intrò inclinationem facere, ita vt & ligamenta, & articulos inter se alternatos, ac articulatos violent. Præterea & spinalis medulla affligeretur, si ex modico loco inflexionem haberet, vbi vertebra tali expulsione exiluisset, & ea spinalem medullam vtique premeret, si non etiam abrumperet. At ea pressa, ac intercepta, multarum, & magnarum & nobilium partium torporem induceret. Quare neque curæ foret Medico, quomodo vertebram dirigat, ac coaptet, quum multa & violenta alia mala adsint. Itaque si tale contingat, palam est, quod neque concutiendo, neque alio quodam modo reponi possit, nisi quis dissecto homine, & manu in ventrem iniecta inquisitionem faciat, & ex interna parte ad externam manu retrudat: atque hæc in mortuo quidem fieri possent; in viuo autem non ita. Quibuscunque autem vertebræ in interiorem partem conuertuntur, vel quod homo ceciderit, vel quod graue aliquid super ipsum ceciderit, plerunque nulla vertebra valde ab alijs recedit. Vbi non valde recedat, siue vna, siue plures, hominem non præcipitat, cum spina in orbem, non ad angulum peruertatur. his tamen vrina & aluus magis supprimitur, quàm quibus vertebræ in exteriorem partem conuertuntur, pedesque & crura tota magis frigescunt, atq; hæc magis mortifera sunt, quàm, quæ posita sunt, quibus, si euadant, & superstites sint, vrina sine voluntate magis prorumpit cruraq; magis resoluuntur, & torpent. Quod si superior spina in priorem partem conuertatur, vniuersum corpus resoluitur, ac torpet. Inquit autem Hipp. casum asperiorẽ esse, dum vertebræ in interiorem partem luxantur, quam si in exteriorem ferantur, quia nerui oẽs, qui à spinæ medulla oriuntur, in interiorẽ partem procedunt: & magis premuntur, vbi spina in hanc partẽ conuertitur. quo fit, vt interdũ superior quoque pars vesicæ cõprimatur, & quæ cũ his consortium habent, omnia inflãmatione occupentur: quare neq; vesica vrinã, neq; aluus deiectionem reddit. quia musculus, qui vesicã adstringit, & qui ano præest nimiũ suo munere fungitur. Vnde periculum est, ne homo interim decedat, dũ tollitur inflãmatio, quę efficit, vt nec aluus, nec vrina respondeat. Illud aũt in vniuersum intelligere oportet, quod vbi spina in interiorẽ partẽ cõuertitur, ad interitũ ægrotantẽ præcipitat, & infestissima est: Vbi in exteriorẽ, vacat mortis periculo, vrinã nõ supprimit, & plerũq; torporẽ nõ infert: quum nec alui itinera distẽdat, nec prohibeat, quo minus facilẽ exitũ habeant. Distẽdi aũt partes,

Tex. 12.

Tex. 45.

Si ab externo ictu luxatio fiat.

Tex. 51.

partes, per quas hęc feruntur, & à compressione vertebrarum, & à consortio, quod cum neruis habent, à ratione non abhorret: quod quidem contingit, dum in interiorem partem conuertitur. Multò autem plurib. crura, & brachia resoluuntur, corpus torpet, & vrina supprimitur, quibus vertebræ nec in exteriorem partem, nec in interiorem exciderint, sed concussæ vehementer fuerint, manentes è regione spinæ. Et hoc est quartum genus vitiorum spinæ, quum scilicet vertebrarum spinæ compago vniuersa dimouetur, periculumque est, ne conuellatur, atteraturq; spina vehementer concussa. quod malum multò deterius esse ait Hippocrates, quàm

Curatio. si, spina non concussa, vertebræ peruertantur. Oportet autem extendendi, ac coaptandi, restituendique rationem huiusmodi præparare. Columna quadrata quer-

Si spina in posteriorē partem peruertatur. Extensio. na transuersa, seu etiam arca, quam capsam vocamus, quæ robusta sit adhiberi debet, quæ à pariete eatenus recedat, vt aliquis inter vtrumque, vbi opus sit, transire queat. Sternitur columna hæc vel tunicis, vel quapiam re, quæ mollis sit, & non admodum cedat. Homini autem laboranti fomentum adhibere oportet; Si verò admittat, ipsum etiam multa calida lauare expedit: deinde pronum extentum reclinare, & manus ipsius secundum naturam extentas ad corpus alligare. Postea verò loro molli satis lato, ac longo, ex duobus perpetuis inter se aduersarijs loris constante, ex media ipsius parte, iuxta medium pectus quàm proximè sub alas, bis circundare oportet: & quod superest de loris vtrisque iuxta alam circum humeros obuoluatur, & initia ipsorum ad lignum quoddam, cuiusmodi pistillum est, alligentur, ita, vt congruant secundum longitudinem quadratæ columnæ subiectæ, ad quam lignum illud pistillo simile apponere, & renitendo extensionem facere oportet. Tali verò quodam alio vinculo, & supra genua, & supra calcanea alligato, initia item ad eiusmodi lignum, seu pistillum alligare oportet. Postea verò alio loro lato, ac molli, & robusto fasciæ formam habente, longitudinemq; ac latitudinē sufficientem, partem inter coxas, & lumbos, quam proximè ad coxas circumcirca fortiter deligare, atque ita tum huius lori, tum aliorum duorum capita ad lignum, seu pistillum à pedib. extans alligare, & postea in hac figura hinc, atque illinc, æqua simul inclinatione, simulque in directum extensionem facere. Nullum enim magnum malum talis extensio induxerit, si commode præparata fuerit, nisi quis de

Tex. 50.

Repositio. industria id agat. His peractis, dum extensio fit, possumus quatuor modis vertebrarum extantium coaptationem, seu repositionem moliri. Primò, si Medicus, aut alius quisquam fortis, & non imperitus, imposita manus vola supra gibbum, & altera manu insuper alteri superimposita, deorsum cogat, animaduersione habita, an in directū deorsum cogere oporteat, siue ad caput, siue ad coxas, prout scilicet vertebrarum extantium inclinatio, quæ contrariam impulsionem exigit, indicabit: Atque hæc coactio maximè innoxia est. Secundò, si quis insideat super gibbo, & attollendo se, dum ille distenditur incutiat: quod pariter innoxium est. Tertiò, si quis pede inscendere, ac gestari supra gibbum, atque ita sensim incutere velit: ad quam rem moderatè faciendam satis idoneus est quilibet palæstræ assuetus. Quartò efficacissima coactio est, si aut paries, qui est prope columnam quadratam, cui laborans insternitur, incisuram habeat, aut lignū firmum, ac latum defossum infra spinę altitudinem incisum sit, quantum moderatè habere videatur: asser verò è tilia, vel ex altero ligno non tenuis secetur, & incisuræ indatur, & postea linteum quoddam multiplex, aut paruum quoddam coriaceum puluinar super gibbum imponatur. Quam paucissima tamen imposita esse conducit, cauendi saltem gratia, vt ne tabula præ duritie dolorem aliquem importunè inducat. Sit autem gibbositas è directo maximè incisuræ in pariete, quo qua parte maxime extat, ea quàm maximè asser, seu tabula imposita premat. Vbi verò imposita fuerit, aliquis extremam tabulę partem deprimat; aut duo hoc faciant, si vnus non suffecerit: Alij verò corpus secundum longitudinem, vt dictum est, extendant, partim hinc, partim illinc constituti. Licet & per axes extendere, vel iuxta lignum defossos, vel contentos in quibusdam lignis in ipsum defixis, quæ erigantur, siue vtrinque à lateribus paululum extantia, siue in vtraque eius extremitate. Hæ coactiones moderationem admittunt, vt & vehementissimè, & moderatè fieri possint. nam si quis secundum longitudinem hinc, atque illinc, saltem sic extendat, & nullam aliam necessitatem addat; tamen sic etiam extensionem facere poterit. Sed etsi non extendat, & tabula solum ita quis vtatur, etiam sic sufficienter deorsum cogere poterit. Bonę autem sunt huiusmodi violentiæ, quibus & vehementioribus, & debilioribus vti licet, vsu ipsorum prout quisq; vult moderato. & sanè etiam secundum naturam coactionem faciunt.

ciant. nam ea, quæ extant, ad locum suum redigere cogit depressio: quæ verò præter naturam conuenunt, ea extendunt extensiones secundum naturam. Proinde neque meliores his necessitates, neque iustiores Hippocrates habuit. Quod si spina in priorem partem conuertetur, aut etiam in posteriorem, sed vertebræ, quæ supra scapulas sunt, aut prope os sacrum, prolabantur, ita vt iam propositus extendendi modus adhiberi non possit, nullum alium restituendi modum habebat Hippocrates, eo excepto, qui concutiendo per scalam admouebatur, & ea extendendi via, qualis paulò ante descripta fuit. qui etiam valde damnauit illos, qui in priorem partem spina luxata, cucurbitulas defigebant. hæ enim magis expellunt, quàm sursum trahant. Per scalam verò minimè diffidebat Hippocrates nonnulla restitui posse, si quis rectè præparans concutiat. In intendenda enim spina propositum est, superiorem partem intendere per vincula prope affectum locum iniecta, inferiorem per corporis pondus. Quibus autem prope ceruices spina gibba fit, par est minus succurri intentione adhibita per caput deorsum demissum: parum enim ponderis habent caput, & vtrinque lati scapularum ossis summitas, cum deorsum spectant: sed hos verisimile est in pedes deorsum concussos magis restitui. In eam enim partem demissi maius pondus habent. At quibus infra gibba fit, hos concurere magis conuenit capite deorsum spectante. Si quis igitur concutere velit, rem sic rectè molietur, scalam sternere scorteis puluinis transuersis debet, vel ex lana bene alligatis, ac paulò plus, & longitudinis, & latitudinis scalæ tenentibus, quàm occupet hominis corpus. Posthæc homo super scalam resupinetur; deinde pedibus non diuaricatis iuxta talos ad scalam alligetur vinculo, quod quidem firmiter, ac sine compressu teneat, sed molle sit: vinciatur item & ab inferiori, & à superiori parte circa vtrunque genu, & tum circa coxas, circa ilia insuper, & pectus habena ita lata, vt concuti non prohibeatur, sed brachia iuxta latera extenta ad ipsum corpus, non ad scalam religentur. Scala ita præparata attrahenda est ad turrim altam, vel ad culmen domus. Locus autem, super quo concuti homo debet, renitens sit: Qui verò sursum attrahunt, non ignari sint, vt æqualiter, rectè, & in neutram partem inclinantes, repenteque demittant, ne scala in alteram partem inclinata, ad terram perueniat, neve ipsi in priorem partem conuertantur. Cum enim alligatus homo in pauimentum subito demittendus sit, vt cadente scala, atque concussa spinæ vertebræ luxatæ recondantur, merito duro, & renitenti pauimento opus est. Vbi verò à turri demittas, vel à malo (id est, tigno, quod in naui erectum affigitur) qui carchesium (seu quis dicat funem, quæ in summo malo est) habeat annexum, commodius adhuc rem parabis, si à trochlea, vel ab axe funes demittas. cum enim scala ab aliquo loco sublimiori suspensa in terram demittenda sit, repente, æqualiter, & in neutram partem inclinante, satius est vincula ipsa circa trochleas volui. sic enim facilè, æqualiter, & sine inclinatione ducentur. Quod si spina in parte admodum superiore gibba, aut alio modo luxata fuerit, atque omnino concuti hominem oporteat, expedit in pedes concuti, vt dictum est. hoc enim pacto magis in inferiorem partem compellitur. Fulcire autem pectus debes ad scalam fortiter alligans, atque item ceruices habena valde laxa, quatenus, quod excessit, in suum locum reuertatur: atque insuper caput à fronte ad scalam deuincire, ac brachia extenta ad corpus non ad scalam. Reliquum tamen corpus solutum sit, nisi quod pluribus locis habena laxa circumdetur, quatenus, quod excessit, in suum locum reuertatur. Sed videndum est, ne huiusmodi vincula concuti hominem non sinant. crura verò non ad scalam, sed inter se vincienda, vt è regione spinæ dependeant. Si enim homo, qui concutitur, nullis corporis partibus, exceptis superioribus, ad scalam vinciatur, facilè in latera deuoluitur: at rursus, si fortiter alligetur, vt immobilis sit, concussu nihil leuatur. Ambo hæc igitur spectantes hominem ita vinciemus, vt neque immobilis sit, dum concutitur, sub vinculis firmiter astrictus; neque ita laxè super scalam contineatur, vt in latera deuoluatur. hęc siquidem ita admouere conuenit, si homo super scala omnino concutiendus sit. Turpe autem est in omni arte, nec minus etiam in Medicina sine vllo profectu magnam adhibere turbam, magnum spectaculum polliceri, & multa verba facere. Patet autem & reliqua omnia agenda esse, quæ in vniuersali sermone dicta sunt, & sectione venæ, & purgatione, & valde tenui diæta in primo septenario vtendum esse.

Si spina in anteriorem parté luxetur, aut gibba fiat, in vertebris valde superis, aut inferis.

Tex. 21.

De Femoris luxatione. Cap. VII.

Differētiæ. Signa, si in interiorē venat.

FEMORIS articulus, vt testatur Hippocrates, in quatuor partes prorumpit, nempe in interiorem, exteriorem, in priorem, & posteriorem. Vbi ergo in interiorem partem venit, cras longius est, si cum altero conferatur. atque hoc merito duplici de causa. Nam os, quod à coxa procedit, & sursum ad pectinem fertur, fundamentum fit capitis femoris, quia femoris caput huic ossi inhæret, & articuli ceruix in acetabulo vehitur, quia articuli cauo sustinetur: Rursus ab exteriori parte, seu forinsecus clunis cauus apparet, vtpote cum intrò cesserit femoris caput. Et rursum summa, seu extrema femoris pars iuxta genu extra repere, & spectare cogitur, & similiter crus, & pes. hoc enim communiter pertinet ad omnia luxata, quum altera extremitas spectet semper in contrariam partem, atque ea, quæ prolapsa est. Quum igitur foras repat pes, Medici ob imperitiam, sanum pedem ad hunc adhibent, & non hunc ad sanum: & ob id multò longius læsum crus apparet, quàm sanum. Insuper neque flectere ad inguen crus possunt, similiter, atque ab integra parte. Adde, quod femoris caput, si contingatur, inter anum & naturale palam prominens, & extuberans sentitur. Signa igitur hæc sunt in his, quibus femur intrò excidit. Cur autem flectere ad iguen crus non possint, aut flectant quidem, sed cum dolore, ac minus perfectè, rationem reddens Galenus inquit, huius rei causam esse posterioris partis musculos iis, qui femur inflectunt, oppositos. quod donec ex toto femur curuetur, fine dolore non sequantur. Quoniam, vbi sic femur exciderit, in maximo flexu singuli plurimum præter naturam extenduntur. Quibus igitur articulus prolapsus fuerit, neque repositus sit, seu reponi non potuerit, aut neglectus sit, dum ingrediuntur, crus in exteriorem partem circumagunt perinde ac boues, plurimumque integro pede nituntur. Cum enim vitiatum crus longius reddatur, femore ita prolapso, necesse est hominem bouis modo ingredi. Adhæc crus, quod transfertur, si longius esset, quàm quod humi insistit, nihil oporteret in exteriorem partem circumagere, modo haberet idoneos musculos, qui celeriter flectere vtramque commissuram possent: sed, quum ob imbecillitatem flectere promptè nequeant, & ob dolorem recusent, superest, vt in orbem circumagant: quum infirmi ac dolentes musculi nihil excitare sublime possint, quod ligni exemplo nequeat curuari: coguntur etiam regionem iuxta eius partis ilia, & iuxta articulum prolapsum, cauam ostendere, & obliquam, non vbi crus integrum sistentes moueant, quod luxatum est, sed, vbi vitiato innixi, quod integrum est, transferunt. Nam quod vitiatum est, superpositi corporis fulcrum esse non potest, erectum, sicut, quando naturaliter se habebat ad rectam lineam solo hærens, sed obliquum, ita vt ab inguine in exteriorem partem conuertatur, in quam etiam inclinant id corporis, quod è regione est affecti cruris, quum periculum sit, ne in contrariam cadant. Sed quum neque sic vitiatum crus ferre corpus possit, affectum crus manu fulciunt, qua maximè opus est, ab exteriori parte femoris insidente. quæ res cum eos cogat spectare in regionem cruris affecti, eius partis ilia obliqua magis reddit. Clunem verò integri lateris necesse est ab exteriori parte rotundum esse, eò, quod homo inambulet, crure hoc in interiorem partem spectante. Si enim in exteriorem spectaret, reliquum corpus vitiato crure ferri vtique cogeret, quod fieri minimè potest. At quum regio iuxta ilia eius partis, & iuxta articulum sinuetur, parui apparent, & à latere coguntur ligno inniti, ab integro crure. ea enim parte indigent aliqua re, quæ obiecta resistat. In hanc enim clunes conuertuntur, & ab eodem onus corporis sustinetur: Quum igitur periculum sit, ne conuersi in integrum latus grauiter in terram cadant, ad baculi præsidium statim confugiunt. His autem, qui nondum perfectè increuerunt, si excidens non recondatur, breuius redditur femur, crus, & pes. neque enim ossa similiter in longitudinem augentur, sed breuiora fiunt, femurque præsertim. Crus item vniuersum sine carne, & sine musculorum circumscriptione efficitur, necnon effœminatum, id est, molle, laxum, tenuiusque. partim quod articulus loco motus sit, partim, quod nequeat suo munere fungi, quum naturalem statum non retineat. articuli tamen luxatio non primò, sed

Hip. 3. de artic. tex. 68.

Tex. 73.

intercedente venarum, & arteriarum deprauatione, atque otio est in causa, vt
Tex. 82. minus partes alantur. Namque vsus, & motus moderatus id, quod valde effœ-
minatum est, confirmat, soluit etiam aliquid ex eo, quod augeri membrum in
longitudinem prohibebat. Potissimum autem læduntur, quibuscunque, dum in
vtero sunt, hic articulus elabitur: deinde quibus id accidit, dum in ætate sunt ad-
modum tenera, minimè, quum iam robusti sunt. Qui quomodo ingrediantur,
iam ostendimus. Quæ autem ad prolapsos articulos propius accedunt, magis
incremento prohibentur, emacrescuntque; minus, quæ longius absunt; femo-
re autem luxato, multò magis membrum incremento prohibetur, atque ema-
crescit, si in interiorem partem, quàm si exteriorem prorumpat: si quidem dete-
rius mouentur, & claudicant magis. Quibus autem in exteriorem partem femo-
ris caput elabitur, crus, si cum altero extendatur, breuius est, idq; non immerito,
cum femoris caput non feratur super os, sicut quando in interiorem partem pro-
cidebat, sed iuxta os, quod non prominet, sed natura residet, in carnem humidam,
cedentemque infigatur. hac itaque de causa breuius apparet. Interior autem re-
gio qua crura diducuntur, caua magis conspicitur, & gracilior fit: exterior verò
gibba, vt in quam venerit femoris caput. Sed & clunis apparet superior, quum,
quæ ibi caro est, cedat capiti femoris. femoris item extremitas, quæ ad genu est
intrò spectat, non secus etiam crus, & pes. sed neque curuare crus possunt per-
inde, ac sanum. quod quidem accidit ob musculos posteriores, qui flexui pu-
gnant, quoniam ita figurati plurimum extendi non sustinent. Quibus igitur æ- Si femur in
tate iam robusta prolapsus articulus non reuertitur, totum crus breuius fit, calx exteriorem
ingressu terram non contingit, sed planta ima extremi digiti parum in interio- parte luxe-
rem partem spectant, meliusque id crus superius corpus fert, quàm quibus in tur, signa.
interiorem partem excessit; partim quia femoris caput, & articuli ceruix, quum
natura à latere contineatur, magna ex parte coxæ subijcitur: partim, quia ex-
tremus pes non cogitur in exteriorem partem inclinari, sed prope è regione cor-
Tex. 93. poris est, & aliquantum magis in interiorem partem conuertitur. Vbi autem
caro, in quam articulus excessit, iam trita est, & glutinosa euasit, quia proce-
dente tempore occalescit, perinde quasi fossorum manus, dolor tempore con-
quiescit, quo cessante, ingredi absque baculo possunt, si alioquin velint, potest-
que affecto crure ferri corpus. nam humoris, qui principio copiosè ea parte col-
lectus erat, & ob inflammationem coiuerat, tenuiori parte, & aquosa magis à
superiectis medicamentis dissipata; reliqua remanet, quæ glutinosa est, & mu-
cosa, quæ ad motionem capitis femoris maximè confert. His ergo, cum crure
vtantur, caro minus effœminatur, quàm paulò ante propositis: effœminatur au-
tem vel magis, vel minus: fere autem magis ab interiori parte, quàm ab exte-
riori. alij verò ex ijs nequeunt calceamenta sibi induere, propterea, quod crus
non curuetur; alijs id licet. Summam verò curam postulant, quibus ætate ma-
ximè tenera hoc infortunium accidit. Nam si negligantur, quum teneri sint,
crus vniuersum inutile efficitur, & minimè increscit, caro item totius cruris ma-
gis minuitur, quàm in sano, multo tamen magis ijs, quàm quibus in interio-
rem partem excessit, idque vsus, ac laboris causa. Quum statim vti crure pos-
sint, vt supra de ijs diximus, quibus ob humeri caput iam in alam prolapsum
humerus breuior redditur. Inueniuntur autem nonnulli, quibus in vtero pe-
nitus; alij, quibus sub morbo vtriusque cruris articulus in exteriorem partem
prolabitur. His ergo ossa eiusmodi vitio vexantur, sed caro minimè effœmi-
natur. Crura autem habitiora fiunt, nisi si ab interiori parte parum emacre-
scant. ea verò de causa habitiora sunt, quia hi vtroque pariter crure vtuntur.
Dum autem vnicus solummodo articulus in exteriorem partem excidit, sem-
per in ingressu duos habitus inuicem mutant. nam quo tempore integro cru-
re insistunt, erecto corpore attolluntur simul, & ambulant: quo rursus læso, ni-
tuntur, demittunt se, atque in id inclinantur. Quibus verò vtriusque cruris arti-
culus in exteriorem prolabitur, similiter ij ab vtraque parte in ingressu agitan-
tur, clunibusq; apparent admodum in exteriorem prominentibus. eò, quia arti-
culi excesserint. Sed nisi ossa his vitientur, neque gibbi supra coxas fiant (nonnulli
enim huiusmodi vitijs propter communitatem, seu consensum prehenduntur,
quia potest spina ob durum aliquem tumorem deprauati, & propter consortium
sub crudo, duroq; tuberculo idem vitium experiri) nisi inquam tale quid eueniat,
in cæteris satis sani degunt: minus tamen toto corpore increscunt, capite excepto.

At vbi

Signa capitis femoris in posteriorem partem luxati. At vbi in posteriorem partem prolabitur (rarò autem prolabitur) extendi non potest crus, neque ad articulum luxatum, neque admodum ad poplitem: sed ex omnibus partibus, in quas hic articulus excidit, vbi in posteriorem excidat, commissura, quæ ad inguen; & quæ ad poplitem est, minimè extenditur. Sed, vt explicat Galenus, ad inguen crus nullo modo extenditur, ad genu non ex toto. Vtriusq; autem causa est musculorum situs. nam musculus, qui à lumbis ortus ad paruũ femoris tuberculum (minorem rotatorem, seu paruum trochanterĩũ vocant) pertinet, & alius, qui ab osse, quod pubi subest ad idem tuberculum intendens, & cum superiori coniungitur, vehementer extenduntur, cum femoris caput in posteriorẽ partem elabitur, ibi implicati, & circa coxæ cauum in orbem voluti. Vnde vbi laborãs extendere articulum tentet, oportet vniuersum femur in posteriorem partem circumuolui: in quo casu duo propositi musculi potissimũ lædentur, vt qui plurimum extendantur. Nam cum longiores, quàm ante facti sint, commissuram extendi non patiuntur. Ob id igitur extendere ad inguen crus non possunt. Neque etiã ad genu, quia femoris caput suo cauo prolapsum continetur in posteriori parte illius ossis, à quo recipi solet. Quod si futurum esset, vt femoris caput extentũ ad genu, inguine penitus curuato, multum attolleretur, necesse esset, vt femoris caput à coxa plurimum in posteriorẽ partem excederet. quod fieri non potest, nisi conuellatur musculus, quo exceptus est, cum ex naturali sede procidit. In commissura ergo, quę ad inguen est, neque perfectè extendi, neq; curuari perfectè potest; Hippocr. tamen alterum duntaxat adscripsit, ait Gal. quia postquam luxatus articulus est, crus curuatum protinus apparet, vtpote, quum imum femur ad genu eatenus in priorem partem excedat, quatenus summum in posteriorem, & quatenus ad inguen crus curuatur. quo fit, vt posteriores musculi, qui ad poplitem sunt, superiorib. capitibus extendantur, quum femur retrò prolabitur. His autem supernè extentis, extenditur vnà reliquum eorum corpus vsque ad chordas, quæ perueniunt ad crus, quibus extentis, poples curuatur. Meritò itaque vtræque commissuræ curuatæ conspiciũtur, ideo, quia extendere ipsas nequeunt, præcipuè eã, quæ ad inguen est: idcirco in hac id simpliciter Hipp. protulit; in ea verò, quæ ad genu, adiecit, admodum, vtpote, quę extendi possit, non admodum tamen. Illud etiam ignorare non oportet, subdit Hipp. (vtilissimum enim & maximi momenti est, & plerosque latet) quod nec qui bene valent, extendere poplitis commissuram possunt, nisi simul extendant eam, quæ ad inguen, præterquam si pedem valde sursum attollant: sic enim possent. Hi itaque neque inflectere articulum circa poplitem similiter possunt, sed multò difficilius, si non etiam articulum circa inguen inflexerint. Cum enim necesse sit, vt posteriores musculi intendantur, quum poples extenditur, priores verò, cum curuatur, vbi tendantur magis, quàm eorum naturæ conueniat, oppositi renituntur, & minimè sequuntur. Voco autem oppositos eos, qui extendunt, iis, qui curuant, id est priores posterioribus. Summam autem contractionem, summamq; extensionem dolori esse, & musculos quidem contrahi, dum agunt, extendi verò dum ab

Epilogus. oppositis attrahuntur, in libris de musculorum motu Galenus declarauit. Dum itaque caput femoris in posteriorem excidit partem, extendi crus non potest, ait Hippocrates, & breuius apparet duplici de causa, tum quod non extendatur, tum quod articulus in carnem clunis erupetit. Natura enim ossis coxæ ea parte est, qua & caput & ceruix femoris existit. Cum enim naturà ossis coxæ, in quo cauum continetur, tenuis sit, quum femoris caput in posteriorem partem prorumpit, ab ea parte, quæ post cauum est, sustinetur, vt inter cauum, & femoris caput id os sit, quod à posteriori parte cauum complectitur. Vbi itaque femoris caput in hanc partem luxatum sit, decliue, pronumque ad externam partem natium defertur. Curuare tamen homo crus potest, si dolore non prohibeatur. cum enim femoris caput vi cum tota ceruice in magnum musculum natium, qui commissurã hanc extendit, expellatur, hic musculus prolapsum femoris caput admittens omnium maximè torquerur, quum sub ipso prematur, distẽdaturq;. Quare necesse est inflammatione ipsum pręhendi, sursumq; ad se trahere chordam à membrana non abhorrentem, quę quidem coniungitur cum ea chorda, quę ex duob. musculis orsa à priori parte femoris vltra patellam tendens cũ tibiæ capite connectitur. quod cũ accidit, consequens est, vt homo doleat, vbi poplitẽ flectit. quatenus.n. hic flectitur, hactenus chorda extenditur, atteriturq; à patella. hęc autem extenta musculũ extendit, à quo dependet. Procedente tempore cum musculus hic ab inflãmatione soluitur, contrahitq; humorẽ quendam glutinosum, pars eius, quę articulum contingit,

Tex. 98.

Tex. 101.

Tex. 102. occalescit, & poples citra dolorem inflectitur. Insuper capite femoris in posteriorem partem luxato, crus, & pes moderatè rectà apparent, & neque hac, neque illac Alia signa.
Tex. 104. multum inclinata. Præterea in inguine caro mollior sentitur, si aspiciatur, & multò magis si locus tangatur, cum articulus in alteram partem exciderit: sed in natibus, si tangatur femoris caput, videtur magis prominere. Cui autem ætate iam robusta prolapsum restitutum non fuerit, ambulare quidem potest, quū tempus processit, & dolor cessauit, & articulus volui in carne consueuit; cogitur tamen, dū ambulat, vehemēter ad inguina curuari, idq; duplici de causa, quia ob ea, quę proposita sunt, crus multò breuius redditur, & multum calx abest, vt terram contingat. Nam si vel paulum tentet eo pede sustineri, nulli alteri rei innixus, cadet vtrique in partem posteriorem. coxæ enim cum magis in posteriorem partem, quàm pedum basis, excedant, in eam plurimum inclinabunt, & spina item in coxas, vixq; ima planta consistet, neque hoc accidet, nisi ad inguina se curuet, & alterius cruris poplitem flectat. necesse enim est, vt manu, quæ à parte affecti cruris est, in quolibet passu super femore hæreat. Quæ res cogit ipsum flecti aliquid ad inguina. Nam quum in ingressu crura permutentur, nequit corpus affecto crure sustineri, nisi id crus manu deorsum ad terram compellatur. articulus enim corpori non subijcitur, sed ad posteriorem partem ad coxam prominet. Ambulare tamen offensus sine baculo potest, si alioquin assueuerit: quia basis pedis è regione pristina spectat, neque in exteriorē partem conuertitur. Ob id nihil egent baculo, quod renitatur. Quicunque autem velint femur non amplius manu comprehendere, sed in vicem manus baculo inniti, quod alæ ab affecto latere subijciatur, si longius baculum admoueant, magis erecti ambulant; pes tamen terræ non innititur. Si verò pede inniti volent, breuior ipsis baculus faciendus est, & ad inguina, vt se inflectant, necesse fuerit. Emacrescit etiam ijs caro pro ratione, vt antea diximus. nam quibus suspenditur crus, minimeque laborat, maximè extenuatur: sed quum in ingressu vsui admodum est, minimè gracile fit. integrum tamen crus non iuuatur, sed potius deforme redditur, si vitiato vtantur terræ innixi. nam dum sanum vitiato subseruit, coxam, & poplitem curuari necesse est. Quod si vitiatum crus terram non contingat, sed suspensum sit, & homo baculo innitatur, hoc pacto integrum robustius reddetur, quàm naturaliter habeat, & exercitatione magis firmetur. Cæterum quibus vel à primo natali die, vel alioquin dum increscunt, articulus in posteriorem excidit partem, neque reconditus fuit, seu vi, seu morbo exciderit, femoris os breue efficitur, vitiatur item crus vniuersum, minusque [illegible]crescit, & gracilius redditur, quum nulli vsui fit. Vitiatur enim his & articulus, [illegible]ad poplitem est, quia nerui & rendones ob dictas causas intenduntur. Ob id extendere poplitem non possunt. quæcunque enim in corpore ad aliquem vsum fabricata sunt, si quis moderatè vtatur, exerceatque in eo laboris genere, cui singula assueuerint, eo pacto bene valent, augentur, & ad longam senectutem perducuntur: si in vsu non sint, sed otiosa degant, morbis patent, non augentur, & maturè senescunt: præsertimque id accidit neruis, & articulis. His igitur de causis vitiantur magis, quum hoc modo articulus luxatur, quàm cum alijs. Totum enim crus incremento prohibetur, & quod ad carnem, & quod ad ossa pertinet. Hi ergo quum ætate iam robusta, suspensum, curuatumque crus tenent, sed altero feruntur baculo innixi, vno, vel etiam altero.

Accidentia consequentia luxati, nē hancnó restitutam.

Tex. 105. At quum femoris caput in priorem partem erumpit, contrario modo afficiuntur, atque ij, quibus in posteriorem luxatur. ob id perfectè extendi crus potest, sed ad inguen minimè curuari, cum in ipso flexu nunc sit femoris caput, ac ceruix. Laborat enim homo, etiam si poplitem flectere cogatur, propter musculū priorem, qui oritur ab osse, quod ad ilia pertinet. ille enim comprimitur, tensusq; attollitur à femoris capite, cumq; extendi amplius non possit, renititur, si quis flectere poplitem conetur. Ad calcem verò, & in vniuersum crus æquè longum conspicitur. nam femur à suo cauo recedens in priorem partem, & paulò inferius venit. quo fit, vt læsum crus sani longitudinem æquet. id, quod præsertim ipsis accidit ad calcem. extremum enim crus minus demitti in terram potest. Sed pes extremus spectare minus potest in partem anteriorem. crus verò totum rectam positionem naturaliter seruat, neque in hanc, aut illam partem inclinat. Fere autem his dolor protinus accedit, & vrina supprimitur, magisque quàm si articulus in aliam partem luxetur. Venit enim femoris caput maximè prope neruos magnam vim habentes (quum medullæ spinæ proximi sint, atque inde oriantur) & in inguine prominet, atque is locus extentus apparet; in clunibus verò rugę conspiciuntur, & summa gracilitas.

Signa capitis femoris in priorem partem luxati.

dolor

dolor autem protinus accedit, & vrina supprimitur, quia vesica quoque afficitur, inflammaturque. Fortasse etiam aliquando ob inflammationis magnitudinem, qua vesicæ ceruix affligitur, vbi musculus est, qui eam adstringit, vrina supprimitur. eò, quod inflammatis partibus excoecatum iter claudatur. Quibus verò ætate iam robusta articulus in hanc partem elapsus minimè restituitur, hi quum dolor finitur, & articulus assuescit in eo loco conuerti, in quem procidit, recti protinus ingredi possunt sine baculo, ac recti ex toto. quum vitiatum crus neque ad inguen, neq; ad poplitem facile flectatur. Propter inguinis itaque inflexibilitatem, crure toto ingressu magis recto vtuntur, quam cum integrum erat. Nonnunquam etiam pedem per terram trahunt, vt qui superiores commissuras, id est, quæ ad inguen, & quæ ad poplitem non facile flectant, quamquam pede toto inambulant. nihilo enim minus hi calcaneo ingrediuntur, quam anteriore pedis parte. Dictum est autem nonnunquam eos pedem per terram trahere, propter soli differentiam, & vim noxæ. illi enim, qui per æqualia, & decliuia loca ingrediuntur, si vel parum quid crus ad superiores commissuras inflectant, pedem non trahunt: sed qui per inæqualia ambulant, & accliuia, minimeque eas curuant, tantum ab eo absunt, vt pedem non trahant, vt etiã offendant in ea, quæ in solo eminent. Toto autem pede inambulant, quia calce, planta, & extremis digitis terram contingunt. Verum si valde progredi possent, etiam valde calcaneo insistentes progrederentur. Nam etiam qui bene valent, quanto maximè procedunt, tanto maximè calce ingrediuntur, quum vni pedi insistunt, & alterum attollunt. Non possunt autem omnino valde procedere, qui superiores commissuras ob quamuis causam nequeunt, quia molestiam non ferunt, qua, dum transferunt extremum crus, vexantur. Quibus itaque coxę articulus in priorem partem erupit, his nihilo minus, quàm ima planta, & digitis, ad ambulandum vti calce licet; ac, si sustineant longius affecto crure procedere, & calce omnino ingredientur. imò magis etiam adhuc calci inhærent, quàm priori parti pedis. Nam pedis anterior pars, quum reliquum crus extentum est; non æquè potest in priorem partem curari, atque vbi flexum est. Neque rursus sinuari pes potest crure inflexo, sicut vbi crus fuerit extentum. Crus verò affectum altero gracilius redditur & à clune, & à carnosa parte, quæ in sura, & posteriori cruris parte prominet. Quibus verò tenera ætate articulus elapsus minimè restituitur, vel à primo natali die id mali incidit, femoris os magis minuitur, quam tibiæ, aut pedis. Minimum autem femur minuitur, quum in hanc partem promouetur; minuitur tamen caro vbique, à posteriore parte præsertim. Ergo quicunque rectè educati fuerint, vti crure possunt, cum increscunt, quanquam aliquanto breuius altero est, baculo tamen fulciuntur à parte cruris vitiati, quia nequeunt absque calce ima planta consistere. & ob id baculo egent. Iis verò, qui negligenter habiti fuerint, neque crure terram contingant, sed id suspensum habeant, ossa magis minuuntur, quam alijs, qui crure vtuntur: circa articulos autem crus, quod ad rectum habitum pertinet, magis deprauatur, quam quibus articulus alio modo luxatur. minus autem femur minuitur, quam vbi in alias partes prolabitur, & quia instrumenta non admodum deprauantur, & quia ipsa cruris actio non multum læditur. Qui autem coxæ cauum acetabulumve inspexerit, non est, quod desideret causam a nobis doceri, quamobrem femoris articulus sæpissimè in interiorem partem moueatur, deinde in exteriorem, rarò autem in priorem, & posteriorem. Nam imum caui non est omnibus partibus æquale; & articulus, qua parte ora humilior est, facilius elabitur. Cum itaque caui altitudo inæqualis sit, ideo, qua minor est, magis procidit, atque ea de causa magis in interiorem partem, qua minor est, in posteriorem rarò prolabitur, qua maior. Non debemus autem Hippocratẽ repræhendere, quod reponere tentet femur à coxa prolapsum, cum iterum protinus elabatur, quemadmodum tum Etesias Gnidius eius cognatus, tum alij nonnulli ipsum capere ausi sunt. In articuli enim femoris commissura ligamentum rotundum validissimum inclusum est, quo summum femoris caput altissimis, atque intimis caui partibus innectitur, ita, vt quis, licet ligamentum ipsum non viderit, possit ex dictis intelligere id breue esse. nam cum femur semper conuertatur in coxa; nec vnquam caui oris excedat, necesse est ligamentum breuissimum esse. Hoc igitur ipsum, dùm naturaliter habet, excidere femur non patitur. Potest autem non abrumpi solum, sed & ob humoris copiam in cauo collectam præter naturam adeo extendi; vt sinat femur sua sede moueri, quod vbi accidat, quamuis statim positum fuerit, non poterit suo loco manere. Nam quum cauum

Marginalia: Accidentia luxationẽ, hanc non restitutã consequentia. — Prognostica. — Hip. & Gal. 3. de art. 68.

cauum deuexum fit, onus verò totius cruris, quod appenditur, graue, leui momento rursus suo loco excedet. Vbi itaq; ligamentum abrumpatur, femur repositum in sua sede contineri non poterit. Sed & illud verè adijceretur, quod commissura genu ab exteriori parte neruosis quibusdam ligamentis continetur: femur verò hoc vno, neque vllum aliud habet tale, quò commissura ab exteriori parte illigetur, sed nec musculos etiam, qui non parum quoque conferunt ad continendos articulos, ne procidant, præsertim vbi boni habitus fuerint, ac validi. Femur igitur abrupto ligamento, quo continebatur, etiam si in suam sedem collocetur, manere non potest, ijs præsertim, qui graciliores fuerint. Verum si ligamentum humoris copia relaxatum excidere femur sinat, idque reponatur, vbi idem humor maneat, similiter erumpet: sed si inarescat, ad naturalem firmitatem reducetur: femur verò ob humorem excidere, & ipse Hip. docet, dum in aphorismis sic inquit. Quoscunque coxæ dolor exercet, his si coxæ articulus excidat, & rursus recondantur, muci superueniunt. Mucis autem in commissura collectis, hoc est glutinoso humore, madefit ligamentum, ac relaxatur. Sed & Gal. quoque femur hac de causa luxatum bis iam restituit, neque amplius postea procedit. Diu autem oportet siccantibus medicamentis commissuram circundare, dum neruus illigans abundè siccetur, ne amplius ita extendatur, vt femur oris caui possit excidere. Sed intus in naturali situ ipsum contineat. Manere autem interdum femur, vbi repositum fuerit, idoneus testis est Heraclides Tarentinus optimè, vt quiuis alius, in medendo exercitatus. Nam in quarto de ratione curandi ea, quæ sunt extrinsecus, Errant, inquit, qui censent femur repositum non manere, quod abruptus sit neruus, qui ad coxam ipsum illigabat, cum in vniuersum rem negent. Neque enim Hippocrates, Diocles, Philotimus, Molpis, Nimphodorus, & alij nonnulli de restituendi ratione tractassent. Sed & nos quoque id consequuti sumus, vt duos pueros sanaremus, quibus sæpius, & magis, quàm ijs, qui ætate iam robusta sunt, excidere articulus solet. id autem accidit, quia non semper neruus abrumpitur, sed interdum relaxatur, & iterum contrahitur. Hæc ille. Sed & post Heraclidem multi alij ex iunioribus restitutum à se femur perpetuo seruatum esse in sua sede testantur. Quemadmodum & nos quoque puerum annorum duodecim, in quo articulus ob externum ictum in partem interiorem proruperat, perfectè sanatum vidimus. In pueris enim ac mollioribus corporibus ligamentum illud rotundum potius laxatur, ac distenditur, quam dirrumpatur, præsertim vbi articulus in partem interiorem veniat, quia tunc minus ab eius acetabulo distat. Ex dictis autem patet, cur in aphorismis scripserit Hip. quod quibuscunque a coxendicum dolore molestatis excidit coxa, & rursus incidit, ijs mucores superueniunt. nam & ligamentum rotundum, & circunstantes musculi ob influentes humores mucosa humiditate replentur, & relaxantur. Dum autem propter causam externam articulus hic prolabitur, quibusdam, vt ait Hip. absque vlla præparatione reuertitur. siquidem leui adhibita intentione, & exiguo motu manibus in suam sedem compellitur, nonnunquam difficulter admodum reponitur, quia propter valentissimos musculos extensio fieri non potest. Quod si luxatio non sit recens, sed callum iam contraxit, quia ossis coxendicis cauitas humore repletur, longè magis reponendi difficultas increscit. Quid autem agendum sit in ijs, qui propter internum morbum luxantur, innuere visus est Hip. dum ita scriptum reliquit. Quibuscunque à coxendicum dolore diuturno molestatis excidit coxa, ijs crus tabescit, & claudicat, si non vrantur, hoc est, nisi prius ferramentis igne candentibus vrendo, mucus ille, qui ossis ischij sinum occupat, absumatur, & laxitas cutis, ad quam femoris caput subinde lubricum procidebat, contrahatur. Vbi itaque femur è coxa elabatur, hæc restituendi ratio bona, iusta, & secundum naturam est, per quam subito ferè ad finem peruenitur, ex pedibus hominem ad transuersam mediæ domus trabem suspendere oportet, vinculo forti, sed molli, ac lato, ita, vt pedes quatuor digitorum spatio, aut minus inter se distantes habeat. Sed & supra genua latum, ac molle lorum circundatum esse oportet, quod item ad trabem illam extendat. Crus autem læsum duobus digitis amplius, quam alterum extentum esse oportet. A terra verò absit caput ad duorum cubitorum spatium, aut paulò plus, aut minus. Manus autem iuxta latera extentæ aliquo molli sint alligatæ. Omnia verò hæc supino iacenti ipsi præparentur, vt quàm breuissimo tempore pendeat. Postquam verò suspensus fuerit, virum peritum, & non debilem, immisso inter femora cubito ita agere oportet, vt cubitum inter caput femoris elapsum, & inter fœmineum, locum-

que

Indicationes, & curatio.

Hip. 4. de ar. 42

Si femur in partem veniat interiorem.

que inter anum, ac pudendum ponat, & postea altera manu ad illam interpositam coniuncta rectus astans ad suspensi corpus de repente se appendens sublimis quàm æquabilissimè dependeat. Debent autem pedes ad tignum sursum spectare, caput verò deorsum vergere, non multum à terra recedens, vt is qui articulum reponit, stans ad reponendum suis vti manibus possit. In hac igitur reponendi ratione omnia secundum naturam sunt, quia corpus ipsum suspensum suo pondere deorsum versus extenditur: is, qui appenditur, in inferiorem partem extendit, & femoris caput excitari cogit è regione sui caui, simulque osse brachij ipsum vrget, truditque, sic, vt in pristinam sedem reuertatur. Necesse autem est, aptissimè vincula inijcere, ea animaduersione, vt is, qui appenditur, validissimus sit. Verum quoniam homines plurimum natura inter se differunt, quantum ad articulos attinet restituendos (quibusdam enim femur absque vlla præparatione reuertitur, & leui adhibita intensione, exiguoque motu manibus in suam sedem compellitur, compluribus etiam, quum crus ad commissuram hanc flecterent, circumactus iam articulus reuersus est; plerunque verò non paret cuiuis præparationi) ideo quæ ad singula efficacissima sunt, in vnaquaque arte scire conuenit, & ea vbique adhibere quæ accommodata videbuntur. Ideo tum in hoc, tum in tractatu de fracturis superius modos diximus, vt quilibet eo vtatur, cuius copia sit. Oportet enim præstanter ab vna parte crus extendere, ab altera corpus: Nam si bene extendamus, femoris caput è regione sui caui excitabitur, quod, vbi sic excitatum fuerit, non facile prohiberi poterit, quò minus in suam sedē reuertatur, ita, vt iam quouis modo impellere, ac dirigere abundè sit. Sed chirurgi sæpius minus extendunt, quam par sit, idcirco maiori negotio reponunt. Non solum autem pedibus inijcienda vincula sunt, sed etiam supra genu, ne hoc magis quam coxæ articulus vinculo intendatur. Sic itaque extendere à pedibus conuenit. Verum vbi altera parte vis adhibetur, non solum circa pectus, & alam iniecto laqueo in contrariam partem attrahere debemus, sed lorum longum, duplex validum, & molle inter anum, & naturale demittere, à posteriori parte ad spinam, à priori iuxta iugulum adducere, & religare, atque ita in diuersa contendere, alijs ab vna parte, alijs ab altera ducentibus. Animaduertendum autem, ne lorum, quod inter anum, & naturale demittitur, super femoris caput extendatur, sed inter femoris caput, & eam regionem, quæ inter anum, & naturale media est. Dum autem intentio adhibetur, femoris caput in exteriorem partem propellendum, pugno ipsi inhœrente. Vbi, qui extendit, suspenditur, vna manu traiecta, & alteri iuncta, simul & extendere debet, & in exteriorem partem vrgere, sed alius ad genu femur in interiorem partem leuiter dirigat. Sed ijs, qui in frequenti ciuitate medentur, expedit scamnum Hippocraticum habere, non solum ad hunc, verum etiam ad alios restituendos articulos, cuius figuram, atque structuram idem Hipp. prope finem operis de articulis nobis scriptam reliquit. Validæ autem extensiones in alijs potius huius femoris capitis luxationibus, & in adultis, quàm in luxatione ad partem interiorem, & in pueris, in quibus, vbi recens, ac modica luxatio sit, possumus manibus ipsis extensionem moliri. Tuncque alter minister debet sub axillis ægrotantis corpus comprehendere, & firmiter renere; alter supra genu ambabus manibus ipsum apprehendere, & extensionem facere. interim dum hæc fit, chirurgus femur ad exteriora manibus impellere debet. Articulo autem huius impulsionis vi explicato, musculi ipsum in suum sinum facilè trahunt, aut, si hi debiles sint, facile chirurgus id præstare poterit. At vbi in exteriorem partem, inquit Hipp. femoris caput exciderit, ab vtraque parte, quomodo ante diximus, extendendum est: sed impellendum per latum vectem; simulque dum intentio adhibetur, ab exteriori parte in interiorem vrgendum vecte ad clunem, ac paulo supra accommodato; & ne corpus cedat, aliquo integræ partis clunem repellente, vel manibus vel alio huiusmodi vecte superimposito, qui cauo illi, quod magis in rem erit, obijciatur. Femoris item luxati, quod ad genu est ab interiori parte leuiter in exteriorem cogendum: sicuti enim suspensio, de qua supra, omnino aliena est, ita impulsus per subiectum lignum videbitur alicui ad hoc genus luxati pertinere, in quo casu ab exteriori parte accommodandum est. quid plura? si commodè rectèque extendamus, rectè item impellamus, quis articulus ita luxatus non reuertetur? Hæc Hippoc. in cuius dictis notat Gal. teretem vectem ad huiusmodi impulsum inutilem esse, quum & latus etiam non sufficiat, nisi qua clunem attingit, talis struatur, quale strui voluit capitulum rotundum, ac leniter cauum super eam spatham, quæ ad reponendum humeri

Si femur in exteriorem partem excidat.

Hip. 4. de artic. 58.

Gal. in com.

humeri caput aptatur. Resimum enim hunc esse necesse est, qua clunem complectitur, non ex toto rectum. At si in posteriorem partem femur exciderit, extendere oportet, & in diuersa diducere, modo iam dicto: imponereque super lignum vestem multiplicem, vt molle admodum sit: & homine prono extendere. Eodem autem momento, quo extenditur, per asserem cogendum, non secus, atque vbi spina gibba est, ita, vt asser sit è regione clunis, seu supra, seu infra coxam magis collocetur. cauum verò in pariete è regione asseris non sit, sed magis deorsum spectet ad pedes. est enim repositio maximè secundum naturam, & valentissima. Satis etiam fortasse fuerit aliquem pro assere insidere, vel manibus vrgere, vel pedibus repente consistere, attollique quo tempore intentio adhibetur. Impulsio enim per asserem femoris caput deorsum, & subinde à posteriori parte in priorem compellit. Idem efficeret, qui qua prominet femoris caput insidens magna vi cogeret. Sed nisi clunis eminentia luxato capiti hæreat, nihil hominem iuuabit. Hæc igitur curatio virum summæ diligentiæ, ac prudentiæ postulat. Si verò in priorem partem venerit, idem conuenit extendendi modus: sed aliquis manu admodũ strenua, & maximè peritus, sublimiore vnius palmæ parte inguen adurgeat, eandemque manu altera comprehendat, simulque quod excessit, in inferiorem partem trudat, simulq; femoris partem, quæ ad genu est, ad anteriorem partem compellat. aptissimum est autem omnia hæc, & extensionem ipsam homine resupinato adhibendam esse. Hic enim modus maximè naturæ conuenir. Sed & ille, qui hominem suspendit, prope etiam naturæ aptatur: in quo necesse est, vt ille, qui appenditur, non ignarus sit, ne brachio articulum impellat: sed inter partes naturales, & anum iuxta os sacrum appendatur. Modus autem restituendi per vtrem non adeo ab Hippocr. & Galeno probatur. In tota autem arte Medicinali id imprimis dare operam oportet, vt quod malè habet, ad sanitatem perducatur. quod vbi contingere possit pluribus modis, ille eligendus est, qui omnium minimo negotio comparatur: hoc enim officium est probi viri, & plus habet artificii, nisi quis in popularem auram incumbat. In ijs itaque exerceri debemus, quæ promptè ad curationem accommodantur, ita, vt quamuis necessarii copia sit, neque alterius ex propositis, excogitare per nos aliquid simile possimus. Quod si vincula ex loris non sint mollibus, & quæ facilè tractentur, sed tantum vel catenæ, vel funes nautici, aut domestici, fascijs, vel panniculis laneis ea maximè parte amplius obuoluere oportet, qua inijci vinculum debet, & vlteriorem quoque postea deuincire. Adhæc super lectum, qui ex ijs, quorum copia est, firmissimus sit, & maximus rectè homo extendatur. lecti autem pedes, vel qui à capite, vel qui à pedibus sunt, vel ab exteriori, vel ab interiori parte fulciantur, ita, vt fulcra limini firmiter hæreant. Sed ad alios pedes collocetur lignum quadratum transuersum, quod pertineat ab vno pede ad alterum, ac, si tenue sit, ad pedes lecti deligetur, si crassum, sine vinculo relinquatur: posthæc vinculorum capita, tam eorum, quæ versus caput procedunt, quam eorum, quæ versus pedes, vtraque ad pistillum, vel simile lignum vinciantur. Vincula autem vel rectà iuxta corpus porrigantur, vel paulò etiam superiora, conuenienterque à pistillis intendantur. quæ erecta sint, sic, vt vnum limini obijciatur, alterum ligno, quod adiectum est. Sic igitur ad pistilla per se attracta adhibere vim oportet. Satis autem esset loco liminis, & ligni appositi, scala, quæ gradus firmos haberet, lecto subiecta, vt pistillis hinc, & inde admotis, vincula extenderentur. Reponitur etiam hoc modo femoris articulus, siue in priorem, siue in interiorem partem eruperit. Scala desoditur, cui homo insidet integro crure leuiter extento, & qua commodè poterit, alligato: vitiato cruri vas fictile appenditur aquæ plenum, vel calathus, in quem coniecti lapides fuerint. Est & alter reponendi modus ad eos, quibus femoris caput in interiorem partem luxatur. Transuersum lignum inter duas columnas deuincitur, quantum res postulat, sublime, & ab vna parte extra columnam cubitum porrigitur, deinde homo vestimentis pectore obuoluto super eam partem transuersi ligni, quæ extat, collocatur, ac pectus per latam habenam ad columnam deuincitur, integrum crus ab aliquo tenetur, ne subuertatur, sed affecto appenditur res aliqua, quæ grauitatem habeat conuenientem, vt supra dictum est. Ante omnia verò sciendum omnium ossium commissuras sæpe sinu, & capite contineri, & in alijs sinum cauum esse, & oblongum: in alijs parum desidentem. Semper autem restituere conuenit omnes articulos, qui exciderunt, protinus, quum adhuc calidi sunt, vel certe quàm celerrimè. nam qui reponit facilius, & citius reponit, & æger minorem

Marginal notes: Hip 6. de ar. tex. 59. — Ad articulũ in posteriorem partẽ luxatum. — Si articulus in priorem partem lapsus. — Tex. 61. — Notãdum. — Quæ interioni firmiter adminiſtrandæ præparãda sint.

minorē molestiam sentit, vbi priusquam locus intumuerit, articulus restituitur. Perpetuo item vbi reponendus articulus est, emolliri ante debet, & dimoueri. sic enim promptius reuerti consueuit. Vbicunque autem reponitur, imperanda abstinentia est maxima, vbi maximus fuerit, & difficillimus ad reponendum: minima, vbi exiguus, & facile recondatur.

Victus ratio.

De Genu luxatione. Cap. VIII.

Differentiæ. *Signa.*

GENV, vt Hippoc. & Galenus tradunt, tres patitur luxationis differentias, interiorem scilicet exteriorem, & in poplitem: quarum vnaquæque maioris, & minoris differentiam suscipit: quia, vt ex iisdē colligimus, ossa genu vel toto loco mouentur, vel paulum excedunt. Has verò ex collatione genu oblæsi cum sano, & pari, & praua figura, ablatoque, vel languido membri motu, & ex cauitate in loco insolito, tumoreque in loco contrario haud difficulter cognoscimus. Scribit autem Hippocr. quod si non redierit genu, cum retro quidem excessit, conflecti nequit: sed neque admodum id potest, cum alias in partes excidit: femoris verò, & tibiæ pars anterior imminuitur. Si interius prolapsum est, valgiores euadunt, & exterior pars minuitur. Si exterius, magis vari, & minus claudi fiunt: crassiore autem osse gestantur; hisque ab interiori parte imminutio fit. Plerumque autem, vt idem ait Hippoc. genu articulus in interiorem partem mouetur, interdum in exteriorem, nonnunquam in poplitem quæ mutationes vniuersæ difficiles non sunt. Qua enim parte articulus magis adstringitur, ea minus elabitur. Perfectè igitur à priori parte adstringitur, qua patella est. hanc ab exteriori parte continet lata quædam chorda, cuius initium est à ligamentis, quæ à priori parte femoris sunt. Ea verò per totam patellam fertur, ac tibiæ capiti innectitur. Priorem igitur partem commissuræ genu, & patella, & chorda, & quæ ad tibiæ caput pertinet, optimè tuentur. Sed posteriorem exquisitè rotundam astringit caput eius musculi, quo curatur crus. Est quidem hic musculus exiguus, & ob id ipsa commissura absconditus anatomicos latet. Maximè autem crassum caput habet, quod validissimis ligamentis constat. Supersunt duæ partes commissuræ genu, exterior, & interior, quæ nulla tali tutela sepiuntur, quali prior, & posterior. atque idcirco femur in eas prolabitur, magis autem in interiorem, vt quæ minus septa sit. Quamuis autem ob dictas causas, articulus hic non adeo facilè prolabatur, nihilominus si cum cubiti articulo, qui pariter per ginglymon componitur, conferatur, ossa, inquit Hippocr. quæ in genu articulo sunt, ob eius naturæ modum, sæpius excidunt, & facilius reconduntur. Ossium enim, quibus vtraque commissura continetur, structura arctior est in cubito, laxior in genu. Huc accedit, quod multi processus, multique sinus inter se commissi vndequaq; cubiti commissuram adstringunt: at in genu femoris tubercula in exiguos, ac resupinatos tibiæ sinus conijciuntur. iure igitur articulus hic magis prolabitur, & celerrimè reuertitur. Ob id inflammatio non magna supernascitur, neque articuli vinculum. Cum enim inflammatio oriatur, qua ossa expelluntur, & qua in suam sedem collocantur, in genu, cum vtrumque facile, & sine magna vi incidat, inflammatio non oritur, quæ, cum absit, articuli vinculum non sequitur. Illud enim oritur: quia articulus ob quasdam inflammationis reliquias ita ægrè mobilis reddit ur, vt alligatus esse videatur. In cubiti autem commissura, quum tenues extremitates processuum cubiti interdum confringātur & vbi excidunt, & vbi conduntur; quumque multorum concursus sit, vinculum articuli grauius oritur, & curatu difficilius. Quum enim chordæ, ac ligamenta, quæ ipsum illigant, comprehendunrque & extendi & in omnibus promptè sequi musculos articulum mouentes non possint, sed propter duritiem in contrariam partem attrahant, affectus vinculo similis proficiscitur. Vbi itaque ossa genu vel toto loco mota sunt, vel paulum excesserunt, casus multò mitior est, quam vbi ea, quæ in cubito sunt, vel toto loco mouentur, vel paulum excedunt. Nam pro magnitudine tenuior est articulus femoris, quam humeri. nam in commissura genu extremum quidem femur insinuatur, tibiæ verò caput recipit. nam quum hæc femori subiecta sit, duo eius tubercula, duobus cauis admitti respondentibus, quæ media aptè distinguuntur cartilagine quadam neruosa, femur ea parte in duos rotundos processus finitur æqualis magnitu-

Hip. & Gal. 3. de fractur. 6r. & 4. de art. 49. tex. & com. 51.
Tex. 61.
Gal. in com.
Hip. 3. de fractur. tex. 59.
Gal. in com.
Tex. 51.

magnitudinis,ac figuræ,qui in duos tibiæ sinus ęquales conijciuntur.& quia vtrumque extremum femoris scilicet ac tibiæ situm est è regione totius ossis, ea de causa iure inquit Hippoc. articulum hunc iustam naturam habere. Superius enim femoris caput,quod cum coxa coniungitur,neque è regione femoris est (videtur enim in interiorem partem proiectum) neque magnitudini eius respondet, cum multo plenius sit femur,quàm humerus, ac nihilominus summum caput humeri longè maius sit, quam femoris. At neque ipsum humeri caput è regione humeri situm est. Quod si ceteras spectes commissuras,nullam inuenies habere omnem æqualitatem,quam in genu proposuimus. Si itaque in exteriorem,vel interiorem partem erumpat,super sedile aliquod humile collocare hominem oportet, crure sublimiori quidem,sed non multo. Ferè autem satis est modicè extendere,crus scilicet ab inferiori parte, femur a contraria. Facta extensione, vt articulus reponatur,ad contrariam partem eius, in quam venit, prolapsum articulum repellere oportet. At vbi reponimus,si quædam eminentia ossis non longè extat,os,quod reponendum est,dirigere conuenit. Simili modo,quum in poplitem prolabitur,eadem ratione conditur, atque vbi in exteriorem, vel interiorem partem mouetur. membro enim in diuersa diducto,articulus, qui excidit in priorem partem, adurgendus. Si tamen luxatio imperfecta sit minor, vel nulla requiritur extensio,quia sufficit ad partem contrariam articulum impellere. Quemadmodum verò in recenti luxatione, & puerili ætate extensio manibus potest moliri, ita in adultis, ac maiori luxatione habenis, & machinamentis obeunda est. Genu quoque repositiones,vt Hip. scriptum reliquit,fiunt vel ex repentina conflexione,vel ex calcitratione,vel si in rotundam aliquam molem fascia conuoluta, ac super poplitem imposita crus eo tempore fuerit adductum. In hac enim commissura non ita periculum imminet,vt ossium supercilia, ac processus frangantur, vt in alijs dearticulationibus contingere solet. Potest etiam si moderatè extendatur, cum in posteriorem partem prolapsum est,non secus,ac cubitus reuerti. Cum verò hac,vel illac excessit,ex conflexione,vel ex calcitratione reconditur. Restitutio tamen,quæ extensione moderatè fit,communis omnibus est.

Tex.53. *Tex.61. & 62.* *Gal.in com.* *Hip.4.de artic.tex.50.*

Indicationes, & Curatio.

De Pedis, & ossium ad ipsum spectantium, ac digitorum luxatione. Cap. IX.

QVAE in pede contingunt luxationes,sic,vt in manu,& cognoscuntur, & curantur. Cum enim pedis articulus in partem interiorem,exteriorem, anteriorem, ac posteriorem,quemadmodum & manus ipsa,prolabi possit,si in interiorem veniat, ima pars pedis in exteriorem partem vergit:contrà verò si in partem exteriorem excidat. Si autem in priorem id accidat,tunc tendo,seu corda illa lata, & robustissima,quę calcaneum inflectit,& summum pedem extendit,dura admodum euadit,& intenta: prærerea pes minor euadit,quia ..., & articulus in priorem partem promouetur, & multam pedis partem occupat: vnde pes minor, & breuior fit. Si demum in posteriorem luxetur, calx pene reconditur, quia articulus ad calcem elapsus est, & planta maior, & longior euadere videtur. Quæ quidem signa cum intensiora, & clariora sunt, perfectam; cum remissa, & obscuraq; imperfectā luxationem arguunt. Signa autem communia, vt sunt eminentia,& concauitas insueta,& dolor, & motus abolitio ac oblæsio, consulto omittimus, cum ex alibi dictis supponenda sint. Quemadmodum verò pedis articulus facile luxatur, ita etiam faciliter reducitur ad pristinum locum, sed difficulter firmatur propter ossium articulum componentium multitudinem. Sæpius autem ad exteriorem & interiorem partem prolabitur. Ossa verò digitorum pedis rarius luxantur,quia multis,ijsq; robustissimis ligamentis, ac tendinibus fulciuntur. Pedij autem & tarsi ossa ferè nunquam luxationem incurrunt,quia firmissimè ad inuicem alligata sunt. Et idem de calcaneo dicendum est. qui non nisi,dum quis ex alto desiliens vehementer ipso innititur,& non sine ligamentorum distuptione,& partium ambientium contusione, è proprio loco dimouetur. Dum autem aliquis erumpit ex digitorum articulis,vel aliud quidpiam ex ijs ossibus,quibus continetur pars pedis,quæ inter talos,& plantam est, omnia hæc

Differentiæ. Signa. Prognostica. *Hippoc.2.de fract.tex.12*

viginti diebus perfectè ad sanitatem perducuntur, exceptis his, quæ cum tibiæ ossibus communionem habent, vel ex eius regione sita sunt. Interim verò iacere conuenit, non tamen id sustinent, qui morbum paruifaciunt, sed ingrediuntur, priusquam conualescant, eoque fit, vt plerique non bene sanentur, sed subinde languoris sensu aliquo tententur, & id quidem non iniuria: ferunt enim pedes onus corporis totius. Vbi ergo nondum conualuerunt, si inambulant, articuli, qui moti sunt, male confirmantur. & hac de causa subinde ossa dolent, quæ cruri iunguntur. Porro, quæ cruris ossibus iunguntur, ceteris maiora sunt, & cum mouentur, longiori tempore confirmantur, sed medendi ratio eadem est. Hi autem quadraginta diebus ex toto conualescunt, præsertim si iacere sustinent; sin minus, in eadem mala incidunt, quæ superius posita sunt, atque etiamnum grauiora. Quicunque verò facto saltu ex supernis calcaneo innitentes se firmarunt, sic, vt ossa disparata sint, & venæ humores effuderint, & nerui contusi sint, si grauiter hæc acciderint, periculum est, ne syderatione seu corruptione accedente per omnem vitam affligantur: obtorta enim fiunt ossa, nerui autem inter se communionem habent. Quin & quibus fractis aut ex vulnere, vel in tibia, vel in femore, aut neruis exolutis, qui his communicant, aut ex negligenti decubitu, calcaneum fuerit denigratum, etiam his maximæ recrudescentiæ ex talibus fiunt. Quandoque etiam ad corruptionem, syderationemque accedunt febres acutæ, singultuosæ, mentem percellentes, etiam mortem inducentes, & insuper venarum sanguifluarum liuores. Signa autem recrudescentium (id est rursus reuertentium) sunt, si effuso sanguine suggillata, & denigrata, & vicina his, subdura, ac subrubra fuerint. Quælibet enim inflammatio rubicundiorem, duriorem que cutem efficit, quorum neutrum opus est affectis partibus. mollis enim esse debet, ac subuiridis sanguis à venis transfusus, si debeat citra inflammationem suppurare. Quare, si etiam cum duritia liuescant, periculum est, ne denigrescant. Si verò subliuida sint, aut etiam liuida, mollia, & diffusa; aut cum virore subpallida, ac mollia, hæc in omnibus talibus bona sunt. Si enim membrum molle sit, & non rubeat, inflammationem abesse demonstrabit. & proinde suppurantis sanguinis signum erit carentia vtriusque coloris, ruboris scilicet & nigritiei nam vbi ruber est, inflammari: vbi ex toto niger est, neque supurari, neque concoqui se à natura denunciat, sed concretum esse: hoc enim ei accidit, vbi diutius extra venas maneat. contrà si à natura superetur, vertitur in pus, & subuiridis euadit, & duritie caret, eò, quod inflammatio non est admodum vehemens. Si verò natura vincatur, putrescit, atque corrumpitur. Pedis autem talique luxationes, vt ait Hippoc. valida extensione, vel manu vel alijs huiusmodi adhibita indigent, directionceque, quæ simul vtraque efficiat, quod quidem omnibus est commune. Vnde pro huius articuli circa malleolos luxati vehementi extensione, in puerili corpore, & recenti malo ministrorum manus sufficiunt, dummodo vnus pedem, alter tibiam manibus appræhendat, extendatque, & chirurgus prolapsum os in contrariā partem impellat. Sin autem machinamentis, & habenis aut id genus alijs opus sit, nulla potiora, & accommodatiora præsidia, & meliores extendendi modi excogitari possunt ijs, quæ in cruris perfracti extensione in proprio de fracturis sermone ex Hip. mente proposita fuere. Diutius autem, vt monet Hipp. post repositionem in lecto se contineant, vt per dies quadraginta. Si enim celerius, quàm oporteat, ingrediantur, antequam scilicet laxata, ac distenta ligamēta adstringentib. roborentur, quia talus, & pes, vt superius diximus, totius corporis onus fert, periculum imminet ne leui de causa in eandem recidant laxationem; vel diuturno tempore pedem imbecillū percipiant. Tandem concludit Hip. quod quæ in pede cōtingunt, sic, vt in manu curantur. Eadem item ex tibia communicatio si exciderit, aut ab ortu, aut cum crescunt, sicut in manu fit. Quare si quis erumpat ex digitorum articulis, vel aliud quippiam ex ijs ossibus, quibus continetur pars pedis, quæ inter talos, & plantam est, compellere, & restituere singula in suam sedem oportet, quemadmodum in manu. Notat autē Gal. quod quæcunque vndique prorsus resoluta sunt, vbi sua sede mota in superiorem (quod sæpius fit) vel inferiorem pedis regionem veniunt (quod rarissimè propter cutis pedi subiectę duritiem, & crassitiem accidit) ægrè reconduntur: Si quando autem (quod rarò accidit) recondantur, semper magno negotio in sua sede seruantur. namque vbi os rursus vehementer moueatur, nihil erit, quod ipsum contineat, vtpote solutum ligamētis, quibus alligabatur; quæ si non fuerint ex toto abrupta (non enim luxatur, nisi ligamenta, per quæ cum proximis connectitur, abrumpantur)

Margin notes: *Tex. 15.* — *Hip. 4. de artic. 53.* — *Hip. 4. de ar. 52.* — Curatio. — *Vide Hipp. & Gal. 2. de fract. à tex. & com. 39. vsque ad 60* — Ad pedis, talique luxationem. — *Loc. cit. 2. de fract. 12.* — Ad reliqua ossa, quæ inter talos, & plantā sunt luxata. — *Hip. 2. de fract. Curat. 10.* — *Gal. in com.*

pantur) sed aliqua ex parte integra, sicut euenit, quibus procidere solet, distendentes totum pedem vrgebimus. Tum cerato, subdit Hip. mederi, pannis, fasciisq; non secus, atque vbi frangitur, excepto, quod omittendæ ferulæ sunt, eodemque modo adstringere, ac tertio quoque die alligari. Is autem, qui deuincitur, similiter atque in fracturis adstringi se respondeat, vel laxari. Pluribus autem fasciis, pannisque vtendum est. Vt enim ossa, quæ reposita sunt, suo loco maneant, solent tum fasciæ, tum panni circundati, præsertimque cum loci inæqualitas alligari ferulas non sinit. Fere autem hinc atque hinc vincire conuenit, adstringereque sicuti cetera omnia ea parte potissimum, qua os prolapsum est, primumque ibi fascias circumagere. Vbi enim os fractum in aliquam partem conuertatur, si ad dextram inclinet, ad sinistram adducendum, si ad hanc spectat, ad dextram vrgendum; sed vbi ligare pedem oportet, in neutram partem debet vinculum inclinari, quum ossa, quæ sua sede excidunt, non ad latera, sed ad superiorē, vel inferiorem (quod tamen

Tex. 13. rarissimè accidit) partem conuertatur. Quotiescunque verò vinculum soluitur, multa aqua calida fouendum. In omnibus autem, quæ iuxta articulos sunt, affectibus, liberaliter calida aqua perfundenda est, vt dolor, qui maior in affectibus articulorum oritur, leniatur. quod ad laxandum vel adstringendum pertinet, iisdem temporib. eadem indicia se ostendant, quæ in superioribus: resoluere item & rursus deligare similiter, vt in fracturis, expedit. Hi autem quadraginta diebus ex toto conualescunt, præsertim, si iacere sustinent; sin minus in eadem mala incidunt,

Hip. 4. de artic. 65. quæ superius in prognosticis posita sunt, atque etiamnum grauiora. Quod si aliquis ex digiti articulis excidat, quicunque sit, eadem est, & æqualis reponendi ratio, maiores tamen articuli semper ægrius restituuntur. Excidunt autem in quatuor partes, vel sursum, vel deorsum, vel vtrinque ad latera, sed maximè in superiorem partem, minimè in latera, quod accidit, vbi vehemēter moueantur. Quod si à latere protumpant, ab ea parte in quam veniunt, quasi capitulum rotundum conspicitur, & leniter cauum: si in superiorem partem prolabantur, quum hic locus lenior sit, quàm qui à lateribus, simulque procedentium articulorum excessus paruus, facilius reconduntur. Reponendi autem ratio sic habet: Summus digitus fascia, vel aliqua tali re inuoluitur, sic, vt ne, dum intenditur, extrema parte præhensus dilabatur. Quo inuoluto, vnus eam regionem, quæ super primam pedis partem est, alius inuolutam partem ad se vterque valenter attrahat, simulque excedens articulus in suam sedem compellatur. Si à latere excidat, ratio extendendi eadem est. Vbi enim videbitur loco excessisse, simul dum intentio adhibetur, protinus in suam sedem cogendus est: sed interim alius ab altera parte debet digitum repellere, cauens, ne in eam rursus prolabatur. Reposito articulo debes quā citissimè deuincire fascia tenuissima, inuncta cerato, quod nec nimis molle sit, nec nimis durum, sed moderatè, cum quod durum est, à digito recedat; quod liquidum, & molle, digiti calore tabescat, & resoluatur. Soluendus autem digiti articulus tertio, aut quarto quoque die, & in vniuersum si inflammatio locum occupauerit, frequentius soluendus est; sin minus, rarius, quod communiter de omnibus articulis intelligendum. Confirmatur autem digiti articulus decimo quarto die. Et eadem curatio est digitorum manus, & pedis. Quicunque verò articulus recondatur, debet homo inedia, ac tenui victu vsque ad septimum diem vti. Semper autem quiescere vitiatum articulum conuenit, & quàm optime figurari. Eos autem, qui ex superiori loco saltantes calci vehementer insistunt: quia his ossa diducuntur, venæ sanguinem effundunt, carne circa os attrita, & tumor magnus oritur, & dolor (hoc enim os exiguum non est, extansque è regione sub tibia, coniungitur venis, & neruis grandioribus, posteriorque chorda huic ossi innectitur) Hos curare oporter, ait Hippoc. cerato, pannis, fasciisque: adhæc calidam aquam largè infundere, fasciarumque numerum augere, tum aliis vti optimis præsidiis, & maximè lenibus. Quod si cutis, quæ calcem regit, naturaliter tenera est, relinquenda est quomodo se habet: sin dura, & crassa, qualis in quibusdam conspicitur, æqualiter succidenda est, atque extenuanda, non tamen vulneranda. Quia enim ratione neruorum, & tendinum, quæ calci inmituntur, periculum iminet inflammationis, & conuulsionis: Ideo curatio diligentissima esse debet, quo ad victum tenuem, & quo ad modum calidæ aquæ perfundendæ, & quoad cutis crassæ incisionem. Hæc enim magna cum moderatione incidenda est. Cum enim dura incidatur, altitudo plagæ debet duritiei altitudinem æquare. occalescit enim quibusdam, ita, vt ne paululum

Ad digitos luxatos. (margin)

Ad calcaneum luxatum. (margin)

Hippoc. 2. de fract. 17. (margin)

Gal. in com. 18. (margin)

paululum quidem sanguinis fundat, nisi scalpellus altè admodum demittatur. Illa igitur secanda est, quæ sanguinem non fundit; quæ verò statim cruenratur relinquenda est. Nam, si secetur, dolet. Atque neque in illa, quæ dura est, quouis modo, sed æqualiter incidere conuenit, id, quod ex ipsa cute durum est. Spectare autem tria debet, qui æqualiter incidit, primo longitudinem sectionis, deinde altitudinem, tertio interuallum. Sectiones autem æquè longæ, atque altæ sint oportet, & æquè inter se distantes, vt vniuersa cutis, quæ pedi subiecta est, sine tormento inflammationis tempore similiter distēdatur. Quemadmodum enim liberalis aquæ calidæ perfusio, cui oleum copiosè sit adiectum, saluberrima est, ita secanda cutis scalpello eatenus altè demisso, vt hęc minimè cruentetur. Sicuti enim in alijs partibus vehementer inflammatis cutim scalpello exasperare: partim educentes aliquid eius sanguinis qui in inflammatione superat; partim expirationem efficientes, partim laxantes, quæ sub inflammatione distendebantur: ita in pede inflammatione nondum orta, festinamus ad cutim incidendam, eò, quod durissima sit. Vbi verò talis est, nequit sub inflammatione amplius extendi. Ob id dolebit hæc, & valde premet iutentione quadam proximas partes, præcipueque latam chordam, quæ illi iuncta est. Conuenit insuper eadem de causa cutem hanc tenuem reddere: quod fit, si molliatur eius durities, & multitudo exhauriatur. Ad hæc ambo valet oleum, aquaque calida copiosè infusa. in perfusione verò, priusquam vinculum detur, olei, quod nullam adstringendi vim habeat, inunctio. Hæc autem, subdit Hippoc. bene alligare non cuiuis est. Nam si quis vinciat eo modo, quo cetera circa talos vinciuntur, fascia modo ad pedem data, modo ad ipsam chordam, ea scilicet deligatura, qua ad medicamenta continenda vti consueuimus, circumactę fasciæ compressio, calcem, qua ictus fuit, expellet, & ob id hæc vinciendi ratio maximè damnanda, tum quia ante fascias nihil ibi imponatur, quod continendum sit, tum quia calx virio non vacat, sicut in eo casu, qui eam vinciendi rationem requirit, sed ipse calx primo læsus fit. quare hæc ratio vinciendi, quæ ad calcem sanguinem exprimat, ipsum expellit. At contrarium fieri debet. Sanguis enim à calce ad partes, quæ iuxta sunt, per vinculum expellendus: quam rem ea solum vinciendi ratio præstat, quæ ad fracturas pertinet, qua nunc vtitur Hippocr. priori prorsus damnata, quia sub ea periculum est, ne os calcis corrumpatur, & sphacelum contrahat, vbi enim os ex toto corrumpitur, Hippoc. sphacelon vocat: quod vitium ossibus accidit, vbi a superiecta carne perniciosa fluit sanies, quæ hæc ipsa irrigando corrumpat. Hoc autem vbi accidit, morbus per totam hominis ætatem perdurat. Quinimò etiam si hoc modo non corrumpatur, sed ob causas superius in prognosticis allatas nigrescat, diuturna tamen res est, & molesta, & subinde recrudescit, nisi summa diligentia, & longa quiete attendatur. Calcis itaque corruptionis, & propositorum in prognosticis symptomatum causam esse affirmat Hipp. alienam vinciendi rationem, quæ duplex caput habet: vnum quod calcem non comprehendit, sed nudum relinquit; alterum, quod partes, quas complectitur, arctius adstringit. Vbi itaque ictus vehemens admodum fuerit, casusq; videatur asperior (plerunque enim leuiter collidūtur, neque ita magnam diligentiam exigunt, sed curari tamen rectè debent) omnia iam proposita efficere oportet, fasciamque maxima ex parte ad calcem dare, & modo circa extremum pedem modo circa medium, modo etiam circa crus obuoluere: tum quæ his proxima sunt, hinc, atque hinc omnia comprehendere, neque arctè admodum deligare, sed linteorum numerum augere. Dum enim non possumus arcta adstrictione vinculi firmitatem moliri, id fasciarum numero efficimus. Debemus itaque superantes succos à calce ad alias partes depellere, hunc vincientes, vt in fracturis docuimus, fasciamque maxima ex parte ipsi obuoluentes, non tamen nimis arctantes. Vt autem corporis superfluitates ad superiores, contrariasque partes reuelleret, Hip. dum patiens febre vacabat, aut saltem ea continua non detinebatur, albo veratro, quippe quod vomitum excitat, eodem die, vel certè posteriori vtebatur. neque id ab re, cum maximum periculum immineret, & suo tempore tutò sumeretur propter vitæ genus otiosum, nec intemperans, sed laboriosum, & sobrium, vt nullo modo crassos succos attraherent. Verum quoniam nostra tempestate propter otiū & propter copiosa alimenta crassi succi in corporib; aggregantur, & vt ait Gal. fallacissimum est, veratrum album exhibere, antequam corpus victu attenuante præparetur, ideo, dum febre carent, aut ea continua non laborant, interualli tempore licet quam citissimè, & primo, vel secundo die vomitum mitioribus ciere, veluti

Margin notes: *Tex. 19.* (beside "detur, olei…"); *Recta vincēdi ratio.* (beside "plectitur, arctius adstringit"); *Tex. 25.* (beside "tiam exigunt…"); *Com. 27.* (beside "modo crassos succos…").

ſunt in robuſtis corporibus antimonium optimè præparatum ad grana duo, vel circiter, in debilioribus naturis agaricum præparatum cum oxymelite, aut ſuccus raphani, vel flores geniſtæ. Vbi autem febris non intermittat, à purgatione abſtinendum, & victu adeo tenuiſſimo vtendum, vt & à cibo, & à ſorbitione omnino abſtineat, & ea potione vtatur, quæ Græcis oxyglices vocatur, vel etiam mulſa, aut oxymelite, dummodo neruoſæ partes vitiatæ non ſint, quia hæ aceto tentantur. Fit autem oxyglices, ſi faui expreſſo melle in ollam conijciantur, in qua pura aqua ſit; tum inferueant, donec omnem prorſus humorem in aqua poſuiſſe videantur. Venam autem brachij eiuſdem lateris aperiendam eſſe, clariſſimum eſt, dummodo æras id promittat: ſi enim non permiſerit, ſacrificatis cucurbitulis ſupernis partibus applicitis ſupplere oportebit. Pedem verò expedit ita collocare, vt reliquo corpore plerunque paulo ſublimior habeatur. Saneſcit autem ſexaginta diebus, ſi quieſcat. Ne itaque ſanguis ad ipſum confluat, & inflammationem excitet, ſublimior omnino pes continendus eſt, non tamen multò. dolet enim ſi diutius hac ratione contineatur. Sublimiter igitur figurandus eſt, quatenus non doleat. Hoc autem comperies, ſi tendi pedem ſenties, vbi paulò altius contineatur. Verum quoniam calcis os non ſolum ex praua vinciendi ratione, & propoſitis affectibus vitiari ſolet, ſed etiam ex eo, quod calx diu iacuerit, ſæpe nigreſcit, quando negligenter fuerit collocatus (id autem euenit, vbi ſuper quapiam re dura continetur, neque ſubinde attollitur, ſed ijs, quæ ſubiecta ſunt, cõtinenter calefit, premiturque) idcirco attollendus eſt, inquit Galenus, mutanduſq; orbiculus ex lana molli, quem nonnulli ex Græcis Trophion dicunt. Eius autem cauum reſpondere debet magnitudini calcis, quo orbiculo ita calx ſulcitur, vt imum eius attollatur ne comprimatur, ne incaleſcat, neque expirare prohibeatur. Verùm quoniam nonnulla ex ijs, quæ à primo natali die ſua ſede mouentur, ſi parum exceſſerint, reſtitui poſſunt, præſertimque ad pedis articulos, ideo de ijs quoque ſcribendum erit. Quibus itaque à primo natali die crus varum eſt, id eſt in exteriorem partem conuerſum, plerique ſanabiles ſunt, niſi ita magnus exceſſus ſit, aut pueris adultioribus res incidat. Commodiſſimum itaque eſt, his celerrimè ſubuenire, antequam & pedis oſſium, & carnis in crure magna admodum defectio ſequatur. Modus ergo eius vitij, ſub quo pes varus fit, non ſimplex eſt, & vnus, ſed multiplex. Plerunque autem varus redditur, non quod articulus ex toto luxatus fuerit, & eſt huius vitij modus vnus, ſed quod pes conſueuerit re aliqua exceptus figurari. Neque enim alienum eſt deprauari tenera, & veluti cerea infantium oſſa, prauè à nutricibus figurata, cũ in cunis collocantur, quodammodo contorta, vel pluribus velamentis inuoluta, vel ſic, vt à quibuſdam etiam vrgeantur, à quibus omnibus deprauationes fiunt. Hæc autem in curatione animaduertenda ſunt. Os cruris circa malleolum, quod extrinſecus eſt, quodque poronin Græci uocant, ad internam partem detrudendũ, ac dirigendum, & calcanei os, quod è directo illi ſubiacet, id eſt, cruri, quod ſuper ipſum naturaliter ſitum eſt, ad externam partem retrudendum, quo oſſa, quæ eminent, & exceſſerunt, ſibi ipſis occurrant iuxta medium, ac obliquum pedem, id eſt, & in medio, & à latere pedis. Digiti enim omnes vnà cum pollice repente in interiorem partem inclinandi, atque ita cogendi ſunt. Deligare item conuenit, adhibito cerato, quod reſinam copioſè acceperit, & faſcijs mollibus non paruis, neque admodum arctatis. nam ope cerati reſinati faſciæ cuti melius inhœrent, & partes corporis magis ſiccantur. Ex faſciarum autem inhœrentia ſequitur, vt partes, quæ curantur, immobiles, vt compoſitæ ſunt, ſeruentur: Ex eo verò, quod partes ſiccantur, vt ſpiſſentur, & confirmentur: quæ res etiam compoſita fideliter tuetur. Faſciæ autem molles adhibendæ propter corporum infantium ſcilicet mollitiem. leuiterque adſtringendæ, ne vehementer arctatæ comprimat mollia adeo corpora. quia verò minus arctantur, plures faſciæ inijciuntur. nam vinculi firmitas vel preſſu, vel numero faſciarum comparatur. Non ſecus autem circumagenda faſcia eſt, quam ſi pes manibus dirigendus ſit, vt paulo magis valgus, qui varo opponitur, appareat. non enim in dirigendo, quæ compoſita ſunt, in naturalem ſedem exquiſite reſtituta ita relinquenda, ſed paulò vltrà compellenda, vt ad contrarium eius loci, in quem diu peruerſa ſpectarunt, à nobis impulſa conſiſtant in medio, quod prorſus ſecundum naturam fuit. nam ſi collocata in hoc dimitterentur, ad diuturnam deprauationem redirent. Sola item ad ſtabiliendam iuncturam, conficienda eſt, aut ex pelle non multum dura, aut ex plumbo: alligandaque non vt cuti inſideat, ſed poſtrema lintea

Hip. 4. de artic. à tex. 2. vſq; ad 15.

Puerulorũ, qui crura vara, aut valga à ſui ortus initio nacti ſunt curatio.

Vari ac valgi pedis cautæ.

circundan-

circundantur. Vbi iam alligaueris, caput vnius ex fascijs, quibus vincitur, è regione minimi digiti assuendum est, illis fascijs, quæ sub pede sunt: &, dum moderatè se habere videatur, fascia sursum ducta circa posteriorem cruris partem, quæ carnosa prominet, voluatur, & ita firmiter maneat.. Sed, vt vno verbo dicam, quasi veram fingamus, debemus, & manibus in naturalem sedem compellere, & vinculo similiter non magna vi, sed leniter adducere. Hæc Hipp. qui quidem è regione minimi digiti, id est, ab exteriori parte pedis fasciam appendit, quam attrahit ad posteriorem partem cruris, quæ carnosa prominet, quia pedi varo medetur. Quod si valgum, id est, in interiorem partem conuersum curaret, ab altera parte fascia caput assueret: quoniam inclinare pedem oportet in contrariam partem, atque conuertitur, sic, vt, quæ extra spectant, compellantur intrò: quæ intrò, similiter in contrariam regionem cogantur. Assuendæ autem fasciæ sunt, vt, quomodo opus est, suspendantur. alia enim deprauatio, & claudicatio, aliam reparationem & suspendendi, seu appendendi viam postular. Vbi enim pes in interiorem partem spectet, ita suspendendus est, vt extremum crus in interiorem partem compellatur. Vbi in vtramuis patrem paulum excesserit, appensa fascia, moderatè in cõtrariam partem cogi debet. qui longè à naturali situ recessit, validius repellendus est. Constat autem infantibus, cum diriguntur, id calceamenti genus maximè idoneum esse, quod ad vnguem pedem excipit, & carnem non comprimit, ad quam rem spectantes parare idoneum calceamentum poterimus. Calcei tamen ab Hipp. è plumbo præcipiuntur, qui supra iuncturam, & deligationem ad alligentur ad formam crepidæ Chiæ, quibus opus non est, ait ille, si quis manibus rectè componat: rectè item fascijs alliget; & appensiones, ac reparationes per assuta lintea rectè faciat. Celerius enim opinione hæc vitia huiusmodi curationi cedunt, tempore tamen superanda sunt, dum corpus iusto habitu increscat. Vbi autem ad calceos veniatur, aptissimi sunt, qui per loca luto plena gestari solent. Veniunt autem ad calceos pueri, qui curantur, quum pars, quæ dirigitur confirmata fuerit, & aliquid increuerit, & ossa ipsa non amplius mollia sint. neque enim permittendum est, vt prius inambulent, ne pars ad priorem deprauationem iterum reuertatur: at vbi tutò ingredi possunt, calceis utantur licet, quos Hip. arbylas vocat. Est autem calceamenti genus cauum, quod arctè pedem vniuersum exquisitè vsque ad talos complectitur. Hoc enim calceamenti genus a pede minimè superatur, & coercetur, sed magis ipsum pedẽ superat, ac coercet, cogitque rectum, ac sine inclinatione terræ insidere. Caput autem huius structuræ illud est, vt calceus totum pedem arctè contineat, & abundè altus sit. arctè verò complecti pedem non potest, nisi multis locis findatur. Ob id venatores huiusmodi calceis induuntur, cum per inæqualia loca & saltare, & currere necesse habeant, in quibus obtorquentur, conuelluntur q; iuxta talos, nisi calcei ex toto cuti inhœreant. Quamobrem rationem quoque calceamenti Cretensis idoneam esse scribebat Hipp. In Creta enim calceamenta in vsu erant, quæ ad medium vsque crus pertinebant, in quibus fissa pellis erat multis locis, & ab vtraque parte, dextra scil. & sinistra æqualiter extenta: Extremis autem partibus foramina habebat, per quæ traiectum lorum partes pellis incisas inter se contrahebat. Patet autem huiusmodi calceis pedem cum vniuersa commissura, quæ ad talos est, contineri, atque adstringi. his verò vtuntur venatores, quum in aspetis, & inæqualibus locis currere & saltare coguntur.

Calcei qui nam futuri sint.

De Luxatione cum vulnere: *Cap. X.*

Ad pedem cum vulnere luxatum, & ad summam manum.

VBicunque cruris ossibus cum vulnere luxatis, articuli, qui ad pedem sunt, siue in interiorem, siue in exteriorem partem penitus excedãt, reponendi non sunt. Si enim reponentur, & repositi seruentur, homo paucis diebus moritur. nam pauci septimum diem excedunt: conuulsio enim est, quæ ipsos occidit. Si quis enim extendens os extans reponat, musculi, & ipsa intentione non mediocriter lædentur, & longitudine membri simul distenti dolorem sentient intolerabilem. atque idcirco cum musculi grandes sint, neruorum distentionem sequi necesse erit. Nam & vbi exigui essent, quemadmodum in digitis, neque sic res periculo vacaret. Multi tamen ex his ob summam in curatione diligentiam seruantur. Pede verò cum vulnere luxato, ac

Hip. 4. de artic. tex. 16.

Gal. in com.

Prauæ curationis reprobatio.

reposito seruato, omnia auxilia in cassum adhibentur, quia conuulsi pereunt. Pedem insuper, & crus gangræna præhendit, quæ sic futura esse certum scire conuenit. Superuenit autem gangræna ob inflammationis magnitudinem, cuius rubore recedente, partes liuidæ euadunt, minuique dolor videtur, eò, quod sensus torpeat. Sed vbi, quæ sic affectæ sunt, ex toto sentiendi facultate carent, Græcè id vitium non amplius gangræna, sed sphacelus vocatur. Inter hunc autem, & magnam inflammationem gangræna media est, quæ tanto grauior eiusmodi inflammatione est, quanto leuior sphacelo, sub quo natura membri vniuersa corrumpitur, idemque, vbi iam hæret, curationem non admittit, sed solum à principio, cum nondum sphacelus est, sed magna gãgræna sphacelo vicina. Neque ij, qui hæc cum vulnere luxata reponunt, in exhibitione veratri albi sperare debent; quia etiam si & eodem die, & rursus etiam epotum exhibeatur, & ad quoduis tale, si quid aliud
Tex. 18. maximè idoneum auxilium sit, in eo tamen nullam Hippoc. fiduciam habet. Qui quidem subdit, quod si neque ab initio talia luxata reponantur, neq; tentet aliquis ea reponere, plerique ipsorum superstites euadunt. Quare repositione nullo pacto rentara, crus, ait Hippoc. & pedem fulcire oportet eo modo, quo ipse ægrotans velit. Crus autem & pedem stabiliter collocare oportet, quò spectans, imperat, vt membrum figuremus, quemadmodum maximè cubantem iuuat, dummodo non dependeant, neue moueantur. dependens enim membrum ad affectum locum materiam concitat. Veritus autem Hipp. ne sequatur conuulsio, quam in neruosis partibus dolor maximè infert, eò potissimum incumbit, vt dolor vitetur, & subinde cum tribus modis membrum figurari possit, dependens, rectum, & in superiorem partem spectans, permittit ægro, vt quo pacto velit, crus figuret, modo non dependeat, etiamsi antea præceperat, ut sublime illud duntaxat contineret. Si enim quæ hoc modo vitiata sunt, neque refrigerentur, neque dolore tententur, conuul- Vera curatio.
Tex. 21. sione præhendi minimè possunt. Curatio autem facienda est ceraro, quod picem habeat, paucis pannis ex vino nigro austero madentibus, non valde frigidis. Frigus enim in his conuulsionem concitat. nerui enim facilè refrigerantur, & qui natura frigidi sint, & exangues; & cum læduntur, in distentionem incidunt, cum neque in alia parte distentio incidere possit, nisi nerui afficiantur. Commissuras verò inter alias partes maximè neruosas esse clarum est, in quibus musculi in chordas degenerant. Vtendum autem frigidis non humidis, sed siccis, & terrenam naturam habentibus, quia ad confluentes succos depellendos maximè aptantur. Sed quia calor ad se humores concitat, ideo aduentitia qualitate admouemus, neque illa calefacimus. Quantum verò attinet ad vulneratarum partium affectum, Hippoc. frigidis vteretur, vti etiam in alijs vulneribus, sed quarenus conuulsionem timet, quam afferre frigus solet, veretur ex toto frigida imponere: & ideo adijcit, cum de his lo- Medicamẽta.
Tex. 22. quitur, non valde frigidis. Rectè etiam (subdit ille) folia betæ vel tussilaginis, vel cuiuspiam alterius talis in vino nigro austero semicocta, vulneri atque adiacentibus partibus imponuntur. Tussilago enim quam bechion vocant, cum modicè siccet, proposito affectui, & omnibus vlceribus salutaris est. Insuper cerato tepido ipsum vlcus illinendum: non vt vlceri medeamur, sed ut dolorem conuulsionemq;
Tex. 24. prohibeamus. Quod si hybernum tempus fuerit, lana quoq; succida madens ex vino atque oleo tepido imponenda est. & perfusione insuper vtendum assidua, non solum hyeme, sed etiam æstate, quæ magis perfusionem postulat, quam hyems,
Gal. in com. quum eo tempore his lana imposita magis siccescat. medicamenta autem tepida adhibemus, & oleum adijcimus, quia conuulsionem timemus. Imperat itaq; Hipp. vt hæc omnia assiduè perfundantur: id verò, quo perfundimus, tale esse debet, quale in principio protinus curationis admoueri iussit, nẽpe vinum æstate per se, hyeme cum oleo. caloris autem modum conijcies ex temperamento aeris. Vbi enim valde frigidum fuerit, humoris, qui perfunditur, calorẽ augebis: vbi calidum, remittes. ad calidi verò vsum nunquam Hipp. venit. Quod autem de anni tempore exẽpli aliorum causa ab Hipp. dictum est, idem de regione, ætate, consuetudine, & corporis natura temperaturave statuendum est. nam regio frigida, ætas senilis, vsus eorum, quæ corpus refrigerant, & corporis natura frigidior, hæc inquam omnia idẽ hortantur, ac tempus hybernum, cuius meminit Hipp. Quod si omnia calfaciendũ esse denuntient, calidioribus præsidijs vteris, si refrigerãdum, frigidioribus: sin alia ad calefaciendum, alia ad refrigerandum hortentur, ipsorum numerum, ac vim spectabis, & ita conuenientissimum calfaciendi, & refrigerandi modum conijcies. Deligatio verò nulla, neq; vllum cataplasma adhibendũ est. Probe enim nosse conuenit,

uenit, quod compressio, ac omnis oneris gestatio talibus omne malum affert. Vnde subtrahit in hoc casu Hippoc. non modo eas fascias, quæ primæ iniiciuntur, quas vbique ad fracta, & luxata adhibuit, sed & eas, quæ super lanam voluuntur, quia his vitijs omnimodè alienum est pressum & onus. Ob id sufficit ipsis solummodo lanam imponere, quæ cum mollis sit, & leuis, oneri esse non potest. hoc autem timet non vt qui vlceri medeatur, sed vt qui nudatis, attritisque chordis ac neruis caueat, ne distendantur. Ad talia autem accommodata sunt, & ex emplastris aliqua, quæ cruentis vulneribus iniiciuntur, enæmaque Græcis dicuntur: ea scilicet quæ idonea sunt, quibus videlicet ex ipsis confert, vt lanæ superimpositæ vino madefiant, & multo tempore sinantur. Quæ igitur longiori tempore resoluuntur, & interim dum soluantur perfundi possunt, admoueri præcipuè debent, Eò enim spectandum est, vt leniendi vim habeant. Ex enæmatibus verò ea, longiori temporis interuallo soluere licet, quæ validiorem siccandi facultatem habent, ea tamen cautione, ne ob vehementem vim contrahendo lædant. Vnde opportunum erit medicamentum ex bitumine, quod Barbarum dicitur, si moderata mixtura fuerit. Ex ijs enim nonnulla plus iusto exiccant, & dura sunt. Quæcunque autem enæmata, subdit Hippocrates, paucorum dierum sunt, id est, quæ ex paucorum dierum interuallo soluuntur (talia autem sunt, quæcunque ex propositis infirmiora sunt, quia patiuntur in vlceribus multum colligi saniei, eò, quod non satis exiccent) vel picem accipiunt, non æquè, atque illa proficiunt: nam vulnerum purgatio porrigitur in longius tempus: diutius enim madent. Horum tamen nonnulla vtiliter deligantur. Scire autem apertè conuenit, necesse esse, hominem turpiter claudicare, quum versus partem superiorem pus trahatur, & ossa luxata ab exteriori parte promineant. Neque enim vllum ex talibus ossibus plerunque denudatur, nisi leuiter aliquando: neque abscedit, sed tenuibus, ac debilibus cicatricibus circunducitur: atque hoc si multo tempore quieuerint: sin minus, periculum est, ne vlcusculum insanabile relinquatur. Sed quod ad propositum malum attinet, si hac ratione curentur, seruantur: si articulus reponatur, maneatque in exitium præcipitantur. Et idem prorsus & de prognostico, & de curatione statuendum, si brachij ossa ad manum adiecto vulnere in interiorem, aut exteriorem partem excedant: si enim articulus reponatur, paucis diebus pereunt. Si non reponatur, nec repositio tentetur, longè sæpius liberantur. Cui malo mederi eadem ratione expedit, qua supra diximus. Commissura enim, quæ ad manum est, commissuræ tali respondet; quæ ad cubitum illi, quæ ad genu. Deprauationem verò deformem reddi, & digitos manus infirmos, & inutiles fieri necesse est. Nam digiti, vbi ossa in interiorem partem luxentur, curuari non possunt; vbi in exteriorem, extendi. Cum enim brachium in interiorem partem prorumpit, necesse est digitos versus exteriorem regionem trahi, & extendi: quia exteriores musculi & chordæ extenduntur, sursumque ad humerum trahunt, & flectentibus musculis, & chordis renituntur. fieri enim actio non potest, nisi oppositi musculi ijs pareant, qui agere nituntur. Hinc etiam fit, vt digiti minimè extendantur, cum brachij ossa in exteriorem partem mouentur. Interiores enim musculi, & chordæ vehementer intenduntur, & cum cedere exterioribus nequeant, necesse est exteriorem actionem perire. Sed etiam ipsorum ossium positus cum brachium in interiorem partem elapsum primæ palmæ parti insidet, prohibere flexum potest: cum in exteriorem promouetur, porrectionem. Vbicunque autem cruris *Tex. 30.* os ad genu cute, siue in interiorem, siue in exteriorem partem excedit, quibus reconditur maturius intereunt, quàm alij, licet illis quoque vitæ periculum instet: sed si curationem adhibeas reponere minimum tentans, hac via tantum spes salutis superest. hæc autem ossa eò magis periculosa sunt, quo superiora, & robustiora, & à fortioribus elapsa. Quod si femoris os ad genu luxetur, subdit Hippocrates, vbi ponatur, maneatque, maiori vi, & citius adhuc homo moritur, quàm in prius relatis. Si verò repositum non fit, longè magis periculosum est, quàm priora, sola tamen hæc salutis spes superest. In quibus verbis notat Gal. quod in commissura genu modo crus, modo femur excidit; ad pedem verò crus duntaxat, sicut ad manum brachium. Eadem ratio est articulorum, qui ad cubiti commissuram *Tex. 31.* sunt, nempe cubiti, & humeri. Si enim reponantur, mortiferi sunt: sin minus, res omnino desperata non est: sed ijs, qui liberantur, membrum remanet deprauatum, magis autem mortiferi sunt, si recondantur, articuli superiores: sed & ijdem si non recondantur, alijs similiter sunt periculosiores. Si cui ergo superiores

Ad genu & cubiti cum vulnere luxationem.

articuli

articuli luxati cum vulnere cute excedant, vbi restituantur, celerrimè in exitium præcipitanr: vbi non restituantur,cęteris periculosiores sunt. Curatio autem commodissima est exposita. At quibus digitorum pedis,vel manus articuli luxati cum vulnere cute excesserunt,osse quidem non fracto, sed ab ipsa commissura recedente,si repositi maneant, conuulsionis periculum impendet, nisi rectè pertractentur, curenturque: expedit tamen, vbi prædixeris summa cura, & diligentia opus esse, eos reponere. facillimè autem,& maximè promptè,magnoq; cum artificio reponuntur, si adigatur articulus, quemadmodum in fracturis cum vulnere per vectem curandis superius diximus. Quo facto, quiescere homo debet, cubareque & modico cibo vti: satiusq; est leui aliquo medicamento, quod vomitum citet, ipsum purgare, si digitus in pede affectus sit. Si enim in manu cum vulnere luxetur, magis opportunum est medicamentum purgans, quod per os assumptum per sedem euacuat. Vulnus verò curare oportet aut medicamentis, quæ cruentis vulneribus protinus inijciuntur, ea scilicet quæ perfusioni accommodantur, de quibus supra diximus, aut polyophthalmi, siue buphthalmi herbæ folijs impositis, aut iis, quæ fractis caluariæ ossibus succurrunt. Totius enim curationis caput id esse debet, quod in libro de vulneribus capitis ab Hippocr. ostensum est, in quo dictum est, curationem requiri ficciorem, quàm quæ in vulneribus circa articulos præsertim. Nihil autem induci debet valde frigidum. Ac primi quidem articuli minimè periculosi sunt: superiores magis periculosè læduntur. Eodem autem die restituendi sunt, vel certè posteriori, tertio, aut quarto minimè. Siquidem quarto die malum recrudescere maximè videmus. Vbi ergo protinus non recondantur, his diebus supersedendum est, quia contineri solet, quod intra decem dies repositum est. Si verò reposito articulo, conuulsio suboriatur, articulum statim expellere oportet, & calida quàm sæpissimè humectare, & perfundere, & totum corpus, & præsertim circa articulos, calidè, & leniter, ac molliter tractare. Conuenit item vniuersum corpus magis curuatum esse, quàm extentum. Expectandum tamen est fore, vt repositi digitorum articuli abscedant. Plerunque enim ita accidit, si quæuis inflammatio superueniat. Quare nisi vereretur Medicus, ne vulgo imperitus haberetur,nihil reponere prorsus deberet. Quæcunque verò circa articulos digitorum penitus resecantur, ea plerunque innoxia sunt, si non quis in ipsa vulneratione ex animi deliquio lædatur. His autem vlceribus ratio quęuis, & alioquin non exquisita idonea est. Sed & quæcunque ossa non ad articulos, verum ad aliquam aliam regionem præciduntur, similiter sine noxa sunt, & alijs promptius adhuc curationem recipiunt. At resectiones ossium perfectę circa articulos & in pede,& in manu,& in tibia ad malleolos, & in cubito ad iuncturam manus, plerisque,quibus resecantur, innoxię sunt, si non statim animi deliquium eueniat,aut quarta die febris continua accedat. Cæterum partes, quæ citra finem nigritiei fuerint, vbi iam prorsus emoriantur, & dolorem non sentiant, iuxta articulos excidendæ sunt ea animaduersione, ne quid violetur. Nam vbi qui secatur, dolet, quum nondum, qua secatur, emortuum corpus fuerit, maximum periculum est, ne sub dolore anima deficiat. Eiusmodi autem animi defectio plurimos repente iam sustulit. Sed de ossium, ac emortuarum partium pręcisione & sectione in sermone de gangręna,& sphacelo, tanquam in proprio magis loco, vberius loquamur. Hæcq; de Luxationibus, ac subinde de quibuscunque ossium affectibus sufficiant.

Margin notes: De digitorũ cũ vulnere luxatione. — Tex.33. — Præcidendorũ officiũ præcepta.

*

Finis Libri Quarti.

EVSTA-

EVSTACHII RVDII VTINENSIS.

DE MORBIS EXTERNIS LIBER QVINTVS,

Qui tumores præter naturam complectitur.

De Tumoris præter naturam nomine, atque natura, Caput Primum.

QVONIAM in tumoris nomine distinguendo posteriores Medici, qui in hoc argumento versati sunt, parum accurati fuere, & hac vna de causa, etiam si plurimum laborauerint, eius naturam aperire non potuerunt. Ideo ne eadem calamitas nobis contingat, omnem imprimis, vti semper consueuimus, æquiuocationem è medio tollere, & quid per tumorem præter naturam audiri volumus, cum Galeno, & probis auctoribus declarare conabimur. Neque enim alia via progressus est Galenus. Is enim in proprio de tumoribus præter naturam libello, vt omnem ambiguitatem, & homonymiam effugeret, priusquam eorum tractationem aggrederetur, quid per tumorem præter naturam intelligat, explicare voluit. Nam tumoris nomen, inquit ipse, rem vnam significat ex iis, quæ corporibus nostris accidunt: ita enim spatium, quod longitudinem, latitudinem, altitudinemque habeat, nominant. Verum quoniam tumor hoc modo acceptus ea, de qua agere instituerat, latiorem habet significationem, etiam si tumor tale incrementum habeat, vt naturæ modum excedat: siquidem tales tumores non modo in ægrotantibus quauis in parte; verum etiam in bene valentibus fieri contingunt: idcirco subdit dari tertiam quandam eorum corporum constitutionem, quæ non sunt secundum naturam affecta, quæ quidem constitutio media interiecta est inter ea, quæ secundum naturam, & ea, quæ præter naturam affecta sunt. Exempli causa in hac media constitutione reperitur corpus crassum, mammilla, quæ reliqua maior, necnon alia corporis pars, quæ sua cognomini grandior sit, quia nullus istorum præter naturam affectus dicitur, sed absolutè solum naturæ modum excessisse. Longè autem minus mammæ turgidæ lactationis tempore, aut venter inferior tempore fœtus gestationis increscens præter naturam dicenda sunt. Namq; non solum ab affectu præter naturã, verum etiã ab eo, qui non secundum naturam est, quique à plerisque Chirurgis eis perperam tribuitur, longè distant. nam prorsus secundũ naturam sunt, & naturæ legib. consentanea, cum pro fœtus gestatione, ac nutritione, debito tempore vtraque pars augeri debeat. De his itaque tumoribus, ait Gal. non est prolixiore oratione agen-

Nomen.

Cap. 1.

agen-

agendum, siquidem non Medicis solum, sed cunctis etiam hominibus patet eos à carne, atque adipe modum excedentibus gigni. Sed in hoc libello, subdit ille, nobis propositum est eos tumores, qui præter naturam excitantur, pertractare, siue ij totum corpus, siue quamlibet eius partem occupent. Verum quoniam non omnis tumor, qui præter naturam est, actiones lædit, & subinde morbus est: sed nonnunquam potest esse adeo paruus, vt ratione paruæ magnitudinis actiones nullo modo lædat, ideo Gal. (quippe qui de morbosis tumoribus; non autem de ijs, qui accidentia, & symptomata tantummodo sunt, agere decreuerat) vt omnem prorsus hac in re æquiuocationem euitaret; superiori distinctione non contentus aliam subnectit dicens, se velle de tumoribus quidem præter naturam pertractare, sed hac adhibita distinctione, vt non solum excessus, & magnitudo eorum præter naturam sit; verum etiam operationes lædat, & proinde morbosus sit eorum excessus. Dum enim tumores alioquin præter naturam, quicunque sint, adhuc in fieri consistunt, & adeo parui sunt, vt operationes non lædant, à Gal. in lib. de differentijs morborum, symptomata vocantur, non autem morbi, de quibus in lib. de tumoribus præter naturam tractare aggreditur. Concludit igitur, quod dum magnitudo præter naturam excedit, huius excessus terminus est actionis læsio. Si quis itaque tumorem præter naturam penes iam propositam notionem, & iuxta traditam à Galeno significationem definire velit, is profectò nullam aliam iustiorem expromet, quàm si dicat cum eodem Galeno, tumorem præter naturam esse morbum, in quo pars à naturali habitu in quantitate, seu dicas in aucta magnitudine, recessit. Siquidem in quocunque præter naturam tumore morboso adest aucta magnitudo, seu extuberantia, & prominentia quædam, ratione cuius partis affectæ operatio, & motus potissimum offenditur. Neque vllius momenti obiectio est illa, in qua inquiunt nonnulli, quod erysipelas exquisitum solius cutis est affectus, & non merito magnitudinis auctæ, sed calidæ intemperiei actiones lædat. Nam licet erysipelas exquisitum, vt ait Gal. solam aliquando cutem inuadat; attamen cutem ipsam in sensibilem tumorem attollit, si non ita altum & profundum, vt in cæteris tumoribus, saltem adeo latum, & dolorificum, vt partis actio etiam ratione ipsius lædatur. Quod si quis rursus instet, non ratione magnitudinis auctæ, & influxæ materiæ, sed ratione calidæ intemperiei actionem lædi, instantia est prorsus nulla, primo quia intemperies prout intemperies est, non quidem organicæ partis actionem, de qua Galenus audiendus est, dum tumorem morbosum definit, sed similaris partis actionem per se primò lædit. Secundo si erysipelas exquisitum solam cutem inuadat, & nullam merito magnitudinis actionem lædat, possumus tunc cum eodem Galeno subinferre non esse verum præter naturam tumorem, & morbum, de quo se tractaturum pollicetur, sed esse potius intemperiem cum materia, & proinde esse tumorem non morbosum quidem, sed potius de genere symptomatum. Quæ quidem responsio ex Galeni dictis maximè confirmatur. De erysipelate enim loquens, Non tamen dolet hoc, inquit, veluti inflammatio, neque vt aliqua inflammationis species pulsum, ac compressionem, aut tensionem inuehit similem; sed quandoque valde parum infestat, ac tum præsertim, quando per solam cutem diffusum fuerit, nihil inferiorem carnem molestans: & tale sæpius accidit, atque hoc est exquisitum erysipelas. Hæc ille. Quare si aliquatenus ratione magnitudinis, & influxæ materiæ molestat: ergo aliquatenus operationes lædit: si nullatenus lædat, non erit tumor morbosus, sed symptoma: Morbus autem, cuius merito in exquisito erysipelate actiones læduntur, & cogitur homo decumbere, erit febris erysipelati superueniens. Hac supposita tumoris præter naturam communiter, vt eius nomen sonat, accepti, notione, debemusne in ea cum Galeno persistere, & vt plerique Medicinæ, & potissimum Chirurgiæ Proceres fecere, hanc vnam definire? non profectò, nisi velimus & nos in salebras incidere, &, quod inexpiabile est, omnia confundere, & morbos in soluta vnitate, in via, seu meatibus, in malo situ, & vt quidam ex Neotericis addit, partium, &, si Dijs placet, articulorum quoque (eadem enim & in ipsis ratio est) in alienam sedem prolapsum cum morbosis tumorib. propriè dictis confundere. Quamuis enim omnes tumores præter naturam, qui sub iam proposita notione comprehenduntur, in forma ipsa conueniant, quia in omnibus morbosa extuberantia, & aucta præter naturam partium moles, ac quantitas reperitur; nihilominus penes efficientem causam, quæ proxima, & immediata est, quæque contentiua ab omnibus dicitur (eo, quia ea posita, tumor ponitur; remota, remouetur) longè

Cap. 12.

Gal. 13. metho. 1.

Galen. 2. ad Glauc. c. 1.

Galen. 2. ad Glauc. c. 1.

longè discrepant. Nos verò ab hac potissimum artificiosas, vtilesque indicationes curatiuas hautire debemus, ab aucta verò magnitudine nulla prorsus, quæ vtilis sit, ac vulgaribus ipsis ignota, indicatio desumitur. Pone enim, si libet, ex vna parte scroti tumorem ab intestini prolapsu productum, ex altera inflammatorum tumorem, & item tertio loco aneurysma curandum propone: quænam quæso in curatorijs, artificiosisque indicationibus erit conuenientia? nulla sanè. Nam aneurysma arteriæ constrictionem, aut simile auxilium; scroti tumor intestini in pristinam sedem repositionem; inflammatorius, & quicunque alius tumot, qui viriosi humoris soboles sit, eiusdem humoris euacuationem, reuulsionem, deriuationem, aut interceptionem in via, discussionem, & repercussionem, si nil aliud prohibeat, & id genus alia auxilia indicabit. Quare ad hanc euitandam confusionem, tumores præter naturam propriè dictos, & eos, qui ab Arabibus apostemata, ab Hippocrate œdemata communi nomine appellantur (quamuis Græci eos tantum tumores, qui laxi, & molles sunt, œdemata nominent; per apostemata verò Græci eos tumores intelligunt, qui propriore vocabulo abscessus nuncupantur) & vt summatim dicamus eos, qui non modo in forma ipsa, verum etiam in effectrice, & contentiua causa omnino conueniunt, definire debemus. Ab hac enim tradita natura leui negotio eorum recta curatio promanabit. Sciendum itaque nos tumorem illum esse definituros, qui quidem in externis partibus ex prauæ materiæ influxu succrescit; neque talem solummodo, sed eum, qui molem morbosam, & subinde satis amplam habet, neque solam cutem, verum etiam subiectas ei partes obsidet: Ad differentiam pustularum, quæ quoniam sui natura, & vt plurimum paruæ sunt, & solam cutem inuadunt, fere semper symptomata sunt, non morbi, quemadmodum è conuerso tumores, quos circumscribere intendimus, cum sui natura maiores sint, vt plurimum morbi sunt, non symptomata. Quocirca si dicamus tumorem præter naturam propriè dictum, modoque proposito susceptum, esse morbum ex intemperie, & aucta magnitudine compositum, à vitiosa materia externas partes altius inuadente productum non errabimus, quia præter id, quod exactam ipsius naturam trademus, à qua perfecta eius curatio proficiscitur, omnes quoque eodem tempore dubitationes hac in re contingentes, e medio tollemus. Iam verò vnà cum tumore iam definito intemperiem ipsam, & eam quidem non nudam, sed cum materia complicatam reperiri, non vno in loco, sed plerisque clarè testatur Gal. quorum vnum tantummodo, in quo de huiusmodi morborum differentijs ex professo loquitur, apposuisse sufficiat. Iuxta verò suppositionem secundam, inquit ille, duæ in similaribus partibus sunt ægritudinum differentiæ, cum scilicet ex nonnunquam solis qualitatibus alterantur, nonnunquam verò ad easdem partes aliqua confluente substantia, in qua eædem sunt qualitates, quem secundum modum, ex quo tumor aliquis corporibus aduenit, nemo ferè Medicus ignorat. nam & erysipelata, & phlegmones, & tumorum genera, quæ ab iisdem œdemata, phymata, & phygetla appellantur, & strumæ, elephantiases, scabies, lepræ, vitiligines, tumores duri, in hoc genere, intemperie scilicet cum materia, comprehenduntur. Eundem porrò tumorem auctam magnitudinem, & eam quidem morbosam habere, ex iis, quæ dicta sunt, tam clarum est, quàm quod clarissimum. Nam Galen. de simplicium, seu similarium partium compositis morbis loquens scribebat, quod inflammatio, seu phlegmon membra reddit calidiora, & humidiora, plus quàm eorum naturalis exigat habitus. qui verò in ipsis est tumor, subdit ille, si ad tantam magnitudinem attollitur, vt ob hoc ipsum operationem impediat, tunc iam morbus est existimandus. Si verò ex hoc membrum nullam patiatur in operatione iacturam, accidens tantummodo, & passio ipse censebitur, veluti & dolor. Ad hæc idem Gal. tertiumdecimum de medendi methodo librum exordiens scribebat, quòd cum in tertio, quarto, quinto, & sexto horum commentariorum libro de soluta vnitate præceperit, & postea de iis morbis, qui in intemperie consistunt, vsque ad duodecimum egisset, in tertiodecimo totius operis libro de tumoribus, qui præter naturam incidunt (in quorum numero, qui ab influente vitiosa materia fiunt, principaliter enumerantur) in quibus scilicet partes à naturali habitu in quantitate recesserunt, se velle differere profitetur. Verum hoc in loco oritur dubitatio, quæ quidem tum omnes alios recentiores, tum præsertim Falloppium ipsum perturbauit, & à qua post multum laborem se explicare nullo modo potuit. Ea autem est, quia si tumor est morbus in aucta magnitudine, ergo est morbus instrumentarius: si sic, ergo malè Galenus ipsum inter morbos

Marginalia (left): Definitio. | Definitionis explicatio. | Dubitatio.

Marginalia (right): Hip. & Gal. 1. in 6. epid. 1. & Hip. 4. apho. 34. & Gal. in com. | Galen. lib. de diff. morb. c. 5. 11. & 13. & lib. de inæquali intemper. & 13. et 14. meth. & alijs locis. & lib. de tumo. prat. nat. | Lib. de diff. morb. c. 12. | Gal. 13. metho. c. 1. | Fallop. de tu mor. præter nat. c. 3.

partium similarium, vt in auctoritatibus propositis liquet, enumerauit. Ad hanc tamen dubitationem ex definitione iam tradita nos facillimè respondemus. Nam Galenus non omnes tumores præter naturam inter morbos similarium partium recenset. Nam tumores, qui simplices morbi sunt, & solum merito quantitatis auctæ à modo naturali recedunt, ab ipso inter morbos organicos clarè enumerantur, vt in capite nono lib. de diff. morbor. videre est; sed eos solum inter morbos partium similarium recenset, qui à vitioso succo procreantur, & compositi sunt, quos quidem nos definiuimus. neque enim inconuenit eos tum in similarium, tum in organicarum partium classe connumerare, cum ex similari, & organico morbo componantur. Nam prout influens ipsorum humor est qualitate donatus, efficit intemperiem cum materia, & morbum similarem dictum, prout idem humor partem replet & distendit, & in magnitudine auget, morbum instrumentalem creat: Et ob id in lib. de diff. morbor. eos ponit in numero similarium; in tertiodecimo libro de meth. medendi in numero organicorum proponit. Sed rursus quæret quis, cur, dum loquitur de morbis compositis in lib. de diff. morbor. eos non proposuit in numero compositorum morborum partium instrumentalium, sed solum ipsarum partium similarium? Dicimus iure optimo diuinum virum id egisse. cum enim de compositis morbis verba faceret, non poterat nisi eos in classem compositorum morborum similarium partium collocare. Omnes enim huiusmodi tumores per se primo, & perpetuo morbi compositi sunt similarium partium, etiam si vlcere, & soluta vnitate, quæ communis tum similaribus, tum dissimilaribus partibus morbus est, careant. Vna quidem ratione, quia omnes à superfluo humore, seu calido, seu frigido procreantur, à flaua quidem bile, erysipelas; ab atra verò cancer; à sanguine autem inflammatio; à pituita tumor laxus, œdema Græcè dictus. Alia verò, quoniam nunc dicti omnes humores ersi formam rei humescentis præ se ferant; vim tamen habent, atra quidem bilis frigidam, & siccam; flaua verò calidam, & siccam; pituita frigidam, & humidam; calidus & humidus est sanguis. Tertia verò ratione, quoniam omnes simul comminiscentur, & rarò admodum ex ipsis vllus purus, syncerusve consistit. Multiformiter igitur omnes huiuscemodi ægritudines compositæ fiunt. & semper per se primo morbi compositi sunt similarium partium: quia sunt intemperantię compositæ cum materia, & ea vt plurimum diuersi generis inuicem complicata. Sola verò ipsorum aucta magnitudo non potest efficere morbum compositum organicarum partium: quinimò, vt superius diximus, nonnunquam hæc magnitudo aucta adeo parua est, vt neque morbum efficiat. Sed dato, quòd morbosa, etiamsi cum intemperantijs diuersi generis, & ijs quidem cum diuersis materiæ generibus complicatis coniuncta, & composita consideretur, non tamen ab hoc morborum aggregato consurgit morbus compositus, qui per se primo organicæ partis compositus morbus sit. Hoc autem clarè testatur, ac declarat Galenus his verbis. Inflammatio enim, inquit ipse, primorum est corporum ægritudo, exarticulario verò instrumentorum. Quando igitur aliquod membrum luxatur (& quod Gal. de luxatione ait, idem nos possumus de aucta magnitudine enunciare) simulque inflammatur totius quidem instrumenti primò ægritudo est exarticulatio, inflammatio autem non primò, neque propriè, sed ex accidenti tantum. Quoniam enim inflammatio singularum eius partium ægritudo est, fit, vt ex accidenti totius etiam instrumenti sit ægritudo. Et paulò infra clarè colligit, quod cum similarium partium ægritudines ex accidenti toti organo attribuantur, cum vna quæpiam ex ipsis morbo aliquo composito laborauerit, & hic ex accidenti totius instrumenti erit ægritudo composita. Ex tradita insuper definitione clarè constat, quomodo ambiguitates omnes, quæ possent afferri sponte corruant, & tumores propriè dicti à reliquis vitijs seiungantur. Nam neque in aneurysmate, neque in varice, neque in hernia omentali, aut intestinali, neque in tumoribus, qui propter luxata ossa consurgunt, vlla reperitur intemperies, & insuper morbi isti non vitiosam materiam, sed longè diuersam causam habent; quemadmodum etiam sarcomata ipsa, & carnosi omnes tumores, & intemperie carent, & à sanguine ipso, non autem à vitioso succo fiunt. Et si quis obijciat, inflammationem a sanguine oriri: sanguinem autem vitiosam materiam non esse: Huic responsum esse volumus, sanguinem quidem non esse prauum, & vitiosum, donec in venis permanet: at quamprimum venas tenuiores & capillares in phlegmone egreditur, & partium spatia, & porositates replet, tam primum putrescit aut corrumpitur, & prauus; & quod

Margin notes: Solutio. — Alia dubitatio. — Responsio. — Galen. lib. de differ. morb. c. 12. — Gal. lib. cit. c. 13.

quod omnium sectarum, teste Galeno, commune est, saltem calidior, quàm pro natura sit, & subinde vitiosus efficitur. Pustulæ pariter, quæ morbi non sunt, & solam cutim inuadunt, à definito tumore secluduntur, quia hic morbus est, & non solam ipsam cutem, sed exteriores partes in plurali numero, & altius ipsas obsidet. Quæ autem sit huius tumoris forma, dum diximus esse morbum ex intemperie, & aucta magnitudine complexum, declarauimus. Eius verò causam efficientem proximam, & immediatam, atque contentiuam posuimus, dum asseruimus ipsum à vitiosa materia produci. Materialem demum attulimus, quia diximus vitiosam hanc non quidem internas, & occultas, ad differentiam internorum tumorum, sed externas partes obsidere. Non possumus autem in plurimorum Medicorum errore conniuere, quos tantus stupor oppressit, vt materiam vitiosam, quæ contentiua, & efficiens proxima tumoris præter naturam causa est, tumoris causam materialem esse arbitrati sunt. Cum enim & intemperies ipsa, & aucta magnitudo, & vno verbo, omnis morbus accidens sit, accidentia sublata subiecta materia, in qua consistunt, nullam aliam habent causam materialem. Memini vnum aliquando de his præclaris Sophistis mihi respondisse, has esse nugas penitus Dialecticas, quæ Medicinam contaminant, & aliud esse Medicè (hæc fuere ipsius formalia verba) aliud Philosophicè loqui. Sed quid ineptius dici potest, cum Medicæ speculationes sint omnino philosophicæ? Videat ille, quid scripserit Gal. Semper enim, inquit ille de causis procatarcticis verba faciens, necesse est, vt sit cōuentus alicuius patientis, quod vicem materię habeat, & alterius, quod circa ipsam agat, & efficientis rationem teneat. & hoc eget instrumento, si alicuius gratia egerit. Si quis enim calcitratus in pugna fuerit mortuus: qui calcitrauit, causa effectrix mortis fuit: instrumentum crus fuit: materia corpus illius, qui fuit calcitratus. At quum ex frigore continentis aeris vel æstu læditur quispiam: aer continens effectrix causa est, materia corpus, quod afficitur. hæc Galenus. A pari dicendum, si dum pars morbo, & tumore afficitur, materia est membrum, & corpus, quod afficitur: ergo materia praua, seu prauus succus in parte infixus non erit tumoris materia, seu, vt clarius loquamur, materialis tumoris causa, sed est efficiens proxima, quam contentiuam vocant.

Gal. 13. metho. 2.

Gal. 14. metho. 2.

Galen. lib. de caus. procatar. c. 1. versus finem.

De tumoris præter naturam differentijs, & causis.
Caput II.

TVMORIS porrò differentiæ vel propriæ sunt, vel impropriæ. Propriæ verò essentialesq́; , a quibus curatiuę & vtiles sumuntur indicationes, ab eius natura omnes fluunt; & proinde vel ab eius forma & intemperie cum aucta magnitudine complexa, vel ab eius subiecta materia, & externis partib. tumore correptis; vel tertiò ab eius effectrice causa, siue ea continens sit, quam vitiosam materiā esse diximus, siue antecedens, siue procatarctica, aut alia magis remota erunt desumendæ. A forma ipsa differentiæ oriuntur ab intemperie, vel aucta magnitudine. Ab intemperie, prout tumores vel calidi sunt, vel frigidi, vel humidi, vel sicci, & subinde vel molles & laxi, vel duri, & renitentes, vel his intemperantijs simul mixtis donati sunt. Has autem qualitates magis rursus, ac minus suscipere clarum est. In magnitudine verò differunt, quia nonnulli maiores sunt, alij minores. Qui maiores sunt, hi verè, & magis proprio vocabulo, quod est alioquin omnibus commune, tumores vocitantur, quemadmodum qui minores sunt, tubercula dicuntur. Insuper alij profundiores sunt, & altiores habent radices; nonnulli magis superficiales: alij latiores, & depressi; quidam anguſtiores, & acuminati, seu fastigiati. Ex subiecta quoque materia, & partib. ipsis affectis tumores inuicē discrepant, quia vel sunt vniuersales, & totū corpus occupant, vti sunt elephantiasis, & anasarca: quorū hic totius corporis ędema; ille verò totius cācer est: vel sunt particulares, & vnicam, circūscriptamq́; corporis partē obsident: Quæ quidem pars vel est præcipua, vel principali membro inseruiens, quales sunt glandulæ, seu adenes, quæ quidem principalium partium emunctoria sunt, ob idq́; laxæ fuere creatæ. Si pars sit præcipua, prout diuersa est, diuersi quoq; fiunt tumores, vt ophthalmia, quæ oculi est inflammatio, quemadmodum cynanche gutturis,

A tumoris forma.

Tumores.

Tubercula.

A loco affecto.

Elephantiasis.

Anasarca.

Ophthalmię, Cynanche, & consimiles partium tumores.

& sic de reliquis. Si laxae partes, quas glandulas vocant, afficiantur, oriūtur phygetla, phymataque, & glandulae ipsae. Sed quae in inguinibus oriuntur, peculiari nomine bubones nuncupantur. Ab effectrice verò causa aliae rursus, eaeq; potiores capiuntur differentiae. Cum autem haec vel continens sit, & proxima, vel antecedens, & remota; vel procatarctica, aut huiusce generis, quae remotior adhuc sit, si de continente sermo fiat, quae causa efficiens proxima, & immediata est, ab hac, quae quidem materia vitiosa est in affecta parte infixa, & impacta, vtilissimae oriuntur, praecipuaeque differentiae. Omnium enim tumorum, qui praeter naturam sunt, varietas, inquit Galenus, ex eius, quod influit, natura enascitur. Vbi enim flatulenta materia copiosior accessit, flatuosi magis tumores fiunt: Phlegmone verò magis similes, vbi sanguis: sicuti Erysipelati, vbi flaua bilis: & Oedematosi magis, vbi pituita: similiter Scirrhosi, vbi vel crassus, vel vehementer lentus humor est, qui parti est infixus. Haec ille. Quare, vt distinctè progrediamur, & nulla huiusce classis differentia nos effugiat, sciendum hanc vitiosam materiam posse esse vel vaporosam, vel non vaporosam; sed magis corpulentam. Si sit vaporosa, est potius frigidus, & crassus vapor (calidus enim & tenuis facilè transpirat) siue pituitosus sit, siue melancholicus, qui quandoque sub cute, quandoque sub circumossalib. membranis, quandoq; in ventre, in scroto, aut alijs partibus colligitur, eumq; tumorem creat, quem Graeci Emphysema, Arabes apostema ventosum vocant. Si non sit vaporosa, sed potius corpulēta, tunc potest esse vel humorosa, vel ex humore genita. Si sit humorosa, potest esse vel humor sanguineus, vel biliosus, vel pituitosus, vel melancholicus, vel ex his mixtus. A succo autem seu humore sanguineo diuersi tumores fiunt, prout sanguis diuersimodè se habet. nā vel syncerus est, vel mixtus: & dū est syncerus, vel est laudabilis, & ad alendū idoneus, vel est illaudabilis & vitiosus, & alendo corpori non idoneus. Si itaq; sanguis syncerus, & pro succo alimentali, & à reliquis succis distinctus accipiatur, vti saepius accepit Gal. & insuper laudabilis sit, dum in partem aliquā praeter naturam confluit, quia putredinem aliquam, & subinde feruorem acquirit, oritur tumor ille, quem Graeci Phlegmonem, Latini inflammationem appellant. Neque nos turbet Gal. dum inquit ex sanguine ipso feruidiori, & tenuissimo erysipelata oriri: quia per sanguinem feruidum, & tenuissimum, non succum alimentalem, sed ichorem sanguineum, fibrisq; omnino destitutum (secus enim tenuissimus non esset) & perinde excrementitium succum nutritioni penitus ineptum intellexit. Fit autē ichor hic sanguineus, dum ab aliqua morbosa causa in corpore consistente sanguis alimentalis funditur, & iusto feruidior redditur, vt ob id & tenuior & feruidior ipso sanguine euadat. Quem Gal. interdū rubram bilem nuncupauit. Prout enim calidior & tenuior est, potest bilis nomine insigniri; ratione verò coloris, & materiae, ex qua gignitur, rubra dici potest. Dum itaq; sanguis purus & laudabilis est, exquisita Phlegmone fit. Phygetlō verò phlegmone est in adenū locis emergens, maximè verò in ceruice, in alis, aut in inguinib. Sed in inguinibus exoriens peculiari nomine Bubo appellatur: Ex iisdem verò causis, ex quibus phlegmone oritur, & iisdē signis cognoscitur. Fere autem fit aut post febres, aut post dolores alicuius partis, qui fluxionem in adenes prorītant. Vult autē Gal. quod propriè phygetlon sit id quod erysipelas particeps inflāmationis, aut inflāmatio erysipelatis nominetūr. Phlegmones exquisitae species quoq; sunt, Ophthalmia, quae in oculis; Parotis, quae post aures; Parulis, quae in gingiuis, aliȩq; ex partib. affectis propria nomina adeptae. Phyma verò tumor adenum est simplici phlegmone, atq; phygetlo aliquāto maior, & planior. Sed, vt ait Gal. eius plures sunt species: Vel enim statim augetur, & ad suppuratione festinat, & cum vehementia quadam exilit, quia tunc calidior est: vel frigidus, siccusq; est: vel inter hos cōsistit. permulta enim phymata inter haec extrema consistunt; alia quidē exactè media illorū, quae diximus, alia à medio in vtramq; partem paulum inclinant: aliqua plus idē faciunt: nonnulla summis vicina, vel à medijs quodāmodo, & summis pari spatio absunt. Si verò syncerus, sed illaudabilis existat, tunc oritur Carbūculus, Anthrax Graecis dictus, qui in classe sanguineorum tumorum ab omnibus locatur. Nam tuberculum est, quod ex sanguine profecto originem ducit, sed non eo tenui quidē, & laudabili, sed crasso, ac nigro, calido tamen, feruente, atq; corrupto. Dum enim feruet, secundum partem crassam in nigram, secundam tenuem in flauam vertitur bilem. Hic in quamcūq; partem inuaserit, eam mox exurit, pustulasq; circum se ardentissimas, acerrimasq; ciet, & tandem ardoris vi crusta vel nigra, vel cinerea obducitur. Huic partes vicinae longo saepe tractu consentiunt, caloris, dolorisque participes.

Valida

Margin notes (right): Ab effectrice causa. — Causae coniunctae & proximae. — Emphysema, seu apostema ventosum. — Tumores sanguinei. — Phlegmon seu inflammatio. — Dubitatio. — Phlegmone non exquisita. — Phygetlō. — Bubo. — Parotis. — Parulis. — Phyma. — Carbunculus.

Margin notes (left): Galen. lib. de tum. pr. n. & 2 ad Glau. c. 1. & 13. meth. — Galen. 1. de cris. 12. & lib. de tumo. pr. nat. cap. de phlegm. — Galen. 2. ad Glauc. c. 1. — Gal. loco cit. — Galen. 2. ad Glauc. c. 1. — Galen. 2. ad Glauc. c. 1. et 1. de cōp. per gen. cap. 16.

Valida quoque febris accerſitur: inflammata tamen pars nunquam ſuppurat, ſed feruore exuſta corruptæ carnis lobum tandem excutit,& vlcus cauum,ſordidumq; remanet: quo vno maximè à cæteris ſeiungitur tuberculis. Carbunculorum alius ſimplex, qui è ſolo ardore, ſimpliciq; putredine naſcitur: Alius malignus, qui his etiam iungit venenatam qualitatem: talis in peſtilentia graſſatur, de quo ſuo loco dicemus.

Furūculus. Furunculus porrò Dothien Græcis dictus, Tuberculum acutum eſt cum inflammatione ac dolore, ouum columbinum magnitudine non excedens, & proinde phymate minus,ſed acutius, rubentius,ac dolore grauius. Phlegmones veræ ſpeciem exhibet, ſed eius exiguæ,& quæ vix infra cutem deſcendat,atque ſubiectæ carnis minimum comprehendat. Suppurat autem perinde,ac phlegmone, hincq; à ſimplici carbunculo diſcernitur.Fit autem non vt phlegmone è probo ſanguine,qui in particulam vi quadam irruat: ſed è craſſo & vitioſo,non perinde tamē atque in carbunculo exuſto,quem à reliquo puriore natura ſecernens tanquam in ſenſam & inutilem in corporis ſumma propellit. Quocirca,vt phlegmone plenitudinis,ſic furunculus cacochymiæ ſoboles eſt; raroq; fit,vt hic ſolitarius erū pat, ſed ferè multis corpus ſcatet, & inquinatur.

Therminthus. Terminthus verò apud Oribaſ. phymatis ſpecies eſt,cum tamen ex feruido,præaſſatoq; ſanguine prorumpat,carbunculi genus quoddā,ſed magnitudine minor,& prauitate leuior apud quoſdam ſtatuitur:ei enim puſtula incumbit nigra,ac rotunda,quæ ardore in ſquamā abit. Si autem ſanguis non ſyncerus eſt, ſed aliorum humorum particeps, fiunt phlegmones ſpuriæ, hoc eſt,eryſipelatodes, œdematodes,& ſcirrhodes, prout ſanguis cum bile,aut pituita,vel melancholia permiſcetur.

Tumores bilioſi. Si verò humor bilioſus ſit, animaduertendum bilem (quæ ad differentiam ſucci ſanguinei excrementitia eſt) poſſe eſſe vel cum alijs tribus humorib. permixtam, ſed prædominantem,vel ſine aliorum humorum mixtione.

Eryſipelas non exquiſitum. Si cum alijs mixta ſit, tunc fit eryſipelas phlegmonodes, dum permiſcetur cum ſanguine;vel œdematodes,ſi cum pituita,vel ſcirrhodes,vbi cū melancholia iuncta ſit, quemadmodum ſi alius humor cum ea permixtus dominetur, tumoris,qui ab illo humore promouetur,nomen ſibi vendicat,vt ſi,verbi gratia,cum ſanguine bile mixta,ſanguis in miſcella dominetur,vocatur phlegmō eryſipelatodes, vti ſuperius quoque diximus,& ſic de cæteris dicendum.

Eryſipelas. Si verò non ſit cū alijs tribus humoribus permixta,tunc,vt ſæpius teſtatur Gal.à flaua bile creatur eryſipelas exquiſitum, necnon etiam herpes. *Galen.lib.de tumor. p.n. 9. 2.de diff. febr. 5. 2.de criſ.12.& 2. aph.2. Lib.de tum. pr nat.c.9.* Si enim flaua bilis cum ichore, vel ſero permiſceatur (quæ quidem non propriè humores, ſed humorum vehicula potius ſunt) tunc Eryſipelas generatur:

Herpes. Si verò ſyncera ſit,& à quacunque alia materia ſeparata non modo humoroſa, verum etiā ſeroſa,herpes gignitur,ignis ſacer à Celſo vocatus. Quam quidē veritatem ex Gal.colligimus. Cum enim fluxio bilioſa,ſcribebat ille de eryſipelate loquens,aliquam in partem decumbit, ſi accuratè bilis ſit, cutim exulcerat (vnde herpes creatur); at quæ aquoſas ſanies (per quas ſeroſitatem,quæ primæ coctionis in ventriculo factæ naturale excrementum eſt,intelligit,quæ dum cum bile miſcetur, eſt in cauſa, vt pallida euadat) aut ſanguinem mixtum habet, ea tum minus acris eſt, tum partem in maiorem tumorem attollit, quàm vt vlceret: hoc eryſipelas, illud herpes nominatur. Quando enim cum ſero, vel cum ſanguine permiſcetur, minus mordax euadit, & proinde partes non exulcerat. Sed dum, ait Galenus, aut ſanguinem miſtum habet, per ſanguinem, vt ſeipſum explicat, duplicem ſanguinem audire debemus, id eſt, vel ichorem ſanguinis, qui quidem ſuccus excrementitius eſt, & morboſus, (non enim neceſſariò in corpore reperitur, ſicuti ſanguis) & tunc fit eryſipelas exquiſitum; vel ſanguinem alimentalem,& probum, & eryſipelas non exquiſitum, ſed phlegmonodes vocatum procreatur. Si verò flaua bilis,ait ipſe,copioſa ſit,& omnino ſyncera,& à quacunq; alia materia ſegregata, vt ſcilicet non modo ſit ab alijs tribus humoribus principalibus ſecreta; verum etiam à quolibet ichore, & ſeroſa ſanie, ſeu excremento ſeroſo, quod eius mordacitatem refrangat, tunc in partibus externis non amplius eryſipelas gignitur, inquit Galenus: ſed ſi hæc bilis flaua omnino impermixta, & accuratè bilis ſit, herpes producitur.

Herpes exedens. & ſi ſit craſſa, calidiorque, fit herpes exedens.

Herpes miliaris. Quod ſi aliqua ex parte ab ea caliditate, craſſitieq; deflectat, Galeno auctore, herpes miliaris dictus generatur. Ex quibus colligimus,externa eryſipelata triplicem generationem habere: quia vel à bile pallida,id eſt cum ſeroſitate miſta; vel ab eadem bile miſta cum ſanguinis ichore, quem Gal. nonnunquam calidiorem ſanguinē vocat,vel tertio ab ichore ſanguinis ſolo ortū ducunt. Interna autem eryſipelata, præter tres iam relatas,quartā quoq; generationem habere poſſunt: quia partes

neruosæ, membranosæ, atq; robustæ possunt etiam corripi erysipelate exquisitissimo, quod à syncera omnino bile ortum sit, idque sine vlcere, quia propter substantiæ robur duritiemque, & caloris innati copiam talem humorem sine soluta vnitate possunt diutius sustinere. Herpes verò, quem etiam Papulam quidam vocant, à syncera bile fit. & ob id ardor est cutem ipsam serpentibus minimis pustulis exasperans, ac rodens. qui quidem duplex est, vti diximus: vnus simplex, qui herpes est miliaris: alter ferox, qui herpes exedens, à Græcisq; Esthiomenos dicitur. Nam hic ruptis pustulis veram cutem exulcerat, rodit, atque depascit, & serpit in latum atque in altum, ex eoque vlcuscula manent arida. Mitior verò, seu simplex cutem exasperat, & sub epidermide consistit, exiguas illic pustulas excitans, quæ minimum extant, aut prominent, milio, à cuius similitudine, vt Galenus ait, vitium hoc nomen desumpsit, non absimiles.

Galen. lib. de tum. c. 9.

Herpes exulceratus erysipelati summè affinis est, vt ideo nonnulli in idem genus confundant: hoc tamen discriminis intercedit, quod erysipelas conspicua fluxione de repente emergit; herpes verò seu papula sensim, multoque tempore, nec conspicua fluxione efflorescit. Erysipelatis pustulæ aridæ sunt, à quibus ruptis nec sanies, nec pus exit; Herpetis verò exulceratæ, & humidæ, quæ saniosum pus effundunt. Herpes pruritu, Erysipelas dolore & ardore torquet. Omnis autem Herpes diuturnus est, prorsus febris expers, nec nisi tempore sanescit: Erysipelas verò ferè cum febre est, præceps, & quod breui tempore soluitur. Vtriusque herpetis, vt diximus, materia bilis est syncera excrementitia, eaque calidior, & acrior, quæ sensim, nulloque fluxionis impetu è venis expurgata, tenuitate partes omnes, præcipueq; carnosas transgreditur, dum densiorem cutem attingat. At verò crassior, atque glutinosior est, quàm in erysipelate, ac proinde diutius, atque tenacius in cute hæret, atque subsistit. Quæ igitur glutinosior fuerit, simulque acrior, in cute tota remoratur, pustulasq; mouet, quibus ruptis exulcerata cute, herpes ferus emergit. Tenuior verò etiam cutem penetrat, coerceturq; in sola epidermide, quam si sudoris modo nequeat transire, erodit, & pustulis intercursantib. exedit. Quamuis autem herpetes de pustularum potius sint genere, hoc tamen in loco de his agere voluimus, nedū propter sermonis affinitatem, quam cum erysipelate habent, verumetiam propter curationis conuenientiā, & quia omnes fere chirurgica mala pertractantes de erysipelate, & herpete simul, & eodem loco verba faciunt. Quinimò huc quoque pertinent pustulę, quæ Phlyctenæ Gręcis dicuntur.

Phlyctenæ, vulgò ignis syluester dictæ.

Repente enim emergunt subflaui humoris copia distentæ, bullarū modo lucidæ, & iis similes, quæ ab aqua feruida, vel ab igne ambustis erumpunt, non manifesto tamen dolore graues. His ruptis humor excidit, crustulæq; obdurescunt, dum sanescant. Has constat non nisi ex feruētissima bile gigni, quæ ignem virib. suis adæquet, vt ob id vulgus illas ignem syluestrem appellarit.

Tumores pituitosi.

Si verò humor sit pituitosus, tunc pituita vel tenuis est, vel crassa. Si tenuis sit, vel est humorosa, vel potius aquosa, fluida, atque serosa. Si humorosa sit, ita, vt aliquā consistentiam habeat, vel alimentalis est, vel excrementitia. Si alimentalis sit, & proinde crudior, pituitosusq; sanguis existat, qui aut iecoris, aut assumptorum vitio gignitur, is in nutriendas partes illapsus, nec in earum substantiam conuersus, sensim cumulatus redundat, partemq; tumore distendit, ac ferè retinet prementis digiti vestigium, eumq; pituitosum tumorem creat, qui rectius à nonnullis tumor œdematosus, quàm simpliciter œdema nuncupatur.

Tumor œdematosus.

Ita sanè in tabe, in cachexia, & in Leucophlegmatia modo pedes, modo reliquum corpus omne tumidum euadit. Vnde cum tumor diffusus, expansusq; sit, rectius œdematosus tumor dicitur.

Oedema exquisitū.

Si sit excrementitia, verum, & exquisitum fit œdema: qui quidem est tumor vnus collectus, & circumscriptione definitus, & proinde propriè, & simpliciter œdema nuncupatur, qui quidem non ex sanguine pituitoso, sed ex pituita fit supervacanea, quę potius mucosa est, vel ex mucositate, lentaq; serositate mista. Ferè autem è capitis destillatione huic origo est, & sæpe in genua, interdum in humeros, aliasq; partes decumbit.

Aquosi tumores.

Si tenuis, & aquosa, serosaq; sit, fiunt aquosi tumores, quibus vel aqua citrina, vel sanguinis serum comprehēditur: quod genus hydrops ascites, hydrocephalon, hydrocele, & quicunque horum similitudine sub cute prodeunt, ac prominent.

Ascites.
Hydrocephalon.
Hydrocele.
Scirrhus pituitosus.

Si verò pituita crassa, glutinosaq; sit, ab ea præsertim pituitæ specie, quæ vitrea, atque gypsea est, oritur scirrhus. Ab alia verò huius crassæ pituitæ diuersitate, origineq;, ac loco, in quem ipsa decumbit, diuersa quoque tumorum oriuntur genera, & Ganglion, Glandulæ, Parotis frigida, Buboq; frigidus, Strumęq; generantur, de quibus sigillatim, ac breuiter dicemus.

Ganglion.

Ganglion tumor est concolor, durus,

renitens,

renitens, & indolens, nisi quod vehementer pressus stuporis sensum exhibet. Oritur circum neruos, & articulos, sæpe in carpo ex crassa, lentaque pituita, vel ex naturali melancholia, quæ in eam duritiem concrescit. Qui extra articulos, neruosque, necnon extra adenes passim exoritur, discriminis gratia quibusdam nodus appellatur. Huius generis est Bronchocele, à vulgo Bocium, à nostris hernia gutturis dicta, inter asperam arteriam, cutemque congesta: non vt plerisque visum est, ex immodicis clamoribus, aut ex potu aquæ ex liquefactis niuibus, quæ Alpinis, aliisque montanis in vsu est; sed ex crassa, lentaque pituita, quæ eò sensim è capite, eiusque partibus externis per auris posteriora deuoluitur. Glandula est adenis tumor obduratus, à nodo glanglioue solo situ distans. Hæc enim è solis adenibus, ille è neruis, aut articulis emergit. Quumque adenes variè sparsi sint in omne corpus, maximeque ad venarum, arteriarumq; diductiones, in multas quoque partes glandulæ incidere solent: quibus nonnunquã corpus vniuersum (quod multa pituita redundaret) scatere deprehensum est. Ad hoc etiam genus pertinent parotis frigida, buboq; frigidus. Glandularum aliæ resoluuntur, quarum humor non admodum crassus, sensim digeri, dissiparique possint: Aliæ suppurant, factoq; & erumpente pure in abscessum desinunt. & hæ quidem sanguinis, calorisq; sunt participes: Aliæ duræ persistunt veram scirrhi speciem adeptæ, quarum origo è gypsea pituita est: Aliæ vbi inueterauerunt, contracta tandem malignitate, in vlcus desinunt: Illæ Strumæ, à Græcis Cherades, à vulgo scrofulæ vocatæ simplices sunt: Hæ verò exulceratæ. Vehementer autem duræ sunt strumæ, & propriis membranis, vt glandulæ omnes obuoluuntur; sed earum materia acrior tandem euadens adenem ipsum, circumpositam carnem, cutemq; exedit, vlcusque efficit malignum, serpens, & exedens. His sæpe ortus est in ceruice, in qua plerunque longa serie dispositæ glandularum modo cernuntur. Hinc & nonnunquam in pectus, aut in alas, aut in mammas prorepunt. Defluit autem, vt quidam putant, earum materia è capitis parte externa per ceruicis tendones, & adenes: idq; sensim, ac lento adeo cursu, vt sæpe obscura sit origo. Ea verò materia non simplex pituita est, sed quę iam caloris vi, ac putredine excandescens acrimoniã acquirit. Quod si pituita atræ bilis permistione ferocior sit, struma carcinomatis vim, & conditionem æmulatur, strumaq; carcinodes, seu cancerosa vocatur. Ex frigidis insuper, ac crassis, & pituitosis præsertim humoribus fiunt & alij tumores, qui in abscessuum genere connumerantur, de quibus post dicemus, cum de iis tumoribus loquemur, qui fiunt ex materia, quę non humor sit, sed ex humore producta. Si humor postremo loco melancholicus sit, si simpliciter fex sanguinis existat, & non exustus, producitur scirrhus. Ait enim Gal. quod sicuti ex crassa & glutinosa pituita alterũ scirrhorũ genus, ita alterum ex fece sanguinis exoritur. Et quia scirrhus ex qualibet cuiusq; humoris fece, quæ frigida, sicca, crassa, & dura sit, & proinde melancholica omnino reddita creari potest; ideo scribit idem Gal. vtrũq; scirrhorum genus modo ab initio generari (ex fęce s. sanguinis, aut crassa, & viscida pituita) modo ex inflammationis, aut erysipelatis, aut œdematis permutatione, cũ illa immoderatius refrigerata sint. Si verò humor melancholicus fuerit excremẽtitius, & exustus, Cancrum producit. Quod si exustio huius humoris sit remissa, cancer non exulceratus exoritur; si sit intensa, cancer exulceratur. Quod si humores hi inuicẽ misceantur, varij rursus, sed nothi fient tumores, vt dum de bile loqueremur, & sanguine, monitum fuit: Vt si, verbi gratia, cum fece sanguinis prædominante misceatur sanguis, fit scirrhus phlegmonodes; si bilis, scirrhus erysipelatodes; si pituita, scirrhus œdematodes; & sic de reliquis. Demum si materia, quæ corpulenta est, non sit verè, & propriè humorosa, sed potius ex humore producta, fit abscessus, apostema Græcis dictus, tuncq; vel est exquisitè purulẽta, & oritur abscessus propriè dictus, qui phlegmoni, vt Gal. inquit, cum in pus versa est, subsequi solet: vel non est exquisitè purulenta, quæ generatur, dum, nulla præcedente phlegmone, humor aliquis statim ab initio, isq; aliàs specie alius, cæterum omnino acris in parte aliqua colligitur, & alij abscessus, seu apostemata oriuntur. Sanè inueniuntur in huiusmodi abscessibus, cũ scalpello sint diuisi, proprietates quędam non paucę, nec humorum, seu fluidarum rerum modo, verum etiam solidorum quorundam corporum, vt vnguiũ, pilorum, ossium, testarum, lignorum, carbonum, lapidum, toforum, & porri fragmentorum similia inuenta in his corpora quædam sunt. Ac humorum ipsorum alius veluti lutum, vel cœnum, vel mucus, vel olei quidam limus, vel vrina, vel grumus, vel vini fex: alius adeo grauiter olens, vt omnes auersentur: imò in huiuscemodi abscessib.

Marginal notes (left): Nodus. — Bronchocele. — Glandula. — Parotis frigida. Bubo frigidus. — Strumę, seu cherades, scrofulę vulgò dictæ. — Tumores melancholici. Scirrhus. — Cancer. — Tumores à materia ex humore producta. — Abscessus, vulgò Extura, q Græcis, & Gal. Apostema dicitur. — Abscessus propriè dictus. — Reliqua abscessuum et apostematũ genera.

Marginal notes (right): Galen. lib. de tum. p. n. c. 9 — Gal. 14. metho. c. 12.

etiam animalia, omnibus fermè, quæ ex corruptela oriuntur, consimilia, inuenta sunt. Verum hæc rarius incidunt. Frequentissima verò huius morbi sunt tria genera, quorum singula propriam appellationem Græcè sunt sortita. Ea sunt Atheroma, Steatoma, & Meliceris, à similitudine contentarum in tumoribus substantiarum dicta. Est enim aliud eorum veluti seuum; aliud veluti mel; aliud pulticulæ, quam atheram vocant, simile. Quare abscessus non modo ex inflammatione ortum ducunt, sed etiam statim à principio quandoque propter alimenti quempiam humorem, qui tractu temporis excoriet, continentiaq; à subiectis diducat, solent excitari. In inflammationibus siquidem sanguine ex vasculis per tunicas ipsorum desudante, & in quaque carnis particula ad modum roris permisto, hæc omnia sanguine replentur: cumq; progressu temporis natura superarit, omnisq; defluxio cocta sit, ac pus factum, tum extra carnem extruditur ab expultrice facultate. atque vbi notabilis est meatus naturalis veluti riuus quidam, ad fluxionem excrementorum accommodatus, aut locus ipse ibi rarus sit, pus partim expirat, partim effluit, vt sensu percipias. Vbi verò circumiecta cutis densa, duraq; est, qualis est extima in nobis, ibi pus cohibetur, eamq; à subiecta carne disiungit: tum sua acrimonia corrodit, ac nisi quis scatificare eam præuertat, foras exit. Quod si tanta sanguinis extra venas defluxi putredo fit, vt nequeat ab insito calore vinci, sæpe in gangrænam transit. natura enim à defluxione superata tum iam non in pus, sed in alienam quampiam mutationem, aliàs aliam, atque aliam sanguis deuenit. Hæc autem à Medicis plerisque communi nomine abscessus omnia appellantur. Si verò putredo à calore vincatur, concoctione in pus facessit, eaq; puris collectio absolutè est abscessus. Qui quidem cum fit, locus tumentior, durior, rubicundior, & feruidior, ac antea, apparet, dolor incumbit vehementior, isq; pungens, ac lancinans: atque si locus insignis est, febricula, rigorq; inordinatus noctu potissimum fatigans. Abscessu iam facto, mitescunt omnia, tumor in mucronem magis attollitur, excitaturque cutis prurigo: quia pus cineri comparatur, cuius iam calor deferbuit. Alij porrò abscessus fiunt ex frigidis, duris, inueteratisq; tumoribus, quorum materia neque inflammatur, neque suppurat. & proinde ex his non pus, sed aliena quædam substantia eruitur, ex frigido humore concoctionis vi genita. & ita his apertis, potissimumq; inueteratis, substantiam deprehendimus similem his rebus, quæ superius fuere propositæ. Quemadmodum verò substantia, quæ grumo, ossi, vngui, pilo, lapidi, adeni, ligno, carboni, ac luto similis est, in carnosa parte succreuit, nulla cysti obuoluta: ita illa, quæ steatoma, atheroma, & melicen idem producit, ferè tunica membranosa, seu cysti continetur, obuoluiturq;. Hæc autem tumorum genera in reliquis corporis partibus rarissimè, in capite crebro progigni solent, eò quia huius cutis densa materiam diu cohibeat, dum in alienam, externamque substantiam concedat. Ad hæc modo dicta abscessuum genera pertinent tumorum quædam nomina à Recentioribus excogitata, & nunquam apud antiquos reperta, vti sunt testudo, mollis scilicet tumor capiti inhærens, & talpa pueris, & adolescentulis familiaris: hæc ad atheroma, illa ad meliceridem magis spectare videtur. Ad Steatoma verò ferè pertinet tumor dolore carens, quã natam appellant. Quoniam autem lenti sunt hi abscessus, ac sensim multoque tempore gignuntur, aut nullo, aut obscuro dolore exercent, nisi, cum fortè acrius suppurant. Hæ itaque sunt materiæ vitiosæ, quæ magnitudinis auctæ causæ contentiuæ sunt, & à quibus intemperantiæ diuersæ, prout diuersis qualitatibus primis sunt affectæ, particulis tumore obsessis inuruntur. In phlegmone siquidem à sanguine calida, & humida intemperies excitatur; in erysipelate & carbunculo à bile pallida, vel flaua, vel atra calida, & sicca; in œdemate, frigida, & humida; in scirrho frigida, & sicca; in abscessu, qui post inflammationem superuenit, calida, & humida, & sic de cæteris. Differunt tamen ad inuicem hæ materiæ, quia ijs, quæ calidæ sunt, resolutis, aut inanitis pars intemperata non remanet: frigidis autem humoribus discussis, pars frigida, & imbecilla remanet. Proinde nisi extirpato tumore scirrhoso, frigidam quoque intemperiem remoueamus, scirrhosus tumor facilè regeneratur. Verum quoniam hæ vitiosæ materiæ in affecta parte duplici modo cumulari possunt, nempe vel congestione, vel fluxione, ideo sciendum est, quod congestio præter naturam sensim fit ex humoribus in partem alimenti vice distributis, propter ipsius imbecillitatem ab intemperie aliqua præsertim, aut alio vitio profectam, quæ quidem eius concoctricem, & expultricem facultatem labefactet. Quum enim pars vel ita imbecilla est, vt nec affluens alimentum in propriam substantiam

Atheroma. Steatoma. Meliceris.

Galen. lib. de tumor. p. n. c. 4. Cap. 2.

Abscessus quomodo fiat.

Gal. loco cit. c. 5.

Testudo. Talpa. Nata.

Galen. lib. de cauf. morbo. c. 6.

Causa contentiua in parte dupliciter modo cumulatur.

Congestio paulatim facta quid.

tiam

tiam mutare, vel ita vitiata, vt id ipsum corrumpat, nec genita excrementa à se propellere queat, necessario præter naturam congestio quædam, præsertim frigidæ materiæ, fit, quæ tamen in pustulis ipsis, & morbis cutaneis potius, quamuis raro; in tumoribus verò, de quibus nunc loquimur, rarius adhuc locum habet. Frequentissima verò, atque potissima tumorum causa est ipsa fluxio, quæ quidem humoris incursio est concitatior, atque copiosior, quàm parti alendæ sit ex vsu. Quocirca quæcunque materiæ, seu humores adhuc in parte non sunt influxæ, sed fluere possunt, & materias propositas in tumoribus contentas fouere, causæ antecedentes tumorum meritò ab auctoribus appellantur, inter quas plenitudo ipsa, quæ in viribus spectatur, primatum tenet, quia & humores ad corruptelam perducit, & tum copia, tum praua qualitate excretricem vim robustarum partium excitando, fluxiones ad imbecilliores corporis particulas, quales potissimum externæ sunt, promouet. idem quoque de cacochymia dicendum est. Reliquæ autem causæ, quæ sunt adhuc magis remotæ, sunt illæ, quæ vel has materias, & plenitudinem ipsam cacochymiamque producunt siue colligunt; vel mouent. Quantum attinet ad causas producentes, hæ materiæ possunt generari vel propter partium intemperantias, & imbecillitates (vt gratia exempli à iecore calido producitur bilis, à frigido ventriculo pituita, a vitiato, & intemperato liene cumulatur melancholia, & sic de reliquis) præsertimque dum hæ intemperantiæ cum vitiosis humoribus coniunguntur. Hi enim, vt Galenus habet, propria alteratione sunt in causa, vt boni humores in vitiosos abeant: vel propter errores, qui in victus ratione committuntur. Quantum spectat ad causas mouentes, quæ propriè fluxionis, affectusque rheumatici vocati causæ sunt, cum vitiosa materia in partem affectam aliunde confluat, & possit prodire vel à toto corpore, vt sanguis à corpore plethorico, pituita à toto corpore pituitoso; vel à parte, vt verbigratia pituita à capite; à liene melancholicus humor; à iecore biliosa, vel etiam sanguinea, quomodocunque id accidat, hoc fit, quia vel materia attrahitur; vel potius suscipitur, eò, quia ab alia parte, vel pluribus partibus transmittatur. Vnde quidam tumores per attractionem, alij per transmissionem fiunt. Attrahitur autem ratione caloris, vel doloris. Nam sicuti dolor trahit, eò, quia vt declarat Gal. expultricem vim irritat, quæ cum primis suis conatibus nihil proficit, vehementius aggressa, quod infestat, expellere, sanguinis aliquid & spiritus ex superpositis partibus in afflictam simul exprimit. Ita calor (quicquid Asclepiades hac de re senserit) triplici de causa trahit, nempe & quia naturæ molestus est, & quadantenus dolorificus, & expultricem irritans; & quia rarefacit, digerit, & euacuat, vnde ne detur vacuum, humores ad inanitum locum fluunt, & quia naturæ similitudine calorem, & proinde spiritus, & humores allicit: sicuti frigus propter duas postremas contrariasq; causas repellit. condensat enim, & adstringit, & calori nostro contrarius est. Qui quidem calor, & dolor vel ab intrinseca, vel extrinseca causa, quæ procatarctica, & primitiua quoque vocatur, excitari possunt. Ab interna quidem, quia dolor potest produci à qualibet intemperie, humida excepta, necnon à materia, siue intus genita sit, veluti sunt humor obstructionem quandam pariens, & spiritus flatuosus; siue deforis accesserit. Extrinsecæ autem euidentesque, seu procatarcticæ causæ sunt contusio, ruptio, vulnus, luxatio, ignis, vel Solis æstus, motus immodicus, acre medicamentum, & quæcunque vno verbo aut doloris, aut caloris vi fluxionem accersunt. Transmittitur autem, & propter membrorum transmittentium robur, & propter materiæ copiam, aut acrimoniam, aut vtramque, à quibus robustiora membra irritantur, & propter suscipientium partium imbecillitatem. Non enim semper ait Gal. ob calorem immodicum corporis particulæ fluxionibus laborant; sed hoc quidem ipsis raro accidit. Ad imbecillitate verò illarum id genus vitij progignitur, quæ vt plurimum ex intemperie frigida proficiscitur. Fluentis autem materiæ tenuitas, viarum laxitas, & suscipientis partis situs decliuis, tum attractioni, tum transmissioni communiter opitulantur. Nam tenuis præsertim humor per laxiores vias, & decliuiora loca facilius fluit. In externis autem tumoribus transmissio locum habet, quia, vt scriptum reliquit Galenus, huiuscemodi morbi fiunt subinde ad partes ignobiliores (inter quas externæ, cutaneæque primatum tenent) materiam inutilem deponente natura alienorum excretrice. Sic enim in morbis bonæ indicationes, quas crises appellant, ab aliqua huiuscemodi facultate fiunt. Cum enim materia ipsa superflua duplex genere existat: aut enim quantitatis ratione, aut qualitatis, cum deniq; omnium corporis partium non æquale sit robur,

Margin notes: Fluxio qd. — Causæ antecedentes, & remotæ. — Causæ materiam generantes. — Gal. lib. art. Med. c. 99. — Causæ materias mouentes. — Gal. t 3. metho. 3. & 6. — Attractionis causæ. — Gal. t 1. simplic. ferm. de calor. — Causæ transmissionis. — Galen. t. de comp. medic. per gen. c. 4. — Galen. lib. de. caus. m. 1b cap. 6.

robur, quippe principaliores partes statim ab initio natura maiori robore donauit. Nihil mirum si in impuris corporibus, in quibus plurima inutilis materia redundat, ad ignobiliores partes aliquid confluat. Nam superfluus humor, vt qui à partibus omnibus robustioribus expellatur, ac nullibi consistere queat, tandem ad imbecillissimam omnium peruenit partem. Hæc verò alia, atque alia in diuersis corporibus existit, aut quia in prima animalis formatione eidem parti aliquis error obtigerit, aut postea aliquam susceperit noxam: aut quia talis natura esse debeat, quemadmodum cutis. Hæc enim (vt quæ nullam operationem habet, sed vsus tantum gratia à natura instituta est) optima ratione partibus alijs, quæ aliquam habent operationem, imbecillior est facta. Est enim quoddam veluti velamentum, atque amictus animalis cognatus, cum nullam operationem afferat animali ac præterea cum omnium aliarum partium extima sit collocata, non absque ratione totius corporis excipit excrementa. Multa enim ab initio instrumenta expurgandæ materiæ inutilis gratia natura molita est: hæc quidem sola ad tuendam sanitatem sufficiunt, cum nullam corporis labem is, qui nobis circumfunditur, aer adiecerit, aut delinquens ratio victus humorum vitiosorum redundantium immodicam in corpore non effecerit. Nam cum talis acciderit error, non amplius naturalia sufficiunt instrumenta ad excrementi multitudinem expurgandam. Ideoque tunc accidit, vt fluxiones à valentibus impulsæ partibus ad imbecilliores irruant. Illud quoque nonnunquam vsu euenire solet, vt, cum stipati fuerint hi per quos expurgantur, meatus, ad alia confluant loca. Hæc quidem principia sunt gignendi omnes iam dictos præter naturam tumores. Malum verò in ipsis membris augetur, cum in iisdem impactæ superfluitates, ac putrescentes, atque ea ratione magis vitiatæ influentem postea humorem, etiamsi vtilis sit, coinquinant, atque corrumpunt. Et hæc de tumorum causis, ac differentijs ab eis desumptis dicta sint. Reliquæ verò differentiæ, quæ quidem ab eorum iam tradita essentia non fluunt, sed tumoribus præter naturam obueniunt, non in quantum tumores sunt, sed prout sunt morbi, & ij potissimum materiales, accidentales prorsus & sunt, & dicuntur, quemadmodum in sermone quoque de vulnerum differentijs declarauimus. Vnde dum dicimus alios tumores esse hyemales, alios æstiuos, quosdam vernales, nonnullos autumnales: aut alios esse in principio sui ortus, alios in incremento, quosdam in vigore, & statu, quosdam in declinatione: quosdam celeres, & acutos, in quibus quatuor dicta tempora cito pertranseunt; quosdam motu tardiores, & diuturnos, quibus quatuor illa tempora diutius perdurant; aut quosdam nouos, quosdam antiquos: alios connatos, alios post natiuitatem ortos, tunc differentias elicimus ab ipso tempore, quæ reliquis morbis materialibus, in quantum morbi sunt, & a materia fiunt, competere possunt. Simili modo dum dicimus nonnullos sanabiles esse, nonnullos insanabiles; quosdam blandos esse, aut benignos; quosdam vehementes, aut malignos, hæ omnes differentiæ accidentales sunt: quia tumoris naturam transcendunt, & morbo, vt morbus est, competunt. Demum sunt differentiæ impropriæ, quæ non verè differentiæ, vti cum Gal. in differentijs vulnerum docuimus, sed potius complicationes sunt appellandæ: quemadmodum dum tumores vel cum vulnere vel cum vlcere, aut fractura, aut luxatione, aut huiuscemodi alio præter naturam affectu complicatos esse enunciamus. Has autem tanquam improprias, vt à proprijs differentijs secernere possimus, Gal. 3. meth. vlt. nobis tradit hanc regulam. Quod enim inquit potest per se subsistere, nequit esse alterius differentia; sed est malum cum alio complicatum, vti dicimus phlegmonem vlcerosam, aut gangrænosam, aut cum alio morbo, aut causa morbifica vel symptomate complicatam.

Differentię accidētales

A tempore.

Differentię impropriæ.

De Tumoris præter naturam signis atque prognosticis. Cap. III.

At verò ficuti tumor præter naturam communiter dictus, & de quo Gal. in proprio libello verba facit, ex aucta ipsa præter naturam magnitudine facilimè cognoscitur, quoniam hæc sensibile commune cum sit, & videndi, & tangendi sensu facilimè deprǣhenditur, potissimum si ea non totum corpus, sed unicam tantum partem occupet, quæ possit cum sua cognomini, pari, & sana comparari: ita tumor à vitiosa materia creatus, de quo nos loquimur, haud ita difficulter ab ijs secernitur, qui vel à malo partium situ, vel nimia vasorum dilatatione, vel à proba materia, & inculpato sanguine, qui in carnem abierit, producuntur. Tumores enim, qui luxatis articulis simpliciter, & nulla fluente materia, superueniunt, non sensim, sed temporis fere momento, & statim ab ictu, & luxatione vt plurimum superueniunt, & præter id, quod articuli motus ilico aut deperditur, aut vehementer læditur, & tumor in ea dearticulationis parte conspicitur, in quam caput ossis prolapsi, seu articulus venit, tumoris superficies statim inter initia semper, & sæpius quoque in progressu cum reliqua membri cute concolor est, & ossis durities intensissima tactu percipitur: quorum nullum in proprie dictorum tumorum principijs appareat. Diximus autem in luxatis tumorem vt plurimum momento temporis ad notatu dignam magnitudinem peruenire: quia dantur luxationes quædam, quæ ab influxu humorum, & paulatim fiunt, quemadmodum in diuturnis coxendicis doloribus contingit. Sed harum tumores ex ijs, quæ de luxationibus à nobis scripta sunt, facile à tumoribus propriè dictis distinguuntur. Simili modo intestini, aut omenti in scrotum descensus ex traditis de intestinorum dolore, & tradendis de hernia aquosa leui admodum negotio poterit à tumore præter naturam propriè dicto separari. De varicibus autem, & præter naturam dilatatis venis, quid attinet dicere, cum eæ in membrorum, præsertimq; crurum superficie turgentes, & laxæ admodum clarissimè oculis conspiciantur, & digitis ipsis prominentes tangantur? Adhæc, quum vena impletur multo, crassoque sanguine, pars aut liuida, aut nigra apparet, atque etiam tumet, sed sine dolore; pressus autem tumor protinus cedit, moxque redit. Fit autem ex ictu, ex contusione ex nimio conatu, ex labore, & peregrinatione; interdum ex plethora, vt plerisque mulieribus vtero gerentibus accidit. Aneurisma pariter a tumore propriè dicto valde discrepat. Illud enim arteriæ dilatatio est spirituoso plena sanguine. id interdum in externis partibus existit, in manibus, pedibus, circa iugulum atque pectus: hoc à varice & tumore præter naturam propriè dicto distans, quod magna, turgida, ac sæpe molesta pulsatio insit. presso autem tumore, materia, quæ intus est, proptè subterfugit. A tumore demum carnoso, siue sarcomate, tumor à vitiosa productus materia differt, eò quia in carnoso tumore, ut nobis insinuat Galen. pars supra modum absque doloris sensu increscit: vt neque mollis tumor, quod Græci œdema appellant, neque durus, quem ijdem scirrhum uocant, neque inflammatio esse videatur. neque enim prementi manui cedit, neque omni sensu caret, neque dolore infestatur, sed hoc ipsum, incrementum duntaxat est, nihil ipsa substantia particulæ vitiata: sic & testiculi, & vbera, alijs vterque, alijs alter tantummodo supra modum increscit. Non enim sarcoma ex humoris cuiusque fit affluxu, sed ex solo partis alimento. Nam caro quia aut intus, aut foris exulcerata est, ni cohibeatur, assiduo alimenti accessu diffunditur, atque luxuriat: sæpe etiam venarum, & arteriarum instar ductus producit, per quos alimentum sumat. Sic in malè curatis vlceribus sæpe excrescit caro, sic polypus naribus contusis, sic epulis in gingiuis ad dentium radices, sic ficus in ano, sic demum & integra cute, quum subiecta caro contusa, ruptaque est, ingens tumor sensim exurgit, qui & ceterarum partium more alimentū capessit, nullo quidē dolore, sed exquisito sensu, & naturali colore. Similem aūt fere ortū habet, atq; phlegmone; distat vero quod non affatim, sed sensim sanguis accedat, & quantū accedit, in alimentū absumatur, atq; luxuriet. In quauis aūt parte prouenit, sed frequentius in ceruicis, alarū, inguinumq, adenibus, qm̄ circumscripta caro nō facile pōt in tumorē amplificari. Hinc

Galen. lib. de diff. morb. c. 9.

Solutio cōtradictionis in dictis Galeni.

liceat

liceat nobis apertam in Gal. dictis contradictionem conciliare. is.n. in lib. de different. morb. c. 9. ait strumam esse tumorē præter naturam, in quo sola aucta magnitudo est, & proinde esse morbum simplicem, nihilominus in cap. 5. eiusdem libri dixerat strumam esse mobum compositum ex aucta magnitudine, & intemperie cum materia, eaque non simplici, sed composita. Nam cap. 5. loquitur de struma exquisita, quæ à crasso, & viscido vitioso humore prouenit. In capite autem nono de ea verba facit, quæ notha est, & fit dum glandulæ iam dictæ ex sanguine ipso nimis excrescunt. Nonnunquam enim quamuis rarò, vt Leonidas affirmar, strumæ ex adenum carne fiunt, quæ affinitate quadam ad strumarum naturam vertitur, & materiæ adiectione adaugetur. Quemadmodum autem differentiæ illæ, quæ ab ipsa tumoris forma & subiecto, siue parte affecta desumuntur, facile ab vnoquoque cognoscuntur, quia cum de tumoribus externarum partium sermo fit, eæ omnes sensibus obuiæ sunt: ita illæ, quæ ab ipsa causa contentiuá eliciebantur, ex ijs, quæ in particularibus tractatibus singulatim de vnoquoque tumore proponentur, necnon aliqua ex parte ex differentijs à contentiua causa desumptis superius propositis facilimè poterunt explorari. Illud hoc loco nouisse sufficiat, omnes eos tumores, qui verè apostemata ab Arabibus dicuntur, & à praua fiunt materia, si Galeno, & Auicennæ credimus, inuicem magna ex parte complicari, neque facile aliquem eorum syncerum, & purum inueniri. Verum enimuero earum causarum cognitio distinctioque, quæ antecedentes, & magis adhuc remotæ sunt, siue sint prauos succos generantes, siue eosdem mouentes, Physicam magis, eam, quę circa interiores versatur affectus, de qua in tribus primis libris scripsimus, speculationem exposcit. Quod si tumor per congestionem, non autem per fluxionem genitus sit, ex eo præsertim nobis liquet, quia is tractu temporis admodum longo, ac paulatim omnino creatus est, & cum potius paruus, frigidus ac durus sit, paruum occupat locum, in quo quidem alicuius læsionis, & imbecillitatis nota, siue intemperies sit, siue aliud vitium, nobis sese offert. nullaque prorsus fluxionis causa, aut nota, neque attractionis neque transmissionis iam præcessit. Contraria verò signa adsunt in tumore per fluxionem genito, quia fluxio, quemadmodum superius asseruimus, est humoris incursio concitatior, atque copiosior, quæ etiam vt plurimum in omnibus tumorib. locum habet. Nullo verò partis affectæ calore aut dolore prægresso, facilimum est inferre fluxionem per transmissionem fuisse factam: sicuti per attractionem factam esse cognoscimus, vbi eiusdem partis calor immodicus, aut dolor præcessit. Quantum attinet ad differentias accidentales, quæ à morbi tempore desumuntur, hunc in modum interstingui poterunt. Cum enim tumores præsertim salubres, & fluxione creati principium, incrementum, statum, ac declinationem habeant, Principij nota est, cum particula incipit distendi, fluxionisque adest initium cum dolore adhuc exiguo. Incrementum adesse iudicabis, cum videris tumoris molem attolli, locumque affectum impleri, & in sublime efferri, ac symptomata, quæ vnumquemque tumorem sequi solent, manifestè augeri. Status verò indicium est, cum prædicta omnia, tumor scilicet, & symptomata cuiusque tumoris differentiæ, proprium suum vigorem obtinent: nec amplius possunt incremēta assumere, quin materia faciens tumorem in aliam formam seu substantiam alteretur, & transmutetur. Declinatio autem tunc adesse cognoscitur, cum tumoris moles, & propria eius symptomata imminuitur, vel materia, quæ tumorem facit, in aliam substantiam incipit transmutari. Ceterum quatuor hæc tempora simul aliquando concidere videntur, propter breuem scilicet ac pene incredibilem vniuscuiusq; durationem, vt contingit in venenosis inflammationib. necnon lethalibus, quæ statim vigent, ac florent. Reliquæ verò accidentales differentiæ, necnon impropriæ dictæ, quæ ab aliorum affectum præter naturam cum tumoribus complicatione oriuntur, partim per se apertissimæ sunt, partim ex signis complicatorum morborum, de quibus superius suis in locis diximus, percipi possunt.

Signa differentiarum.

Gal. 13. method. 5. Sunt autem tumoribus obnoxiæ præ ceteris corporis partibus glandulæ ipsæ, quas adenas vocant. nam fluxiones prompte suscipiunt, & maximè, quæ rariores naturæ sunt. Quippe valentius est arteriarum, & venarum, & neruorum, & musculorum robur, imbecillius autem, & forte prorsus nullum, corporum, quæ glandularum sunt naturæ. Sic igitur fit, vt & propter vlcus, quod in manus, aut pedis digito fit, eiusmodi glandulæ in inguinibus, & alis tum intumescant, tum phlegmone occupentur, cum defluentem ad vltimos artus sanguinem priores exceperint. Quin etiam in collo, & secus aures sæpe glādulæ ijs, quibus in collo, capite, vel aliqua vicina

Prognostica.

cina parte vlcus est natum, intumescunt. Si verò huius præter naturam tumoris subiectum spectemus, procul dubio sicut interni tumores periculosi sunt, & sæpe lethales magis, & minus pro partis affectæ maiori, vel minori, præstantia, & pro diuersitate ipsius actionis, vsus, substantiæ, atque situs, ita ferè mortis periculo vacant externi, quia non internæ, ac nobiles, sed externæ, ignobilesq; partes affliguntur. Si tamen vniuersum corpus secundum extimas partes corripiatur, periculum imminet, ne tum incurabilis omnino sit, tum mortem ipsam si non ita citam, saltem tardiorem mortem inferat, quia præter id, quod vniuersi corporis organicæ operationes læduntur, maximam admodum, eamque præpotentem internorum organorum noxam arguit. Si formam consideremus, tumor sui natura magnus affectus est, & non contemnendus, quia ex intemperie, & aucta magnitudine compositus est affectus, & subinde non paruus in eo reperitur à naturali statu recessus. Vnde si & soluta vnitas ei accedat, maior adhuc affectus euadit. Quanto verò tumor maior erit, & intemperies magis intensa, tanto curatu difficilior euadet. Si verò effectricem contentiuamq; tumoris causam perpendamus, quanto vehementiorem qualitatem hæc habuerit, tanto sanatu difficilior tumor erit. Proinde tumor mali moris, & pestilens est valde perniciosus, & dum huius qualitatis vis summa est, lethalis existit. Summa pariter vehementia reperitur in sanguine exusto; & atrabilari reddito efferuescente, qui carbunculum creat. minorem vim habet atra bilis, quæ citra feruorem exusta fit: adhuc minorem melancholia non exusta, & hac minorem crassa, & viscida pituita, quæ scirrhum producunt. His minus vehemens est bilis ipsa, quæ tumorem efficit erysipelaceum; præsertim si cum serosa sanie, aut sanguine permista in caliditate refracta sit. Minus adhuc vehemens est materia inflammationis, & sanguis ipse: dum tamen ad suppurationem perducitur, & fit abscessus, malum intenditur, quia cum tumore vlcus necessario copulatur. Ait autem Hip. quod suppurationes, quæ foras erumpunt, tum paruæ, & quæ maximè extrorsum spectant, & in acutum attolluntur optimæ sunt; magnæ ac latæ, nec in acutum fastigiatæ pessimæ. Oedematis verò materia minorem adhuc vim habet: quia tenuis pituita non ita præsidijs resistit. Omnium autem facilimè ex se flatuosa materia discutitur, & profligatur. Dictum est ex se, quia si in profundo subsistat, vti in tympanitide Hydrope contingit, ægerrimè discutientibus cedit, propter duritiem, ac plura corpora, quæ ei superposita sunt. Iam verò tumores, & præsertim qui ex humorem influxu fiunt, nisi retrocedant, & vel per repercussionẽ fluentis materiæ fieri prohibeantur, vel sponte, & citra vllam causam euidentem, intrò recurrente fluxione, delitescat, altero istorum quatuor modorum, vt Gal. testatum reliquit, terminantur: nempe vel resolutione, seu discussione, quæ per habitum, & pet potos cutis per insensibilem transpirationem fit: vel per suppurationem, dum materia à natura superatur, & in pus vertitur: vel corruptione, dum partis affectæ temperies, calorq; à materia ipsa praua superatur: vel induratione scilicet dum materia indurescit. Omnium autem istorum modorum optimus, ac magis expetendus is est, qui per resolutionem, & per primum modum contingit: post illum verò melior est, qui per suppurationem sequitur. At quæ per indurationem fit tumoris præter naturam terminatio, simpliciter, atq; absolutè mala dicitur. Quæ autem fit ad corruptionem particulæ laborantis, omnium pessima censeri debet. Si enim victæ, ait Gal. a fluxione particulæ fuerint, in tantam hæ deuenient intẽperiem, vt earum operatio destruatur, & ipsæ temporis processu corrumpãtur. Resolutionis autem indicia sunt leuitas membri, deficiensq; pulsatio. Signa suppurationis erunt dolor intrinsecus, pulsatio, & caloris, aut febris incrementum. Futurã verò corruptelam testantur nigror, & liuiditas, quib. nonnunquã, & graueolentia accedit. Tumorem deniq; in lapideam abire duritiem apertè indicat tumoris imminutio, & cum hac durities remanens. Retrocessionis autem vel delitescentiæ notæ sunt, subita tumoris diminutio, quæ quando ab interna, & occulta causa fit, semper mala est, (dummodo materia retrocedens per aliquem cõuenientem ductum extra corpus non mittatur) & interdum propter nimiam refrigerationem, nonnunquam verò propter venenositatem, & propter magnam internorum viscerum noxam (nullis forinsecus admotis reprimentibus) accidit. Ad hanc autem subitam, atque affatim factam tumoris imminutionem febris, si non aderat, statim consequitur, si prius aderat, augetur, ac multa alia praua oriuntur symptomata. Suppurationis autem futuræ, & abscessuum quos Exituras chirurgi vocant, futurorum, vel etiam præsentium signa, his verbis Auicen. proposuit. Cum videris, ait ipse, pulsationem, ac duritiem

Marginal notes:
- Hip. 1. prog. tex. 40.
- Tumores quot modis finiantur.
- Galen. lib. de inaq. intemper.
- Gal. loco cit.
- Resolutionis signa.
- Suppuratio nis futuræ præsentisq; signa.

ritiem in longum tempus productam, vel caliditatem, aut dolorem incresc͞entem, tunc existima, quod apostema proximum est, vt in suppurationem vertatur, & fiat extura, id est, abscessus. Cum autem aspexeris, ac deprædenderis leuitatem quandam affectæ particulæ, & doloris sedationem, ac remissum calorem, quodque tumentis loci pars aliqua ceteris emineat, atque in mucronem subducatur: adhæc cum premendo digitis inundationem perceperis, videris; gibbi illius, seu mucronis colorem iam albescere, tum certo scies pus cò loci subesse, tumoremque iam abscessisse. Vnde & ab Hip. scribitur, quod dum pus conficitur, dolores, ac febres magis accidunt, quàm in confecto pure. Oportet tamen in pure ipso dignoscendo maximè attentos esse, quia sæpe suppurationis signa latent, ob loci scilicet, & puris crassitudinem, quò fit, vt scripserit Hip. Quibuscunque suppuratio in corpore existens non innotescit, his ob crassitudinem puris, aut loci non innotescere, quò fit, vt ad pulsus mollitiem superuenientem, & alia signa, de quibus in superioribus libris locuti sumus, recurrendum sit. At verò abscessus, qui iuxta membrum aliquod nobile, vel prope iuncturas fit, atque adeo in venosis, aut neruosis ipsis partibus, quique in debili particula, & natiuo calore propemodum destituta, prædura quoque & densa cute obtecta, consistit: Adhæc qui crassiore materia, & admodum crudiore constat: Planus etiam seu æquabilis, & in coni formulam nō subductus, suspectus admodum est, ægreque, ac tardè maturatur. Quocirca pus mouentibus auxilijs, ac celeri maturauè apertione indiget. Qui verò huic ex aduerso respondet, boni moris est, & laudabilis. Cito enim & facile maturatur, atque suppurat, sæpiusque nullo forinsecus adhibito auxilio per se dehiscit, aperiturvè. Itaque si abscessus tendit in acutiem, & puris substantia tenuis fuerit, & acris, nec prædura, aut densa cutis extiterit, natura propria expultrice vi citra adscititium aliquod subsidium conceptum humorem foras propellit: nisi quis facta ruptione, aut incisione, sponteaneam apertionem anteuertat. Abscessus autem ipsi nonnunquam per habitum digeruntur, resoluunturque, absque incisione, & apertura, vbi scilicet pus, & modicum est, & bonum, tenue quoque & non in alto delitescens. Sæpius tamen facto à natura, seu arte emissario, conceptus humor profunditur. Quæ autem à natura fit apertio, multo tutior est, quam quæ arte tentatur: Quod si arte fiat, securius adhuc, & melius scalpello, aut candenti ferro illam moliemur, quam adurente caustico ue pharmaco. Tutior autem est apertio à natura facta, quia quæ ab arte fit, alioquin per incisionem, est in causa, vt noua sanies, ac virulentia generetur, vnde sorditiei, ac fistulæ metus impendet. Vbi tamen vrget necessitas, nec alio datur vti meliori auxilio, ea intrepidè adhibenda est. quia incommoda iam dicta euitari possunt pus mouentibus admotis, & detergentibus, quæ reliquiarum concoctionem, & detersionem præstare possint. Illud autem pus optimum censetur, teste Hippoc. quod album æquale idest, sibi vndique simile, leueque tangenti, & quàm minimè fœtidum est. Quod verò huic maximè contrarium apparet, pessimum est.

Hip.6.apho. 47.

Hip.6.apho. 41.

De Tumoris præter naturam indicationibus, & primum de ijs quæ ipsum augeri prohibent. Cap. IIII.

Indicationes à forma desumptæ.

QVANDOQVIDEM à tumoris præter naturam essentia superius tradita indicationes omnes siue curatoriæ, siue etiā præseruatoriæ sint, eliciuntur: ea propter in curatione ipsius tum formam tum subiectum, tum effectricem causam tanquam scopos præcipuos perpetuo inspicere oportet. Cum autem eius forma sit aucta magnitudo cum intemperie complexa ab aucta ipsa magnitudine, quippe quæ permanentiam non habet, nulla prorsus vtilis præscribitur indicatio. Siquidem remota tumoris contentiua causa, quæ vitiosa materia est, aucta magnitudo ilico euanescit. Cum autem dicimus rationē ipsius imminuendi indicationem oriri, nihil prorsus proferimus, quod vulgaribus quin etiam ipsis notum non sit. Ab intemperie autem oritur indicatio per contrarium alterandi. Namque in calidis tumoribus refrigerare; in frigidis calefacere oportet; in siccis humectare, in humidis exsiccare, & quia cum actiuis qualitatibus passiuæ ferè complexæ sunt; in calidis, & siccis, frigidis, & humidis præsidijs vtendum, & sic de reliquis complexis

plexis qualitatibus dicendum, quas semper contrarijs præsidijs tollere oportet. Verum quoniam non solum oportet semper comparare remedium, quod sit affectui contrarium (siue morbus sit, siue morbi causa) sed illi quoque remediorum indicatio, quæ à partis laborantis natura sumitur, adijcienda est: Idcirco cum Galen. in partis affectæ, quæ tumoris subiectum est, natura quinq; spectanda sunt, nempe temperatura, actio ac vsus, figura, situs, & sensus. Prima itaque indicatio à loci tumore obsessi temperie sumitur, quæ alterationis mensuram præscribit. Quæcunq; enim calidiores natura partes frigido tumore laborant, hæ liberalius, & diutius calefieri postulant. Contra pars, quæ calidior natura est, si calido morbo ęgrotat, exigua, breuisq; temporis refrigeratione eget. Si quidem in ea paruus est in id, quod præter naturam est, lapsus. Secunda indicatio ab actione, & vsu desumi debet. Vnde si de partium externarum tumoribus præter naturam sermo sit, quarū actio non omnibus animalis partibus utilis est, sed paucis quibusdā, aut potius ipsis solis, dum tumoribus ex humorum influxu correptæ sunt, earum actione contempta, audacter vacues licet, prout affectus suadebit, sed tamen ēt uirtuti attentus. Quo fit, ut in grandioribus abscessibus, ēt si externas, & ignobiles occupent partes, non tamē collectā materiā, & pus unica uice, & confertim, sed gratia uirium, paulatim, & iteratis vicibus euacuemus. Vsum verò ipsarum eatenus spectare oportet, quatenus earū nonnullæ principalioribus mēbris inseruiunt, eorumq; superfluitates, & excremēta suscipiunt, & expurgant, ueluti sunt adenes, seu glandulæ illæ, quæ in collo, in alis sub axillis, & in inguinibus cōsistunt, quia primæ cerebri, secundæ cordis, tertiæ iecoris excrementa, & recipiunt, & expurgare solent. Ideo dum hæ glandulæ tumore afficiuntur, ēt si is reprimētia, aut refrigerantia, & siccantia, & adstringētia indicet, hęc tamen omnino cauemus, ne praui, & uitiosi humores à membris præcipuis ad has glandulas, quas ēt emunctoria uocant, transmissi retrocedant, & ad principalia mēbra cum maximo ægrotantis discrimine, reprimantur. Tertia indicatio à figura, seu dicas conformatione desumitur, à qua indicatio ipsius modi vacuandi influxi humoris, seu excrementi suggeritur. Nā diuersorū meatuū, atq; uiarū merito diuersæ quoq; partes diuersimodè euacuari possunt, quēadmodū in chirurgicis præsertim, & alijs materijs proponendis clarius apparebit. Quarta indicatio à situ dabitur tū ad intēperiē, tum ad succorum vitium remouendū. Nam partibus, quæ per summa corporis intemperie laborant, medicamēta, quæ intēperies requirit, applicabimus: In ijs uerò, quæ magis in profundo sunt, rationem interualli inibimus. Similiter dū aut repercutere, aut digerere, aut emollire influxos humores studemus in partibus quæ magis superficiales sunt, mitioribus, & ijs, quę ab influxo succo indicantur, curationē perficimus. In profundioribus uerò tum ualentiora, tū cū his, quæ altè permeandi vim habent, & vehiculi vicē gerunt, permixta medicamēta adhibemus. Insuper in partibus, quæ prope mebra principalia sunt, reprimentia cauemus, ne praui succi in ea reprimantur: contra dū pars, quæ iecori, aut uētriculo superposita est, tumore laborat, neq; digerentia, neq; emolliētia syncera admouemus, sed semper cū adstringentibus permista applicamus, ut horū mēbrorum, quorum actio uniuerso corpori necessaria est, calor, ac uirtus conseruetur. Ad uacuationes quoq; nonnihil situs indicat, dū nexū, seu societatē laborantis particulæ cū alijs docet. Vltima à sensu præscribitur laborantis particulæ. nam omne medicamentū contēnunt, quæ tardi sunt sensus. Quæ acuti sunt sensus, uti sunt neruosæ, tendinosæq; partes, oculi, & id genus aliæ, eorū vires resoluuntur pp dolorē superuenientē. Expedit ergo nec confertim, nec semel, & ualentibus prępidijs mederi tentes, sed tutò potius in tēpore. Vbi tardus est sensus, in his celeriter obire, quod iustū est, licet semel vsis remedio idoneo. Tertio loco effectricē tumoris cām considerare oportet, & si tumor iā factus sit, & non amplius fiat, solā contentiuā causam intueri sufficit, sin aūt tumor præter naturā adhuc in generatione sit, nedū à contentiua causa, & infarcta in particula materia, uerū ēt ab antecedēte, & alijs remotioribus causis indicationes erūt hauriendæ, quarū illæ, quæ à contentiua & proxima tumoris causa fluunt, curatoriæ, quæ à reliquis emergunt remotis causis, præseruatoriæ unà cū Gal. poterunt appellari. Vnde si de tumore iam facto & de contentiua causa loquamur, ex hac, ut ille ait, curationis indicatio omnibus oritur cōmunis, nempe uacuatio humoris, seu materiæ in particula tumore obsessa redundantis. Tumoris aūt, qui in generatione adhuc est, duplex est indicatio, veluti in reliquis morbis omnibus, quicunq; in fieri, seu in gignēdo adhuc sunt, necdū absolutionē sunt nacti, ostensum est. Nam quod eorum generatum iam est, id Medicinæ artis parti, quæ morbos curat, subijcitur.

Indicationes à subiecto, seu parte tumore obsessa desumptæ.

Gal. 7. meth 13.

Quod in generatione adhuc est, parti, quæ futurum morbum præcauet. Et ideo nõ simplex, sed cõposita est tota de iis ægritudinibus, quæ in generatione adhuc sunt, medẽtis solicitudo, ex ea. s. quæ prouidet, & ea, quæ curat. Quare quæ causæ tumorẽ præter naturam accerscere videntur, has, cum iam in corpore sunt conceptæ, sed tamen exiguæ adhuc, & incipientes, vtique ne maiores fiant, inhibere conueniet. Et hoc præcauentis tumorem simplex est officium. Cum verò ea magnitudine sint, vt iam tumorem creent, composita est medentis solicitudo: quia has antecedentes, & alias remotas causas submouere oportet, ac quantũ iam tumoris genitum est, sanare. Quod si tumor paulatim facta congestione fiat, causa illa, quæ prauam materiam assiduo congerit, siue sit intemperies, siue aliud partis uitiũ, proculdubio submouenda est. Sin autem fluxione oriatur, quod fere semper in his tumoribus contingit, tum fluxionem ipsam, tum omnes fluxionis causas tollere oportet. Aufertur autem fluxio, si fluens materia copia peccans, vti decet, minuatur; sin praua qualitate peccet, eradicetur, & ab affecta parte aliò auertatur. Minuitur autem præsidio euacuante, & præsertim sanguinis detractione; eradicatur purgatione. Aliò autem auertitur tripliciter, uidelicet eã ad contraria reuellendo, ad vicinas partes deriuando, & procul ab affecta parte repercutiendo. Fluxionis autem causas auferimus, si ad succorum trãsmissionem, & attractionem oculos dirigamus. Cum enim influat humor vel per transmissionem, alia quapiam, aliisve particulis, aut toto corpore eum mittentibus, ac ea, quæ tumore laborare incipit, propter sui imbecillitatem recipiente; partes autem quæ mittunt, aliàs, vt copia superuacuum; vel ut qualitate molestum; aliàs utroq; nomine succum propellant; vel per attractionem, dum. s. pars affecta vel morboso calore, uel dolore trahit: Idcirco merito attractionis, oportet dolorem, & calorem affectæ partis submouere, hunc refrigerantibus, illũ mitigantibus, paregoricis Græcis dictis, siue anodynis, siue narcoticis, aut doloris, præcipuè si fieri potest, causam destruentibus. Ratione transmissionis debemus succorum redundantiam, ac vitium vel sanguinis missione, vel purgatione, uel utroq; præsidio, si opus sit, auferre, & partem vitiosos succos gignentem, aut colligentem seu multiplicantem, uel per solitos ductus extra corpus non expellentem corroborare, aut ab obstructionibus, & vitiosis succis liberare. Quod si à minus momentaneis partibus ad nobiliores partes fluxio, & succorum translatio fiat, quod tamẽ in externis tumoribus nõ ita contingit, vt ait Gal. 7. meth. c. 2. rursum ad eas partes minus momentaneas fluxionem reuellere oportet, & partem affectam adstringere, & roborare: Sin autem ex partibus, quæ sunt maioris momenti fluxio ueniat, ambabus simul consules, eum remouendo affectum, qui fluxionem creat; quod quidem fiet, omnes corporis partes ad bonam habitudinem reducendo, & omnes naturales expulsiones fluxiles reddendo, & plethoram, & cacochymiam tollendo, & hinc ad affectam partem veniendo. Quapropter cum particula aliqua tumore vrgeri cœperit, ut ipsius incipientis inhibitio, ex generante illum causa tollenda præstetur, statim videndum est, an propter calorem aliquem, qui in illa parte præter naturam sit ortus, an propter dolorem vel ipsius, vel propinquæ alicuius partis hunc contraxerit, quò scilicet adempta causa, tumor non amplius increscat. Post hanc considerationem proximè illa contemplabere, nunquid uicina aliqua particula succum aliquem largius ad partem tumore obsessam transmittat; deinde, num totum corpus nimio sanguine, aut uitiosis succis abundet. Difficilis enim tunc curatio redditur, quemadmodum si totum corpus sanum planè sit, facilis. Si enim plethoricum corpus sit, uel malo succo redundet, & partis affectæ dolorem per ea, quæ modicè calfaciunt, & humectant, sedare tentemus, fluxio per hæc, quæ sic calent, ad membrum citatur. Cum itaque dolor nulla alia ratione tolli possit, ergo cogimur alias sanguinem mittere, ubi scilicet corpus plethoricum sit, alias redundantis succi purgationem adhibere, ubi succorum vitio laboret, & vel flaua bili, uel nigra, uel pituita, uel serosis humoribus refertum sit. Quod autem vacuandum corpus sit, aut purgandum, id communis indicatio est: Vnde autem, aut quomodo vacuatio sit facienda, id æger ipse docet locus. Siquidem longissimè à parte, quæ fluxione tentari incipiat, quod redundat, reuellere, nequaquam ad eam attrahere conuenit. Ob id, supernis partibus laborantibus, euacuantia, reuellentiaque infernis adhibentur, & è contra, seruata tamẽ debita distantia, ut infra apparebit. Sanè vacuamus totum corpus sanguinis missione non modo cum in redundantiæ succorum est habitu; sed etiam cum mediocritatem succorum continet, si morbi magnitudo suadeat, & vires permittant. Siquidem dolor, & calor membri, in quo tumor sedet,

Indicationes à fluxione sceptæ.

etiã nisi

etiamsi purum ab excrementis totum corpus sit, fluxionis causæ fiunt. Expedit tamen parcius hoc casu euacuare, prout virtuti, ætati, & naturæ laborantis congruere videbitur, æstimatis præterea anni tempore, regione, & consuetudine. Toto enim corpore prius vacuato, si sanguis tumore obsessam particulam vehementer distendat, ipsam tuto scarificamus. Sicuti autem plethora tum sanguinis missione curatur, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum frictione, tum calida inunctione, digerentibusque medicamentis, tum præter hæc omnia inedia: ita succorum vitium, quod cacochymiam vocant, purgatione, quæ cuique superanti succo sit accommodata, corrigitur. Vbi itaque tumor ab affectu partis, cui insidet, oritur, constat affectum illum principio esse sanandum: mox quicquid iam tumoris est factum. Nonnunquam tamen ijsdem præsidijs ambo tolluntur, veluti cum ex flatulento spiritu, & densitate particulæ dolor quispiam est ortus, à quo phlegmone aliqua orta sit. Hoc enim casu eorum, quæ modicè calefaciunt (quæ etiam chalastica, id est, relaxantia, siue remittentia uocamus) vsus est commodus, vt qui pariter & conniuentia corporis laxet, & flatuosum spiritum tenuet, &, quod phlegmones iam conflatum est, digerat. Pariter si ex frigido dominante intemperies sit oborta, calfaciendo non solum intemperantiæ, sed etiam phlegmonæ unà medeberis. Itidem si calor vehementior intemperiem fecit, refrigerantibus præsidijs ambo sistes. Intemperantia enim semper contraria requirit: Vacuatur autem, quod impletum est, non modo medicamentis digerentibus, sed etiam adstringentibus, & refrigerantibus, qualia sunt reprimentia. Quinimo, vt infra dicemus, ad incipientes phlegmonas magis frigidis, adstringentibusque, quam ijs, quæ digerunt, est vtendum, atque etiamnum magis, vbi crassum, quod confluit non est. Sed si sanguis in parte phlegmone obsessa vehementer est impactus, non amplius reprimentibus utendum; sed tum digerere est tempestiuum. Vbi autem ex animalis punctu, morsuve dolor incidit, duplex sedandi doloris ratio est: vel virus ipsum uacuando; vel quod dolorem excitat, alterando. Sanè uacues id eorum medicaminum ope, quæ vehementer attrahunt: alteres ijs, quæ sunt contraria, idque uel qualitatibus, uel tota substantia. Quare in doloribus vniuersis, qui uel ex animalium, medicamentorumve noxa excitantur, methodus duplicem habet indicationem, nempe eius, quod dolorem creat, uacuationem, atque alterationem. Euacuant id tum calefacientia omnia: tum quæ citra calefactionē vehementer trahunt: veluti & cucurbitulæ, & caua cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum vice utuntur. Sunt & qui ore suo uirus extrahunt, ægræ videlicet particulæ admoti, ipsamque labijs complexi. Huc sanè pertinet & cauterium, & caustica, siue escharotica medicamenta. hæc enim omnia totam eius, quod infestat, substantiam exinaniunt. Alterum auxiliorum genus est eorum, quæ qualitatem per contraria alterant, scilicet exhibentibus nobis, si vehementem calorem æger uel in demorso loco, uel in toto corpore sentiat, auxilia refrigerantia: sin frigus sentiat, calefacientia. Colligamus igitur, quod dum tumor adhuc est in fieri, oportet non modo, quod factum est, curare, sed etiam ante omnia, idquod potest fieri, prohibere. Prohibetur autem sublata ad affectum locum fluxione, Aufertur autem fluxio submotis fluxionis causis. Cum autem duæ statutæ sint, attractio scilicet, & transmissio, ratione attractionis oportet dolorem & calorem partis affectæ submouere: ratione transmissionis debemus succorum redundantiam, ac vitium, vel sanguinis missione, vel purgatione, vel vtroque præsidio, si id necessitas exigat, auferre, & affectam partem, si nihil prohibeat, roborare. Et quomodocunque fluxio fiat oportet vias adstringere, & vitiosum, ac decliuem partis situm corrigere, & fluentem succum, si tenuis sit, incrassare. Causas verò remotiores adhuc, quę vel plethoram, vel cacochymiam gignunt, siue externę, siue internæ sint, per contraria præsidia tollendas esse, clarum est.

Gal. 13. meth. 6.

Epilogus.

Indicationes, quæ gratia tumoris iam facti oriuntur.
Cap. V.

Gal. 13 meth. 9.

EIVS autem, quod factum est tumoris, curatio tota in redundantis in parte affecta humoris, seu materiæ euacuatione consistit. Vacuatio autem hoc genus affectorum, vt scribit Gal. excogitata est duplex, videlicet, aut translato ad alias partes, qui in ægra continebatur, humore: aut foris à corpore expulso. Cum autem gemina sit dictarum vacuationum vtraque, quadruplex in vniuersum nascitur vacuantium auxiliorum genus. Translationis enim sanguinis ad alias partes alterũ genus est, vbi ipsa pars, quę phlegmonem, & humorem abigit: alterum, cum ea, quæ integræ sunt, ad se trahunt. Abigit autem pars humorem in ipsa contentum, vbi adstringentibus, cõprimentibusq; roboratur, adstringitur, & densatur. Trahunt autem quæ integræ sunt, dolore, calore, vi vacui, vbi ipsis frictiones cucurbitulę non incisæ, & alia reuellentia, aut calorifica præsidia ipsis admouentur. Foris autem à corpore expulsio dupliciter & ipsa perficitur. Nam eius, quæ extra corpus educit, euacuationis alterum genus sensibilibus effluxibus, alterum ratione tantũ contemplabilibus perficitur. Id verò, quod sensibilibus effluxibus peragitur, vel per ipsam fit partem in qua tumor residet, dũ scil. aut secatur, vti in abscessibus fit, aut sacrificatur, vel minutim inciditur, quemadmodum in magnis inflammationibus facere consueuimus; vel per eam partem fit, quæ vnà cum affecta consortium habet, eiq; vicina est: quod quidem euacuationis genus deriuationem uocant. Quemadmodnm illud, quod ratione contemplabilibus effluxibus perficitur, per digerentia, seu discutientia pharmaca administratur, & resolutionem, seu discussionem, siue digestionem appellant. Satius aũt est unoquoq; vacuationis genere uti, obseruantibus tamẽ, ne qua ex accidenti læsio sequatur. Nulla verò sequetur læsio, si propositæ euacuationes tempore congruo fuerint administratæ. Tempus autẽ opportunum erit, si id, quod vnumquodq; euacuationis genus indicat, præsens fuerit, & omnia ea, quæ prohibere poterunt, procul aberunt. Cum itaq; quadtuplex euacuationum genus fuerit propositum, nempe reuellens, reprimens, discutiens, & aperiens, seu per sectionem aut apertionẽ quocunq; modo factam sensibiliter euacuans, snb quo ẽt detiuans vocatũ continetur, primũ genus à materia, quæ in patte tumore affecta residet, indicatur quidem, non tamẽ ab omni, sed ab ea solum, quæ non modo impacta non est, verum ẽt in solis vasis ipsius partis continetur. Reprimens verò præsidium ab ea materia præscribitur, quæ pariter in parte affecta impacta non est, siue in maioribus, siue in minoribus vasis, siue ẽt extra vasa in partis spacijs, non tñ infixa valde contenta sit. Et insuper quæ neque crassitie neq; lentore immodico, neq; duritie reprimẽtibus resistat. Si verò materia hæc non impacta adeo copiosa sit, ut partẽ affectã uehementissimè distendat, & dolore afficiat, & eius spiritus, & calorẽ pene obruat, reprimẽtibusq; propter sui copiã ingentem non cedat, indicat præsidiũ sensibiliter euacuans, quod per partis sacrificationẽ administratur. Quæ verò adeo impacta est in ipsa parte, vt reprimentium merito procul ab ea expelli non possit, tunc vel est per spatia partis disseminata per spatia ipsius partis affectæ, indicat auxilium digerens, seu discutiens vocatũ, quodquidem per poros cutis insensibiliter euacuat. Quod si discutienda materia durior sit, prius emolliendum, quia durities prohibet auxiliũ discutiens, quia crassior materia, dum dura est, non potest attenuari, & per poros cutis, & angustos partis meatus digeri: crassities verò, atque viscidìtas, dum sine duritie sunt, discutiens pharmacum non ita prohibent, quia discutiens auxilium, cum sit calidum siccum, & tenuium partium, vnà attenuare, incidere, & secare discutiendam materiam potest. Ideo semper in dura materia cum discutientibus miscenda emollientia. Si verò sit in vnum collecta, ita vt in aliquo partis maiori spacio abscederit, tunc vel est multa, vel potius pauca. si sit multa, indicat auxiliũ aperiens, & sẽsibiliter euacuans: sin pauca sit, & superposita pars rarior, & materia ipsa tenuior, aut non adeo crassa sit, potest auxilium discntiens indicare. Si pars superstans densior existat, & materia ipsa crassior, aperiens exposcit auxilium. Demum præsidium illud, quod sensibiliter extra corpus materiam educit, & per illam partem fit, quæ affectæ propinqua est, cum eaq; consortium habet, & deriuatorium vocatur, ab ea indicatur materia,

quæ

quænon in partis ſpatijs,aut poroſitatibus,ſed in venis,iiſque haud quaquam capillaribus conſiſtit. Quæ quidem ſi quis accuratius inſpexerit,ei facile patebit auxiliũ reuellens,reprimens atque deriuans,non ſolum ab influente verum etiam ab influxa iam materia,& ſubinde tum à tumore, qui in generatione eſt, tũ à tumore iam facto,indicari poſſe. ſolum autem diſcutiens præſidium à materia, quæ ſolum influxa eſt,indicari.Hæc autem cum ita ſe habeant,clarum eſt, nos toto eo tempore, quo fluxio perdurat,& tumor in fieri adhuc conſiſtit, & proinde uſque ad ſtatũ incluſiuè,tum reuellentibus,tum reprimentibus, tum deriuantibus auxilijs vti poſſe, quoniam hoc eodem tempore præſto eſt materia indicans. Quod autẽ reprimentia, & deriuantia auxilia prohibere poteſt, eſt ipſius corporis repletio. Priuſquam enim ad partis inanitionem veniamus,vniuerſum corpus,ſi plethora,aut cacochymia laboret, euacuari debet. Reuellentia verò quia partibus ab affecta remotis admouentur, etiam in primo morbi principio conueniunt. quia ſed his non eſt periculum, vt materiæ fluxio ad affectum locum proritetur. & ob id antequam reprimentibus vtamur, optimum eſt reuellentibus auxilijs vti. Simili modo deriuationes poſt reuellentia adminiſtrata tuto adhibentur. nam ſecus periculum eſt,ne fluxionem ad affectum locum concitatiorem reddamus. Scarificationibus pariter vti priuſquam vniuerſum corpus euacnatum ſit, & reuulſoria præſidia fuerint adhibita, alieniſſimum eſt. Sacrificationibus antem in morbi incremento, & vigore vtimur, quia his temporibus indicans ipſum,quod quidem eſt copioſa materia, præſens eſt. Digerens verò,ſeu diſcutiens præſidium quoniã gratia tumoris iam facti, & materiæ iam impactæ adminiſtratur,idcirco in augmento, & ſtatu,necnon præſertim in tumoris declinatione connenienter adhibetur: hoc tamen diſcrimine, quia ſicuti in declinatione ſyncerum admouetur,eò, quia tunc tẽporis fluxio prorſus ceſſauit,& tumor non amplius in fieri,ſed ſolum in facto eſſe conſiſtit,totaque materia impacta eſt: ita in incremento,& ſtatu,cum reprimentibus permiſta vſurpantur, quia his temporibus fluxio adhuc perdurat, & tumor partim eſt in fieri,& magna materiæ portio adhuc infixa, & impacta non eſt. Quod autem reſoluentia, ſeu diſcuſſoria hæc præſidia longè magis,quam reprimentia, & vniuerſi corporis euacuationem exigant, & poſt reuulſoria præſidia applicari debeant, clariſſimum eſt, quoniam ſui calore multo magis fluxionem proritare valent. Quia verò in tumoris augmento minor materiæ portio infixa eſt, quam in ſtatu, & maior portio adhuc fluitans,& non impacta reprimentibus cedit,ideo in mixtione digerentium cum reprimentibus proculdubio reprimentia prædominari debent. Sit itaq; commune præceptum,quod in principio tumorum, qui ex fluxione oriantur,dummodo uel indicatio,quę ab affecta parte deſumitur,vel quid aliud non prohibeat,ſola, ac pura reprimentia ſunt adhibẽda materia enim in principio nullatenus infixa eſt. In augmento uerò quia aliqua ex parte impacta eſt, ipſis reprimentibus nonnihil ex ijs,quæ diſcutiunt,ſeu digerunt,admiſceri debet. At in ſtatu,& paulo ante ſtatũ, quia æqualiter tum impacta,tum nõ impacta materia eſt,æquis portionibus reprimentia diſcutientibus miſcenda ſunt. In declinatione verò ſolis diſcutientibus occurrẽdum,quia omnis prorſus fluxio ſublata eſt, & materia in tumore, & parte affecta non reperitur, quæ impacta non ſit. Nam perſeuerante fluxione, ſemper repellendum,niſi aliquid obſtiterit;vbi verò fluxio iam conſtiterit,diſcutiendũ. quòd ſi partim aliquid fluxerit,& loco inhœſerit,partim aliquid adhuc influat, mixtis auxilijs vtendum: coeuntibus enim, vt Gal. ſcribit,contrarijs indicationibus,compoſitum quoque eſſe præſidium oportet. Quæ quidem intelligenda ſunt,dum tumor per viam reſolutionis terminari debet. Si.n.in alienam materiam,aut in pus abeat, quod quidem digeri,& diſcuti non poſſit, ad apertionẽ ipſam confugere oportet, & dum pus conficitur,concoquentibus,ſeu pus mouentibus, & dolorem mitigantibus pharmacis, de quibus poſt, naturæ pus conficienti opem ferre oportet. Hæc itaq; auxilia tempore, & ordine iam propoſito, ab initio morbi ad finem vſque ita procedere debent,dummodo uel indicatio,quæ ab affecta deſumitur parte, vel uehemens incidens ſymptoma, veluti dolor, aut affectus aliquis præter naturam,qui quidem rationem habeat antecedentis,non prohibeat.Hæc enim ſi quis ſpectet,& indicationes ab ijs exortas, ijs, quas propoſuimus,adiecerit, multas, eaſque inanes exceptiones, quas rationalis methodus nullo modo patitur,in medium afferre nõ cogetur. Quis enim vnquam in medendi methodo à Galeno cõſcripta exceptionem aliquã adinueniet?Nonne vnica tñ exceptio alioquin exigua uniuerſale pronunciatũ euertit? Valeant igitur poſthac exceptiones, ſolaq; viuat Gal. methodus,

quippe quæ ad optimè medendum satis superque sufficere potest. Exempli causa, reprimentium vsus examini subijciatur. Quidam magni nominis vir, & qui eum sequuntur, inquiunt, quod incipientibus tumoribus ex fluxione ortis, magis vtendum reprimentibus, quam digerentibus, quibusdam exceptis casibus, ex quibus, vt aiunt isti, Galenus visus est quatuor proposuisse. Primus est, quando tumor fit in emunctorijs. Secundus, quando fit à materia venenosa. Tertius quando materia est crassa, & repulsioni inobediens. Quartus, quando vehementer est impacta. Auicenna verò duos tantum casus excipit: nempe cum tumor est in emunctorijs: & cum est in loco aliquo, ex quo sit timendus refluxus materiæ ad membrum aliquod præcipuum, & nobile. Alij vnicum casum eximunt, alij sex, alij decem (vt Guido, qui etiam quādam reprimentium distinctionem affert) alij decem, & nouem, alij viginti tres. Verum has fallentias, siue exceptiones ponere, non est, vt diximus, rectam medendi methodum construere, sed potius destruere. Et dum quatuor illas exceptiones Galeno tribuunt, ab eius doctrina deflectunt, & toto, vt aiunt, cœlo aberrant. Non enim exceptiones sunt illæ, quæ medendi methodum construunt, sed indicationes ipsæ, quæ ab indicantibus, & prohibentibus eliciuntur, & penes propriam indicandi vim inuicem conferuntur. Discurramus, si libet, per exceptiones ab istis propositas. Dum inquiunt reprimens prohiberi, dum tumor est in emunctorio, nihil aliud proponunt, quam indicationem ab affectæ partis vsu desumptam. Cum enim eius vsus sit principalium membrorum superfluitates expurgare, reprimentibus adstringenda non est. Idem prorsus obseruandum, quotiescunque tumor aliquam crisim, quæ bona sit, & per abscessum fit, insequitur, indicatione scil. à parte ipsa laborante desumpta. Si enim de partium externarum, ignobiliumque tumoribus sit sermo, cui dubium, quod extimæ partes in relatione ad nobiles, internasque, dum istæ prauis humoribus obsessæ per crisim, & per viam abscessus expurgantur, illæ etiamsi emunctoria non sint, emunctoriorum tamen vicem gerunt, & subinde tunc temporis reprimentibus roborandæ, & adstringendæ non sunt. Et idem quoque statuendum est ob eandem causam, dum tumor externus imbecillum, & viribus pene destitutum occupat corpus. Externarum siquidem partium vsus est internorum viscerum excrementa suscipere. Dum verò inquiunt, non esse reprimendum in tumore, qui sedem habeat iuxta aliquam partem principem, eam indicationem proponunt, quæ à situ partis elicitur. Periculum enim est, ne materia in partem præcipuam reprimatur: ideo tum hac de causa, tum propter respirationem in pleuritide reprimentia cauemus. In angina, tum ne materia ad pulmones, & cor reprimatur, tum ne ad viam spiritus animali necessarijssimam impellatur, reprimentia; quæ gutturi extrinsecus applicantur, omnino cauemus, & solum intrinsecus in lambendi modum eis vtimur: Contrà in plerisque partibus, indicatione à situ desumpta reprimentibus solum extrinsecus vtimur; intrinsecus verò eadem euitamus: quia propter situm partis ab ijs deuoratis remotum, non nisi omnino refracta ad affectam partem pertingunt, & si quis ea valentiora exhibeat, obstructionum, & magnorum malorum periculum imminet. Corporis autem totius repletionem proponentes, nil aliud in medium afferunt, quam id, quod habet rationem antecedentis tanquam causa sine qua nō. Vt enim superius diximus, nunquam ad affectam partem vacuandam veniendum, nisi prius totum corpus fuerit conuenienter inanitum. Cur autem addant, tum crassam, tum prorsus impactam materiam reprimentia non requirere, ego prorsus ignoro. Nam hæc, impacta nempe, reprimentia, vti superius declarauimus, nullo pacto indicat, sed digerentia: crassa verò eadem omnino prohibet, quia sub his crassior euadit, & scirrhosa. Et vix crassa materia in parte tumore obsessa reperitur, quæ etiam impacta non sit. Omittimus, quod rarò accidit, vt materia in principio tumoris sit ita dura, & crassa, ut non possit repelli, præsertim cum talis materia per vias arctissimas pertranseat, & per meatus densos, atque compactos. Similiter in principio materia ferè impacta non est. Si verò cum vehementi dolore tumor consistat, quis est, qui nesciat dolorem habere rationem antecedentis, tanquā id, quod vrget. Cum enim sit causa, vt Auicennas ait, apostematum maxima, mitigatoria auxilia, vt prius tollatur, indicat, & repellentia, quæ frigida, & sicca, crassarumque partium, & adstringentia sunt, tanquam ea, quæ partem mordicare, & dolorem exacerbare possunt, omnino prohibet. Idem contingere potest, dum tumor ab aliqua causa primitiua ortū duxit, à qua uel dolor, vel vulnus, aut ruptio, vel contusio, aut consimilis affectus subortus sit, qui quidem reprimentia prohibeat,

beat,& ad ſeſe curationem trahat. Pariter dum tumor à materia venenoſa fit,hęc habet rationem antecedentis: & quia maximè vrget,adeo,ut cogat nos ipſius euacuationi primum incumbere,& tanquam cauſa,ſine qua non, quia ea præſente, vt ſuperius ex Galeni præceptis declarauimus, perſeuerat dolor, qui prius, tanquam cauſa rumorem augens,ſubmoueri debet. Et idem de papulis,& bubone peſtilentium febrium dicendum, in quibus venenoſa materia maximè vrget, & ſui eradicationem indicat,

De Tumoris præt. natur. curatione, & primum de materia Chrirurgica. Cap. V I.

Chirurgica præſidia.

QVEMADMODVM duplicis generis indicationes propoſuimus,& primo illas,quæ tumorem in fieri,& ſubinde eius cauſarum ablationem reſpiciebant, ſecundo verò loco eas,quæ tumorem iam factum ſubmouebant: ita in harum indicationum, & præſidiorum materiebus quibuſcunque proponendis eodem prorſus ordine incedemus. Nam primò de his,quæ tumoris cauſam antecedentem auferunt, & vniuerſi corporis euacuationem, expurgationemq; reſpiciunt., ſecundo loco de ijs, quæ contentiuam tumoris cauſam, & tumorem iam factum adimunt, & topica, ſeu localia remedia vocari poſſunt, pertractabimus. Si itaque, uti conſueuimus, de chirurgicis materiebus primo loco verba fiant,in his,ut Galen.& omnes reſtantur,ſanguinis miſſio primatum tenet. *Gal.13.meth.c.6.* Vbi enim corpus plethoricum ſit, eò quia ęquabiliter inter ſe ſucci ſunt adaucti, tumorque à fluxione ortum ducit, quæ fit eò,quia totum corpus, vel plures partes à ſanguinis copia aggrauatæ ad tumore affectam particulam ſuperfluum ſuccum mittunt,nullum præſtantius adeſt remedium ipſa redundantis ſanguinis, ſeu plethoræ ablatione.. Hæc autem Galeno reſte tum ſanguinis miſſione curatur,tum frequenti balneo,tum exercitatione,tum frictione,præterea digerentibus medicamentis,& præter hæc omnia inedia. Oportet igitur perpendere, quonam ex ipſis vti maximè expediat. Si quidem ſi iam febriciret æger, nec exercitatione vacuare exuperantiam licet, nec vnctione, quæ excalfaciat: ſed nec multa fictione,nec balneo,ſed potius ſanguinis miſſione vnà cum inedia,vel purgatione aliqua. At ſi nondum ſebricitat, omnibus iam dictis utare, optimum quodque ad id,quod inſtat, deligens. Illud enim patere arbitror,eum, cui crura phlegmone laborant,non eſſe vel ambulatione, vel curſu exercitandum: ſed nec ſtare illi eſſe iubendum,imo ſedenti plurimum fricari, mox manuum motu exercitari illi eſt ſatius. At ſi cui in ſupernis partibus, cœperit pars aliqua phlegmone, vel alio tumore tentari,huic motus ex inambulatione,aut curſu eſt ſalutaris. Similiter & frictio his quidem ea potior eſt,quæ cruribus adhibetur: illis, quæ in ſupernis partibus adminiſtratur. Quippe præceptum in contrarium reuulſionis in omnibus talibus commune eſt. Neque igitur cum vel circa ſedem, vel aliquam huic vicinam partem initium phlegmones incidit,aluum deijcies: neque cum in veſica vel cole,vel renibus eſt cœpta,pharmaca, quæ vrinas prouocent,bibenda dabis. Nec, ſi mulieri in vtero,vel pudendo inſedit,menſes huic prouocabis: ſed ad partes,quę maximè longinquæ ſunt,ſemper reuulſionem facies, æſtimata ſcil. tum phlegmones magnitudine,tum corporis totius ſtatu. Nam ſi plurima ſuccorum abundantia ſit, nec exercitatione, nec balneo ſine periculo vtare: ſin exigua ſit, licet & per hæc vacues. Vbi tamen ſanguis redundat, & tumor ex fluxione oritur, omnium tutiſſimum, & quàm celerimum auxilium eſt ſanguinem mittere, idque aut vena inciſa, vbi ſcil. & virium robur, & ætas florens præſto ſunt, & tumor alicuius momenti eſt: aut membris ijs,quæ læſa non ſunt,ſacrificatis, vbi vires, & ætas ſectionē venæ non ferant, tumorque parui momenti ſit. manu enim laborante ſacrificabis crura:altero crurum male habente, reliquum. Has namque vacuationes indicat ipſa copia, ſicut etiam ſuccorum vitium redundantis ſucci purgationem. ac plerunque poſt hęc præſidia glandularum phlegmone deſinit:ſæpe tamen vel ipſo,qui curat,ad corporis totius vacuationem ſegniore;vel ipſo,qui laborat prę mollitie eam non admittente,earum phlegmone maior efficitur,ſic,vt ad ſuppurationem perueniat. Iam verò nedum in calidis,verum etiam in frigidis tumoribus ſiue per fluxionem,

Sanguinis miſſio.

nem, siue per congestionem subortis, etiamsi non adsit sanguinis redundantia, nihilominus, vbi tumor magnus, & periculosus sit, præsente virium robore, ætateq; florente, ne tumor incrementum suscipiat, & vt localia remedia tutò admoueamus, cogimur venam incidere, saltem reuulsionis causa. Si enim vel plethoricum corpus sit, vel etiam non plethoricum, sed malo succo redundans, curatio, quæ per localia medicamenta digerentia, aut quoquo pacto calefacientia perficitur, fluxionem ad affectam partem proritat: & ideo aut venam incidere, aut scarificatione membrorum, quæ læsa non sunt, vti coacti sumus. Vacuamus enim totum corpus per venam sectam, vt Galen. nos admonet, non modo cum in redundantiæ succorum est habitu: sed etiam cum mediocritatem succorum continet, si morbi magnitudo suadeat. Siquidem dolor, & calor membri, in quo tumor sedet, etiam si purum ab excrementis totum corpus sit, fluxionis fiunt causæ. Expedit tamen parcius id hoc casu facere, ac vacuare, prout maximè tum virtuti, tum ætati laborantis, tum naturæ congruere videbitur, æstimatis præterea tum anni tempore, tum regione, tum consuetudine. Pro maiori quoque vel minori sanguinis redundantia, maior vel minor sanguinis copia detrahenda erit: dummodo mediocris quantitas ab octo vsque ad duodecim uncias æstimata fuerit. In maximis autem inflammationibus non ita tutum est, vsque ad animi deliquium euacuare. Cum enim virium statum cognoscere sit perdifficile, melius est, euacuationem infra subsistere: Vbi tamen vires validæ sint, & corpus iuuenile, atque robustum, & præsertim vbi magnā inflammationem vehementissimus dolor, & febris ardens, aut synocha comitatur, possumus cum Gal. 1. aphor. com. 23. vsque ad animi defectionem sanguinem mittere. Dum autem venæ sectionem reuulsionis causa potius abhibemus, aut etiam virium imbecillitatem timemus, optimum est iterata venę sectione sanguinem uacuare, & quod unica vice detrahendum erat, duabus vicibus educere. Vnde dum adest plenitudo quoad vasa, euacuatio continuata fieri debet: si fuerit plenitudo quoad uires, phebotomia partienda est, ut scil. primò parum euacuemus, post tres aut quatuor horas eandem repetamus: quia vires continuatam euacuationē non ferunt. Quantum spectat ad locum, clarum est reuulsionem, quæ in contrarium fit, & in omnibus huiusmodi tumoribus commune auxilium est, in parte opposita parti læsæ fieri debere, deriuationem verò in parte proxima parti affectæ administrandam esse. Quocirca dum volumus reuulsionem adhibere, quæ semper ante deriuationem, & in principio, dum sumus accersiti, molienda est, debemus ad fluxionis locum oculos dirigere, ut per partem oppositam valeamus reuellere. Inspecto fluxionis loco, quatuor membrorum oppositiones proponit Galenus, prima est à superioribus ad inferiora, ut sursum, & deorsum: secunda est lateralis, ut dextrum, & sinistrum: tertia est secundum profunditatem, ut ante, & retro: quarta oppositio est illa, quæ à centro ad circumferentiam est, & è conuerso, quam alibi proponit Gal. quæ quidem solum ad internos curandos tumores attinet. Si quis autem quærat, quænam membra dicantur sursum, & quæ deorsum, Gal. huic respōdens, vmbilicum eorum, quæ sursum, & deorsum sunt, medium terminum statuit: ita, ut omnes partes supra umbilicum, includendo hepar, superiores; quæ verò infra hepar, & umbilicum sunt, inferiores dicantur. His oppositionibus inspectis, dū venæ sectione reuellere studemus, & cupimus hoc auxilij genere parti affectæ quā citissimè opitulari, fluxionemque ipsam quàm celerrimè prohibere, non debemus quadruplicem hanc oppositionem ad unguem seruare, & si, exempli causa, dextra, eaque anterior capitis pars rumore præhendatur, posteriorē sinistri cruris venam reserare. nam sic reuulsio vel nulla foret, vel omnia tarda. Quinimo partibus supra vmbilicum, seu supra renes laborantibus, Gal. in principio reuellere studens venas superiores aperit, sicuti ijs, quæ infra renes sunt, affectis, venas inferiores pertundit, & quod magis est, dum gratia supernarum partium affectarū supernas aperit venas (& per supernas partes eas, quæ supra renes, vel vmbilicum sunt, intelligimus) non eas secat, quæ in reliquis duabus oppositionibus contrariæ sunt, sed Hippocratis præceptis intentus, non solum debitam partium distantiam; verum etiam rectitudinem seruat, & proinde pleura membrana in parte dextra phlegmone affecta, dextri brachij basilicam aperit, idque propter causam iam allatam. Si enim, inquit ille, sinistra basilica aperiretur, remedium uel nullum esset, vel tardum. Quare vt reuulsio cito succurrat, & ut detractus, exiensque sanguis, ne detur uacuum, sibi vicinum sanguinem trahat, & per partem post partem motus hic vsque ad sanguinem, qui partem affectam inuadit, pertingere ualeat, in ea facienda non solum

Quantitas mittēdi sanguinis.

Locus à quo sāguis detrahendus.

Gal. 5. apho. 68.

Galen lib. de rat. cur. per sangu. miss.

opposi-

oppositiones iam propositas, verum etiam conuenientem membrorum distantiã, & rectitudinem ipsam vel partium, vel vasorum obseruare debemus. Quemadmodum in deriuatione administranda, earum partium venas, quæ affectæ vicinæ sunt, & cum ea consortium, & communicantiam nactæ sunt, aperimus. Hac aũt uniuersali tradita doctrina, eã si lubet, in ipsis particularibus membris breuiter ducamus. Capitis tumores tum externos tum internos, siue ẽt nunc initium faciant, siue magnitudinem summã impleuerint, reuellit secta cubiti vena, quæ cephalica, siue humeraria nuncupatur, dextra quidẽ dexteros, sinistros sinistra. Eos aũt deriuant scapularum, atq; humerorũ scatificationes, iniectæq; cucurbitulæ, & sanguis è naribus profusus, & extractus. Qui tumores priora capitis obsederunt, reuelluntur secũdo loco cucurbitulis scarificatis occipiti affixis, deriuantur aperta vena frontis: qui verò occiput, & posteriora tenent, secta vena frontis reuellũtur: cucurbitulis verò ceruici, humerisq; adhibitis deriuantur. Oculorum inflãmationes, fluxionesq; primũ secta eiusdem lateris cephalica, deinde humerorum ceruicisq; cucurbitulis reuelluntur, inhibenturq; : deriuantur aũt incisa vena, quæ in alterutrum fertur angulũ. Auribus inflammatis, & parotidibus, post humerariã sectam reuulsionis causa, secta vena sub aure, deriuatio fit. Gingiuarum maxillarum, & dentium inflammationes pro reuulsione cephalicæ apertionem eiusdem scil. lateris, post, deriuationis gratia, earum, quæ sub labijs extant, venarum sectionem desiderant: vt angina, seu gutturis inflammatio earum, quæ sub lingua cernuntur. Pleuræ, itemq; pectoris, & mãmillarum inflammationibus basilica, siue interior eiusdem lateris vena secta tum reuellit, tum sanguinis eductione protracta, aut iterata, deriuat. Inflãmationes, quæ vel axillas vel humeros malè habent, nisi ad brachij flexum pertingant, eandem curandi rationem subeunt: quum aũt eò peruenietur, tutius est pro reuulsione, vel cruris e directo positi, vel alterius brachij venas prius incidere, & deinde pro deriuatione facienda, manus è directo venam aperire. In partium verò, quę infra renes sunt, inflammationibus quàm citissimè reuellit, & vnã deriuat, venæ, quæ circa poplitem, aut malleolos est, & ab eodem latere adapertio. Propterea si qua inflammatio, tumore, vel podicem, vel vesicam, vel alterutrum inguen, vel vterum, vel testes, aut partes obscoenas infestabit, optimum est, ut tum reuulsio, tũ deriuatio fiat, uel poplitis, vel malleoli è directo positi venam incidere, si verò in coxa, aut crure inflammatio sit, ne fluxio ad locum trahatur affectum, tutius est, vel alterius cruris, vel brachij è directo positi basilicam (dummodo inflãmatio venenatę alicuius pernici participes non sit) pertundere: & mox ad deriuationem præstandã ex ipso pede sanguinem mittere. Si enim infernis partibus venenato tumore laborantibus, brachij vena aperiatur, praua materia per cauam venam sursum trahitur ad cor, & partes præcipuas. Illud demum animaduertendum est, quod dum aliqua consueta sanguinis euacuatio, siue per uterũ, siue per hæmorrhoidas, siue per nares suppressa fuit, & per consueti ductus apertionem, non possumus & consuetam euacuationem reuocare, & conuenienti modo reuellere: post congruam adhibitam reuulsionem, vel eodem die, si res vrgeat, uel saltẽ postero, antequam deriuatio fiat, malleolorum venæ reserandæ, vbi menses suppressi sint, vel hæmorrhoides, aut nariũ venæ, ubi hæ præter consuetudinem clausæ permauserint, aut hirudinibus, aut alijs auxilijs, aperiendæ. Non est autem, ut de tempore huius præsidij plura scribamus, cum toties dictum sit, reuulsionem, dũ fluxio adhuc valenter irruit, & proinde vsq; ad statum esse faciendam: in fine verò status, & in ipsa declinatione, dum scil. iam fluxio restitit, & corpus abundè uacuatum est, vel ab ipsa parte, quæ afflictæ vicina est, vel ab affecta vacuationem esse moliendam. Quare aluo, & primis ductibus per clysterem, vbi morbus peracutus est, aut vbi opus sit, & tumor præbet inducias, per aliquod leniens medicamentum, euacuatis, quamprimum, ut reuulsio fiat, ad venæ sectionem accedendum. Qua etiam de causa tum frictiones, tum cucurbitulæ non incisæ, dolorosæ ligaturæ, inunctiones digerentes, calida lauacra, sinapismata (quæ validissima sunt) cauteria, setacea, quæ occipitio applicita sunt ophthalmiæ præsentaneum remedium, & id genus alia reuulsoria, post totius corporis euacuationem, in principio præsertim, & toto tempore fluxionis, oppositis longinquisq; partibus admouentur. Quippe ipsum, quod phlegmone infestatur, inquit Gal. vinciendum non est: sed si in manibus phlegmone est orta, crura: sin in cruribus, manus. Quæ verò cucurbitulæ scarificatæ ijsdem applicantur partibus, eæ potius, dum ratione virium vel ætatis venam secare non licet, administrantur.

[Margin notes: Galen. 2. ad Glauc. 2. — Tẽpus mittendi sanguinem. — Alia reuulsoria præsidia.]

De

De communibus medicamentis in curatione tumoris conuenientibus. *Cap. VII,*

Quæ fluxionem, antecedentemque tumoris causam tollũt, & communia vocantur medicamenta.

MEDICAMENTA pariter in duplici ſunt differentia. Quædam enim ad tumorẽ, qui eſt in fieri, diriguntur, quædam tumorem iam factum reſpiciunt. Paria ſunt illa, quæ fluxionem auertunt, tumoriſq; cauſam omnem, ac præſertim antecedentem, & ſubinde tumorem ipſum aſſiduo fouentem, abſcindunt. De quibus ſi primum, vti decet, verba fiant, ſciendum eſt, ea triplicis eſſe generis, prout in fluxione tria neceſſario concurrunt, videlicet mobile, motus, & ipſum mouens. Vel enim ipſum mobile reſpiciunt, & materię, quę ad locum affectum fluere poteſt, euacuationem, & proinde totius corporis expurgationem præſtant: vel motum tollunt, & materiã, quæ actu fluit, eam incraſſando, & vias ipſas adſtringendo cohibent; vel cauſas, quæ materiã mouent, è medio tollunt. Quæ autem materiam euacuant, & totum corpus expurgant, nedum in iis omnibus tumorib. conueniunt, qui cacochymiæ & prauorum ſuccorum ſoboles ſunt, verum etiam in iis, qui à ſanguinis fiunt fluxione, dum corpus præter ſanguinem ipſum prauis quoque, & vitioſis ſuccis refertum eſt. Hæc autem duplicia ſunt: Vel enim lenientia ſunt, & vocantur, quæ benigna cum ſint, etiam ſi virtus non adeo robuſta ſit, & humores non ita præparati, poſſunt exhiberi: Vel propriè purgantia ſunt, & dicuntur, quæ tum vires robuſtas, aut ſaltem non adeo debiles, tum prauos humores concoctos, ſeu præparatos exigunt; dummodo ij turgentes non ſint, & inordinato motu per corpus ferantur, aut ad aliquod nobile membrum impetum non habeant. Si enim turgeant, & inordinato, ac concitato motu cieantur, vel ad aliquod membrum nobile deferãtur ex Hippocratis decretis, qui etiam in pleuritidis principio purgantibus vtitur, dũmodo vires ferant, expurgandi ſunt, præſertim, cum turgẽtes humores à reliquis ſegregati, & potius tenues, in motuq; poſiti non ita purganti pharmaco reluctentur, & ſua acri qualitate membrorum expultricem irritent. Quantum ſpectat ad Lenientia dicta, in tumore calido, ac calida fluxione, ea potiſſimum probantur, quæ nedum tenues, ac calidos humores, qui facilè fluunt, euacuandi, verum etiam refrigerandi vim habent. Quibus ſi aliqua etiam adſtrictio accedat, vi cuius partes roborare, & fluentes humores incraſſare, & adſtringere valeant, longè prçſtantiora euadent, dum ea per os exhibita volumus per aluum, & inferiores partes euacuare. Qua de re omnium præſtantiſſimi ſunt Tamarindi, quia calidos, & bilioſos humores educunt, refrigerant, & adſtringunt, & poſſunt vel ſoli exhiberi, veluti ſi eorum pulpam electam à drachmis iiij. vſque ad vj. pro ratione ætatis, offeramus; vel cum aliis eiuſdem facultatis pharmacis permiſceri. Vnde quemadmodum in pueris optimũ eſt tres aut quatuor drach. pulpæ thamarindorum cum æquali floris caſſię copia propinare: ita in adultis eorundem ſemunciam cum floris caſſiæ vncia vna, in bolo f. vel cum vnciis quatuor, aut ſyrupi roſ. ſolutiui, aut violati ſyrupi pariter ſolutiui expedit exhibere, ita tamen, vt hæc refrigerãte aliquo decocto, quod roborandi vim habeat, excipiantur. Quale potiſſimum eſt, quod ex cichoraceis medicamentis paratur. Similiter vrgente fluxione, flos caſſiæ dum ſolus ad vnciam j. & s. præbetur, debet vnà cum drachma vna ſpecierum diarhodonis abbatis in bolum redigi. In frigido verò tumore, ac ſimili fluxione, ſi ea tenuior ſit, probatur tum manna, tum mel roſ. ſolutiuum ab vnc. iij. vſque ad vj. pro ætatis ratione, ſi pariter aut cichoraceo aliquo apozemate, aut ſi materię, ac mẽbrorum frigiditas id requirat, cum leuiter calfaciente decocto, quod alicuius adſtrictionis ſit particeps, excipiantur. Tale autẽ erit, ſi nedum betonica ipſa, verum etiã mentha, aut agrimonia, aut pentaphyllo paretur: Si fluens humor craſſior ſit, probatur electuariũ lenitiuum, vel ſi iecur calidius ſit, flos caſſię ab vncia vna, ſi corpus ſ. puerile ſit vſque ad vnc. j. & s. vel etiam drach. xiiij. vbi adultum fuerit, tuncq; poſſunt pharmaca hęc vel cum ſeminibus citri, vel cum ſpeciebus hieræ ad drach. j. in bolo parari. Neque enim tunc adſtringentia requiruntur, cum frigidi & craſſi humores ægrius, longioriq; tempore fluant. Quod ſi non bolos, ſed potiones malint, expedit lenitiuum ipſum cum cichoreæ, ac borraginis decocto, caſſiam verò cum ſeminũ citri decoctione diſſoluere, & in potu propinare, ea tamen lege, vt flos caſſiæ per horã vnam, manna per tres, mel roſ. ſol. per quatuor ſyrup. roſ. & viol. ſolut.

Euacuãtia.

Hip. 1. aph. 22. & 2. de rat. vict. 11.

Lenientia.

Quæ per os ſumuntur, & inferius euacuant.

tama-

tamarindi, ac lenitiuum per quinq; horas ante cibum præsertim matutinum exhibeantur, & laborans ab assumpto pharmaco vel nihil, vel parum dormiat. Et hæc
Clysteria. sunt lenientia, quæ per os exhibita per inferiores vias euacuanr. Quæ verò inferius iniecta aluum leniunt, & intestina ipsa potissimũ expurgant, sunt clysteria, quæ quidem in calida fluxione, ex hordei, betæ, violarum & maluarum decocto ad lib. 1. vel circiter pro laborantis ætate, & vnc. ij. vel iij. olei violacei, & saccari rubei cum pauco sale, & vbi opus sit, ex vncia j. cassię pro clystere ijs adiecta, poterunt parari. In frigida verò fluxione ex decocto nedum maluarum, uerum etiam mercurialis, furfuris, chamæmeli, betonicæ, stoechados, aut consimilis, cui mel rosatum simplex ad vnc. ij. vel iij. cum eadem olei anethini, uel chamæmelini portione, & copiosio-
Vomitoria. ri sale, & ubi necessitas sit, cum vnc. j. elect. lenitiui conficienda erunt. Verum de ijs omnibus, nec non de vomitum prouocantibus in alijs libris, & præsertim in vitijs ventriculi, & putridis febribus curandis abundè egimus. In calida enim fluxione vomitoria ex aqua tepida, aut etiam hordeacea ad lib. j. cum vna, vel duabus vnc. syrupi acetosi simplicis parari diximus, quemadmodum in frigida crassaq; materia eadem cum oxymelite, cum succo raphani, & vbi necessitas cogat, cũ tribus, aut quinque floribus genistæ, & iure pingui, ac tepido confici poterunt. Iisdem in locis pur
Purgantia, & præparātia. gantia medicamenta erunt petenda. Quæ quidem in calido tumore debent esse mitia, quemadmodum est ipsum rhabarbarum, & in minori dosi exhibita, nec non cũ decoctis, & cum lenientibus iam propositis, refrigerantibus tamen permista. Quod si corpora robusta sint, & propter tumorem vehementem cogamur valentioribus vti purgantibus, ea in parua, aut etiam minima dosi propinanda sunt, & cum refrigerantibus, roborantibusq; dissoluta, & composita. Propterea in adultis rhabarbarum ad drach. j. in refrigerante, aut cichoraceo aliquo decocto, vel etiam sero lactis caprini infusum vnà cum iiij. vnc. syr. ros. aut viol. solitiui, vel cum vnc. j. flor. cassiæ, & drach. iij. pulpæ thamarindorum poterit offerri. Si quis autem valentioribus vti velit, veluti sunt electuarium de succo rosar, electuar. ros. Mesu. aut diaprunis solutiu. non debet drach. ij. vel ad summum tres, vnius scilicet vel alterius transcendere, & hæc vnà cum propositis tum dilutis, tum lenientibus excipere. Confectio autẽ Hamech, quæ in adustis & nitrosis & acribus humoribus præstantissima est, cũ gustui ingratissima sit, debet in bolo ad semiunciæ dosim vnà cum vnc. j. vel floris cassiæ, vel, si febris non adeo intensa sit, cum eadem quantitate electuarij lenitiui propinari. Hæc autem exhibenda non sunt, nisi prius acetoso simplici, vel cichoraceis syrupis, aut, vbi fluxio calidior sit, eorundem, necnon boraginis, acetosæ, & violarũ decoctis humores sint præparati. Patet autem in pueris, & imbecillis corporibus vel purgantia hæc in minima dosi, vel potius lenientia iam proposita exhibenda esse. In frigida fluxione loco rhabarbari agaricum trochiscatum in eadem dosi cũ mellis rosacei solutiui vnc. iij. vel iiij. aut cum mannæ electæ eadem quantitate poterimus accipere. Et vbi crassior fuerit humor expurgandus, à senæ vel polypodij decoctione cum rebus cordialibus facta, non est recedendũ, quæ quidem a drach. ij. vsq; ad iiij. vel v. imponi poterunt, prout uires & ætas poterunt perferre. His verò vel sy
Purgantia per vomitum. rup. de polypodio ad vnc. iij. vel iiij. vel electuarium lenitiuum ad vnc. j. permiscenda erunt. Inter ea verò quæ per vomitum expurgant, tutissimum est agaricũ. Quod si uires ualidæ sint ac ætas florens, & fluxio valde crassa purgantibus maximè resistat, ægerq; vomitum facilem habeat, possumus ad antimonium ipsum præparatũ ad grana ij. vel iij. per os exhibitũ, vel ad elleborum album in eadem dosi, & eodem modo, quem in primo libro de melancholia docuimus, paratum, confugere. Hi autem frigidi, ac crassi humores proprijs Syrupis, antequam expurgentur, præparandi diligenter, & detergendi, attenuandiq; sunt, præsertim vbi ualidioribus pharmacis eos purgare uelimus. Quocirca probarur oxymel, mel rosatum simplex, syrupus de betonica, de stoechade, de hyssopo, de fumaria, de corticibus citri, de duabus, vel de quinque radicibus, oxymel compositum, scylliticum, cum melissæ, hyssopi, betonicæ, saluiæ, & id genus aliorum decoctis, vel etiam aquis stillatitijs dissoluti, vel consimiles attenuantes, & abstergentes syrupi, de quibus in locis iam citatis prolixiori sermone pertractauimus: & idem prorsus de ijs, quæ per vrinam & per sudorẽ expurgant. Statuendum est, quorum frigida, veluti sunt semina maiora, & minora, in calida fluxione conueniunt; calida verò dum materia frigidior fuerit. Ea verò sunt semina dauci, fœniculi, asparagum, petroselinum, & id genus alia, quæ possunt tum vrinam tum sudorem prouocare, si post eorum assumptionem calidæ, & digerentes iniunctiones, vel ẽt Laconica balnea, vel similia præsidia extrinsecus admoueā-

tur: &

tur:& hæc de purgantiũ,ac lenientiũ qualitate,ac quantitate dicta sint. Hæc tñ(si his rectè uti velimus)scire non sufficit; sed necesse est,vt eorũ utendi modum,& vsum calleamus. Quantũ verò attinet ad tempus ipsorũ opportunũ, hoc ex dictis tũ de ipsis,tũ de venæ sectione clarũ est. Patet.n.ijs toto fluxionis tẽpore,& præsertim cũ primũ vitiosi humores in partem affectã irruere incipiunt,nos uti debere. Sed primũ lenientibus,quæ dum per os sumuntur,nisi tumor peracutus sit,ẽt ante venæ sectionẽ utiliter præbentur, vt.s.primis ductibus probè euacuatis, tutius venæ sectio administretur. De clysterijs verò dubiũ nõ est,quin statim,antequã uena aperiatur, vel aliud sanguinis missionis genus adhibeatur,sint imponenda. Post lenĩetia verò præparantia,sicuti ab his purgantia offerenda sunt. Verũ circa ipsorum utendi modum,sciendum,quod dum superfluitates,& uitiosi humores solũ in intestinis repe riuntur, in reliquo aũt corpore cacochymia non adest, solis clysterijs contenti sumus. Similiter,quotiescunq; virtus debilis,vel ætas grauis,aut puerilis,alia purgantia aut lenientia non sustinet,ad eadẽ clysteria confugimus:sed dũ iisdem in morbi progressu vtimur,& post prauorũ succorum præparationẽ,& ornatum, eosdẽ purgare cupimus,eis,uti dictũ est, confectis,pharmaca, quæ purgãdi vim habeant,adijcimus,qualia sunt,in calida fluxione electuar.de succo ros. Mesu.à ij.vsq; ad iiij.drach. Et idem de diacassia,necnon diaprun.solut.& confect. Hamech statuendum est: In frigida verò electuariũ de dactylis, hiera magna, aut hiera diacolocynthidis, aut composita, aut id genus alia, quæ à tribus vsq; ad vj. drach. cum superius propositis permisceri possunt. Si verò ne dũ in intestinis;verum ẽt in ventriculo,& venis meseraicis,in simisq; iecoris partibus superfluitates scateant,vel vomitorijs,vel leniẽtibus,quæ per os sumpta inferius euacuant,vti cogimur. Et si in reliquo quoq; corpore,& vlterioribus partibus cacochymia præsto sit,ẽt purgantibus,dũmodo vires ferant,& gratia istorũ præparantibus utendũ. An verò per secessum,aut uomitum, vel per vrinatios meatus,aut per sudorẽ,aut alias vias purgandũ sit,nos affectus docebit locus,illud insuper semper memoria tenentes,quod dũ ab affecto loco reuellere studemus,per partes ab eo remotas,sicuti in deriuãdo per vicinas euacuamus. Non.n.ait Gal.ratio solum, verum ẽt usus ipse indicat, aliã alij parti uacuationem congruere. Siquidẽ ex ijs,quibus oculi tentari phlegmone cęperant,nonnullos sola purgatione per aluum vno die sanatos uidit. Quam rem si quis facere in iecore,cũ phlegmone laborare incipit,tentet, maximũ excitabit phlegmonẽ, æquè,vt si,cum renes,aut vesica,aut genitalia mẽbra phlegmone tentari cœperint,quæ per vrinam purgent,medicamenta exhibeat:aut si cũ uterus phlegmone laborat,menses deuocet. Longissimè.n.à tentata fluxione parte,quod redundat,reuellere,nequaquã ad eam trahere conuenit. Hac itaq; ratione nec si ventriculũ,aut intestina,aut hæmorrhoidas,vel anũ tumor occupare iam cœperit, medicamine, quod aluum deijciat, vti conueniat. Eandem cum his indicationẽ & uterus sortitur. sicuti cũ urinæ vasis, pudenda. At uomitu uti,pudibundis & infernis partibus laborantibus,in diuersa reuellens auxilium est. Eadẽ ratione in omnibus,quę circa caput,& superiores partes accidunt,medicamentum,quod aluum deijcit,ad contrarium auertit, reuellitque. Si qua verò circa fauces,& palatum,aut linguam,aut denique in ore laborare incipiant,in his omnibus cauenda sunt,quæ pituitã per os euocant, & apophlegmatismos uocant:quippe cum id simile sit,ac si deijcere aluũ Intestinis laborãtibus uelis: aut vrinas mouere,cum in renibus,aut in vesica tumor sit:aut uomitu lacessere cũ partes stomachi sunt afflictæ. Satius igitur sit,ubi partes,quæ in ore sunt,phlegmonẽ vel alium tumorẽ accersire incipiant, post adhibitã reuulsionẽ deriuare ad nares. In summa, quod purgandũ sit, id cõis indicatio ab ipsa cacochymia desumpta cõmonstrat: Vnde aũt,& quõ purgatio sit facienda,id æger ipse docet locus. Quod aũt naturales meatus,per quos mẽbra expurgari consueuerant,relaxandi,aperiendiq; sint,& suppressæ euacuationes consuetæ sint reuocandæ proprijs auxilijs, vnicuiq; patere põt ex his, quæ de phlebotomia dicta sunt. Quẽadmodũ ex traditis in curatione puttidarũ febriũ apertũ est, per eã uiã prauos humores esse purgandos, in quã natura ipsa uergit,dũ euacuare tentat per ductus,ac regiones conuenientes. Nos.n.aliqñ naturæ motũ intuentes, & adiuuantes,incipientes supernarũ partium phlegmonas solis diureticis pharmacis maiores fieri prohibuimus, quia .s.natura euacuationẽ per vrinã affectabat. Ab verò medicamẽta,quæ materiæ motũ incrassando,& adstringendo cohibent,intrinsecus uel extrinsecus administrantur. In his autem quæ intus sumuntur, cautè agendum est. Si enim fluxio, & materia frigida sit, siue crassa, siue tenuis, hæc omnino fugienda sunt. Quæ enim refrigerando materiæ

Purgãtiuũ tempus.

Per quam viam purgare debeamus.

Gal. 13. meth.c. 11.

Medicamẽta,quæ materiæ motũ cohibent.

Intus sumpta.

materiæ motum remorantur, eius malam qualitatem augent; quæ autem astringendo id præstant, intus sumpta, frigidam materiam incrassant, & obstructiones promouent. Quare solum in calidiori, ac tenui materia fluente conueniunt. Tuncque probatur nedum victus ratio, quæ refrigerandi, incrassandi, adstringendique vim habeat, de qua post, verum etiam decoctum cichoraceum acetosæ, portulacæ, & vbi seruidior, & tenuior fluens materia fuerit, semperuiui, & ipsius plantaginis: quæ quoniam cum præparantibus coincidunt, post aluum lenitam, & phlebotomiam adhibitam, manè per quatuor horas ante prandium assumuntur. Laudatur quin etiam saccarum rosaceum, violaceum, succus limonum, mali Medici. Quæ etiam vnà cum iulep rosaro, & violato, aut syrupo acetoso simplici possunt cum decocto coriandrorum, aut cum aqua, qua pro potu vtuntur, permisceri; Quæ autem extrinsecus admouentur, sunt illa, quæ defensiua à Chirurgis vocantur, & ijs partibus, quæ supra affectam sunt, & in quibus viæ, seu canales, per quos humores ad affectam particulam fluunt, conspicui, & aperti, magisque superficiales sint, applicantur. Si enim à toto corpore ad partem determinatam humor aliquis fluat, si vasa, per quæ pertransit, adstringantur, fluentis humoris motus statim tollitur. Vnde si in manu, vel pede fiat tumor, curandum est, vt viæ & partes mediæ astringantur, præsertim vbi præter naturam laxiores fuerint. Vnde si in capite tumor fiat, applicantur collo, si in extrema manu supra carpum, & sic de reliquis locis, quos quidem in sermone de vulneribus vniuersaliter curandis declarauimus. Collo autem, aut fasciam, aut stupam, vel spongiam infusam in oxycrato, aut vino nigro austero, in quo rosæ violæ, myrti baccæ, & id genus alia incocta sint: In alijs autem partibus defensiua vocata pharmaca, de quibus loco citato dicimus, vsurpati solent: inter quæ validissimum est, quod Recipit pulueris rosarum rubearum, mytillorum, gallarum, mastiches, sanguinis draconis, boli Armenæ, santalorum omnium, cerussæ ana drach.j. olei rosacei, olei violacei ana quantum sufficit ceræ albæ parum, aceti rosacei vnc. semis. Omnia misceantur, & coquantur vsque ad consumptionem aceti. Optimum quoque est, quod Recipit santalorum omnium, sanguinis draconis, boli Armeni, picis colophoniæ ana drach.j. misceantur & fiat puluis, qui cum oui albumine excipi, & applicari potest. Sed dum volumus magis constringere, & præsertim in capitis fluxionibus, tunc sumimus mastichem lento igne liquatam, in eaque pulueres prædictos infundimus, & super corium ad formam conuenientem paratum, calidum fronti, & temporibus applicamus. Adeo enim tenaciter hærere solet, vt non nisi post octo dies remoueri possit. His autem applicitis defensiuis pars affecta in sublimiori situ, & ea ratione collocatur, vt omni prorsus dolore vacet, & sursum spectet, vt in sermone de fracturis docuimus. Si verò tertio, & vltimo loco de ijs medicamentis loquamur, quæ causas materiam mouentes adimunt, cum duplex causa in superiori capite statuta sit, videlicet expulsio, seu transmissio, & attractio; Expulsio verò, seu Transmissio fiat eò, quia robustiora membra ad debiliora superfluitates mittunt, dum præsidia, quæ transmissionem tollunt, proposuimus, nullam prorsus ab expellentis; seu mittentis partis robore indicationem desumpsimus. nam neque Gal. vllam de eo mentionem fecit, neque medendi ratio id exigit, præsertim si de externis tumoribus sermo sit, cum ij gignantur eò, quia robustiora membra, & nobiliora ad debiliora, ignobilioraque prauos succos mittant. Nam absurdum omnino esset, pro ignobilium partium conseruatione nobiliores labefactare, & esse in causa, vt superfluitatibus in ipsa detentis maiora, & deteriora mala consurgerent.

Extrinsecus admota

Medicamenta, quæ causas materiam mouentes remouent.

De Topicis præsidijs pro tumoris curatione, & victus ratione. Cap. VIII.

QVARE præter præsidia, quæ ad fluentem materiam & ad vias ipsas, ac declinem partis situm diriguntur, de quibus dictum est, nihil proponendum remanet, nisi materia præsidij, quod recipientis partis languorem tollit. Cum autem languiditas partis duplex sit, & vel natiua, quæ scil. partis connaturalis est, & à naturæ legibus profecta, quæ potest etiam imbecillitas secundum naturā appellari, eò, quia partes quædam robustæ, quædam languidæ, & minus robustæ sui natura creatæ, & ordinatæ sunt: vel adscititia, seu post ortum contracta, quæ vel ratione alicuius intemperiei, vel nimiæ laxitatis prouenit: à priori imbecillitate, quæ naturalis est, nulla sumenda est indicatio, cum potius ea conseruanda sit. Quare vt partis imbecillitas post ortum contracta, & præter naturam existens remoueatur, oportet imbecillitatem contrarijs præsidijs auferre. Cum itaque vel sit intemperies, quæ nonnunquam, vt ait Gal. adeo remissa est, vt ignoretur. vel nimia raritas, laxitasque, quarum ratione innatus partis calor, & spiritus exhalat, & dissipatur; ratione intemperiei oportet occurrere pharmacis, quæ per contrarium alterant, de quibus in sermone de ventriculi intemperie loquuti fuimus, dummodo præsidia hæc à fluxione ipsa, & à materia, quæ tumoris contentiua causa est, non prohibeantur. Quinimo dum partis intemperies non quidem recens, sed protracta est, non sine periculo, dum ea tumore, & morbo aliquo laborat, tolli potest, vt ob id præsidia hæc potius in præcautione exquisita, quam in curatione, & dum tumore pats obsidetur, conueniant: Exempli causa, si pars affecta tabe, & exiccatione, ac proinde spirituum, sanguinisq; penuria laboret, quis est, qui ignoret, eam tutò refici, & humectari non posse, nisi prius à phlegmone, aut alio tumore, quem patitur, vindicetur? Longè verò minus tuto eius frigida intemperies tolli potest, cum calorifica medicamenta fluxionem augeant. Quod si imbecillitatis causa sit nimia laxitas, & raritas, eam iubebat Gal. adstringētibus tolli, qui propterea scribebat absynthium omnes partes roborare, dummodo earum imbecillitas ex nimia laxitate ortum ducat, & idem reliqua adstringentia pharmaca, quæ frigida sunt, uti balaustium, plantago, rosæ, myrti baccæ, & id genus alia, præstare possunt. Cum autem hæc astringentia, & roborantia omnia vnà cum reprimentibus coincidant, ideo tē pore morbi & ipsius tumoris non sunt admouenda, nisi ea omnia, quæ in superiore capite reprimentia prohibere posse diximus, procul absint. Tempore autem sanitatis, ut affecta pats à tumore præseruetur, semper tuto adhiberi possunt. Dū verò fluxio ipsa per attractionem fit, huius duplicem posuimus causam, calorem scil. & dolorem. Si propter calorē fiat, uti sæpius in ijs, qui currunt, aut diutius, & concitatè ambulant in cruribus, & pedibus: in ijs uerò, qui artem exercent, qua manus igni expositas tenent, in manibus phlegmones sæpius fiunt, oportet locum affectū refrigerantibus ad naturalem temperiem reducere. nam calot præter natutam excitatus dupliciter fluxionem fouet. nam & attrahendi vim habet, & prout membrum intemperatum, & subinde debile reddit, ad suscipiendum idoneum efficit. Quare probatur oleum rosaceum completum, aut etiam violaceum cum linteis frigidis oblinita, & quamprimum linteamina applicita calida redduntur, tum primum remouenda, immutandaque sunt. Adhuc magis refrigetat, ubi opus sit, nenuphatium oleum: quibus possumus pro necessitate, vbi caliditas intensior sit, succos frigidos permiscere, ut succum semperuiui, lactucæ, solani, vel similium. Vnde primo loco possumus infrigidans Galeni, quod cum oleo rosaceo omphacino frigida primum sæpius, deinde aceto abluto paratur, applicare; deinde vnguentum rosatum Mesues, quod magis refrigerat; postea vnguentum album, siue de cerussa ipsius Rasis; ab his ualentissimum erit vnguentum populeon. Et hæc post phlebotomiam possunt ilicò partibus affectis, & circumiacentibus admoueri, dummodo in eorum applicatione animaduertamus, ne vnguenta vaporum, & calidorum effluxuum euaporationem impediant. Quod quidem dictum sit propter ineptos chirurgos, qui immediatè vnguenta hæc ipsi cuti applicant, & eius poros infarciunt, &

vaporum

Partis intẽperiem corrigentia.

Gal. 2. meth. 2. & lib. de diff. morb. 5.

Galen. 2. ad Glauc. c. 14.

Quæ laxitatem partis auferunt.

Quę partis calorem remouent.

vàporum exhalatione impedimenta, caliditas extranea adhuc magis intenditur.
ideo non ſunt cuti admouenda, ſed tenuiſſimum linteum cuti prius admouendum,
& poſtea tale linteum ſubtile iam dictis vnguentis obliniendum. hoc enim pacto
linteum eſt in cauſa, ne vnguentum ſiccetur, & ne poros cutis infarciat, & ne vapo-
ribus viæ præcludantur. Si verò attractio fiat ratione doloris, oporret ea medica- [Medicamẽta, quæ dolorẽ remouent.]
menta adhibere, quæ dolorem remouent, quæ quidem ſemper particulæ, quæ tu-
more afficitur, ſed interdum alteri quoque parti, quæ hac inferior eſt, applicari de-
bent; exempli cauſa, dum phlegmone in adenis oritur in alis, vel inguinibus exiſten-
tibus, eò, quia manu, aut pede dolente, fluxio ad has quidem partes excitatur; ſed a-
denes tanquam laxiores & imbecilliores fluxionem prius ſuſcipiunt, tunc non ſo-
lum adeni phlegmone correpto, verum etiam inferiori particulæ, ſiue ſit manus,
ſiue pes, ſiue alia pars, remedia, quæ dolorem auferunt, applicanda erunt. Quibus
verò medicamentis, & præſidijs dolori occurrendum ſit, in primo noſtro libro in
ſermone de capitis dolore exactè declarauimus: hoc in loco dixiſſe ſufficiat, quod
interdum pugnare debemus aduerſus dolorem, interdũ aduerſus doloris cauſam,
prout hæc vel ille magis vrget. Pugnamus autem aduerſus dolorem, vti quinto
ſimpl. 19. nos docet Gal. dupliciterq́; videlicet vel ipſum anodynis mitigando, vel
ſenſum partis nacorticis, & ſtupefacientibus auferendo, ne ſcilicet pars dolorem,
& eius cauſam percipere vllo pacto poſſit. Anodynorum, quæ blandiendo dolo- [Anodyna.]
rem, & ſenſum partis demulcent, duplex eſt genus. Nam quædam primi ſunt ordi-
nis excalfacientium, & calidiora, quam quæ ſymmetra ſunt, & talia propriè anody-
na ſunt, ſeu paregorica, quia re & nomine talia ſunt, vt Gal. habet, ceu oleum ane- [*Gal. 5. ſimp. 19.*]
thinum: quædam ſunt ſimiliter vt corpus noſtrum, quia habent calorem calori in-
nato eius, qui curatur, quam ſimilimum, veluti ſunt pus mouentia nuncupata, de
quibus tum in ſermone de vulneribus diximus, tum in hoc capite inferius rurſus
dicemus. Itaq; quæ reuera ſunt anodyna, partium ſint tenuium, & calidiora quam
quæ ſymmetra ſunt, neceſſe eſt, vt ſcilicet euacuent, ac digerant, tum rarefaciant, ex
tenuent, concoquant, & æquabile reddant quicquid in partibus dolore vexatis aut
humorum acrium, aut lentorum, aut craſſorum, aut multorum tenuibus ſpiramen
tis infarctorum, aut etiam vaporoſi, aut craſſi, aut admodum frigidi ſpiritus exitum
commodum non inuenientis inhæſit, atque incluſum eſt. Itaq; nihil prorſus aſtri-
ctionis habeant oportet, ne ſi pars quidem, aut etiam affectus expoſcant. Ex quibus
liquet, quod interdum affectionem non iuuabunt, ſed dolorem tantummodo miti-
gabunt, quando ſcilicet reuera dicentur anodyna: interdum verò etiam affectum
ipſum adiuuabunt, & facultatem habebunt duplicem, nempe anodynam, & ſanan-
tem. Inter hæc itaque quæ in primo gradu ſunt calfacientium, & tenuium ſunt
partium, præter oleum anethinum, reperitur oleum commune antiquum, oleum
de ſeminibus lini, chamæmelinum, oleum amygdalinum, oleum de lumbricis, oleũ
vulpinum, in quo ſcilicet vulpes, aut eius pars aliqua incoquatur, aut etiam ericiũ,
quod erinaceum dicitur. Quæ verò ſunt temperata, ſeu ſimiliter, vt corpus no-
ſtrum, ſunt veluti lac humanũ, aut ex brutis, quod dum perfunditur, dolorem ſedat,
quia cum ſanguine humano ſimilitudinem habet, & partis humiditatem, & conti-
nuitatem propria humiditate fouet: idem præſtat butyrum, œſypus, adeps ſuillus;
gallinaceus recens, vitulinus, anguillæ; atque humanus, oleum ex vitellis ouorum;
ſimiliter ſapa dulciſſima, vinum dulciſſimum, flos caſſiæ cum oleo roſaceo, aut
chamomelino permiſtus, lana ſuccida, mala dulciſſima cocta, & cum pauco croco
permixta, panatella ex lacte, & medulla panis confecta dolori optimè medentur,
& non remota cauſa doloris; neque partis ſenſu corrupto, ipſum mitigant. Si verò [Narcotica, & Stupefacientia.]
his auxilijs dolor mitigari non poſſit, tunc neceſſitate compulſi, vt dolor vehemẽs,
ac maximè vrgens tollatur, ad ſtupefacientia ipſa, quæ in quarto ordine frigida
ſunt, confugimus, quorum vi ſenſus partis aboletur: Talia autem ſunt cicuta, man-
dragora, hyoſcyamus, & opium: quæ cum craſſæ ſubſtantiæ ſint, & ſubinde ægrè
permeare valeant, & adhæc, cum ſui intenſſima frigiditate, ſint partis, cui applican-
tur, corruptiua: ideo cum caſtoreo præſertim, aut euphorbio, aut pipere, aut cario
phyllis, aut cinnamomoq́; ſiue cum vno ex his, ſiue cum pluribus, prout expedit;
permiſcentur. nam interdum æqualiter cum aliquo ex his calfacientibus, non-
nunquam in maiori, aut minori portione commiſceri debent; & poſſunt, nedum
extrinſecus dolentiq; particulæ, verum & intrinſecus, & per os adminiſtrari, vt ci- [*Lib. 1. cap. 1.*]
tato loco docuimus. Notat autem Gal. quod ad vſum propoſitum optima ſunt, [*Gal. 5. ſimp. 19.*]
quæ deſiccant. nam quæ frigida cum ſint, humiditatis etiam copiam obtinent, ceu

cicuta, ea potui non sunt vtilia: talis est mandragora, excepto cortice ipsius sicco, & alterum, seu hyoscyamus, præter semen. ideo præ ceteris probatur opium, quia refrigerat, & siccat. Hæc autem tum narcorica, tum anodyna post totius corporis euacuationem, & saltem post phlebotomiam, præsertim applicanda esse, ex dictis liquet. Si verò doloris causa magis vrgeat, quemadmodum contingit in dolore, qui ex punctu morsuvè virulento alicuius animalis exoritur, tunc causæ doloris vel euacuationi, vel alterationi incumbendum est, ea ratione, & methodo, quam in superiori capite proposuimus. Vacuant autem virus, quæ sua caliditate attrahunt, veluti sunt cœpæ, & eorum succus, euphorbium, sulphur, & similia, quæ affecto loco calida applicantur. Sed priusquam hæc imponantur, optimum est demorsum, seu punctum membrum lixiuio acri, & calidissimo abluere, & cum locus rubet, admouere medicamentum ex sulphure, euphorbio, & nitro, aut ex allio, & cœpis. Sunt etiam alia, vt pix naualis, rosmarinus, vel similia. quidam hoc composito medicamine vtuntur. Recipe picis naualis vnc. j. salis nitri vnc. semis, seminis sinapis drachm. ij. cæparum, alliorum sub prunis decoctorum ana vnc. iij. assæ fœtidæ, sagapeni ana drach. iij. stercoris columbini (optimum enim est ad extrahendum) vnc. j. s. aristolochiæ rotundæ, dictamni albi ana drachm. j. olei liliorum alborum quantum sufficit. Tritis optimè terendis, misce, & fiat emplastrum, quod calidum superponatur. Si enim malum tertium diem non transierit, hoc medicamentum optimè ei medetur. Hoc autem non conferente, optimum est gallos, aut gallinas viuas in duas partes secare, & sic calida natiua calidate malo superponere, quia optimum est præsidium. Quidam, antequam quidquam agant, statim arctè ligant locum supra partem læsam, ne scilicet venenum vlteriores partes, & cor ipsum petat. Ligant autem fasciola corij admodum valida, & postea locum læsum scarificant. Applicandæ pariter sunt, vt superiori capite cum Gal. notauimus, cucurbitulæ, vel cornua, quæ quidem repetenda sunt, donec dolor, & subinde liuor euanescant. Si hæc præsto non sint, præcipiendum rustico, alijve homini plebeio saturo, vt abluat os primum vino, & postea oleo, & ilicò post punctam partem ore, & labijs exugat. Quod si neq; hic præsto sit, locus altius scarificetur, & cornua, vel cucurbitulæ adhibeantur. Quæ si non proderunt, tunc confugiendum ad ferrum cadens, quo quidem locus exurendus, quia ferè semper præsidium hoc venenum remouet. Interim verò ad ea transeundum est, quæ nedum per manifestas qualitates, verum etiam à tota substantia, si id exigat inflictum venenum, alterant. Si itaque venenum frigidum sit, & in demorso loco vehemens frigus sentiat, maximè probantur magnæ antidoti, theriaca scilicet, mithridat. à drach. j. vsque ad iij. debentque esse per aliquot annos fermentatæ. Probatur quoque confectio anacardina, necnon vinum præpotens, & calidissimum. Quod si venenum maximè calidum sit, & in affecto loco feruorem percipiant, vel etiam in toto corpore, contrarijs auxilijs, & ijs, quæ refrigerant, pugnandum est; tuncq; non improbatur eadè theriaca, sed recenter confecta; nam ante sex menses, & priusquam fermentata sit, ratione opij validè refrigerat, & tunc non debemus ipsius semidrachmam transcendere. Si verò venenum agat à tota substantia, præter bolum Armenam, terram Cretensem, rutam, ventrem mustelæ. præter ranas, quæ à Dioscoride maximè probantur, eadem Theriaca, & Mithridatica confectio possunt tanquam omnibus venenis communia auxilia per os exhiberi, sed à drach. j. vsque ad ij. Quod si animal, quod venenum eiaculauit, tale sit vt eius veneno aliquod experientia probatum pharmacum aduersetur, eo tanquam proprio, atque peculiari præsidio curatio peragenda erit, quemadmodum in quinto libro fusius tractauimus, exempli causa in morsu scorpionis, sic lac ficulneum, aut etiam idem scorpio capiatur, apertusque loco læso superponatur, illum probè curat. In morsu pastinacæ marinæ, eius hepar assumptum mirificè sanat. In puncturis, quæ fiunt à crabronibus, sumimus tanquam frigidum, & proprium medicamentum ipsum hordeum optimè coctum, aut folia maluarum, & contrita cum aqua frigidissima, aut bubulum stercus cum posca illitum super affectam partem imponimus. Muris aranei morsui, mus araneus ipse discerptus vtiliter imponitur. Et sic de reliquis. De materijs autem præsidiorum, quæ causas materias gignentes tollunt, non est, (vt aliquid dicamus, quia de ijs in primo, & secundo libro satis superque egimus, & ad præseruationem ipsam magis exquisitam, non autem ad hunc locum attinent. Quantum spectat ad medicamenta, quæ id, quod factum est tumoris, curant, cum omnia hæc ad redundantis in affecta

Quæ doloris causam magis respiciunt.

Topica medicamenta, quæ id, quod factum est tumoris, curare valent.

parte

parte materiæ, & humoris euacuationem dirigantur, & euacuatio, quæ à medicamentis fit, non nisi duplex esse possit, vt in superiori capite ostensum est, videlicet vna, quæ fit translata ea, quæ in affecta parte continebatur, materia: eò quia ipsa pars affecta materiam ipsam ad alias partes abigit, propterea quod adstringentibus, comprimentibusque, & roborantibus medicamentis adstringitur, & densatur, altera verò, quæ fit materia per partem affectam ratione tantum contemplabilibus effluentibus euacuata, hæcque per digerentia, seu resoluentia, illa verò per repellentia seu reprimentia vocata pharmaca perficiatur, idcirco duplex medicamentorum genus, reprimens scilicet, & digerens commemorandum superest. De reprimente verò illud prius sciendum est, quod sicuti ex Galeni monitis, repercussio fit à virtute validæ partis tanquam ab effectrice causa, & præcipuo agente, ita medicamenta, quæ reprimentia vocantur, quia partem ipsam ad hanc operationem adiuuant, causæ adiuuantis rationem habent. Adiuuant autem partem ipsam densando, comprimendo, & roborando. Qua de re, vt idem scriptum reliquit, eorum, quæ in altum occurrentes sibi succos repellunt, substantia frigida est, & crassarum partium. Attrahit enim, ait ille, perpetuò calidum; repellit verò frigidum comprimendo scilicet, & densando; vnde, ne detur corporum penetratio, quàm natura non sustinet, necesse est, vt humores talibus medicamentis subiecti subterfugiant. Verum sicuti quod cum caliditate coniunctam habet partium tenuitatem, trahit vehementius, ita, quod cum frigiditate partium crassitudinem habet, quemadmodum est adstringens, id violentius repellit, quoniam vehementius & densat, & comprimit. Verum quia idem Galen. alibi de eodem reprimente medicamento verba faciens, scribebat, quod non solum quidem repellunt, ea quæ adstringunt; sed etiam ea, quæ sine adstrictione refrigerant, sicuti contra digerunt, quæ calefaciunt, & insuper ea, quæ adstringunt, duplicia sunt, videlicet frigida, & crassarum partium, quæ verè, & maximè propriè repellentia, seu reprimentia sunt, necnon calida, & itidem crassarum partium. Idcirco reprimentium medicamentorum genus triplex esse potest: Vel enim sunt solummodo frigida, actu scilicet vel potestate, vel sunt adstringentia calida; vel adstringentia frigida. Frigida pura absque adstrictione, eaque moderatiora, sunt aqua ipsa actu frigida, acetum, & ex his mixtum oxycratum, seu posca: Vnde in vulneribus carnosis posca, & aqua frigida, ne tumor, & inflammatio suboriatur, optimè prohibent. refrigerat quoq; sine astrictione, & moderatè psyllium, vmbilicus veneris, trifolium, endiuia, cucurbitæ succus, polygonum, auricula muris, viola, & violaceum oleum, nec non oleum rosaceum. nam licet rosæ sicuti etiam nymphæa, seu nenuphar astrictionis expertia non sint; attamen oleo admista, solum refrigerant, quia id, quod habent adstrictionis, ab olei vnctuositate ferè aboletur. Nenupharinum oleum tamen iam dictis vehementius refrigerat, vti etiam lactuca. Valentissima verò sunt cicuta, hyoscyamus, mandragora, & papauer, quæ tamen admodum cautè, & potius cum alijs mista, dum necessitas id exigit, admoueri debent, & extrinsecus solum administrari. Sub adstringentibus autem calidis continetur mastix, folia, & galla, seu nux cupressi, mentha, thus, vinum potens acerbum, sysimbrium viride, absynthium; chalcanthum pariter, si aqua diluatur, & alumen maximè adstringunt. Sorba verò matura, & sicca, & oleum omphacinum etiam si in actiuis calida non sint; tamen non refrigerant, & adstringunt, repelluntque. Sub vltimo autem genere, & verè repellentibus, sed mitioribus, continetur œnanthe, seu vitis racemus cum floribus, portulaca (est enim cuiusdam particeps austeritatis) rubus, santali, vinum acidum, myrthi folia, fructus, & oleum, rosæ siccæ, & virides, oui album, & cortex eius. Valentiora autem sunt sorba, corna, mespila, omphacium, mala cydonia, eorumque caro, folia, & succus, semper viuum maius, plantago, solanum hortense, quod Arabes alkekengi vocant, nymphææ radix. Inter ea verò, quæ valentissima sunt, reperiuntur hypocistis, acacia, galla, omphacitis, flores mali granati, eiusque cortex, quod malicorium vocant, necnon folia similiter, ac granata malorum. Inter metalla verò repetitur bolus Armena, sanguis draconis communis, terra Lemnia, sigillataue: hæc enim omnia strenuè admodum adstringunt. Vltimo lapis hæmatites optimè etiam refrigerat, & adstringit. In hac autem classe non sunt enumeranda folia, ac gallæ cupressi, quia, vt clarè ait Galenus, calfaciunt. Apparet enim, ait ipse, in ea leuis quidem acrimonia, sed plurima amaritudo, multoque etiam plus acerbitatis in tota planta;

[Left margin notes: Reprimentia. — Frigida pura. — Adstringentia calida. — Adstringentia frigida.]

[Right margin notes: Gal. 13. metho. 16. — Gal. 7. simp. fer. propria.]

tantaque ei inest acrimonia, caliditasque, quanta satis sit deducendæ in altum acerbitati. Vnde resiccandi vim habet absque insigni acrimonia, aut caliditate: quasi velit eam calfacere quidem non tamen insigniter. His autem repellentibus enumeratis, vt nobis imperat Gal. non est indiscriminatim vtendum, sed in tumore, & materia frigida semper calidis vtendum reprimentibus: E contra verò in materia, & fluxione calida frigida repellentia sunt vsurpanda. Oportet insuper pro recto reprimentium vsu tum totius corporis, & affectæ partis temperiem æstimare, tum partis situm, ac sensum, & eius vasa tum affectus magnitudinem, tum demum ipsum ambientem aerem: exempli causa, si totum corpus, & pars affecta frigidioris sint temperiei, partis verò sensus obtusus sit, & situs decliuis, & vasa ampliora, & inflammatio magna, & aer ambiens calidior, validiora indicantur reprimentia, dummodo vel dolor, qui sub his exacerbari solet, vel materiæ crassities, quæ sub eis in scirrhosam abire consueuit, valentiora hæc non prohibeant. Si verò temperies calidior sit, partis sensus veges, situs non decliuis, & vasa angusta, praua phlegmone, & ambiens aer frigidior, mitiora reprimentia opportuna erunt. Si verò indicationes iam dictæ inuicem pugnantes fuerint, aut medio modo se habuerint, mediocria reprimentia vsurpanda erunt. Et demum in reprimentium administratione semper à leuioribus inchoandum, quia his interdum incipiens tumor prohibetur. Et his in tumoris principio synceris vti debemus, sicuti in augmento cum digerentibus sunt miscenda; ita tamen, vt reprimentia digerentibus prædominentur: & in statu, & paulo ante æquis portionibus inuicem componenda. Quæ autem digerentis auxilij materia sit, iam dicamus. Quoniam euacuatio, quæ per partem affectam insensibiliter fit, quandoque resolutio, nonnunquam digestio, interdum discussio, à Gal. verò diaphoresis dicitur: ideo pharmaca, quæ talem efficiunt euacuationem, synonymè, & resoluentia, & digerentia, & discutientia, & diaphoretica vocari possunt. Cum autem resolutio, seu digestio per poros cutis, & affectæ partis tenues meatus insensibiliter fiat, necesse est, vt ei subiecta materia, quæ scilicet digerenda sit, nedum humida, verum etiam tenuis existat. Dum enim & crassa, nisi prius mollis, ac tenuis euadat, per angustos meatus digeri nullo pacto potest. Cum itaque adeo tenuis discutienda materia efficienda sit, vt in halitum, & vaporem conuersa per tales meatus insensibiliter euacuetur; Id autem à nullo alio, præterquam à naturali calore satis valido, & intensò præstari possit; hinc colligimus, causam discussionis effectricem esse naturalem calorem auctum supra proprium gradum, & proinde discutientia, seu resoluentia pharmaca adeo calida esse debere, vt innatum partis calorem supra proprium gradum augere, & ipsum intentum reddere valeant. Hoc enim aucto, materia liquatur, attenuatur, rarefit, rarefacta, & liquata materia fit halitus, qui postmodum à centro ad circumferentiam attractus facilè ducitur. Verum quoniam rarefactio, & tenuatio tum meatuum, tum materiæ, necnon attractio, & auctio caloris in gradu à siccitate ipsa optimè fiunt, ideo digerentia præter calorem siccitatem habere debent. medicamina siquidem resoluentia, vt Galenus scriptum reliquit, ab attrahentibus pharmacis, quæ repellentibus è diametro opponuntur, parum differunt. Sed quia caliditatis ac siccitatis multi sunt gradus, ideo sciendum resoluentia non posse esse calida, & sicca in quarto gradu, quia sic subiectam partem exurerent, & exedentia, septicaue, aut escharotica potius essent. In primo pariter gradu talia esse non possunt, quia sic non digerentia, sed anodyna potius essent. Si verò sicca essent in primo gradu, & calida in secundo, eorum actio profecto imperfecta esset, quia necesse est, vt quantum materiæ eliquatur, & rarefit, tantum eiusdem materiæ absumatur, siccetur, & per halitum digeratur. Ad hoc Galenus respiciens dixit interdum, quod digerentia medicamenta sunt, quæ, cum ex tertio sint ordine calfacientium, & desiccantium, essentiæ insuper subtilis sunt. Debent autem esse substantiæ tenuis, seu subtilis, quia licet plura medicamenta calida, & sicca sint in tertio gradu; attamen non discutiunt, eo quia emplastica sunt, vel crassarum partium. Quare vt digerentia sint, debent vltra talem caliditatis, & siccitatis gradum tenuem essentiam, seu substantiam habere, vt in alium permeare, rarefacere, & attenuare, in halitumque conuertere materiam possint. Insuper sciendum, quod cum corpora penes mollitiem, & humiditatem inter se multum differant, quandoque ratione molliriei corporis, cui applicantur, calida, & sicca in secundo gradu resoluere possunt. Vnde dum ait Galenus ea esse calida, & sicca in tertio gradu, de ijs, quæ verè, & exquisitè

Digerētia, seu discutiētia.

Galen. 2. de compo. med. per gen. c. 13.

Gal. 8. simp. f. rm. de paronychia.

quisitè resoluentia sunt, in mediocribusque temperie, & mollitie corporibus admoueri possunt, verba facit. Quare resoluentia secundum diuersitatem corporum, & penes maiorem, ac minorem humiditatem, atque mollitiem variantur. Cum itaque à secundo gradu vsque ad tertium intensum magna sit latitudo, ideo Galenus tres resoluentium ordines, seu status visus est enumerasse. Ex discussorijs enim, inquit, parabilia moderata sunt caricarum, & furfurum decoctum, & aqua mulsa in qua origanum, aut hyssopum, aut thymus, aut thymbra, aut calamintha, aut pulegium, aut mentha odora, quam hedyosmum vocant, sint incocta. Fortiora sunt etiam hæc, si diutius coquantur, amplius autem & nitri spuma, aut ipsum adeo nitrum vstum: fortius verò his est sulphur viuum, hæc ille. Qui in eodem capite alia multa proponit, & in supra scriptorum decoctione loco mulsæ etiam sapam, quam sireon vocant, proponebat, necnon asiæ petræ florem, qui quidem inter mediocria enumeratur. Generosius pariter discutere possunt, vt ille scribit, si tusa, & cribrata cum melle excipiantur, costus, amomum, & quod macer appellatur, & Cyrenaicus succus, quemadmodum etiam Medicus, aut aliquis eorum, qui postea celebres facti sunt. Pauperibus porrò pro sumptuosis discussorijs pharmacis, aut dictamnum, aut acorum, aut meon, aut pyretrum, aut cardamomi quippiam, & sinapi æquale inijciendum censebat, ita vt ad triū drachmarum pondus eorum mistorum moles perueniret, ad eam scilicet symmetriam, in qua mellis libra haberetur. Quod si quatuor, aut quinque drachmarum pondus ex his explere velis, magis discussorium pharmacum habebis. Semper enim pro constitutionis affectuum proportione augeri, ac minui pharmacorum vehementiam oportet. Tempus autem indendi hæc in recipiente medicamento, siue mel sit, siue aliud simile, est, vbi prope perfectè coctum fuerit pharmacum, aut olla iam in terram deposita. Hæc itaque iam proximè relata pharmaca valde discussoria sunt, & adhæc amplius cinamomum super omnia vim tenuium partium, & discussoriam habens. Quin & semina anisi, apij, & ammij discutiunt: & iris & aristolochia ex discussorijs sunt, velut etiam myrrha. Mistæ autem facultatis ex discussoria, & adstringente, repellenteque est cassia, & crocus, & nardus, & amomum, & costus, sed præcellit in ipsis calfactoria, & discussoria, & præcipuè in costo: Valde autem discussorium est piper. Mirrha verò discussoriam habet vim, sed & lenem, & mitigatoriam vnà cum hoc, quod etiam concoquit. Itaque mitissima resoluentia, seu discussoria erunt caricarum, furfurum, lomentorum fabarum, aut cicerum decoctum. Quæ tamen in formam emplastri redacta intensè resoluunt, & subinde his postea in ipsa declinatione vtimur. Primi ordinis quoque sunt chamemelum, ammoniacum, lacryma, galbanum, farina fabacea (quæ maximè sunt in vsu, præcipuè in augmento phlegmonis testiculorum) fermentum, liliorum radices, altheæ radix, melilotus, trifolium pratense, anseris adeps, necnon gallinaceus vetustissimus, oleum antiquissimum: Hæc enim omnia leniter discutiunt, & vnà mitigatoria sunt: Et ob id ab his leuioribus semper inchoandum: In secundo ordine est melicratum, in quo quandoque coquitur horum alterum, scilicet thymus, origanum, calamintha, hyssopum, pulegium, mentha, quæ cum mediocria sint, possunt in statu vsurpari. quandoque etiam in mulsa coquuntur anisi, cymini, anethique semina, nonnunquam beta, capparis fructus, & radices, vel lolij farina, & fabæ, cicerisque decoctum, aut lomentum: Ideo in hoc secundo ordine capitur etiam horum substantia: addimus quoque erui farinam, aristolochiæ radicem, fœnumgræcum, marrubium, radicem peucedani: Leonis etiam adeps mediocriter, & satis validè discutit. In tertio ordine, & validiora iam dictis sunt primo nitrum vstum, & non vstum; simplex, vel compositum: validissimè enim discutit: & proinde solum in declinatione, & vrgente necessitate vsurpatur. Et idem dicendum de calce semel extincta, aut semel elota, & de sulphure viuo. hæc enim omnia strenuè discutiunt. Vnde in gummis Gallicis sulphur optimè discutit, sicut etiam aqua sulphuris, quæ sulphuris oleum dicitur. Pariter assa fœtida optimè discutit, vt in callis extirpandis paret. Eandem prorsus facultatem habet cardamomum, galanga, & piper album, quod optimum est: quibus aut simplicibus, aut mixtis vtimur. Itaque ab ipso tumoris incremento vsque ad eius inclinationem discutientibus vtimur, semperque à leuioribus, & facilioribus inchoamus, & per media illa, quæ sunt secundi ordinis, ad valentiora progredimur. Debent insuper tum resoluentia, tum reprimentia modo valentiora, modo mitiora admoueri, & modo hæc, modo illa in maiori copia sumi pro diuersa ægrotantis

Digerentiū latitudo, & differentia penes gradum.

Galen. 6. de compos. loc. cap. 1. prope medium.

Mitissima discussoria.

Discussoria secundi ordinis.

Digerentia tertij ordinis.

tantis

tantis corporis temperatura, & pro humoris fluxi, & influentis varietate. Si enim maior fit quantitas humoris fluxi, & impacti, maiori copia discutientium egemus: contrà si minor fuerit influxi humoris quantitas, & maior fluentis, reprimentium copia prædominari debet. In tumoris autem statu, & multò magis in augmento acria resoluentia fugienda sunt, quoniam talia partem affectam stimulant, dolorem adaugent, & fluxionem innouant. Quod autem de reprimentibus diximus, illud idem de digerentibus repetimus, quod nimirum vbi intrinsecus administrantur, vel ijs aut per os exhibitis, aut in ore detentis vtimur, ea cauenda sunt, quæ vel erodentem, aut deleteriam vim habent, aut ingratiora sunt. Eligenda enim erunt, quæ naturæ amica, & ventriculo familiaria sunt, & quantum fieri potest, gustui grata, atque iucunda. Qualia sunt decoctum caricarum, cicerum, altheæ, melicratum, in quo thyma, aut calamintha, aut origanum, aut pulegium, aut hyssopum decoquatur, necnon cinamomum, piper: Et in compositorum numero diatrion pipereon, diaciminum, diacalamenthum, diagalanga, & id genus alia. Demum in reprimentium, & discutientium vsu illud perpetuo obseruandum est, vt non modo eradicationi materiei, quæ in affecta parte continetur, verum etiam intemperiei, quæ ab eadem materia producitur, curationi, si ea vrgens sit, intenti simus. Proinde sicuti in reprimentium vsu, dum materia calida est, frigidis; dum frigida est, calidis vtimur: ita in vsu resoluentium, dum materia adeo calida est, vt in parte affecta morbosam, intensamque caliditatem producat, vsque ad morbi vigorem & statum inclusiuè aut calida resoluentia omnino euitamus, vbi scilicet feruor materiei maximè vrgeat, aut mitiora cum refrigerantibus, reprimentibusque permiscemus, de quibus superius diximus. Vbi autem feruor iam desituit, quod in declinatione ipsa contingit, in quocunque tumore, etiamsi biliosus, atque feruidior prius fuerit, calidiora quoque resoluentia admouere licebit: vti clarius in particulari tumorum curatione constabit. Victus autem ratio, quæ potius ad prohibendum id, quod fit tumoris, ac ad tollendam fluxionem dirigitur, semper propositos iam scopos respicere, & si fieri potest, absoluere debet: Exempli gratia, vbi fluxio ab ipsa oritur plethora, victus minuens, ac tenuis magis aut minus, prout sanguinis redundantia exigit, esse debet. Si à cacochymia ortum ducat, debet esse boni succi, & eius facultatis, vt humoris vitium, & corruptelam corrigat. Si fluat humor eò, quia sit valde tenuis, victus incrassandi, & vbi succus fluens calidior sit, refrigerandi vim habeat. Quocirca tunc temporis cibus congruus est, qui ex oryza ex hordeo, ex coctis lactucis, ex intybo, & endiuia paratur. Potus sit aqua cum syrupo acetoso, vel iulep violato, vel saccaro rolaceo, aut violaceo permixta. Pisces verò præsertim saxatiles, & molles, friabilesque possunt concedi. Possumus etiam exhibere succum limonum arantiorum, & mali Punici, quæ inter alimenta in frigefaciendo & incrassando vltima sunt. Aer frigidus sit & herbis, & floribus, & alijs rebus refrigerantibus alteretur: quæ etiam refrigerantia laborantes odorentur. Somnus omnino concilietur, & patientes in summa tum animi, tum corporis quiete contineantur. Quod si tumor à crassa, & frigida, aut viscida producatur materia, victus ratio attenuandi vim habeat, de qua alibi diximus, & hac curandi ratione progrediendum est, vbi tumor per resolutionem, quam vocant, solui, ac terminum habere debeat. hanc enim prius tentabimus: quia si in suppurationem, & abscessum abeat, necesse est vt plurimum, vt aliud malum, vlcus nempe subsequatur. Si itaque resolutio non succedat, eò, quia tumoris materia in alienam migret naturam, & potissimum in pus ipsum abeat, quod vt plurimum & in tumoris vigore, & statu contingit, quomodo id cognoscendum, & qua ratione talis tumor curandus sit, ne caput hoc in nimiam prolixitatem decidat, in sequenti capite docebimus.

Medicamenta, quæ partis intemperiem remouent.

Victus ratio.

Medi-

De Abscessu. Cap. IX.

Continuatio.

QVONIAM in vniuersali sermone ex Gal. decretis statuimus præcipuas, vtilissimasque tumorum præter naturam differentias ex eius quod influit, & in affecta parte continetur, natura desumi; eapropter ad particularem eorum tractationem accedentes eas tantummodo tumorum præter naturam diuersitates, ac species speculari nobis sufficiet, quæ quidem ab eo, quod in affectam influit partem, & eandem tanquam contentiua causa in tumorem attollit, eliciuntur. Nam reliquæ species omnes ex iam dictis in vniuersali eorum tractatione, & ex dicendis in specialibus sermonibus satis superque patebunt. Ab iis verò tumoribus præter naturam exordiri decreuimus, qui abscessus dicuntur, & fiunt à materia, quæ non verè, & propriè humor est, sed ex humore potius producta, tum vt à magis vniuersalibus ad minus communia progrediamur (vniuersaliores autem sunt abscessus, quippe qui non vnius humoris; sed omnium ferè soboles sunt) tum quia abscessus omnes reliquis omnibus frequentiores sunt; tum demum ac potissimum, quia cum tumor duplici via curari possit, per resolutionem scilicet, & per suppurationem, & in proximè superiori capite de ea curandi ratione dictum sit, quæ per resolutionem, seu discussionem perficitur, rationi, doctrinæque ordini consonum est, vt de reliqua curandi via, quæ fit per suppurationem, dum scilicet tumores in aliud morbi genus transeunt, eò, quia eorum materia, & contentiua causa naturam propriam immutat, & in pus migrat, iam agamus. Quamuis enim calidi tumores præsertim sint illi, & inter eos præcipuè inflammatorij, seu phlegmonosi, qui in statu ipso sæpissimè in abscessum abeunt; nihilominus etiam tumores frigidi, dum scilicet eorum materia à prædominio frigida cum aliqua calidi humoris portione mista est, & à calidis medicamentis calsiunt, tractu temporis in eosdem abscessus migrare consueuerunt. Verum ne aliqua propter nominis æquiuocationem oriatur ambiguitas, sciendum, quod in hoc loco per abscessum vnà cum plerisque Latinis tumorem illum audiri volumus, qui quidem ab ea corpulenta materia procreatur, quæ in aliqua partis affectæ cauitate collecta, à partibus continentibus omnino secreta, & separata est. quo fit, vt omnis materiæ collectio, & quæuis materiæ migratio, quæ nonnunquam in febribus, aut alijs morbis præsertim diuturnis, dum per abscessus iudicantur, contingere solet, sub hoc communi abscessus nomine contineri possit. Hoc autem dictum sit, quia si magis propriè loqui velimus, vt Celsus, Plinius, & nonnulli alij magni nominis auctores volunt, ille propriè abscessus dicitur, qui ex tumore in pus verso, seu suppurato creatur: quem Arabes alio nomine exituram vocant. Sed quocunque modo accipiatur abscessus, in eo semper ea definitio, quam Auicennas, & eius asseclæ tumori perperam tribuunt, verificatur, quia abscessus proculdubio affectus est præter naturam ex triplici morborum genere aggregatus. In eo enim præter auctam magnitudinem, & intemperiem semper soluta quoque vnitas reperitur. Cum autem reliquorum abscessuum causæ, differentiæ, ac signa ex dictis in sermone vniuersali elici possint, nil aliud remanet, nisi, vt abscessus propriè dicti, qui in materia creatur purulenta, dum scilicet tumoris materia suppurat, breuiter indicia apponamus, & primum abscessus incipientis, & in fieri, secundò ipsius iam facti atque perfecti. Cognoscimus itaque tumorem in abscessum, & pus migrare, dum in statu consistens pulsatio valde diuturna percipitur, quæ quidem indicat naturam tumoris materiam exagitare, & pus colligere. Insuper calor, ac febris diutius perdurat eò, quia putredo materiam inuadit. Dum enim inflammatio in pus vertitur, ex Galeni sententia libro de tumore, capite 7. rigorem, horroremque comitari necesse est, & dolor, ac febris non solum perseuerant; verum etiam intenduntur, & vigiliæ vrgent. Eapropter tertio loco dolor, & propter ipsum vigilia ægrotantem magis affligit, eò, quia partes solidæ, quæ collecto puri circunstant, corrumpuntur, tenduntur, atque soluuntur. Vnde scribebat Hippocrates, quod dum pus conficitur, dolores, ac febres vigent. Quartò dolor, aut calor, aut tensio magis in vna tumoris parte, quàm in alia percipitur. hoc enim demonstratiuum est signum, in ea particula pus fieri. Quintò eiusdem tumoris pars aliqua magis prominens aut acuminata apparere incipit.

Marginal notes: Galen. lib. de tumor. præt. nat. cap. 2. — Nomen, & Natura. — Differentiæ, & Causæ. — Signa abscessus, dũ est in fieri. — Hip. 2. aph. 47.

incipit. Materia siquidem putrescens partem erodit, corrumpitque, & cauitatem generat. Sextò, & vltimò, dum in statu febris vnà cum tumore adaucta est, febris per tres dies in eodem gradu intensa persistere, & postea augeri solet. Cum enim natura materiæ concoctionem & expulsionem tentet, & eam expellere non valeat, tunc ex putredinali calore pars corrumpitur, ex cuius putredine, corruptioneque febris augetur. Sicuti enim dolor, ait Galenus, fit extenta simul, ac calfacta præter naturam inflammata particula: ita febres sequuntur, principio concalefacto: & hæc ambo contingunt, ex quadam veluti ebullitione, atque exustione sanguinis, qui vbi ex toto exustus fuerit, residuum eius fit pus, quemadmodum in lignorum exustione cinis: atque ideo tempore illo dolores sedantur, ac febres, prętertim cum pus fuerit excretum, vtpote iam consumpta materia, extinctaq; ignea caliditate. Vnde pure iam facto, quia iam ardor materiæ deliruit, & quasi solus cinis relictus est, dolores, & febres remittuntur. Et hoc primum est puris, & abscessus iam geniti signum. Secundò tumor ipse remissus, & quodam modo breuior, ac minor apparet. Dum enim materia putrescit, incalescit adeo, vt attollantur vapores, qui cutem extendunt: delitescente autem feruore & ebullitione, seu vstione materiæ, vapores, & halitus non amplius eleuantur, & ob id partem attollere, & extendere desinunt. Tertio tumor ipse in mucronem, ac prominentiam tendit, quia natura concoquendo materiam parat vincit, ac in vnum cogit, & ad cutim extimam propellendo ad excretionem parat. Quartò tumoris tensio, & durities recedunt, aut saltem remittuntur: quia facta concoctione, vapores, qui prius tendebant, resoluuntur. Quintò ex digiti compressione materiæ subiectæ vndationem percipimus: in quo signo, ne decipiamur, animaduertendum est illud neque proprium, neque inseparabile esse. Non est quidem proprium, quia quandoque vnda percipitur in aliquo loco sano, in quo non est materia. Talia loca sunt circa articulos, id est circa genua in partibus lateralibus, & in reliquis crassis articulis humani corporis. Inseparabile verò non est, quia interdum pus in affecta parte subsistit, & nihilominus vnda non sentitur digitis comprimendo, eò, quia materia purulenta est in intima, & profunda aliqua parte, veluti dum est sub ipsis musculis, quod etiam contingit, quando materia est valde crassa. Quam fallaciam notauit Hippocrates, dum dixit, quod quibuscunque suppuratio in corpore existens non innotescit, ijs ob crassitudinem puris, aut loci non innotescit. Ad hæc quandoque in duro tumore eliquatur materia, & tamen non est concocta, & suppurata, quod quidem ex eo dignoscitur, quia eliquantia, & emollientia medicamina prægressa sunt, non autem pus mouentia, & nulla prorsus febris eliquationem materiæ comitatur. Sextò ægrotantes in ipsa affecta particula aliquam alleuiationem percipiunt, eò, quia aliqua pars humoris resoluta est, & qui reliquus est, cum sit concoctus, & elaboratus, leuior redditus est. Septimò calor partis affectæ remittitur, & prætertim vbi calidus tumor extiterit, propter causam superius allatam. Octauo pars læsa colorem immutat, quia pars illa acuminata, quæ prius rubida erat, propter proximi puris albedinem, alba euadit. Et cuticula, quia proprio calore, & nutritione destituitur, & extraneo calore afficitur, separari solet. Postremo pulsus, qui prius erat vehemens, & durus, mollis potius, & vndosus, & languidus remanet, prætertim vbi abscessus notatu dignus existit. Quæ quidem signa non semper simul coeunt, & omnia simul apparent, sed nonnunquam quatuor, aut quinque; quandoque plura, quandoque pauciora. Quæ verò vt plurimum præstò sunt, sub his tribus carminibus à Chirurgicis comprehenduntur.

Gal. in com. | Signa abscessus, & puris iam facti. | Hip. 6. aph. 41.

Durities longa, pulsus, dolor, & calor aucti,
Signant pus fieri; sed factum, dicta remissa,
Sub digitis vndans albescens pars, & acuta.

Quid autem in abscessibus præsagiendum sit, in sermone vniuersali fusius docuimus. Id vnicum addidisse sufficiat, quod sicuti speramus tumorem per halitum digeri posse, si materia tenuis, & pauca sit, & in loco magis superficiali delitescat, & partis laborantis cutis rara existat, ita, dum humor multus fuerit, & crassus, & in alto reconditus, & cutis densior, maturationem potius, & futurum abscessum timemus. Quantum spectat ad indicationes curatiuas, dum abscessus est in fieri, & pus gignitur, oportet natiuum partis calorem concoquentem medicamentis pus mo-

Prognostica. | Indicationes.

pus mouentibus adiuuare, & quia, dum pus cõficitur, dolores vt plurimum vigent mitigatorijs auxilijs curatio peragenda. Dum autẽ abſceſſus iam eſt factus, & pus, ſiue alia materia ab humore diuerſa genita eſt, cum ex Galeni monitis, & pus & faui, & atheromata, & ſteatomata, &, vno verbo, quæcunque in abſceſſibus continentur, ſint à toto genere præter naturam, oritur indicatio, vt hanc materiam, quæcunque ſit, omnino eradicemus. Et primò ſi id fieri poſſit, & materia tenuis ſit, eam digerentibus pharmacis inſenſibiliter euacuemus; ſin minus, per ipſam partem affectam ſenſibiliter, & ſectione, vel diſruptione ipſa, aut ſimili auxilio educamus, & eradicemus. Si itaque tumor quicunque ſit, in abſceſſum degeneret, ex Galeni præceptis, eius curatio per initia præſtanda eſt per mitigatoria, ſeu indolorosa auxilia, & ea, quæ Græci chalaſtica vocant, id eſt, relaxantia, ſiue remittentia. Quæ cum poſſint intrinſecus, aut extrinſecus adminiſtrari, ea, quæ intus ſumuntur, aut in ore detinentur, vel per aliam partem inijciuntur, debent eſſe grata, familiaria, affectæque parti amica, & conuenientia. Vnde inter ea, quæ ore ſumuntur, probatur lac amygdalarum dulcium, ſyrupus de liquiritia, decoctum chamomeli, maluarum, althææ. Si materia calidior, ſyrupus violatus, lac præſertim aſininum. Si materia frigidior addantur caricæ. Extrinſecus verò probatur medicamentum, quod à Galeno tetrapharmacum appellatur, molle quidem & anodynum, id eſt mitigatorium, cui ex eiuſdem ſententia mellis paululum admiſtum ſit. Constat autem tetrapharmacum ex ceræ, reſinæ colophoniæ, picis, & ſeui taurini pari portione. Probatur quoque chamemelum, lac, & alia dolorem mitigantia ſuperius enumerata. Expedit etiam conficere balneum ex oleo, in quo pars affecta imponatur, vel ſpongiam in illo demerſam applicare. Sed longè melius eſt vti infra ſcripto. Recipe olei roſati completi, olei chamemelini ana vnc. iij. farinæ hordei, pulueris florum chamçmeli ana vnc. ij. s. œſypi humidi vncias ij. ſapæ dulciſs. vnc. ro. hæc ſimul miſceantur in ſartagine ad ignem, & ſenſim inſpergatur furfur, vt acquirat conſiſtentiam, & fiat emplaſtrum, quod calidum admoueatur. Vt autem tumoris tenſio, qua augetur dolor, tollatur, vtendum relaxantibus, qualia ſunt butyrum, oleum antiquum, adeps ſuillus antiquiſſimus, adeps gallinaceus itidem antiquiſſimus, pix colophonia, thus, & ſimilia, quæ relaxandi vim habent, præſertim ſi cum cera componantur, & in vnguenti formam redigantur. In officinis duo compoſita præſtantiſſima reperiuntur, quorum vnum eſt dialthæa Nicolai, reliquum eſt diachylon ſimplex, quo vtimur in lapide veſicæ, vbi dolores ſunt intenſi admiſcendo oleum chamomelinũ vel amygdalinum.

Procedente verò tempore ad ea, quæ concoquendi, ſeu maturandi, ac pus mouendi vim habent, tranſire oportet. Vt autem ſciamus, quænam ſint hæc concoquentia, animaduertendum, quod ſicuti alterationi ſecundum naturam duo hæc inſunt, videlicet, vt ex familiari animantis materia fiat alteratio, & ab ingenito calore planè ſuperetur. Ei verò, quæ præter naturam eſt, vt ab aliena caliditate proueniat, & ad nihil vtile: Ita media earum, quæ ſcilicet ſuppurationes comitatur, & de qua agere intendimus, ab ingenito quidem fit calore, ſed non planè vincente. Neque enim ex materia peragitur, quæ prorſum benigna ſit, neque tamen ex omnino aliena. Itaque quemadmodum naturales alterationes, quæ ab innato proueniunt calore, à ſimili extrinſecus iuuantur, pari modo & quæ in mouendo pure conſpicitur. Nam quid æquè concoctioni ventris conferre nouimus, atque corpus humanum illum contingens? Proinde quidam puellos noctu admouentes per quietem longè euidentiſſimum adiumentum ſentiunt. Eiuſdem gratia vtilitatis quidam paruos catellos per quietem ventri imponunt, copiam coquentis cibos caliditatis augentes, non qualitatem. Tale eſſe debet, quod ad mouendum pus adhibetur medicamentum, qualis eſt in naturis temperatis calor natiuus. At ſi iuſto calidior natura fuerit, in eo corpore, quod pus mouebit medicamen calidius ſit oportet: tanto nimirum temperato calidius, quanto & natura eius temperatam in caliditate exſuperat. Itaque clarum eſt, cuiuſque ſingularis hominis ſuum, ac proprium eſſe puris mouendi medicamentum. Tale enim commoderatam & ſimilem ei corpori cui admouetur, caliditatem habere debet. Sed quia natura noſtra humida eſt, & calida, humida, calidaque medicamenta eiuſmodi frequenter appellantur: illud verò, quod indurata emollit, medicamentum temperata natura multo calidiorem; non tamen iam valde calidam nactum eſt, quemadmodum nec admodum ſiccam. atque à pus mouente eo diſſidet, quod calidius ſit, ac ſiccius. Pus mouentia ſiquidem cognatam, ac ſimillimam corporibus noſtris cali-

ditatem

Galen. lib. de differ. morb. cap. 8.

Curatio abſceſſus, cũ eſt in fieri.

Medicamenta.

Mitigãtia, & pus mouentia, quæ in abſceſſus generatione, & principio conueniunt.

Galen. 2. ad Glauc.

Gal. 13. method.

Relaxãtia.

Concoquẽtiũ, ſeu pus mouẽtium vires, atque materiæ.

Gal. 5. ſimpl. 6.

Diſcrimen iter pus mouens, & emolliens.

ditatem possident. Emollientia verò licet validiorem habeant, non tantam tamen, vt attractionis violentia reliquum desiccent. Præterea ea, quæ pus mouent, humorem, qui præfuit in partibus indurat is, seruant: emollientia verò paulum quiddam eius absumunt. Quocirca pus mouentia quantitate potius, quàm qualitate caloris agere sunt nata: at quæ indurata emolliunt, qualitate potius. Itaque si in parte, quæ suppuratione eget, assiduè impositas seruare manus, aut aliam quamuis partem possibile foret, celerrimè sic suppuratio procederet. Pari modo si medicamentum hominis temperaturæ sit quam simillimum, ocyssimè concoquet, quod in pus verti debet, vt est nonnunquam caro, vbi scilicet contusa fuerit, interdum verò humor, qui phlegmonem produxit. Quinetiam, quod emplasticum esse debeat eius generis medicamentum, vt exactè suppuratorium sit, liquido constat. Nam si substantiam innati caloris augere, non intendere qualitatem ipsam conueniat, poros corporis obstructos esse necessum est, quo scilicet halituosos transpiratus includant. Siquidem ea cataplasmata, quæ aut detergentia, aut validius excalfacientia halitus difflari permittunt, exsiccant quidem, sed pus non mouent. Cum enim quidquam concoquere consilium est, quam plurimum spiritum seruari intus oportet, quia hic omnes operationes naturales adauget, inter quas puris confectio, cum coctio quædam sit, recenseri debet. Igitur omnium, vt subdit Galenus, ad puris generationem aptissimum est ijs vtique, quæ perfunduntur, aqua temperata, aut cui additum oleum est, quod hydrælæum Græci vocant: Ex ijs verò, quæ irrigantur, oleum temperatum. At ex ijs, quæ ex hydrelæo illinuntur, farina triticea, & panis ipse. sed is modicè coctus sit oportet: Nam qui plurimum coctus est, quodammodo siccior est, aptusque phlegmonis, quæ ægrè concoctionem admittunt: qui verò minus, ijs, quæ admodum calidæ sunt, ac feruent, congruit. Tum cui plus additum olei fuerit pertinacius coctioni aduersantibus conuenit. Cui minus, feruentibus magis competit. Et sanè quod ex pane conficitur cataplasma, difficulter coctioni cedentibus phlegmonis idoneum est: si quidem pani tum sal, tum fermentum admistum est. Quod verò ex triticea farina præparatum est, calidioribus vtilius est. & ipsius etiam triticeæ farinæ, quæ pura est, tum panis quoque qui purus est, puri mouendo competentior est, nimirum cum furfur minus sit calidum, & magis desiccet. Farina autem pura, quæque alere est nata, humida est, & calida: qualia certè ad pus producendum conferre ostendimus. Itaque quæ phlegmone tentatis admouentur, si calida sint, & humida, ad pus mouendum conducunt, vti adeps suillus, & vitulinus. Nam tauri, & capræ acriores esse ostendimus: ob id phlegmonis tum frigidioribus, tum durioribus magis conueniunt: At suillus, & vitulinus ijs, quæ propriæ phlegmonæ appellantur, familiarissimus est. Est & adeps gallinaceorum familiarissimus, magisque etiam anserum, quodammodo tamen ad digerendum potentior: est enim substantia sua tenuior, sicut & bubulus, & caprarum crassior, & terrenus magis. Quin & agrestium animalium omnium acrior est adeps, simulque siccior multò, quàm domesticorum, maximeque pardalis, & leonis. Quare horum nullus omnino puri mouendo idoneus est, sed, vt diximus, suillus, & vitulinus. Porrò pus mouent & pix, & resina, nempe oleo quopiam, aut rosaceo subactæ. Sed & hic ad feruentes phlegmonas ex rosaceo eas liquare oportet: ad frigidiores verò excalfacientium quopiam, puta cicino, raphanino, veteri, & sicyonio. Quod si quando sola vtaris cera, alijs ad manum nullis, ad pus mouendum, existentibus, & ipsam in excalfacientium quopiam dissoluere oportebit: quippe cum ipsa per se minus sit calida, quàm vt pus mouere possit. siquidem illinendi certè vim obtinet. Solis itaque feruentibus phlegmonis apta est, ex calidorum oleorum quopiam liquata. Verum quemadmodum hæc symmetria, ac mediocritate inferior est, vt ad medias temperie phlegmonas, hominumque & partium naturas; sic paulum quiddam excedunt resina & pix. Ideo hęc omnia simul mista moderatè pus mouent. Phlegmonas autem optimè concoquit inter composita medicamina terrapharmacum dictum ex cera, resina, pice, & adipe constans. nam siue in eo taurinum, siue vitulinum, siue hircinum, siue caprinum, siue suillum indideris, semper puri mouendo aptum effeceris: sed suillus in pueris, fœminis, & mollioribus corporibus competit: sin taurinum adieceris, fossoribus, & messoribus, & carnem duram habentibus, siue ob naturalem temperiem, siue ex ratione, & forma vitæ conueniens effeceris. Quare pus mouentium natura modicè humectans, & calfaciens esse debet, seu tẽperaturæ corporis, cui admouentur, quoad fieri possit, simillima.

Cap. 8. *Cap. 9.* Pus mouẽtiũ sylua. *Gal. 11. simplic. ferm. de adipe.*

Corporis

Corporis autem ipſorum conſtitutio emplaſtica eſt: qua maximè pollent, quæ lenta, & viſcoſa ſunt, veluti adeps porcinus, butyrum, thus, & quod ex farina triticea conficitur, cataplaſma. Chondrus tamen farina triticea ſiccior eſt, quamquam nihilominus lentus ſit, niſi forte etiam amplius: Vnde fit, vt in medijs temperatura phlegmonis puri mouendo ineptior; in humidioribus etiam farina triticea præſtantior ſit. Verum quoniam non ſolum calidi, verum etiam frigidi nonnunquam tumores tractu temporis ad ſuppurationem deueniunt, præſertim vbi à pus mouentibus pharmacis natura fuerit adiuta. Ideo notandum, quod dum calor naturalis copia adauctus pus creare non ſufficit, vt in tumoribus frigidis contingit, oportet alia addere medicamenta, quæ cum in gradu caliditatis intenſiora ſint, lentorem quoque, & viſciditatem obtineant. Simili modo, dum pars affecta ſui natura frigida eſt, aut ætas ſenilis, medicamenta calidiora requiruntur. Ob id enim ſcriptum reliquit Galenus, quod idemmet medicamentum, vt puta thus ipſum in nonnullis, vt puta in pueris, carnem gignit; in quibuſdam verò, vt in adultis, pus mouet. Quare ex dictis colligimus, quod pus mouentia duplicis ſunt ordinis. Quædam enim ſunt temperatè calida, & primi ordinis; alia verò ſupra gradum caloris naturalis intenſiorem quandam poſſident caliditatem, & ſecundi ordinis vocari poſſunt. Vnde ſicuti ijs, quæ ſunt primi ordinis, in calidis tumoribus vtendum eſt, & ea, quæ ſupra gradum naturalis caloris aucta, & intenſiora ſunt, fugienda erunt; ita in frigidis tumoribus, & partibus temperatura frigidioribus, ijs, quæ ſunt ſecundi ordinis, vti expedit: ita tamen, vt hæc cum ijs, quæ ſunt primi ordinis, permiſceantur. Quæ enim ſecundi ordinis ſunt, ſiccitate pollent: & ideo egemus pharmacis, quæ ſunt primi ordinis, in quibus plurima eſt humiditas, quæ quidem ad pus gignendum neceſſaria eſt. Primi itaque generis, & ordinis, ac propriè dicta pus mouentia, quæ temperatè calida, ac viſcoſa ſunt, erunt illa, quæ ſuperius enumerata fuere, nempe hydrælęum, oleum dulce calidum, farina tritici, ſeu ſimilago, mica panis; ex pinguedinibus humana potiſſimum, propter maximam affinitatem, necnon ſuilla, quia & ipſa, vt Galenus habet, maximam habet cum humana pinguedine in temperie conuenientiam. Poſt has reperitur agnina, & pinguedo pullorum; Lac humanum; quod ne dum pus mouet, verum etiam dolorem mitigat: Probatur quoque oleum amygdalarum dulcium; butyrum recens vaccinum dulce; cera citrina cum dulci oleo miſta, quod cerelęum dicitur. Oleum pariter ex vitellis ouorum concoquit, quamuis ita emplaſticum non ſit. Sed præ cæteris pus mouet manus inuncta in oleo communi, & præſertim in furunculis, ſi per tres, aut quatuor horas ſupra locum affectum teneatur. Idem præſtant folia lapathi, & maluarum cum oleo, aut hydrælęo decocta; mucilago fœnigræci, altheæ, & maluarum. Omnia enim hæc & calore moderato, & lentore prædita ſunt. Si quis autem compoſitum in calido tumore medicamentum expetat, poteſt Recipere foliorum maluarum, foliorum lapathi, foliorum caulium, foliorum violarum (optimum enim eſt in feruenti materia aliquid, quod partis feruorem refrangat, qualia violarum folia ſunt; vel etiam oleum roſaceum, adijcere) pinguedinis ſuillæ, olei roſacei ana vncias ij. farinæ triticeæ cribratæ libr. j.s. croci drach. j. lactis muliebris, decoctionis caricarum ana quantum ſuff. Terantur prius folia cum farina, poſtea miſceantur oleum, & pinguedo, demum reliqua adijciantur, & fiat emplaſtrum, quod calidum applicetur. Secundi autem ordinis erunt reſina therebinthina, quæ optima eſt, necnon abietina, quæ oleum abietinum vocatur, & ipſa quoque laricina, ſicuti etiam pinea, quæ officinis lachryma dicitur. Pariter probatur bdellium, galbanum, ammoniacum, caricæ, paſſulæ (quamuis enim caricarum, & paſſularum decoctura ſit primi ordinis; eorum tamen caro ſecundi ordinis eſt) adhæc thuris lachryma in durioribus corporibus, ſicuti in mollioribus thus ipſum: Laudatur inſuper crocum, & fermentum, quod optimum eſt, radix altheæ, ſemina fœnigræci, ſemina lini, cœpæ ſub prunis coctæ (optimè enim concoquunt, ſicuti crudæ peſſimæ ſunt) oleum chamomelinum, pinguedo gallinarum vetuſta, butyrum vetuſtum: Ex compoſitis hæc probantur: Recipe radicum altheæ in aqua coctarum libras v. caricarum, paſſularum coctarum ana vncias ij. farinæ triticeæ, ac hordeaceę ana vncias v. fermenti vnciam j. croci grana v. butyri, pinguedinis gallinæ ana quantum ſufficit. Terenda optimè terantur, & ad ignem reliqua imponantur, & fiat emplaſtrum ſecundum artem, quod calidum applicetur. Valentius erit hoc, quod Recip. radicum altheæ, cępatum, liliorum alborum coctarum ana vncias quatuor,

Pus mouentium peruulis diſtinctio.

Gal. 4. meth.

Concoquentia ſecundi ordinis.

fermenti vnc.ij. farinæ ſeminis lini vnc.j. therebinthinæ vnc. ſemis, croci ſcrop.ij. olei chamomelini, pinguedinis gall.ana quantum ſuff. terenda optimè terantur,& poſtea miſceantur pinguedines: & ſi durum euadat, olei doſis augeatur, aut butyrum addatur, & fiat emplaſtrum, vt ſupra. In rebellibus autem humoribus, & præſertim in ſtrumis probatur hoc. Recipe Diachylon. magni, diachylon. cum gummis ana vnc. ſem. axungiæ gallinæ, porcinæ ana vncias duas, miſce, & in forma emplaſtri admoueatur. Ex dictis autem clariſſimum eſſe arbitror, quod in pus mouentium, quæ intrinſecus, & ore ipſo ſumuntur, claſſe ea eligenda ſunt, quæ guſtui, & ventriculo ſunt familiaria, qualia ſunt ea, quæ pro tollendo dolore, ſuperius propoſuimus, necnon etiam paſſulæ, caricæ pingues, altheæ, maluæque radices, & omnium iſtorum decoctum præſertim, cœpæ ſub prunis decoctæ, apij radicis ſuccus, & ſimilia. Diximus quinetiam, quod ſi durities tumoris eius ſuppurationem impediat, vtendum emollientibus, qualia ſunt ammoniacum, galbanum, myrrha Beotica, ſagapenum, quod optimè confert paſſionibus oculorum, in quibus emollitio requiritur, & inter compoſita diachylon magnum Meſues, necnon diachylon cum gummis, & alia, quæ in capite de ſcirrho proponentur. Calor autem etiam ſi intenſus ſit, & proinde aliqua ex parte boni puris generationem impediat, non tamen frigidis, ſed ſolum humidis iam propoſitis pharmacis tollendus eſt. Nam frigidis poſſet pars corrumpi: & inſuper naturalis calor, à quo pus ipſum conficitur, ſub frigidis medicamentis labefactatur. Tumoris autem materia in pus, aut aliam materiam conuerſa, & ſubinde abſceſſu iam facto, eius proculdubio materia eradicanda eſt, idque dupliciter fieri poteſt: Vel enim per inſenſibilem tranſpirationem digerentibus, ſeu reſoluentibus inanienda, vel ſenſibiliter ipſius abſceſſus apertione educenda. Verum ſi detur facultas, longè melius eſt, ipſam per inſenſibilem euacuationem ope reſoluentium pharmacorum exinanire. Si enim pus aliquod notabile, inquit Galenus, in ſuppurante particula ſit contentum, non expedit (quod nonnulli faciunt) protinus incidere, ne ſcilicet malum geminetur, imò expedit, exhalationem moliri medicamentis ad id valentibus, quorum vſus ex affectu ſit coniectatus. Quippe cum phlegmones naturæ quicquam in membro adhuc reſtat, acria medicamenta magis irritant, quàm digerant. Cum verò, quod ex phlegmone relinquitur, ſcirrhoſum effectum videtur, fidenter iam valentibus medicamentis vteris, ſed obſeruato bis in die, quem præſtent effectum, primum mane, ſecundo veſperi. Si quando ergo ægram partem medicamenti acrimonia irritatam videris, ita, vt tumentior, aut rubicundior ſit, aut magis doleat, mitigabis eam interea fomento, quod per ſpongiam adminiſtrabis. Id autem aliquando ex aqua dulci eſto, aliquando etiam ſal habente, vbi ſcilicet ſcirrhoſiores phlegmonæ ſunt. Optimum itaque eſt, dum poſſumus, inſenſibiliter euacuare, & præſertim, dum tumor in facie, aut alia parte, quæ operiri non poteſt, conſtiterit, ne ſcilicet tumore adaperto, turpis cicatrix remaneat. Similiter in ſtrumis inſenſibilis euacuatio, atque digeſtio omnino tentanda, quia affectæ partis ſubſtantia, cum glandulosa ſit, rara ſubinde eſt; & quando aperitur, maximè ab ambiente alteratur, quò fit, vt relicta vlcera difficilis adeo curationis euadant, vt per annos perdurent. Quæ autem ad pus diſcutiendum nobis peculiariter Galenus reliquit, ſunt hæc. Primum Recipe ceræ, reſinæ therebinthinæ, picis ſiccæ, ſæui vitulini, nitri ruſi, baccarum lauri, calcis viuæ, pumicis, guttæ ammoniaci ſingulorum æquale pondus. Aliud Nicomedis: Recipe ceræ, nitri ruſi, reſinæ frictę ana drachmas centum, guttę ammoniaci, propolis ana drachmas xxv. viſci quercini drach.xij. ſemis, olei ſextarium, lixiuæ ſtactæ tantundem. Aliud diſcutiens meliceridas: Olei veteris drach.centum, argenti ſpumæ drach. nonaginta vnam, guttæ ammoniaci, chalbani ana drach.xix. Aliud: Argenti ſpumæ drach. centum, ſalis communis drach. lx. olei veteris heminas vj. bulliant ſimul, donec fiat emplaſtrum. Aliud ad digerendum meliceridas Alexandri: Recipe ſalis Hiſpani, argenti ſpumæ, ceruſſæ ana libram j. ceræ vnc.j. therebinth. tantundem, chalbani, vel oppoponacis vncias ij. ſinapios vnc.ij. olei veteris pondo iij. aceti ſextarios viij. Aliud digerens, & extrahens, ad mamillas, ex viſco: Recipe argent. ſpumę libr.ij. olei libras ij. viſci quercini pondo trientem, gallæ tantundem. Aliud pus euacuans ſine ruptura, vt Aſclepiades: Recipe reſinæ libras ij. ceræ tantund. nitri libras viij. butyri lib.j. adipis Leonini libras vj. olei veteris libr.j. Simul liquefacito, quotidie emplaſtri modo imponens medicamentum, vtitor. Aliud humores, & abſceſſus,

maximè

Emollientia.

Curatio abſceſſus iam facti.

Gal. 13. metho. c. 5.

Curatio abſceſſus per euacuantia inſenſibiliter.

Galen. 6. de comp. per gener. cap. 14.

maximè in genu, & articulis sine incisione extrahens, à phlegmone præseruans, quod etiam vulneribus vtiliter admouetur: ℞. Plumbi stercoris, Therebinth. ana drach. centum, olei veteris hæminas ij. therebinthina postremò addatur. Aliud album, quod facit ad strumas, parotidas, & particulares abscessus, ut sine incisione liberet. ℞. argenti spumæ, cerussæ, salis ana drachmas lxxx. olei veteris sextarium. Sal, Cerussa, Argenti spuma ex oleo ipsis adiecto teruntur, deinde curiosè mista, & in uas fictile coniecta coquuntur, mouenturque assiduè, donec non inquinent: deinde in mortarium transfusa, rursusq; tusa excipiuntur, & vsui sunt. Aliud nigrum attrahens, quod ualet ad strumas, parotidas, & particulares abscessus, & dissoluit omnem duritiem, & facit ad articulorum vitia. ℞. Salis fossirij, argenti spumæ ana lib. 1. strigmenti purissimi lib. iiij. chalbani drach. quinquaginta: Salem, & argenti spumam conterito, deinde strigmento adiecto studiosè rursus tundito: in vas fictile coniecta, ignique suprapositia coquito, mouens sine requie, & cum non amplius inquinat, ab igne deposito chalbanum ligneo pistillo tusum addito: Vbi soluta fuerint, in pilam transfundito, ibiq; contusis vtiror. Ad eadem omnia proficuum est, & ad mammarum duritias, & ad ægilopas, & vix sanabilia vlcera, quod ℞. Cerussę, salis fossitij ana drach. lxxx. atramenti sutorij drach. xij. Olei veteris heminas iij. aceti heminas iiij. Salem in tenuissimum puluerem redactum, cerussamq; ex oleo coquito, ac, dum non inquinet, moueto: Vbi bene habuerint, depositis ab igne atramentum sutorium aceto tritum immittito, & exiguum continuè inspergens caue, ne efferuescat: deinde in mortarium transfusa, rursusque tusa excipito, & vtiror. Aliud ad omnia prædicta, & ad abscessus citra incisionem curãdos efficacissimum. ℞. ceræ, therebinthinæ, nitri, olei veteris, ana lib. 1. aquæ heminam: Nitrum, & aquã terito, ut ex toto soluantur, & in vas fictile coniecta igni imponito, vase cooperto coquito, ex interuallis moueto: Cum autem strepere adeo desierit, liquabilia inijcito, mouens assiduo, donec non inquinent; in mortarium transfusa rursus tundito; inde excipiens utiror: Vt vel etiam hac ratione præparetur: quæ liquari possunt, liquefiant, & cum dissoluta fuerint, nitrum ex aqua læuigatum adijciatur, idq; paulatim, assiduò mouentesque ne efferuescat.

Cap. 15. *Cap. 16.*

De Abscessus apertione. *Cap. X.*

Gal. 14 meth. 5.

SI verò puris copia medicamenta superet, nec ea videantur ribi rorum digerere posse, aut pus malum, & erodens sit, & timeatur ex eo aliqua noxa, abscessum apetire oportet eo potissimum loco, quo est editissimus. Quippe tenuissimam etiam illic inuenies cutem. Memineris præterea in apertione, & alterius indicationis, quæ scil. ad saniei facilem effluxum pertinet: atque ad ambo respiciens ita, quod suppurauit, aperi. At verò apertio hæc non vno modo fit, sed duplici. Aut enim caustico aliquo medicamine, aut instrumento, & ferro ipso aperitionem molimur; non tamen indifferenter, sed si nobis permissum sit, medicamento exurente posthabito, ferro & incisione vtimur, idque triplici de causa, Nam pharmacum exurens curationem protrahit; secundo extraneam calidirarem, & calidam intemperiem inducit, & tertio, quia sui natura corrumpens partem, & veneficum est, & subinde partis temperamentum subuertens, sub eo quandoque multa, eaque praua subsequuntur symptomata. Quare non nisi coacti eo vtimur. Cogimur autem ipso vti præsertim propter mulieres, & timidos ægrotantes. Vtimur autem quandoque capitello, quod ex lixiuio & chalcantho ipso constat: nonnunquam oleo de chalcanto. Alij hoc vtuntur: Recipe saponis nigri portiunculam, calcis non extinctæ quantum suff. misce, & parti aperiendæ applicetur. Apertio verò per ferrum dupliciter fit, videlicet aut ferro ignito, & candente, vel incidente. Candente autem ferro aperimus abscessum solummodo, dum tumor frigidus est, & materia frigida, aut dum abscessus in partibus neruosis, aut venosis vel arteriosis existit, uti eum tumor in dorso contingit: Dum enim pus in profundo corporis est, & per loca venosa, & arteriosa cogimur pertransire, ad hoc, ut tutò ad pus ipsum perueniamus, ad sanguinis profusionem euitandam candenti ferro apertionem molimur: secus remedium hoc & ferrum ignitum semper euitamus, ac sectione ipsa, & fer-

Apertio per pharmacũ exurens.

Apertiò per ferrum.

Gal. 3. metho. c. 5.

& ferro seu scalpello incidente vtimur. De sectione autem verba faciens Gal. iubet, vt post ipsam adhibitam, medicamentum aliquod eorum, quæ sine morsu siccent, imponamus. Quod si computtuisse portio aliqua suppurantis partis videbitur, ex eiusdem decretis, excidi eam est necesse. Saue quidam in ijs, quæ in axillis, & in inguinibus, subdit ille, suppurant, in myrtei folij speciem semper excidi cutim iubent: quoniam in ijs laxa ea naturaliter sit, ideoque omne, quod ipsi aduenit, promptè recipiens ex leui occasione phlegmonem facilè contrahat. At maximas aliqui sectiones facere solent: quarum occasione particula, vbi ad cicatricem est perducta, non solum turpissima redditur, sed etiam fit imbecillior, & quę sæpe homini ad motus sit in mora. Hæc igitur ipsi vitantes, sæpissimè certè sola incisione, & medicamentis valenter siccantibus huiusmodi affectus sanauimus.

De abscessus sectione.

Quod si aliquando excidere aliquid propter multitudinem non puris modo, sed etiam corruptarum partium fuit opus, contenti eramus sectione, quæ myrti folium imitatur, planè non magna. Cum autem in ea excisione longitudo maior, quàm latitudo sit, esto in inguine longitudo maior, quàm latitudo sit, esto in inguine longitudo per transuersum ducta, non autem per membri rectitudinem. Quippe ita cum membrum inflectimus, naturaliter cutis sibi applicatur. Post excisam cutim medicamento, quod Græci Mannam vocant, affectam partem implebimus. Est autem ea purgamentum thuris, leui adstrictione prædita, & ob id thure ipso ad nonnulla vtilior. Quinetiam mitigare prius incisam partem, quantum poscere videbitur, oportet: fomentis primum: dein cataplasmate: mox humectante aliquo medicamento, aut non siccante, singulis scilicet extrinsecus impositis. Nam in ipso vlcere tum manna, tum ex præsidijs, quæ linteolis excipiuntur, primum ea, quæ pus citant: deinde, quæ expurgant, sunt imponenda: post quæ, si cauitas etiamnum sit, quæ impleant, adhibenda sunt; sin minus ea, quæ cicatricem inducunt, veluti quod ex Cadmia conficitur. Hæc Galenus. Verum quoniam in abscessuum incisione plurimis medicorum non paruum quiddam peccatur, non abs re erit, de ea exactius disserere. Dum itaq; nobis offertur secandus abscessus, ante omnia præcauenda sunt illa symptomata, quę in talibus sectionibus euenire consueuerunt, aut si præcaueri omnino non possint, pro viribus laborandum est, vt saltem mitiora fiant. Hæc autem potissimum tria sunt, nempe animi deliquium, ingens sanguinis fluxus, & vehemens dolor, qui quidem oriri solet, dum musculos, membranas, neruos, aut tendones, aut aliam neruosam partem abscindimus. Antequam igitur sectio fiat, ea medicamenta præparanda sunt, quæ eis obsistere possunt: exempli causa, dum in mulieribus, pueris, & alijs timidis ægrotantib. abscessus secantur, animi deliquiū vt plurimū contingit, tum ratione timoris, cuius vis, Gal. teste, spiritus, & robur dissoluit, tum propter spirituū dissolutionem, quia vnà cum pure exeunte spiritus euanescunt, & inaniuntur, & quia in animi deliquio os ventriculi, eò, quia ad ipsum praui ichores effunduntur, facilè patitur, cui deinde ratione vicinitatis cōsentit cor. Ideo præparanda sunt ea præsidia, quæ tum spiritus recreare, tū os ventriculi corroborare valeāt: veluti sunt offa in vino maluatico, aut generoso, & odorifero infusa. Quādoq; etiam parum ante sectionē abscessus, præcipimus ægrotanti, vt vuam immaturam, vel succum acidorū granatorum in ore detineat, ac paulatim deglutiat, ad idē os ventriculi roborandum, & spiritus ipsos restaurandos. Simili modo, vt facultas concidens reuocetur, & spiritus reparentur, tum aquā frigidam, tum potissimum acetū acre, & odoratum, vel aquam ros. in faciem proijcimus. Si verò timor sit fluxionis sanguinis, pulueres adstringentes ex bolo Armeno, balaustio, sanguine draconis, & galla immatura confectos; vel Gal. pharmacū, quod ex thure, & aloe, oui albumine, & pilis leporinis constat: aut, vbi maior fluxionis timor sit, oleū de chalcantho, vel simile escharoticum medicamentū ante paramus. Ad dolorem autem præcauendum ipsum potissimum oui albumen, oleum ros. & id genus alia, de quibus in sermone de vulneribus dictum est, præparari debent. His omnibus, vbi opus est, antea paratis, dum Chirurgus ad sectionem se accingit, quinque potissimū perpendere debet, videlicet partem, in qua sectio fit; secūdò sectionis locum, & situm; tertiò sectionis modum, ac formam mensuramq;: quartò instrumentū, quo sectio complenda est; quintò, & vltimò, puris, & materiæ extrahendæ mensuram, & modum. Quantum attinet ad partem incidendam, Chirurgus ante omnia debet anatomen, & particularū situm, potissimum arteriarum, venarum, neruorumque, ac ipsorum quoque musculorum exactè callere, & hæc omnia in adhibenda sectione quàm maximè euitare. nā venis, aut arterijs incisis, sanguinis fluxio; neruis incisis,

Quænā sint præparanda antequā abscessus sectio fiat.

Galen. 2. de sympt. caus. c. 2.

Incidendæ partis consideratio.

paralysis

Gal. 1. de anat. administr. c. 3.

paralyſis ſubſequitur. Quinetiam vt exquiſitè manu cures, ait Galenus, actionis muſculorum cognitio nimis quã eſt neceſſaria. Quippe nonnullorum munus tam eſt proprium, vt tota particula fiat inutilis ſi actione ipſius priuetur: Quidam verò improprijs præſunt functionibus. Quare ſatius eſt eum, qui hæc prænoſcat, alios reuerenter, alios audacius incidere. Præſtat inſuper pro fibrarum ductu diuiſionem ipſorum moliri. Nam tranſuerſæ, ſi cum hac conferantur, ſectiones, actionem diſſoluunt. Voco autem tranſuerſas, quę ad angulos rectos fiunt. Quemadmodum autem multa incommoda ex neruorum ignoratione imperitis Medicis acciderunt, inquit idem; quorũ inciſione partes inſenſiles, vel immobiles reddiderunt: ita alia ſexcenta ob arterias, ac venas eueniunt: quorum ex Medicis nonnulli ne tantillam quidem habent cognitionem, vt dum manu curant, earum vulnerationem queant euitare. Atq; ideo oſſa excidentes, & abſceſſus ſubſecantes, interim inſignes venas perſecant: interim dum magnas arterias ſecant, in ſanguinis profluuium incurrũt, quod ſupprimi nequeat. Verum, vt idem docet, dum in fronte abſceſſum ſecamus, non quidem per fibrarũ rectitudinem ſuperpoſitæ cutis, ſed per earũ tranſuerſum, potiſſimum prope ſupercilia, ſectio molienda eſt: quia ſubiecti muſculi palpebras oculorum attollentes habẽt fibras ſuperpoſitę cutis fibris oppoſitas: ita enim incedunt, vt cutis fibras ad angulum rectum interſecent. Ob id periti Chirurgi, & diſſectionum profeſſores trãſuerſas potius, penes cutis fibras, quàm rectas ſectiones in fronte moliuntur. Accidit enim, cum maiorem quandoq; ſectionem per cutis fibrarum rectitudinem inibi, & maximè propius ſupercilia peregeris ad palpebrarũ radices, tum ſupercilia, tum contiguam ipſius cutẽ deorſum conuelli: tum oculos, quibus incumbunt, aggrauare, vt neque aperiri probè queant, neq; functionẽ ſuam liberè obire. Inſuper in abſceſſuum ſectione conſiderandum eſt, an particula ſit magni momenti, an minimi: multum enim refert perpendere, an abſceſſus, verbi gratia, ſit in thorace, an in brachio, an in teſtibus. nam ratione varietatis membrorum variæ prædictiones, variaq; ſymptomata, atq; pericula oriri poſſunt. Semper autẽ, quantum fieri poteſt, in ſectione ipſa neruoſæ partes ſunt euitandæ, quia difficulter ſanantur, & maximos dolores inducunt. Dum verò ſola cutis ſecanda eſt, ſemper debemus inſequi fibrarum, ſeu rugarum cutis rectitudinem. Si verò contingat, vt muſculus ſecandus habeat fibras contrarias cuti, vt diximus de muſculo frontis, & ſuperciliorum, ſemper obſeruanda rectitudo fibrarũ muſculi. Hac de cauſa in partibus lateralibus abdominis ſectio obliqua fit.

Galen. 3. de anat. admin. c. 1.

Galen. 4. de anat. admin. c. 1.

In quo loco abſceſſus incidi debeat.

Quantum ſpectat ad locum, in quo abſceſſus ſecandus eſt, Galenus conſulit, vti diximus, vt duo obſeruemus, videlicet cutis tenuitatem, quia ibi minor excitatur dolor, & citius ad materiam ipſam educendam peruenimus; necnon partem, ſeu locum, in quo facilius effluxus ſaniei pateat.

Sectio quãta, & qualis eſſe debeat.

Oportet inſuper conſiderare, qualis ſectio fieri debeat. cum enim poſſit tum maior, tum minor fieri, ſi minor fiat, quàm pars ſit, ſanies propter materię craſſitiẽ, vel propter grumos inibi exiſtentes, non exit. Vnde Chirurgus cogitur partẽ comprimere, vt talis materia exeat: ex ea verò compreſſione gignitur calloſitas, quę ſæpe deinde fiſtulæ cauſa eſt. Si verò maior ſectio fiat, quàm conueniat, nulla quidem aderit cauſa generationis fiſtulæ, & pus alioquin craſſius commode exibit, & os ipſum facilè poteſt anguſtari; veruntamen tria, vt Gal. nos admonet, ſubſequuntur incommoda: Quorum primum eſt partis turpitudo, præſertim dum ſectio in facie adminiſtratur. cicatrix enim magna ac turpis neceſſariò relinquitur. Secundum incõmodum eſt, quod partes ſubiectæ propter magnam inciſionem ab ambiente frigido alterantur. Tertium eſt, quod ex magna inciſione ſequitur deſtructio partis diſſectæ, ex qua nonnunquam motus voluntarius impeditur. Cum itaq; omnia hęc incommoda ſint euitanda, ſciendum, multas eſſe inciſionis ſpecies: Quandoq; enim circulariter, nonnunquam obliquè ſectio fit: nonnulli remouent totã tumoris partem acuminatam, quę ſectio peſſima eſt, quia vlcus orbiculare, & ſubinde ægrę ſanationis relinquitur. Paulus ſectionem facit ad magnitudinem, & formã folij myrti, quam multis in locis comprobat Galen. quia in tali ſectione nihil ſaniei retinetur, & labia circunducta non inflammantur, & quod putridum eſt, totum abſcinditur. Noſtra tamen tempeſtate inciſio hæc non eſt in vſu, quia vnica inciſione non poſſumus myrtinam hanc ſectionem formare. Vnica igitur inciſione contenti, & non trina, eam quæ myrti folium repræſentat, conſtituimus. Dum enim primò ſecamus, & ſecundò pus extrahimus, tertiò verò turunda, ſeu lintea imponimus, ex ijs omnibus, & præſertim ex labiorum dilatatione myrti figuram introducimus. In duobus tamen caſibus myrrhina antiquorum ſectio à recentioribus probatur.

Gal. 13. metho. c. 5.

Paul. lib. 6. cap. 34.

Primus est in ægilope, ne scilicet succedat fistula lacrymalis. nam in ea incisio communis, & vsitata, quæ est, in prima die incidere, & in secunda postea abluere, periculosa est, ne fistulam inducat, quoniam materia illa non expurgatur, & detenta subiectum os facilè corrodit. Secundus casus est in bubonibus Gallicis, in quibus non adest multus sensus: Vbi enim adest sensus exquisitus, talis nullo pacto adhiberi debet; sed solum vbi sensus obtusus est, & labia corrupta. Antiqui aliam speciem incisionis habebant, quæ quatuor, aut etiam plures angulos continebat: qua quidem in magnis talpis capitis, & in atheromatis vtendum est. Cum enim abscessus materia detineatur in folliculo, nisi materia cum ipso eradicetur, tales tumores recidiuas facere consueuerunt. Ideo in his aut crucis in modum, aut quadrangulari incisione agendum, cauendo semper, ne folliculum incidamus, vt facilius & exactius extirpari possit. Debet autem Chirurgus occultè quantum fieri potest, & blandè, & hilariter, quicquid agendum est, agere, ac imprimis tutò, & cito operationem suam, ac sectionem perficere: id autem fiet, si exercitatus fuerit, & in operatione sua vigilans, & attentus erit. Iam verò inter instrumenta, quibus incisio fit, primum approbatur nouacula (Smyrnion à Paulo dicta) qua paruos abscessus secamus. Secundum est, vt Galenus tradit, gladiolus myrtaceus, qui vtrinque incidebat, & in acutum desinebat, vt folium myrti, qui etiam phlebotomus dicitur, quia ipso Chirurgi venas secant. huius duplex est genus: nam vnum in angustam acutiem, aliud in oliuare folium desinit, quæ quidem conuenientior est, quia incisionem non angustam, sed mediocrem facit: & hoc potissimum in oris abscessibus, & id genus alijs vtimur. Tertium est syringoroma, quod gamautum vulgus appellat, recuruum scilicet, & solum in interna seu concaua parte incidens: sed vt facilius ingrediatur, in capitis acumine debet vtrinque partem incisoriam habere. Falcutis autem quibusdam faucium abscessus aperimus. Facta incisione, vbi sanies pauca sit, eam digitis exprimendo educimus: si autem sit multa, iuxta Hippocratis, & Galeni præceptum paulatim extrahenda, quia cum ea multi quoque spiritus exhalant, & euanescunt, quo fit, vt animæ defectus subsequatur, & præsertim in mulieribus, & humidioribus, ac raram texturam habentibus corporibus: in quibus etiam incisio patua fieri debet, ab vrgente necessitate orificium, ne materia multa affatim exeat, claudere digitis possimus. Quod si pus crassius sit, vt in furunculis euenit, illud violenter euacuandum non est, ne inflammatio prouocetur. Pure & sanie, quantum opus est, extracta, superuenientibus symptomatibus occurrendum, & ante omnia sanguinis fluxui cum linamentis ex stupa linea cum oui albumine, cui tamen sal non est miscendum, vt perperam Germani nonnulli faciunt, ne dolor, & inflammatio excitetur. Quod si dolor adsit oleum rosaceum purum vel cum vino, aut chamomelino oleo permistum superponendum, ita tamen, vt oleum vulnus non tangat. nam putridum redditur, & sanguis non sistitur. Pariter in primo die optimum est Galeni medicamentum ex manna thuris supra memoratum imponere. In secunda die commodum erit digestiuum, seu concoquens dictum medicamentum supra linteum extensum, vt scilicet residuum coctionis adiuuet, & oui albumen non multum exsiccetur, quia in eius ablatione dolores sequuntur: quo etiam tertia die vtendum est. Vbi autem maiorem expetimus coctionem, digestiuo medicamini crocum addimus: & eo vsque ad quartam diem inclusiuè curationem perficimus. Vbi verò aliqua sordes adhætens appareat, quæ carnis generationem impediat, melius est ipsam medicamento aliquo detergente, quàm instrumento aliquo remouere, ne scilicet sanguinis fluxus subsequatur. Congruum autem erit, quod Recip. Therebint. vnc. j. mellis ros. vnc. semis, farinæ hordeaceæ parum, misce, & optimè deterget. Quod si non prosit, ad validiora recurrendum: & vbi multum resistat abscessus, vnguento apostolorum, vel Isidis occurrimus. Postea sarcoticis: & tandem epuloticis vtimur.

Margin notes: *Quodnam instrumentum sit incisioni idoneum.* — *Gal. 14. metho. c. 17.* — *De saniei extractione.* — *Hip. & Gal. 6. aph. 26.* — *Gal. 13. method. 5.*

*

De sangui-

De Sanguineis tumoribus, & primum de phlegmone, seu inflammationis natura, differentijs, causis, signis, prognosticis, & indicationibus. Cap. XI.

Continuatio.

DVM materia, quæ tumoris continua causa est, non quidem ex humore producta, & purulenta, sed verè, & propriè humorosa est, quatuor ab ea in vniuersali tractatu tumorum differentias potissimas oriri diximus, prout etiam quatuor in corpore nostro reperiuntur humores. Hac de causa non immeritò tum antiqui, tum recentiores Medici omnes per quatuor classes tumorum particularium tractationem instituerunt, quatuorque tumorum genera præcipua, seu mauis differentias aut species appellarunt, sanguineos scilicet, biliosos, pituitosos, ac melancholicos. Cum itaque tempestiuum iam sit, vt de singulis his differentijs particulatim disseramus, primum vnà cum Galeno, & omnibus auctoribus de tumoribus, qui ex sanguine oriuntur, pertractabimus, ante omnia agemus de phlegmone, seu inflammatione. Expedit enim vt Gal. ait, ab hac cœpisse, & quod frequentissimè incidunt, & quod febres, aliaque symptomata periculosissima excitet.

Gal. 13. metho. c. 1.

Nomen.

Cum autem ex Auicenna, & ipsomet Galeno phlegmonis nomen tria significet. nam veteres Phlogosin (quam inflammationem interpretere) subinde phlegmonem appellarunt, etiam si in parte exarsio quædam sit, in qua nuda intemperies sine humore reperitur. Secundò phlegmone communiter sumpta apud Galenũ quemcunque calidum tumorem à calida materia creatum sub se continet. Tertiò tumorem illum significat, qui à sanguine fit: sciri volumus nos hoc loco vnà cum Galeno non de ea phlegmone velle disserere, quæ nudam caliditatem, & exarsionem significat, & quam antiqui veluti quendam feruorem in corporis partibus accensum appellare consueuerunt; sed de ea in qua rubescens, ac renitens, dolorificusque tumor apparet, & proinde de illa, quæ supra inflammationem, & extraneum calorem tensionem quoque in particula facit, quam non modo ipsi tactu deprehendamus, sed etiam ipse æger proprio sensu aduertat. Et insuper non de de illa loquimur, quæ à quocunque calido succo, sed solum de ea, quæ ab humore sanguineo fit, siue is simplex, purus, ac syncerus sit, siue etiam cum alio succo, dummodo eidem in miscella prædominentur, permistus: adeo, vt perpetuo phlegmon, de quo loquimur, sit tumor calidus à succo sanguineo productus.

Auic. 3. 4. tract. 1. c. 2. Gal. loco cit. & 12. met. 1. & 2. ad Glau. 1. & 2 Galen. 2. ad Glauc. cit. Gal. libr. de diff. morb. 12 & 2. de diff. resp. cap 7.

Natura.

Galeno siquidem teste, communis omnium phlegmonarum generatio ex sanguinis influxu est, copiosioris scilicet quam pars postulet. Tumor autem carnosus etiam si à sanguine producatur; non tamen propriè dictus tumor est, quia in ipso supra auctam magnitudinem intemperies calida non adest, isque à sanguine producitur, non tamen immediatè, sed mediante carnis è sanguine procreatione. Phlegmone autem ex sanguine ipso, nulla alia materia mediante procreatur.

Gal. 13. metho. 3.

Inflammatio quomodo generetur.

Quo pacto autem id fiat, his verbis nobis aperit Gal. Quippe sanguinea, calidaue fluxio, inquit, vbi in musculum, exempli causa, aut aliam partem procubuit, primum maiores arteriæ, venæque opplentur, aut distenduntur, ab ijs minores, atque ita res procedit, donec ad minimas sit peruentum. In ijs vbi valenter impacta fluxio est, nec amplius contineri potest, partim eius per ipsarum ora, partim per tunicas colatum foras transmittitur, tum verò spatia ipsa vacua, quæ inter prima sunt corpora, fluxione implentur. Sic omnia ab humore, omnique ex parte incalescunt, ac perfunduntur. Ea sunt nerui, ligamenta, membranæ, caro ipsa, anteque hæc arteriæ, & venæ, quæ scilicet & primæ, & præter cetera vario dolore afficiuntur. Quippe interius à fluxione tum excalfiunt, tum distenduntur, ac diuelluntur: exterius non modo excalfiunt, sed etiam premuntur, ac degrauantur, reliquæ particulæ aliæ comprimendo solum, vel incalescendo, aliæ vtroque genere laborant. Feruet enim iam qui in musculo, & alijs partibus est sanguis. Is secum excalfacit primum quidem, ac maximè arteriarum, ac venarum tunicas; mox verò omnia, quæ extra has sunt, quibus scilicet circumfunditur. Ita duorum alterum necesse est sequi, vt si fluxio vicerit, corruptio sequatur victorum corporum: sin fluxio sit victa, vt musculi ad naturalem statum redeant. At si victæ à fluxione particulæ fuerint, in tantam deuenient intemperiem, vnde tum earum pereat actio, tum ipsæ spatio corrumpantur.

Galen. lib. de inæq. intẽp. cap. 3.

rumpantur. Porro desinent tum primum dolere, cum mutatriei qualitati fuerint adsimilatæ. Non enim cum mutata particularum temperies Iam est, siue (vt sic loquar) in ipso mutatum esse, dolent, sed dum mutantur, siue in ipsa mutatione. Hæc Galenus. Qui quidem causam reddens, cur sanguis qui in phlegmone obsessam partem procubuit, efferuescat, simulque eundem modum, quo inflammatio ex sanguine generatur, edocens, alio loco sic habet: Non fit autem, ait ipse, pars inflammata immudicè calida in ipso statim initio, sed progressu temporis, pristina perspiratione propter omnium meatuum obstructionem retenta. Quare necesse est, vt etiam sanguis, qui ibi diutius immoratur, computrescat. Omnia enim calida humidaque corpora calido in loco coacervata, cum neque euacuentur, neque refrigerentur, facilè computrescunt. Quare fit, vt calor, qui ex corruptela eius existit, ad eum accedat, quo erat antea præditus. In partium verò inflammatarum vasculis sanguinem esse copiosius collectum, est ex earum tumoribus facienda coniectura. Nec minus, quod venæ, quæ prius ob exiguitatem oculorum obtutum effugiebant, nunc appareant, quia expletæ sanguine in tantam sint elatæ magnitudinem, ut in sensum cadant. id quod vel maximè in oculis, pene, & mammis conspicitur. totam quoq; carnem, cuius præsertim affectus est inflammatio, cruenta defluxione repleri, & color, & tumor declarant. cuius rei causa & humida tota & madens, vt lana, & spôgia, videtur. id ipsum effluentes sanies, cum inflammatio ostiolum habet, attestantur. Ac merito quidem ipsa cutis cum tumoribus partium subiacentium attollitur, ac circumtenditur: & progressu temporis ipsa quoque defluxionem recipit non secus, quam tunicæ vasorum: itemque membranæ, quæ in parte inflammata sunt. neruos quoque & tendines procedente tempore inflammatio occupat: nonnunquam ipsis vulneratis; nonnunquam verò, cum ex ipsis aliter affectis malum primò exoritur. Omnino autem nihil in parte inflammata manet accuratè in statu naturali, si inflammatio diu perduret, sed omnia simul cum carne fluxionem recipiunt, vt etiam ossa interdum attingat: vt ex ipsis quoque primum affectis interdum oritur. Ac cutis quidem, cum naturæ statum seruat, laxa est in ijs, qui non crassi sunt, ac locus medius, in quem incidit, inanis est: & item spatia, quæ in carne sunt, inania sunt omnia: præsertim, quæ circa arterias sunt, in orbem earum dilatationibus adiacentia: at in inflammationibus, tum sanguine ex vasculis per tunicas ipsorum resudante, tũ in quaque carnis particula ad modum roris permisto, hæc omnia sanguine replentur. His igitur ex Galeni ore auditis, non est ut phlegmonis causam contentiuam, efficientemque proximam vlterius quæramus, cum sanguis sit in partem inflammatam defluxus, & impactus. Is autem antequã in affectam partem fluat, & in vniuerso corpore potissimum redundans, ac plethoram efficiens, antecedens causa statui debet. Dum enim venæ sanguine ipso immoderatè replentur, cogitur sanguis, veluti quid superfluum ad partem aliquam vel laxam, & imbecillam, vel plus iusto excalfactam, aut dolore affectam effundi. Remotiores demũ, ac procatarcticæ, seu primitiuæ phlegmonis causæ sunt illæ, quæ vel sanguinem copiosum creant, atque multiplicant, uti sunt probi, ac copiosi succi alimenta, & sedentaria, otiosaque vita, & id genus alia, de quibus in alijs libris, & præsertim in tertio libro in sermone de febribus sanguineis, & de nimia corporis obesitate disseruimus; vel eundem sanguinem acriorem reddunt, uti sunt ea, quæ calfaciendi vim habent, veluti sunt ira, vigiliæ, & motus immodicus, & acria alimenta; vel ipsum ad affectam partem mouent, ueluti sunt eiusdem partis calor nimius, ac dolor, siue is à contusione, aut vulnere, vel fractura, aut vlcere, aut luxatione, aut à materia vel alia de causa exoriatur, dum scil. sanguis ad inflammatam partẽ per attractionem mouetur, uel illius affectæ partis imbecillitas, vnà cum aliarum partium mittentium robore, quotiescunque earum expultrix facultas à sanguinis copia, & plenitudine quo ad vasa, vel quo ad uires, aggrauatur, & fluxio per transmissionẽ excitatur, vt fusius in vniuersali tractatu docuimus. Phlegmone verò ex eorum tumorum est genere, qui quidem non per paulatim factam cõgestionem, sed semper per fluxionem ipsam oriuntur. Scribit enim Galen. communem omnium phlegmonarum generationem ex sanguinis influxu esse copiosioris scil. quã pars postulet. copiosior autem influit, alia quapiam alijsve particulis aliquando eũ mittentibus, ac ea, quæ phlegmone laborare incipit, recipiente: aliquando particula, quæ affligitur, hunc ad se trahente. Partes autem quæ mittunt, alias ut copia superuacuam, uel ut qualitate molestum, alias utroque nomine succum propellunt. Quæ verò attrahunt, ea morboso calore, aut dolore trahunt. hæc ille. Huius aũt vitij differentiæ

Galen. lib. de tum. p. n. 2. & 2. de differ. febr. 9.

Epilogus causarum.

Differētiæ.

sententiæ præcipua vel ab affecta parte,& subiecto,in quo consistit, vel ab efficiente causa sumuntur. A subiecto quidem: quia,si inflammatio oculum occupet,ophtalmia;si guttur,angina;si pleurã,pleuritis;si emunctoriũ bubo;si gingiuas, parulis,& sic de reliquis. Ab efficiente causa,quia si de proxima,& cõtentiua sermo sit,vbi sanguis influxus, & impactus syncerus,& purus sit, exquisita oritur phlegmone: si non syncerus sit,sed aliorũ quoq; humorum particeps,phlegmone spuria,& non exquisita fit,& dum ei miscetur bilis,vocatur phlegmone erysipelatodes;si pituita,œdematodes; si melancholia,scirrhodes. Et sanguis hic vel per attractionem,vel transmissionem in inflammatam partem fluit, vti in tractatu vniuersali dictum fuit. Quo etiam in loco differentiæ, quæ desumuntur à magnitudine, & aliæ, quæ impropriæ sunt, siue à tempore, siue alia extraria re desumantur, sunt petendæ.

Signa. Ex huius tumoris natura rectè percepta, ipsum haud difficulter cognoscimus. Est enim phlegmone tumor calidus cito crescens, quia eius causa præsto est, & copiosa: Est autem promiuens, atque circumscriptus, oui saltem gallinacei magnitudine: Cui quasi ex igne, aut ex balneo rubor inest: necnon calor ex inflammatione vehemens, quasi pars vratur: pulsatio profunda, & molesta, eò, quod arteriarum diastole partem inflammatam feriat: dolor ex calore, ex pulsu,& tensione vehemens, & acerbus, præsertim quum pars eximio sensu prædita est: & distentio ex copia renitens: maxime autem tensionem nõ modo ipsi tactu deprehendimus, verum etiam ipse æger proprio sensu aduertit: Pro tensionis autem modo, renixus partis eam tangenti sese offert. Venæ demum, quæ prius latebant, incipiunt tumescere,& rubicundiores fiunt, aut nigriores, dummodo sanguis non multum niger appareat. Vbi verò phlegmone exquisita non erit, vnà cum signis iam dictis notæ quoque vel œdematis, aut scirrhi, aut erysipelatis suis locis tradendæ permistę apparebunt. Quotiescunque verò phlegmone quatuor tempora percurrit, quomodo hæc dignoscantur, hisce verbis declarat Gal. Fingamus, inquit ille, primum inflammationis principium inquiri. Quis iam negauerit, generationem eius toto illo tempore esse, quo pars sanguinolenta substantia repletur? Cum autem influxus cessauerit,& quod in particula inflammatione obsessa continetur, putrefieri inceperit, calor quidam ob putredinem nascitur,& fusio magis propter calorem, vnde etiam spiritus generatur, atque ob hæc ambo particula magis, quam antea distenditur, etiamsi nihil influat: Secundum hoc tempus est inflammationis augmenti. Porro cum in pus iam vertitur, maximi videlicet dolores tunc partem apprehendunt. nam in puris generatione dolores febresque magis, quam iam facto infestant: Vocatur autem huiusmodi tempus vigor affectionis. Si autem fluor, qui suppuratur, vel digeritur, minorem tumorem, & tensionem reddat, huiusmodi est declinationis principium. Sic quidem in inflammatione tempora diuiduntur. Verum circa signa inflammationis superius tradita, animaduertendum cum Galeno, ea omnia non semper adesse. Membranas enim scribit ille, vt quibus nullæ sunt arteriæ, non pulsare rationi consonum est, quemadmodum neque cutem, etiamsi vehemens adsit inflammatio: atque eadem ratione neq; adenes, quibus nullæ sunt arteriæ: sed huiusmodi partes, cum inflammatæ sunt, vnico tantum doloris modo vexantur, extensionis nempe. Quippe huiusmodi doloris species à nullo sentientium corporum, in inflammatorijs dispositionibus separari potest. Proinde rectè dixerunt omnes fere Medici, quod inflammatis partibus accidit, vt rubescant, tendantur, renitantur, intumescant, & doleant; verum non omnibus, sed his duntaxat accidit pulsus, quæ arterias habent notatu dignas, & partem sensu præditam, aut vbi ad notabilem magnitudinem inflammatio attollitur: tunc enim pulsatorium dolorem sentiunt laborantes, vel nullo existente sensibili vase in affecto corpore.

Galen. lib. de Tumorp. nu. 2. & 6. & 2. de loc. aff. 3. & 2. ad Glauc. 1.

Gal. li. de tot. morb. temp. cap. 3.

Gal. 2. de loc. 4. & 7.

Prognostica. Phlegmone verò, quæ in externis oritur partibus, morbus vt plurimum salubris, & qui citò, dummodo rectè pertractetur, curari potest. Sublata siquidem fluxione, quia sanguis sui natura succus benignus est, & moderato perfusus calore, celeriter aut discutitur, aut suppuratur, præsertim vbi ætas iuuenilis sit, anni tempus,& regio calida,& affecta pars calidioris temperaturæ,& rarioris texturæ fuerit. Vnde scribebat Gal. paucas omnino phlegmonas diuturnas esse quibus nihil insluat: & eas diuturnas esse consueuisse, ob humores in eas confluentes. Dum tamen admodum magnæ sunt, non modo diuturnæ euadere possunt, verum etiam periculosæ, quia praua admodum symptomata, & vitia suboriri possunt. magis enim inflammationibus nedum vehementes dolores, verum etiam gangrænæ, ac sphaceli succedere consueuerunt, obruto scilicet à maxima fluxione affectarum partium natiuo

Galen. 1. de comp. med. per gen. c. 4.

tiuo

tino calore. Quemadmodum verò, dum tumor imminuitur, & pulsatiuus dolor alleuiatur, cognoscimus phlegmonem per resolutionem finiri, & vbi pulsatio, & caliditas augentur, & absque vlla intermissione perdurant, eam suppuratam iri; ita dum in putrefactionem affectæ partis desinit, id ex eiusdem liuore, & tandem nigritie deprehendimus, & vbi in scirrhum tendit, ex duritie insigni suborta dignoscimus. At verò phlegmonem alioquin externæ partis plerunque mala comitantur symptomata, quæ eius curandi rationem interpellant, & immutant, vti sunt dolor vehemens partem aliquam sensibilem occupans: recursus materiei ex glandulis (quas Græci adenas, & vulgo emunctoria vocant) ad partes internas: item affectæ partis, vt diximus mortificatio (quam corruptionem esthiomenicam appellant) ex nimia scilicet refrigeratione, & valido infarctu materiæ proueniens: necnon durities lapidea, & pene indissolubilis, ex perperam, & temerè facta tenuioris humoris resolutione. Quocirca diligenter, ac sæpius quidem obseruare oportet in curādis tumoribus, quo quisque tandem sit euasurus, & quæ inopinatè euenerint accidentia, vt circa id, quod apparet, & vrgens est, maximè insistamus.

Galen. 2. ad Glau. & 13. metho.

In morbis enim qui difficulter resoluuntur, ait Galenus, verendum est, ne eorum reliquiæ prӕduræ relinquantur. Quare in singulis resolutionibus attendere oportet, ad quid tumor, qui curatur, transmutetur. Nam ea, quæ cum fortitur exsiccantibus agitur, reliquias præduras operatur. Iam verò indicationes quæ in phlegmone curanda spectandæ sunt, ex dictis in sermone vniuersali planissimæ sunt. *Indicationes.*

Gal. 13. metho. a. & 6.

Nam (suppositis indicationibus ab inflammata parte desumptis) phlegmones iam factæ indicatio communis est vacuatio redundantis in particula phlegmone obsessa sanguinis. Phlegmones verò, quæ in generatione adhuc est, duplex indicatio est: quod enim ipsius generatum cum est, sanguinis, vt dictum est, in parte existentis, vacuatione curandum. Sed ante huius euacuationem prius, quod in generatione adhuc est, præcauendum. *Quæ fluxionem auferūt, & phlegmonē augeri prohibent.*

Cap. 5. & 6.

Inhibito autem incipientis phlegmonis ex generante illam causa tollenda præstatur. Cum autem causa hæc sit sanguinis ad affectam partem confluxio; igitur cum pars aliqua phlegmone vrgeri incipit, videndum est, an propter calorem aliquem, qui in illa præter naturam sit ortus, an propter dolorem vel ipsius, vel propinquæ alicuius partis sanguinis fluxio, subindeq; phlegmone orta sit: quo scilicet adempta causa, phlegmone non amplius increscat. Post hanc considerationem proximè illa contemplabere, nunquid vicina aliqua particula sanguinem largius ad partem phlegmone obsessam transmittat: deinde, num totum corpus sanguine nimium redundet, vel malo succo refertum sit, nam sanguinis copia eiusdem sanguinis missionem, succorum autem vitium redundantis succi purgationem indicat. Sanguis autem mittendus, aut vena incisa, aut membris, quæ læsa non sunt, scarificatis. Manu enim laborante, crura scarificanda: Altero crure malè habente, reliquum. Sanè vacuamus totum corpus non modo, dum plethoricum est, & plenitudine redundat, sed etiam cum mediocritatem succorum continet, si morbi magnitudo suadeat. Nam dolor, & calor membri phlegmone affecti, etiam si purum ab excrementis totum corpus sit, fluxionis causæ fiunt. Expedit tamen parcius hoc casu vacuare, prout maximè tum ætati laborantis, tum naturæ congruere videbitur, æstimatis prætereatum anni tempore, tum regione, tum ægrotantis consuetudine. Illud quoque in omni vitio, nedum phlegmone, inquit Galen. animaduertere oportet, aliquando totum corpus mediocri habitu esse in humorum tum qualitate, tum modo; vnam autem aliquam, aut duas earum, quæ suprapostita sunt, partium, redundantiam suam ad ægram transmittere: vt sæpius accidere in oculis videre licet, capite his fluxionem mittente. Vnde clarum est, ipsum prius caput sanandum esse, explorato ipsius affectu, quem superfluorum generatio comitatur. Diutinas enim oculorum fluxiones curamus oculis ipsis dimissis, atq; ad capitis procurationem conuersi. Quemadmodum verò tollendus sit dolor, perpulchrè nos alibi his verbis docet Galenus.

Gal. 13. metho. 22. (margin, beside "dum phlegmone, inquit Galen.")

Gal. 3. in 3. Epi. com. 67.

Dum primum aliqua pars dolet, inquit ille, & phlegmones principij metus impendet, statim animaduertendum, num ex aliqua externa causa dolor euenerit: nam in motibus quibusdam nonnulli clam læsi sunt, & dormiendo, qui minus commodè partem aliquam composuissent, & in subitis conuersionibus, ac reuolutionibus rigentes, refrigeratæque partes conuulsionibus, elisionibusq; correptæ maximos dolores creant. Si verò nulla huiusmodi causa doloris appareat, proximum est considerare, quæ victus ratio præcesserit, vtrum in maiore otio, quàm quis consuesset; aut cibo pleniore valentis materiæ sit vsus; aut solitæ illi excretiones retinean-

retineantur. nam si quid tale sit, aut si omnino plenitudo causa doloris antegressa videtur, hominem quàm primum uacuato: tum enim tutissimè partibus dolentibus fluxiones reprimentia superdabis: nam si ante euacuationes id feceris, humorum abundantiam ad partes maximè principes retorquebis: imò ne fouere quidem, aut lenire partes dolentes licet, prius quam corpus euacuaris. nam sæpe humorum copia ab huiusmodi remedijs ad affectam partem attrahitur, atque ita alterum homini discrimen accedit, vbi pars nimium inflammatà sit. Si verò ex antecedenti victus ratione nulla plenitudo in corpore appareat, remedijs ad dolorem facientibus vti licebit, ut fomentis, humidisque medicamentis, & facultate calidis. Si per hæc non sedetur, totum corpus euacuandum est: sæpe enim quædam in eo plenitudo collecta est, quæ paulatim coaceruata est, cum homo neq; quantitatem, neque qualitatem ciborum, quos ingessit, animaduerterit. Aliquando etiam cutis seipsa densior reddita ab aliquibus causis hominem plebeium latentibus, perspirationem cohibuit, & affectionis plethoricæ causam attulit: proinde si remedijs dolor non tollitur, æger nulla interiecta mora vacuandus est. Reliquæ verò indicationes, quæ ad phlegmones generationẽ inhibendam diriguntur, ex dictis in sermone vniuersali claræ sunt. nam eas potius memoriæ gratia repetere voluimus. De ijs verò quæ phlegmonem iam factam respiciunt, eodem pariter loco abũdè egimus, vt frustra repetendæ non sint. Cum enim duplex curationis genus sit: eò, quia vel digeritur, quicquid humoris in particulam procubuit, vel concoquitur: & curatio per digestionem maxime optanda sit, ideo secundo curationis genere posthabito, de quo superiori capite pertractauimus, & sub quo inflammatio propriam naturã immutat, & in aliud morbi genus pertransit, si de primo, quod per digestionem fit, sermo fiat, oportet partem phlegmone affectam vacuare. Quocirca vbi distenta uehementer pars inflammata est, cogimur, ut Galenus admonet, toto corpore prius vacuato, ipsam scarificare. Cum enim phlegmone duplici ratione à natura recesserit, & quod pars ipsa multo sanguine sit referta: & quod eadem sit calidior, vtique uacuationis indicatio refrigerationis indicationem uincit; contrà scilicet quam in erysipelate: in illo.n. refrigerationis indicatio magis vrget, quã uacuationis. Quãquam utriusq; affectus curandi commune caput est infestantis humoris vacuatio. Ideoq; postquã refrigeratum erysipelas est, ad ea, quæ digerunt, medicamenta conuertimur. In phlegmone uerò tantisper est refrigerandum, quatenus ad incrementum eius sistendum, & inhibendum est cõmodum. Cum.n. immoderatus calor dolorem excitet, & aliquid ad ægram partem attrahat, utroq; nomine augeri phlegmonem accidit. Ergo quantum refrigerationis phlegmone ceu calido morbo congruit, tantum certè, & incrementum eius inhibere est aptum. Idem parem gratiam præstat & cum repercutit id, quod influit. Quod uerò ex eo, quod in laborante parte continetur, quidpiam in proximas partes repellit, hoc phlegmones iam genitæ medela est. Simili modo & quæ modicè excalfaciunt, utraque interdum ratione prosunt, qm̃ & dolorẽ sedent, & quod contentũ in parte affecta est, digerant. Quippe dolorem mitigando, augeri phlegmonas uetant: digerendo, quod earum iã cõceptum est, sanant. Cum igitur momentum omne curationis laborantis phlegmone partis redundantis in ipsa sanguinis uacuatione cõsistat (cum.n. duplex in phlegmone affecta parte affectus sit, unus in quantitate ex superuacui humoris abundantia, alter in qualitate, qui ex caloris spectatur ratione, sequitur prioris eorũ curationem ẽt posterioris curatio, & quæ calentem materiam euacuant, ex accidenti inflãmatam partem refrigerant) ideo uacuatio excogitata est duplex, s. aut translato ad alias partes, qui in ægra cõtinebatur, sanguine, aut foris à corpore expulso: satiusq; est utraq; cum ratione uti. Trãsfertur aũt ad alias partes dupliciter, uno modo ubi pars affecta sanguinem abigit, quod fit, dum reprimentibus pharmacis roboratur, & adstringitur: altero modo cum eæ, quæ integræ sunt, ad se trahunt, quod quidẽ accidit, ubi partes sanę quæ affectæ uicinæ sunt, aut cum affectis coniunctionẽ, & conspirationem habent, vel fricantur, uel uinciuntur, uel calfiunt, vel ijs non incisæ cucurbitulæ admouentur. Foris autem à corpore expellitur dupliciter, nempe vel sensibiliter, uel insensibiliter. Id verò quod sensibilibus fluxibus peragitur, alias per ipsam fit partem, in qua phlegmone residet, uti dum ipsa scarificabitur, & inciditur, aliàs per eas, quæ unà cum hac coniunctæ sunt, & communia vasa obtinent, veluti dum per partes propinquas deriuationem faciemus. Foris autem expellitur sanguis insensibilibus, seu ratione tantum contemplabilibus effluxibus, dum parti affectæ ea pharmaca admouentur, quæ digerentia, seu discutientia vocantur.

Quæ sanguinem influxum euacuant, & phlegmonem iam factũ curant.

Galen. lib. de inæq. intẽp. c. 3.

Gal. 13. meth. c. 5.

Cap. 8.

Cap. 9.

Gal. 3. de tẽpe. c. 5.

cantur. De horum autem præsidiorum ordine, ac tempore, & quod primo loco reprimendum, vltimò verò discutiendum sit, in tractatu vniuersali sufficienter dictum fuit.

De Inflammationis curatione. Cap. XII.

[*Chirurgica præsidiorũ materia.*]

EX quo pariter horum præsidiorum congruæ materiæ ab vnoquoque mediocriter exercitato hauriri facilè possunt. Cum enim sanguis peccet si non copia, saltem prauo motu, quia ad affectam partem fluit, ideo à fęcibus vel sponte vel communi, ac modice refrigerante aliquo clystere euacuatis, ilicò, si vires ferant, ac validæ sint, ætasque floreat, [*Venę sectio*] & permittat, & phlegmone alioquin partis externæ non parua sit, vena aperienda, & ea sanguinis quantitas educenda, quam sanguinis redundantis copia, & vires, & morbi vis indicabunt. [*Sanguinis copia.*] Si enim sanguis non adeo copiosus sit, sed cum alijs humoribus mixtus, vt in spuria accidit phlegmone, aut ad affectam partem per attractionem potius fluat, parcè, & moderatè euacuandus, vt Gal. monet: sin copiosior sit, & per transmissionem in partem inflammatam irruat, in maiori quantitate extrahendus, sed in maxima, vbi non solum copiosius affluit, verum etiam maximam promouet, ac fouet phlegmonem, & dolor vehementius excruciat. [*Gal. 1. apho. com. 23.*] Quo fit, vt Gal. scriptum reliquerit, nedum in ardentissimis febribus, verum etiam in maximis inflammationibus, & vehementissimis doloribus se nullum maius nouisse remedium, quam vsque ad animi defectionem euacuare, adhibita tamen distinctione an mittere sanguinem, quemadmodum in plegmone conuenit, an potius purgare oporteat, vt in malis, quæ à vitiosis proueniunt succis faciendum est. Si verò particulatim de externarum partium inflammationibus sermo sit, non ita expedit vsque ad animi deliquium euacuare, nisi exclusiue id fiat, imò etiam in minori copia euacuando. Oportet autem viribus integris, atque valentibus tantam, seu maximam moliri euacuationem. Aetatem insuper, & tempus anni, & regionem, & præsertim constitutionem, & patientis robur habitumque, & consuetudinem, atque ipsam ægritudinis naturam considerandam esse iubet idem Gal. [*Galen. ad Glauc. 2.*] quoniam ex his, quando euacuare, vel non euacuare oportet, & vnde, & quomodo, inuenitur. [*Locus.*] Semper enim vt alias loco citato dictum est, in omnibus membris è regione, siue è directo, siue reuellere, siue ad latus deriuare velis, vena secanda est. E directo autem sunt dextra dextris, & sinistra sinistris, exempli causa, si ophthalmia oculum dextrum infestet, vel synanche partem gutturis dextram occupet, humeralis vena brachij dextri statim in fluxionis initio diuidenda est. [*Gal. loc. cit.*] Si ad genu deferatur fluxus, atq; hoc subito plurimũ attollatur, sanguinis euacuatione ex superioribus partibus occurrendum: oportetque in cubito incidere venam eiusdem lateris, aut scilicet interiorem, aut mediam. Si verò pars aliqua superior patiatur, per inferiora sanguis educendus. Semper enim fluxionis motum ad contrarium trahere expedit. Vnde venæ secandæ electio, & auersionis in contrarium inuentio à laborante particula, & eius positura indicatur. [*Gal. 13. & 14. meth.*] Vbi verò vel propter vires, vel ætatem venam secare non licet, cucurbitulis scarificatis eisdem locis contrarijs applicitis reuulsionis gratia, quia sectionis venæ vicariæ sunt, supplere oportet. [*Alia reuulsoria præsidia.*] Conferunt quoque non parum ad reuulsionem motus, frictio, non incisæ cucurbitulæ, & ligatura partis oppositæ: & dum vrget necessitas, ipsa quoq; valentiora præsidia reuulsoria, celebrata tamen prius sanguinis detractione. Pro deriuatione tamen administranda, vbi Phlegmone maxima est, post eandem adhibitam venæ sectionem, & post factam reuulsionem, affectæ partis, si ab ea admittantur, incisiones, scarificationesq; probantur. Quinimo etiam dum phlegmone in profundo est, cucurbita, vt scribit Gal. [*Gal. 13. metho. 19.*] tanquam strenuum plane auxilium est inuenta, tum vt foras euocentur, quæ sunt in alto, tum vt eximantur, atque eruantur, quæ iam in scirrhum abeunt. Verum vtendum cucurbita in ipsa parte, quæ phlegmone vrgetur, inter initia non est, imò postea, quam totum corpus euacuaueris, ac necessarium sit, eorum, quæ in inflammata parte continentur aliquid educas, atque eruas, aut etiam foras versus attrahas. Generandis autem adhuc vitijs minimè ipsis membris, quæ laborare incipiunt, sed ijs, quæ continuata his sunt, cucurbita imponi debebit, auellendi in contrarium causa. [*Medicamẽta.*] Quantum spectat ad medicamenta, dum vnà cum sanguine

Cõmunia.

guine prati, & potissimum billosi humores redundant; nedum lenientia probantur, quæ tamen refrigerandi vim habeant, & modicè adstringendi, qualia sunt flos cassiæ cum thamarindis permistus, & eiuscemodi alia, dummodo prius vena secetur, & postea leniens pharmacum exhibeatur, verum etiam vbi inflãmatio magna sit, & in declinatione præsertim consistat, ipsa purgantia, quæ citra calfactionem id agant, veluti potissimum est diacatholicon, vel cum refrigerantibus mista, aut excepta, de quibus alibi pertractauimus. ita tamen, vt ante purgantia præparantia ipsa præmittantur. Inter quæ dum sanguis biliosus, aut calidior est, summopere probantur refrigerantia: quæ tamen hyberno tempore temperatiora esse debent: veluti si secundum hanc formam syrupus præscribatur: Recipe syrup. rosati recentis, violati ana vnciam semis, decoctionis hordei, lactucæ, boraginis, cichorij vnc. iiij. misce pro syrupo, qui tum summo mane sumi potest per quatuor horas ante cibum, tum omni hora patiens, dum sitit, ex eo aliquid capere potest. Quod si non ratione caliditatis, sed potius propter tenuitatem facile fluat, expedit ipsum densare, & incrassare tali syrupo. Recipe syrupi de papauere, diamoronis ana vnc. semis, syrupi violati vnc. vnam, decoctionis hordei, iuiubarum, graminis, acetosæ, boraginis, seminis sumach vncias iiij. misce & fiat syrupus.

Topica.

Reprimentia, quæ in phlegmonarũ principio conueniunt.

Iam verò facta per venæ sectionem totius corporis euacuatione, & reuulsione pro phlegmones iam factæ curatione, & subinde pro sanguinis in affectam partem influxi euacuatione, & adhuc influentis repercussione, & partis corroboratione, ne suscipiat, in inflammationis externarum partium principio, Galenus maxime probat, vt parti affectæ apponatur emplastrum, quod ex semperuiuo, corticibus malorum punicorum in vino decoctis, rhu, & farina hordei conficitur. in talibus enim optimum est, atque ad omnia, quæ facere intendimus, efficax: repellit enim quod influit, atque id, quod continetur, exsiccat, & membra circumstantia corroborat. Illud autem nonnulli hoc pacto componunt, præscribuntque: Recipe farinæ hordei, corticum granatorum in vino coctorum, foliorum semperuiui maioris, seminum sumach. ana quantum suffic. cum modico lacte fiat emplastrum. Idem autem Gal. in ijsdem externarum partium, quæ circa artus sunt, inflammationibus, in earum scilicet princio spongiam vel ex frigida aqua, cui paululum aceti sit immistum (vt scilicet ita temperata aceto sit, vt bibi possit) vel ex aqua sola, sicut etiam ex vino aliquo austero madentem imponebat. Idem insuper inter simplicia pharmaca maximè probat polygonon. Cum enim, vt ille scribit, adstrictionem quandam obtineat, & frigidum, & aqueum sit secundi ordinis, efficacissimum est, inflammatis partibus (dum phlegmone scilicet in principio consistit) remedium. Halyabbas verò, vt etiam refert Guido, hoc vsurpabat: Recipe santalorum alb. rubrorum ana drach. iij. glauci drach. iij. terræ cimoliæ, boli Armen. ana drach. j. s. omnia subtiliter terantur, & diligenter cribrentur, & cum succo semperuiui, ac portulacæ, siue lactucæ dissoluantur, & fiat linimentum. Tritum autem, & vulgare apud Chirurgorum scholam, & recentibus quoque vulneribus, ac contusionibus accommodatissimum est, quod oui albo, rosaceoque oleo, aut etiam aqua rosata constat: quo quidem panniculi imbuuntur, partique phlegmone obsessæ admouentur, & subinde mutantur. Sed præstantius erit medicamentum, si sumamus olei rosati completi, albumin. ouorum, aquæ rosatę, & lactis muliebris ęquam portionem, & medicamentum paretur: quo eodem modo, quem diximus, vtamur. Quinimo rosæ ipsæ inter simplicia, quia adstringunt, Gal. teste, inflammationum sunt medela, non solum dum increscunt adhuc, atque augentur, verum etiam, & magis (dum incipiunt. Rosaceum verò, vtpote cuius natura olei, rosæque in medio est) in inflammationum augmentis optimum est remedium. Sicuti oleum commodum est, vbi inflammationes maxime vrgent. Porro rosaceum, vt quod in medio eorum, ex quibus confectum est, consistit, vtique & in medio tempore vtilitatem ostendit. Nam per initia repellere, comprimereq; influxus oportet; in vigore autem ita per halitum digerere, vt morsus absit. At in incrementis repellere simul ac digerere. Ob id alibi quoq; scribebat idem, quod ad ascensus, augmentaque inflammationum, ac potissimum earum, quæ in exterioribus membris extant, rosaceum oleum chamęmelino præfertur: quippe cum hæ tepida caliditate cum leui adstrictione indigeant. In principio enim quæ refrigerant, atque adstringunt: per incrementa verò tepida, & mediocriter constringẽtia: at in vigore, ac statu inflammationum, quæcunq; tum moderatè calfacere, tũ laxare; per declinationes, quæ tum calefacere, tum valenter discutere ualent, magis

Galen. 2. ad Glauc. 2.

Gal. 13. metho. 12.

Gal. 8. simp. medic.

Gal. 3. simp. c. 16. & 17.

Gal. lib. cit. c. 10. & 9. simp. in ser de lapidib.

Galen. 1. de comp. per genera c. 4. & 9. simp. fer. de lapide schistos.

competunt. Verum In principijs inflammationum illud obseruandum cum Gale-
no est, vt fortiter adstringentia caueantur. Si enim, scribebat ipse, tumores in rheu-
maticis affectionibus fortiter quis astringat, initio quidem proficere videbitur; sed
quod restat, contumax, & scirrhosum faciet; nam magna ex parte tales affectus ne
quidem ferũt nimis adstringentium impositionem, vt qui illis, & dolore, & tensio
ne molestentur. Atque omnis dolor inflammata exacuit, irritatque, & fluxioni-
bus occasionem prębet, quamuis rheumatica intemperie æger non afficiatur. Cum
itaque phlegmonem suspicamur fututam, vel incæpisse modo, quæ magis adstrin-
gunt, non tamen fortiter; in augmento, quæ minus; in statu, & declinatione, quæ
magis relaxant, & digerunt admouemus. Semper tamen vtraque misceatur & re-
pellendi, & discutiendi facultas, nisi quando fluxio prorsus constiterit, & corpus va
cuum fuerit: Tunc enim ad digerentem, sicuti in primis incursibus ad repulsoriam
virtutem tuta est accessio. In phlegmonarum igitur principio iam enumeratis, &
præsertim eo, quod ex semperuiuo, malicorio, rhu, & farina hordei constat, est
vtendum (quamuis mille alia medicamina eodem modo componere liceat) si

Galen. 2. ad Glauc. c. 2. — *Si dolor in principijs phlegmonarum magnus fit.*

quidem non admodum doleant. Cum magno autem dolore fluxu incidente, non
sic oportet, neque aquam calidam, neq; oleum, neque farinæ triticeæ cataplasmata
afferre: hæc enim omnia dispositionibus rheumaticis aduersantur, quamuis ab ini
tio aliquid iuuare videantur. Sufficit autem in huiusmodi affectibus vehementiam
doloris mitigare aliquo ex his, quæ ex passo, & oleo rosaceo, & pauca cera, quæ in
vtroque sit liquefacta, conficiuntur. Oportet autem hæc lanis excipere sordidis,
quæ plurimum œsypi habeant, & æstate quidem frigida; hyeme autem tepida ap-
ponere: sic etiam cataplasmata ex arnoglosso, lente, pane, & rosaceo oleo adhibe-
re: paulo autem supra patientes particulas ponere spongiam vino acerbo intin-
ctam, aut aqua frigida: melius autem fuerit, si patum aliquid aceti adiungatur.

Ad phlegmonarũ ascensus, & incremẽta.

Quod si hæc cura insigniter profuerit, neque alicubi pus se ostenderit, empla-
stris, quæ ad fluxionem mollia patantur, est vtendum. Optima verò ex ijs sunt,
quæ exsiccandi, & repellendi, quod fluit, sanguinis, sine dolore vim habent: quem-
admodum ea, quæ vehementer intendunt, atque idcirco dolorem afferunt, plus
doloribus obsunt, quam exsiccando proficiunt. Tale igitur oportet esse medica-
men, quale nobis in vsu est, quod est chalcite constat, & à Galeno phœnicinum, à
nostris diapalma dicitur, oleo rosaceo dissolutum. Si verò lanam mundam vino
acerbo madefeceris, & exterius apposueris, plus iuueris. Quod si pus in particula
se ostenderit, cataplasma imponere oportet semel, aut bis: plus verò in præsenti-
bus iuuat farina hordeacea: adiungendum tamen in his aliquid vel aceti, vel vini;
reliqua verò deinde adhibenda curatio, quam superiori capite abscessui conuenire
diximus. Dum enim phlegmone suppurat, etiam in augmento concoquentia con-
ueniunt. Sed ad phlegmones curationem, quæ per discussionem fit, reuertamur, in
cuius tum principio, tum augmento, adeo probatur phœnicinum, seu diapalma vo
catum emplastrum, aliquo conueniente liquore dissolutum, vt quamuis pluta eius-

Galen. 1. de comp per gener. c. 4. — *Diapalmæ vnguẽti maximus vsus*

modi Romæ existetent, nullum tamen tam celebri Gal. testimonio probatum fue-
rit. Sed incipientibus, & augescentibus inflammationibus, & alijs rheumaticis vi-
tijs, liquefactum pharmacum refrigerari finitio, idq; spatho mela deradens pilę inij
cito, cui vinum superinfundito, quod vt recipiat, manibus ad pilam subigito. Erit
autem vinum austerius, ætate quidem medium, substantia non crassum, sed quan-
tum fieri potest, dilucidius. Nam huiusmodi, vtpote substantiæ tenuioris, in altum
corpus penetrat; tantisper autem liquefacto medicamento ipsum infundito mani-
bus conterens, dum excipiatur, misceaturque, nec humidum adnatet, quod non
contrito, ac emollito pharmaco mistum sit. Adhæc etiam si non prius refrigera-
tum medicamen deraseris, liquefacto, & adhuc calido vinum superfusum permisce
re licet. Præterea dum id liquescit, si quando adstrictoriam qualitatem satis excel-
lere volumus, Hispanum oleum, vel Histricum, vel omphacinum inijciendum est.
Vbi æquales vtrasque facultates repellentem scilicet, & digerentem habere cupi-
mus, quemadmodum in phlegmones statu conuenit, oleo dulci, nec recenti, nec ve
tusto liquandum est. Si, vt digerat, expetimus, inclinante s. phlegmone, vetus oleum
vel cicinum commodè sumitur. Emplastri autem medicaminis in liquescendo hu-
iusmodi fiat symmetria; oleum paulò copiosius, quā medicamentum esto, magisq;
ęstate, videlicet, vt libr. j. absoluat, medicam enti verò x. vnc. iniecisse abunde fue-
rit. Patet autem hoc efficacius reddi emplastrum, quò plus medicamenti habuerit:
tanto autem magis mitigate ac dolorem tollere, quāto liquidius fuerit ex rosaceo

liqueta-

liquefactum. At cerati, quod inungi possit, consistẽtiam recipit, dum medicaminis pondo in olei selibra liquatum fuerit. Tale verò phlegmonarum inclinationibus ex vsu est. Item sedis, rectiq; intestini tumores phlegmonodes sponte obortos omnibus melius iuuat. Ipsum autem tunc liquatum oportet cum oleo copiosiore, ut per cornu recti foraminis, cui vesica suilla alligata sit, immittatur. In inflammationum itaq; augmento nedum phœnicinum vnguentum modo iam proposito vsurpatũ, verum etiam oleum rosaceum optimum est remedium. Probatur quoq; chamæmelinum oleum, quia reprimendi, & simul resoluendi vim obtinet. Auicennas vtebatur tali medicamento, quod etiam à Guidone, & alijs recẽtioribus suscipitur. ℞. fol. maluarum Manip. j. absynth. rosarum ana vn. semis. farinæ hordei vnc. j. olei chamæmelini quartam semis, coquantur, & pistentur, & fiat emplastrum. Coctio autẽ ita fieri debet, ut primum rosæ, & reliqua in aqua decoquantur, deinde farina inspergatur, & demum oleum apponatur. Aliud eiusdem: ℞. vini cocti, siue sapæ quartam vnam, aquæ rosaceæ, aceti ana quartam semis, croci drach. ij. bulliant modicum, colentur, & fiat epithema, quo panni imbuti parti affectæ applicentur, sed tardius, quã

Quæ in phlegmones vigore cõueniunt.

repercussiua, quæ in principio conueniunt, immutentur. Iam verò, dum phlegmone in vigore consistit, vt iubet Gal. pares esse debent indicationes, tum repellendi, tum digerendi, & proinde pharmaca, quæ vires has æquales accipiant, sunt applicãda. Sed quia eo tẽpore dolores vigent, ideo Aetius non absq; ratione priuatim vtitur malua, præsertim cum modico pane, & rosaceo illitæ: aut ẽt meliloto in passo decocto, & cum pane admoto. & ex eodem idem possunt palmulæ in passo elixatæ, & cum pane, & rosaceo confectæ, & mistæ. Sed ualde efficax est, quod à Dino de Florentia proponitur, & ℞. parietariæ, maluæ ana M. j. surfuris subtilis, farinæ volatilis Pug. j. fœnigræci, anethi ana vnc. semis, olei chamæmelini quartam semis, coquantur in vino, & conterantur, exactèq; subigantur, & fiat emplastrũ. Optimum quoq; emplastrum est, quod tradit Gal. *Gal. 13. met.* Is enim suscipiebat lib. vnam medullæ panis triticei, quam per horam in aqua calida, ac feruenti macerabat, & expressa aqua eidem quartam partem mellis permiscebat, & molle emplastrum cõficiebat. nam præter id, quod discutit, dolores quoq; mulcet. *Gal. 6. simp.* Ageratum verò, quia digerendi vim habet, inter simplicia leuiter quadantenus à phlegmone liberat. Auic. verò diachylone, necnon basilicone vnguentis utebatur: quamuis illud ad emolliendum, hoc autem ad suppurandum, seu maturandum magis conueniat. Sed optimum, ac facile parabile est, quod ℞. parietariæ, radicis altheæ, furfuris ana vnc. j. anethi, fœniculi ana vn. sem. olei chamæmelini, quantum sufficit, prius coquantur radices, deinde misceantur omnia, & in mortario fiat emplastrum: Si hoc non prosit, diachylone cũ gummis utendum est. Hæc aũt, quæ in statu admouentur, tardius adhuc amoueri, & mu-

Ad declinationem accómodata.

tati debent. Phlegmone demũ inclinante, quo tempore tumor, tensio, ac dolor euidenter minuuntur, pura discurientia sunt vsurpanda. Vnde probat Guido lanã succidam, aut stupam, aut spongiam, aut filtrum, uel quid simile in viuo stiptico, aut ẽt in aqua salita calẽte infusum, expressum, & applicitum. *Guido tract. 2. c. 2.* hæc enim absq; dubio citra dolorem exsiccant, discutiuntque. Laudatur quoque agrestis malua illita, & passulæ exacinatæ cum pane, & modico melle, & hordei farina cum melle pariter applicita. Dùm autem malum iam dictis non cedit, ad spongiam in aqua calcis, vel decocto thymi, origani, aut hyssopi, & calamiuthæ, aut pulegij infusam, uel ad sactum ceratum, quod diadictamnum Græci uocant, confugiendum. malo enim in vltima inclinationis parte existente, quia omnis feruor prorsus delituit, & dolor omnino sublatus est, hæc ualentiora tutò adhibentur. Inter simplicia autem medicamenta, ut refert Galenus, Aegilops digerendi vim possidet, & ideo phlegmonas induratas, & ægilopas sanat. *Gal. 6. simp. med.* Quemadmodum & brassica, quia siccat, & non admodum acris est, phlegmonas induratas sanat & ægrè solubiles, & id genus erysipelata. *Gal. 7. simp. med.*

Ad phlegmonas non exquisitas.

Et hæc de phlegmone exquisita est, vel his similia congrua erunt. Dum autem ab exquisita sua natura deflectit, & vel erysipelatis, vel œdematis, vel scirrhi particeps erit, tum ex iam dictis, tum ex dicendis in ceterorum tumorum curatione, remedia petenda erunt, in quorum mistione ea quæ phlegmonem respiciunt, reliquis præpollere debent. Vbi ex duobus malis complicatis, seu commistis humoribus neutrum vincet, ita ut verbi gratia uitium sit phlegmones, erysipelatisque medium, curationis quoq; methodus, & præsidia, sicuti in alijs compo-

Ad phlegmonas feruentes.

sitis faciendum; æqualiter ex his composita, vel compositam uim habentia adhibenda erunt: exẽpli gratia, auricula muris, alsine Græcis dicta adseruentes phlegmonas, & erysipelata mediocria competit, quia sine adstrictione refrigerat, & hu- *Gal. 6. simp. med.*

mectat, & ob id in principijs horum tumorum maximè conuenit. Ad furunculos vero, quia ex sanguine, cum crassis, & vitiosis humoribus misto fiunt, probat Gal. triticum optimè masticatum (hoc enim modo saliua tritico miscetur) & appositum, in durioribus scilicet corporibus. nam celeriter eos discutit, seu digerit, & concoquit. in pueris verò mollioribusq; corporibus, panem potius in ore similiter commansum probare videtur. Ex traditis autem in vniuersali tumorum curatione innumera medicamenta, & auxilia hauriri poterunt, quæ spurias omnes inflāmationes submouere valebunt. Quo in loco pariter docuimus, quo modo ratione diuersorum locorum affectorum diuersa quoq; remedia vsurpari debeant; indicatione scilicet à partis affectæ temperie, actione, ac vsu, figura, situ, sensuq; desumpta. Non sit ab re paucula quædam exempli gratia adiecisse, quæ in diuersis suæ medicinæ locis, pro diuersis phlegmone affectis partibus Gal. posteritati reliquit. Ad Gutturis phlegmonas ipse tanquam strenuum admodū auxilium proponit stercus pueri exsiccatum cum melle Attico ad læuorem tritum. Sed puer, cuius stercus accipitur, alendus lupinis, qui ex more edi solent: præbendi autem in esu lupini, non alij cibi ad fœtorem euitandum. Alendus itaque lupinis cum pane bene cocto in clibano, modo salem, & fermentum habente, & ei præbendum vinum vetus, & hæc omnia in mediocri quantitate, vt perfectè ea puer concoquat: sed solum tertio die ab hac victus ratione stercus accipitur, quo aresacto, vti dictum est, vtimur, non modo medicamentis, quæ foris imponuntur, commiscentes, sed ijs quoque, quæ intrò in os sumuntur, vt i etiam caninum stercus vsurpamus. Cum enim quidam à phlegmonis assiduè ad guttur existentibus vexaretur adeo vehementer, vt suffocationis subiret periculum, quidam aduocatus ante venæ sectionem hoc illico medicamento statim hominem curabat. Ad palpebrarum autem, aurium, mammarumque phlegmonas, quæ scilicet aut ictis illis, aut alio quouis modo euenirent, aut etiā in neruosis corporibus existerent, puta cubito, & digitorum tendonibus, aut articulis, aut in pedib. pariter, & manibus, Gal. crudo ouo tutò vtebatur, ei rosaceo admisto: Vitellum verò miscebat etiam cataplasmatis phlegmonem extinguentibus, vt ijs, quæ meliloto constant, sedi applicandis. Simili modo ad phlegmonas in sede cum vlcere, aut rugis, & ad eas, quæ in pudendis, testibusq;, & vberibus consistunt: & similiter aduersus cęteras omnes fluxiones incipientes, quæ aut in inguina, aut in pedes, aut in alium quemuis articulū decumbūt, optimum remedium est, vt idem tradit, plumbi succus, qui ex mortario, & pistillo plumbeo, aqua vel tenui & aquoso vino aut oleo rosaceo, vel myrtino, vel omphacino, sed multo magis succo semperuiui, aut cotyledonis, aut intybi, aut lactucæ, aut chōdriles, aut psyllij, aut omphacis, aut portulacæ affuso, & in mortarium iniecto extrahitur. Quod si celeriter multum succi plumbei voles colligere, conare in sole terere, aut quocunq; certè modo aere excalfacto. At verò fabacea farina cū polenta emplastri modo admota tum phlegmonas ex ictu ortas sanat, tum testiū, & vberum aptum est cataplasma: quia hæ partes, cum phlegmone tenentur, modicè refrigerari amant, maximè cum vbera ex lacte in ipsis concreto phlegmonem patiuntur. quin lac quoque ab eo cataplasmate extinguitur. Sordes similiter, quæ in palęstris colligitur, optimum est phlegmones mamillarū remedium; siquidem feruorem earum, veluti igneum extinguit, quod affluit, repellit, & quod cōtinetur, halitu digerit. Constat enim ex puluere, oleo, sorde humana, & sudore. Est etiā admodum vtile medicamentum ijs, quibus a partu restinguere lac consilium est, eò quia in māmis in morem casei coaguletur. ita bubones celeriter discutit. Abrotonon verò cūm malo cydonio cocto, aut pane illitum, oculorū sanat phlegmonas: Et cum farina hordeacea tritum ac coctum digerit phymata. est n. calidum & siccū in tertio gradu, amarum, & tertenæ substātiæ; sed à latente calore extenuatū. Vrticæ quoq; fructus, & folia admodum digerentis sunt facultatis, adeo, vt & phymata, & parotidas sanent. Est enim vrtica siccæ temperaturæ, tenuium partium, non tamen vehementer calfaciens, vt mordicet. Sed quia in glandularum, & emunctoriorum phlegmonas incidimus, & hę penes localia pręsertim auxilia, vt alibi docuimus, variam exposcunt curationem, operæ precium est de earum quoque curatione breuiter disserere. Cum itaque in his glandulis tres passiones fiant, id est, bubo, phyma, & phygetlon: Bubo autem sit earum inflammatio: Phyma verò sit illud quod statim augetur, & ad suppurationem festinat: Phygethi verò, vt superius diximus in sermone generali plures sint differentiæ: ideo relicto phymate, cui tum paulo supra proposita auxilia, tum pus mouentia in superiori capite tradita conueniunt, & quod eodem fere modo, quo bubon, pe-

tractari

Gal. 10. simplic. med.

Gal. 10. simplic. ferm. de saliua.

Gal. 11. simplic.

Gal. 9. simp. medic.

Gal. 7. simp.

Gal. 8. et 10. simp.

Gal. 6. simp.

Ad furunculos.

Ad gutturis phlegmonas.

Ad multarum partiū phlegmonas.

Ad vberū phlegmonas.

Ad idem.

Ad oculorū phlegmonas.

Ad phymata.

Ad phymata, & parotidas.

Ad phlegmonas glādularum.

rtractari debet, dum ad suppurationem tendit: necnon phygetlo posthabito: quippe quod, dum calidius est, cum bilem admistam habeat, digestionem potius, quam sup purationem indicat, & ob id cum Gal. ipsum aut alsine ad formam cataplasmatis, aut atriplice, aut malnis, aut humido cerato, ab eo descripto, uel id genus alijs mixtioribus discutientibus curamus: sin autē frigidius eius curatio ex dicendis de glandularum pituitosis tumoribus patebit, De Bubone ipso tantummodo pertractabimus. Pro aliorum aūt exemplo bubonem illum cum Gal. curandū assumemus, qui vulnus, aut vlcus vicinæ, è directoq; positæ partis consequitur. Postea.n. quam prope magnam arteriam, aut venam vlcus, aut vulnus ortū est, celerrimè bubones excitantur. Cernitur aūt aliquando ipsa quoq; vena per totum membrum rubra, & calens, & distenta, ac si quis eam tangat, dolens. Ergo si vel totum plethoricum sit, vel malo succo redundet, difficilis curatio redditur: sin sanum planè sit, facilis. Quippe excalfacere & humectare modicè totum membrū, quò dolor mitigetur, oportet, ipsi vtiq; vlceri tetrapharmaco in linamento imposito (liquatur id oleo potissimū rosaceo, vel si id non adsit, relaxante aliquo) toto verò membro hapso lanæ ex calente oleo imbuto circundato. Quin etiam ipsi vlceri calidum imponi medicamentum oportet, ac super ipsum calidum extrinsecus cataplasma ponere, quod ex farina, vel hordeacea, vel triticea, uel ambabus mistis constet; humorem autem habeat aquam cum pauco oleo. Non secus verò etiam ipsi adeni, quæ phlegmone augeri cœpit, vt mitigetur, imponi debebit primo die lana ex oleo calente madens, non autem, sicut nonnulli faciunt, statim addito sale. Post enim sale vtemur, cū & tumor per totum membrum fuerit remissus, & dolor vlceris sedatus. Quinetiam Macedonicum, quod vocant pharmacum similiter sicut tetrapharmacum ipsi vlceri imponere licebit. Etenim similia inter se sunt, solo thure tetrapharmacum Macedonico superante. At si vel plethoricum corpus sit, vel malo succo redundet, curatio per ea, quæ sic calent, fluxionem ad membrum citat. Atqui nec alia vlla vti datur. Cogimur itaq; alias sanguinem mittere, eo modo, quē in sermone vniuersali proposuimus, vbi plethora id indicet, alias purgatione ipsa vti, vbi vitium succorū adsit. Ac plerunq; post hæc præsidia glandularum phlegmone desinit. sæpe tamen vel ipso, qui curat, ad corporis totius uacuationem segniore, vel ipso, qui laborat præ mollitie eā non admittente, earū phlegmone maior efficitur, sic, vt ad suppurationē perueniat. Sed & quæ phymata Græcè vocant, glandulis, sicubi fluxio in eas procubuit, citra vlceris occasionem accidunt. Vbi ergo distentæ uehementer glandulæ sunt, aut alia particula quæuis, quā phlegmone premit, cogimur toto corpore prius vacuato, ipsam scarificare. Vbi verò phlegmones ipse veluti feruor subsedit, mitigatorijs cataplasmatis dimissis, ad ea, quæ digerunt, paulatim est transeundum. Ac primum cum mitigatorijs paulum mellis miscendū, mox triticea farina in totū prorsus auferenda, contentis hordeacea cū melle vberiore. Deinde ad aliquod eiusmodi digerentium medicamentorum est ueniendum, quæ vel humida cōsistentia sint, similiter ijs, quæ in linamentis, vel linteolis excipiuntur (emmota Græcè vocant) vel cerati specie. A duris autem abstinendum est: qualia sæpe emplastra sunt. Nam & phlegmonarum reliquias contrahunt, & rursus phlegmonem in ægra parte excitant. Si verò inflammatio suppuret, & in abscessum abeat, qūo pertractanda sit, superius caput de abscessus curatione edocet. id vnicum annotasse sufficiat, quod dū suppurant hæ bubonum inflammationes, & diutius protrahuntur, facile in fistulas migrare solent tū difficiles, tum periculosas. ideo dum ex uno foramine plura oriri incipiunt, bubo festinātèr curari debet. Si verò bubo aliquis post factam alicuius morbi iudicationē, seu per viā crisis oriatur, & morbū soluat, quod ex conferentia, & bona patientis tolerantia cognoscitur, nihil prorsus innouandū iuxta præceptū Hip. sed totum opus ipsi naturæ expellenti permittendū est. Attrahentia vero prorsus dimittenda sunt, ne.s. ab his propter attractiones uehemētiam dolor augeatur, vehementiorq; fiat, & vigiliæ, & febris intendantur, uiresq; dissoluantur. Quinimo cataplasmatis dolorem mitigantibus, & influentes humores coquētibus, ac suppurātibus utēdū, & postea aperto, & alia, quæ abscessibus cōueniunt adhibenda sunt. Si verò iudicatio, quæ per bubonē fit, imperfecta fuerit, expellenti uirtuti opē ferre debemus, nedum cucurbitulis ipsis tum siccis tum scarificatis, uerum etim laxantibus, attrahentibusq; pharmacis & emplastris glandulæ admotis. Qualia sunt, quæ ex diachilone cū gummis ex resina pini, ex nigro sapone, uel adipe leonino, aut vrsino parantur. Quidam verò medicamentū è fermento, ac veteri axungia, aut aliquo ex dictis adipibus paratū admouent. Suppurantia quoq; de quib. in superiori capite

De bubonis curatione.

Gal. 1. son. 6

Gal. 13. meth 5.

Si bubo per viam crisis oriatur.

Hip. 1. aph. 20.

abſceſſu egimus, vbi præſertim bubo crudior fuerit, congrua erunt. Vnde dum in morbo Gallico per quandam veluti criſin in inguinibus apparent, reſoluentib. omnino relictis, ſemper ſupputantibus occurrendum, & vbi contumaces ſunt, & ægrè ſupputant, prodeuntque, attrahentibus quoq; iam propoſitis auxilijs vtendum eſt. *Ad parotidas poſt aures exortas.* In parotidibus verò poſt aures prouenientibus, & teſtibus induratis Gal. probat ci- *Gal. 6. ſimp.* ceres, eorum ſcilicet farinam, decoctumque: quia attrahendi, digerendi, incidendi, & extergendi facultatem habẽt, præſertim verò eorum farina cum melle admiſta, & illita vtimur. Ad parotidas autem induratas, & duritias antiquas vberum, & teſtium idem probat eryſimi ſemen cum aqua & melle cataplaſmatis in morem illitum. facultate ſiquidem igneum eſt, & excalfactorium; & hoc modo vſurpatum, vt refert Dioſcorides in occultis quoq; cancris prodeſt. *Gal. 10. ſimplic. medic.* Inſuper, vt tradit Gal. butyrum quia cõcoquentis, & laxantis eſt facultatis, ad parotidas, & bubones ſummopere probatur. Ad parotidas autem, & bubones diuturniores Gal. ſtercus caprinum ſiccatum, & vſtum digerentibus cataplaſmatis ad hæc mala accommodatis permiſcebat: quia abſtergendi, & digerendi non paruam vim habet. *Victus ratio.* Victus autem ratio ex vniuerſali diſcuſſu patere poteſt. Aer enim ad frigidum & ſiccum vergere debet. Victus tenuis ſit, & frigidus. Vnde, ſi febris non adſit, vinum oligophoron concedatur: Ea verò ſuperueniente, quod vt plurimum cõtingit, a vino abſtineant, & refrigerantibus humectantibus, facilis tamen coctionis, & diſtributionis & paucorum excrementorum cibis, ac edulijs vtantur, inter quæ præſtantiſſima eſt ptiſana hordeacea, præſertim ſi cum emulſione ſeminum melonum parata ſit. Quies quoque tum totius corporis, tum multò magis affectæ partis imperanda eſt. Somnus & vigilia mediocritatem ſeruent, ſed diurnus ſomnus fugiendus erit, repletio & ingluuies omnino caueatur, & aluus vel ſponte fluat, vel ope clyſterium prouocetur. Veneris autem vſum, iram, clamorem, contentionem & quemcunque inſignem animi motum tanquam hoſtes infenſiſſimos deuitent. Quo pacto autem dolor, durities, & putrefactio, dum vna cum phlegmone inuadunt, ſint remouenda, partim in hoc, & proximè ſuperioribus tractatibus diximus, partim in ſequentibus capitibus planum fiet.

De Carbunculo, bubone peſtilenti, grangræna, ſphacelo, & vitijs à prauo ſanguine ortis. Cap. XIII.

Guid. ſerm. de apoſt. c. 2. GVIDO, & qui eum ſequuntur, non ab re, poſt phlegmonem, & in eodem capite, de Carbunculo, & Gangræna, Sphaceloq; pertractarunt. Hæc enim vitia omnia ſanguineæ fluxionis, ſed prauæ & vitioſæ ſoboles ſunt. Sed quia nedum carbunculus, verum etiã bubo peſtilens ab eodem ſanguine; ſed corrupto iam, & virulento nõnunquam procreatur, ideo operæpretium duximus, de huiuſcemodi malis omnibus eodem tractatu verba facere. Sciendum itaq;, quemadmodũ ſanguine propriam naturam ſeruante, dum ipſe ſyncerus in aliquam partem fluit, exquiſita phlegmone fit: cum autem cum alijs humoribus mixtus influit, ſpuria exoritur inflammatio, eaq; diuerſa pro humoris, cui miſcetur, varietate: Ita dum ſanguis à propria natura deflectit, & prauus, & vitioſus euadens in aliquam partem irruit, alia mala, quæ itidem ſanguineæ, ſed prauæ vitiatæque fluxionis ſunt partus, exoriuntur. Cum enim ſanguis multipliciter propriam naturam immutat, eò quia nonnunquam euadit craſſior, aut tenuior, quam ſui natura ferat, interdum adeo incaleſcit, & exuritur, vt Galeno teſte, quod *Galen. 2. de differ. feb. 9.* ipſius tenuius eſt, in flauam, quod craſſius eſt, in atram (abſque vlla tamen ſeparatione) vertatur bilem: aliquando verò adeo ex toto corrumpitur, vt ex hac corruptela veneficam, ac deleteriam acquirat qualitatem: ideo pro diuerſo ſanguinis vitio, diuerſa quoque mala gignuntur. Dum enim ſanguis exuritur, & craſſus eſt, & quamuis putreſcat, ebulliatque, non tamen eius pars craſſior à tenuiori adhuc ſeparata eſt, carbunculus exoritur: ſed is ſimplex: quia ex ſimplici craſſi ſanguinis ardore, & putredine naſcitur. Quod ſi ante putredinem, & ebullitionem corruptus omnino erat, & ex ea corruptela veneficam naturam contraxerat, dum poſtea putredine inuaditur, & efferueſcit, carbunculus oritur peſtilens. Si verò ſanguis qui corruptus eſt, & veneficus, non ita exuſtus in adenes, quæ emunctoria

vocantur,

vocantur, influat, bubo creatur pestilens. Vbi demum sanguis nedum vitiosus, & præsertim crassior, verum etiam adeo copiosus in aliquod membrum irruat, vt maximam phlegmonem pariat, est in causa vt gangræna, & vbi malum progreditur, etiam sphacelus subsequatur. Non tamen opinandum est gangrænam esse tumorem, aut sub tumoris genere aliquo comprehendi, vt nonnulli perperam arbitrati sunt. Siquidem mala hæc sub nullo morborum genere continentur, sed sunt partis corruptio, interitusque. Vnde si verum est, nos posse ab ipso toto ad partem ratiocinari, quemadmodum totum hominem mortuum quis nunquam dicet aliquo morbo laborare, ita emortuam partem non morbo aliquo teneri, sed corruptam, & æquiuocè corporis partem esse enunciamus. Quod si quis dicat Gangrænam non esse quidem morbum, sed morbi causam, eò, quia partis corruptelæ morbus necessario subsequitur: non tamen inferre poterit eam sub tumoris notione, atque natura comprehendi. Tantum enim abest, vt tumorem producat, & magnitudinem auctam, vt potius magnitudinis imminutæ, & vlceris, quod parti corruptæ necessariæ accedit, semper in causa sit. Neque subterfugier inquiens gangrænam sub tumore comprehendi, eò, quia semper ex tumore, & phlegmone ipsa gignatur, quoniam phlegmone, vt post apparebit, neque adæquata, neque perpetua causa efficiens gangrænæ est; neque gangrænam tumor, & inflammatio semper comitatur, quemadmodum vlcus. Si itaque verissimum est, quod vbi pars aliqua gangræna tenetur, necessario vlcere quoque corripitur, non autem phlegmone, vt quid Auctores tractationem de Gangræna cum sermone de tumoribus, & iis præsertim inflammatoriis permiscent? Hunc scrupulum euellere possumus, si dicamus, quod respiciendo ad rei naturam, longè conuenientior Gangrænæ locus esset, sermo de vlceribus, & præsertim putridis, & cum partis vlceratæ corruptela coniunctis. Sed quia gangrænæ, quamuis plures alias habeat causas, attamen omnium frequentissima est magna ipsa phlegmone: ob id omnes de ea in tractatu de tumoribus præter naturam, & fere post ipsam inflammationem, ex professo verba fecere, licet eorum plurimi necessitate compulsi etiam in sermone de vlcerib. ceu in proprio magis loco pertractauerint. Sed his inutilibus relictis, ad carbunculum, seu carbonem accedamus. Hunc Græci anthracem appellant, Arabes verò, vt Auic. & Serapio, modo ignem Persicum, modo ignem sacrum, & prunam vocant. Eius porrò dum simplex est, generationem, ac naturam, descriptionemque superius in generali tractatu tumorum ex Galeni verbis attulimus. Ex humore siquidem crasso, ait ille, ferventeque nascitur: incipitque plerunque à pustula: aliquando verò, & sine hac. Ceterum inter initia, quibus hoc instat scabunt particulam omnino: mox oritur pustula quædam: qua rupta vlcus cum crusta gignitur: nam pustulæ vlcus præcedunt, vt in ambustis fieri solet: sæpe verò non vna oritur scabentibus pustula, sed multæ exiles, veluti milii semina, crebræ in particula residentes: quibus perruptis similiter crustosum vlcus prouenit. In carbunculis verò pestilentibus, qui per Asiam populatim sunt grassati, etiam citra pustulas nonnullis excoriata statim cutis est: Omnibus tamen, vti dixi, crustosum vlcus fit, modo crusta ipsa cineris colorem præ se ferente, modo nigrorem. Omnibus præterea his circumposita caro in summam peruenit inflammationem; non tamen colore aspicitur erysipelaris, imò qui adhuc phlegmones colore sit nigrior: veluti si plusculo rubro minus misceas nigri. Quod autem necessariò febricitent, qui ita sunt affecti, & magis, quàm illi, quibus erysipelatodes est phlegmone, id vtrique latere neminem potest: febris enim ex vehementi sanguinis crassioris feruore gignitur. Quemadmodum verò illæ paruæ pustulæ ex materia biliosa & tenui, quæ sanguini misceatur, ex Auicen. sententia exoriuntur: ita vlcus crustosum modo cineritii, modo nigri coloris est pro diuersitate humoris cum sanguine feruenti permisti. Qui quidem sanguis cum crassus & melancholicus existat, & propter feruorem in atram bilem migret, ob inflammationem illam, quæ crustosam carnem circundat, colore nigricante, & ad instar picis & bituminis splendente perfundit. Neque enim color circunstantis inflammationis tuber est, vt in aliis, inquit Galenus; sed ad nigrius vergit, aliter, quàm in sugillatis, aut gelu perfrigeratis. Vnde tumor non est vehementer liuidus, vt in illis. sed nescio quid splendentis habet, vt pix, & bitumen: quia talis est bilis, quæ planè atra est: quæ quidem ex Galeni testimonio carbonem creat: atque inde existit vlcerum, quæ in carbunculis sunt, malignitas. Vel enim statim in principio, vel in feruore ipso superaffatum sanguinem fieri melancholicum apparet: Ex feruore autem, & inflammatione

Marginalia (left): Cuiusdam dubitationis solutio. — Carbunculi nomē, generatio, & causa, dum simplex est, eiusq; notę descriptioque.

Marginalia (right): Gal. 6. de tum. pr. nat. 8. & 14. meth. 10. — Gal. 10. met. c. 10. & lib. de tum. pręt. nat. cap. 6. — Gal. loco cit. & lib. de tumo. pręt. nat. cap. 6. — Galen. lib. de tum. cit. cap. cit. — Galen. lib. de atra bili c. 4.

tione tam insigni, acerbum quoque oriri dolorem apertissimum est. Is autem dolor est grauis valde, adeo aggrauans ægrum, vt videatur vinculis adstringi. Quod si Carbunculus in partibus superioribus oriatur, tunc nonnunquam cerebri membranæ inflammantur, sequiturque delirium. Si verò Carbunculus non simplex sit, sed malignus, ac venenatam qualitatem adiunctam habens, quod frequentissimè, & vt plurimum contingit, is proculdubio pestilentem comitatur febrem. Pestilentium enim febrium aliæ incomitatæ sunt, aliæ malignitatis suæ atque veneni characterem quendam exhibent. Qui quidem vel carbunculus est, vel bubo, vel exanthemata purpurea. Hæc autem in mitioribus sub morbi statum præsertim erumpunt, toto corpore conspersa: interdum cerulea vel nigra nullo tumore extuberantia. Carbunculus verò perniciem affert maiorem, non certa sede, sed indiscriminatim, modo ex hac, modo ex illa prosiliens, signisq; iam propositis omnino se prodens: Sed caro, quæ circa vlcus crustosum est, summè inflammatur, nigrescente colore, doloreque implacabili, quæ demum corrupta excidit. Proximam enim continentemque huius causam statuunt crassum, retorridumque sanguinem longè ab eo diuersum, qui phlegmonem parit. Ostendimus enim, ait Galenus, carbunculum ex calido quidem feruore; sed crassa tamen materia concitari: cæterum quod pestilens fit, populariterque grassetur, causa est non modo putrida; sed & venenata aeris constitutio, qua, dum præparatum corpus attingitur, contractæ cladis hunc quasi characterem exhibet. Quo fit, vt vna, & eadem venenata pernicies in humoribus ex aere contracta tum febris, tum carbunculi causa fit. Non enim quemadmodum virulentarum bestiarum demorsu, ex ea parte, quæ carbunculo oppressa est, pernicies inducitur, sed inquinati aeris inspiratione. Quum itaque huius veneno cor lacessitur, si robustæ sint vires, veneni quiddam statim in aliquam corporis summam partem disijcitur, illicque sensim incrementum sumit, partemque contaminat: altera veneni portiò intus hærens, quum sensim inualuerit, febrem infert pestilentem. Sin verò imbecilles eruut vires, incensum intus venenum febrem parit, cuius impetu veneni quiddã foras exiliens, postea carbunculum promit. Cuius quidem signa eadem sunt cum ijs, quę pestiferum bubonem indicant. Quæ quidem mox apponemus, vbi prius dixerimus, ijs, quæ de carbunculo pestilenti diximus, similem esse & de pestifero bubone disputationem. Hic enim similem atque carbunculus ortus sui perniciem obtinet; sed materiam minus feruidam, ac verò phlegmonodem, vt quæ sanatione suppurat. Infidet verò solis adenibus, nempe vel tonsillis, vel alis, vel inguinibus. De hoc nihil veterum literis proditum est, siue quod tum rarus admodum, & insolens esset, siue, quod in regionibus feruidis nusquam grassetur, siue quod veterum tempestate homines non otio, & ingluuiei; sedentarijs, ac laboribus magis erant dediti. Nunc autem Aquilonijs præsertim regionibus in pestilentia frequens aliàs cum carbunculo, aliàs solitarius, aliàs ante, aliàs post febrem, ortum habens. Si carbunculi comes est, illi ferè assidet, proximasque glandulas occupat, vt si in capite, vel in aliqua vicina parte consedit, eas, quæ in collo, & secus aures sunt, glandulas inuadit: si in brachijs, alas: si in cruribus, inguina. Nec tamen bubo quasi carbunculi comes est indiuiduus, sed vterque etiam seorsum deprehenditur. Clarum est igitur, quod cum bubo pestilens pestiferæ itidem febri associetur, eius continua causa est sanguis quidam corruptus, & omnino propria natura priuatus, & adeo alteratus, & immutatus, vt cum veneficam naturam induerit, à tota substantia fit naturæ infensus, & inimicus. Causa verò prauum hunc sanguinem ad affectam partem mouens est expultricis facultatis principalium membrorum vis, & robur, cuius merito ab illis ad sua emunctoria expulsio fit. Eius porrò signa sunt illa, de quibus in tractatu de pestilenti febre diffusius loquuti sumus: Memoriæ gratia quædam insigniora breuiter repetemus. Si itaque de mutatis qualitatibus loquamur, in bubone pestifero, & loco affecto varij colores cernuntur, citrini scilicet liuidi, & nigricantes. Febris, vt scribit Galenus, continua est, & adeo intensa, vt fauces exustæ & lingua denigrata appareant; nihilominus neque Medicus, neque ægrotans extrinsecus calorem percipit; sed ægrotans tantam intrinsecus percipit molestiam, vt nunquam in lecto quiescat. Totius corporis color, aut fuscus, aut erysipelatosus esse solet: facieique color potissimum citrinus existit. Inter læsas actiones difficulter spirant, & maximum dolorem circa thoracem percipiunt, qui quidem dolor vsque ad clauiculam ascendit. Quando loqui volunt, rauca vox redditur, & frequenter oscitant, & hoc vel illud membrum extendendo pandiculatione

[Margin notes: Causæ, & signa Carbunculi pestilenus. — Gal. 3. in 3. Epid. 50. — Bubonis pestilẽtis generatio, causæ, & signa. — Signa in qualitate mutata. — Gal. 1. simpl. cap. 2. — In læsis actionibus.]

tione premuntur. Totius corporis, ac præsertim narium maximus pruritus adesse solet, quia malignus halitus ab interno thorace eleuatus, ad totius corporis superficiem, & caput ascendit. maxima verò adest capitis grauitas propter eosdem vapores copiosos ascendentes, quæ etiam febrem ipsam præcedere solet. Hinc etiam fit, vt caput ipsum valde calidum cum magna tensione percipiatur, necnon ingens dolor, qui per dorsum pertransire videtur: ita, vt totum dorsum doleat. Eadem de causa propter vapores scilicet ascendentes, vel à calida, vel frigida materia putrescente copiosè eleuatos, aut vigiliæ adsunt intensissimæ, quas delirium consequitur, aut coma vigil, & sopor quidam, non tamen valde intensus. Ciborum inappetentia maxima est, adeo, vt nonnunquam per tres, & plures dies absq; cibo permaneant. Iu ventriculo magnum dolorem, & mordicationem sentiunt: & quandoque suboritur syncope adeo magna, vt mortem afferat. Quo ad exeuntia, Vrina aut tenuis est, & aquosa, aut turbida, & subiugalis. Egestiones sunt admodum fœtidæ: & vt plurimum fluxus ventris biliosus, sed colliquatiuus apparet: & egestiones varios colores habentes excernunt. egestionis enim color primum rufus apparere solet, deinde intensè talis conspicitur, & tertio niger. Pariter vt plurimum adest nausea, & vomitus, qui materierum varietate egestioni correspondet. Sudor & ipse fœtidus est, qui quidem tenuiorum excrementorum insiguem putredinem consequitur. Qua etiam de causa fœtidus anhelitus superuenit. Eadem signa carbunculum indicabunt, si febrem, quæ in hoc intensior apparet, & ea, quæ eius intensionem sequuntur, necnon illa, quæ in loco affecto conspiciuntur, excipias. Iam verò carbunculi, etiam si pestilentes non sint, attamen, vt asserit Galen. febrem quoque acutissimam adferunt, & in subitum vitæ discrimen adducunt: & vlcera, quæ in ipsis fiunt, maligna sunt, quia à prauis humoribus, & cacochymia ortum ducunt. De pestifero autem carbunculo quid attinet dicere? cum morbus validissimus sit, & vires, nedum ob morbi vehementiam, & magnitudinem; verum etiam ob ipsius cacoethiam & venenatam qualitatem, quæ cor ipsum vehementer fatigat, affatim prosternantur. Vnde in hoc morbo semper est mors prædicenda, quia symptomata ipsum comitantia magis sæua apparent in euasuris, quàm in morituris. Si enim exanthemata, quas peticulas vocant, & ecthymata, quæ variolæ dicuntur, cum carbunculis pestiferis conferantur, licet illa quoque à perniciosa aeris qualitate oriantur, qualitas tamen maligna diuersi, mitiorisque generis est, quàm quæ carbunculum, bubonemque pestilentem generat. Quando autem in carbunculo vlcus crustosum non cinereum, sed nigrum est, & præsertim, quando in bubone color est niger, tunc rarissimi euadunt: Si tamen color crustæ, quæ in carbunculo durissimæ sunt, ex nigro ad luteum mutetur, bonum est signum. Carbunculus verò quicunque fit, sicuti dum partes carnosas occupat, facilius curatur, ita dum partes neruosas, ac sensibiles obsidet, difficilis est curationis. Quod si pectus occupet, vt ait Celsus, vt plurimum lethalis est. Quando verò symptomata, quæ carbunculum comitantur, augentur, & inualescunt, mors prædicenda est; sicuti è conuerso dum mitiora redduntur, salutis oritur spes. Si verò post carbunculi ortum, statim delitescat, & symptomata nihilominus perseuerent, mors prædicenda est. Bubo autem, atque carbunculus pestifer ante febrem, vel in primo ipsius principio protinus apparentes, mitiorem pestem denunciant, robustamque cordis naturam veneno lacessitam, huius statim nonnihil foras propulisse. At post ortam febrem prorumpens, dominantis veneni impetu fit, estque quasi victæ naturæ perniciosum indicium: vt mirum non sit, si bubone apparente, nonnunquam eadem die; interdum quarta moriantur, & rarò diutius viuant. Verum quoniam magnas inflammationes, vt Galenus testatum reliquit, excipit quoque ea, quam Gangrænam vocant, ideo tempus est, vt de ea, ac sphacelo deinceps dicamus. Hæc enim duo vitia, si Galeno fides habenda est, non nisi secundum magis, & minus differunt. Cum enim dixisset Hippocr. quod vbi ossa excedentia perperam reconduntur, gangræna his superuenit, Galen. in commento ait, eam ob inflammationis magnitudinem superuenire. Inflammatæ enim partes (scribebat ille) cum rubor inflammationis recedit, liuidæ euadunt, minusque dolor videtur, eò, quod sensus torpeat. Sed vbi quæ sic affectæ sunt, ex toto sentiendi facultate carent, Græcè id vitium non amplius gangræna, sed Sphacelus vocatur. Inter hunc autem, & magnam inflammationem media gangræna est, quæ tanto grauior est eiusmodi inflammatione, quanto lenior sphacelo. Sub hoc enim natura membri vniuersa corrumpitur, idemque, vbi iam hæret, curationem non admittit,

[Left margin notes:]

In exeuntibus.

Prognostica.

Gangrænæ, & Sphaceli nomé, causæ, & signa.

[Right margin notes:]

Galen. 3. de præsagijs ex pulsi. c. 4.

Gal. 3. epid. sec. 3. cō. 58.

Gal. 4. apho. 21.

Gal. 3. de præsag. ex pulsi. c. 4.

Galen. lib. de tum. 6.

Galen. lib. de tum. pr. nat. c. 8.

Gal. 4. de artic. com. 17.

admittit, sed solum à principio, cum nondum sphacelus est, sed magna gangræna sphacelo vicina. Verum abutimur interdum vicinorum affectuum nominibus ad eos significandos, qui ad hos accedunt, quamquam nondum ex toto ipsorum speciem, & naturam habent. Sic igitur & ingentem inflammationem, cum non amplius suum colorem tuetur, dolorique est, interdum nominare gangrænam consueuimus, quæ quamuis gangræna nõdum penitus sit, futura tamen est paulò post, si negligatur. Alibi verò idem Galenus addit, quod sicuti, cum pars ex toto corrumpitur, veteres, vti diximus, dicere id vitium solent sphacelon: ita vbi carnosis partibus accidit, alijs nominibus appellant (vnde Hippocr. carnem, quæ putrescit, sapran, mydosan, atque alijs etiamnum vocabulis vocat) at vbi os ex toto corrumpitur, sphacelon vsurpat, quod vitium ossibus accidit, vbi à superiecta carne perniciosa sanies profluit, quæ hæc ipsa irrigando corrumpit. Ex his Galeni verbis patet, quid apud Græcos gangrænæ, sphacelique nomen significet, & quod non nisi secundum magis, & minus differant, quemadmodum etiam apud Arabes, & eorum interpretes hæ voces reperiuntur, scilicet gangræna, aschachilos, esthiomenos, & ignis S. Antonij, quæ voces quatuor idem morbi genus significant: quibus correspondent apud Latinos, Syderatio, putrefactio, corruptio, & mortificatio: quæ quidem vnum, & eundem morbum, seu malum indicant. Sphacelon enim Græcorum aschachilos est Arabum, sicuti Arabum esthiomenon est gangræna rodens, & ambiens: Syderatio verò, & sphacelos, corruptioque idem sunt. Alio autem in loco Galenus contra Archigenem scribens, dicebat, inter omnes non conuenire, quid hæc vox (sphacelos) significet, cum alij vehementem dolorem, alij tantum inflammationis excessum, vt partem ad corruptionis periculum inducat, alij partis corruptionem, alij conuulsionem, alij putredinem, alij alia mala significare voluerint. Quinimò non defuerunt inter neotericos nonnulli, qui voluerunt differre sphacelon à gangræna, eò, quod sphacelos corrumpit partes molles simul, & duras; gangræna verò solum molles, quod vitium lupæ malum appellant. Sed ijs nominibus ad curandi rationem omnino inutilibus prætermissis, & hoc ex Galeni auctoritatibus prius citatis, supposito, quod scilicet gangræna à sphacelo penes magis & minus differat, ita, vt hæc ad illum via quædam sit, ad reliqua, quæ maioris momenti sunt, veniamus. Et primum illud circa gangrænæ naturam animaduertisse non sit ab re, quod gangræna non est, vt quidam doctissimi viri tradiderũt, tumor præter naturam cum maxima inflammatione, & ardore, ita, vt intensior in corpore nostro non reperiatur: Si quidem definitio hæc non quidem gangrænæ, sed cuidam eius causæ solummodo competit, vt post apparebit. Verum gangrena non est morbus, sed, vt clarè scribit multis in locis Gal. nihil aliud est, quàm affectæ particulæ mortificatio, idque propter caloris natiui extinctionem: est enim incipiens partis corruptio: quæ cum iam eò processit, vt pars corruptione extincta, & emortua sit, sphacelus, id est syderatio nuncupatur. Quæ quidem in osse caries est, in carne, cæterisque partibus generis nomen retinet. Affectæ autem partis calor innatus emoritur, corrumpiturque, vt in tertio lib. c. 2. cum Galeno enodauimus, quatuor de causis. Videmus enim, scribebat ille, flammam extrinsecus, interim materiæ, vnde accendebatur, defectu interire; interim in Sole splendido contabescere, ac emori: rursus ab aqua multa extingui: aut lignorum cumulatim super eam iniectorum copia suffocari: Vnde & natiuus partis calor vel propter alimenti defectum; vel propter nimiam rarefactionem, seu dissolutionem, vel ab extinctionem à contrario; vel propter suffocationem ipsam interit, atque corrumpitur. Perire autem calorem ob alimenti defectum, videmus in longis, diuturnisq; morbis, & potissimum in hectica tabidaque febre laborantibus, in quibus nedum pedes, & horum digiti, & manus ipsæ, aliæque partes à corde ipso, seu caloris foco remotiores, verum etiam brachia, tibiæ, & nonnunquam dorsum ipsum ob intemperiem sicciorem, & alimenti defectum gangræna afficiuntur. Idem malum nonnunquam accidit ob arctiorem membri deligaturam, vti nonnunquam in fracturis, & vulneribus prauè, & arctius deligatis contigisse vidimus, nam pars, quæ infra vinculum est, gangræna, & sphacelo corripitur, eò, quia eius innatus calor sanguine, & spiritu, influenteque calore penitus destitutus perit. Hinc scribebat Auic. quòd gangræna quandoque fit, eò, quia spiritus cordis, & animæ impeditur à suo solito transitu, quasi velit, quod ad innati caloris conseruationem vterq; spiritus, vitalis scilicet, qui per arterias, & animalis, qui per neruos defertur, requiratur. Hæc tamen sententia etiam si vera ex parte sit, non tamen perperam intelligenda,

Gal. 2. de fractu. com. 20. & 2. ad Glaucon.

Galen. 2. de loc. 2.

Gangræna quid, & qd Sphacelos.

Gal. in lib. de tumor. 8. & alijs loc. cit.

Galen. lib. de tremor. c. 6.

Gangrenæ, Sphaceliq; causæ.

Alimenti defectus.

Hipp. lib. de artic. sect. 4. tex. 35.

ligenda. Siquidem verissimum est, ex intereeptione spiritus vitalis gangrænam, eamque breui tempore, & immediatè ob alimenti defectum oriri; non tamen ex priuatione spiritus animalis immediatè, & eodem modo, & breui temporis interuallo naturalis partis calor destruitur, sed longiori temporis tractu, idque nonnunquam eò quia sensu partis ob spiritus animalis interceptionem ablato, pars externum frigus, aut aliud sibi contrarium non sentit, & ita paulatim eius innatus calor à contrario extinguitur: nonnunquam verò id accidit, eò quia pars sensu destituta, vti euenit in paralysi, penes proprias functiones naturales, & præcipuè excrementorum expulsionem labefactatur, ab excrementis verò diu detentis eius innatus calor obruitur. Fieri quinetiam potest, vt proprium alimentum, & sanguinem ipsum non probè trahens ob alimenti defectum calore ipso, sed longiore tempore destituatur, & ita gangræna corripiatur, vt in diuturna paralysi nonnũquam fuit obseruatum. Propter eundem alimenti defectum gangrænas ac sphacelos oriri nonnunquam videmus, quotiescunque aliqua insignis arteria, aut vena in parte ea, quæ afficitur gangræna, superiore, aut tumore corripitur, aut contusione, aut sectione, diuisioneque, aut compressione, quæ ab ossibus in magnis luxationibus, atque fracturis, in quibus potissimum ossa cute excedunt, & præsertim in vulneribus sclopetorum cum fractura contingere solet. Nimia autem rarefactio in erysipelatosis præsertim, ac intensissimis inflammationibus, dum scilicet exurentes humores, etiam si non ita copiosi sint, ad partem aliquam propelluntur, aut parti alicui exurentia pharmaca perperam admouentur. Quando enim in inflammatione vel erysipelate tantus est feruor, ab hoc calor naturalis dissoluitur, & humiditas natiua, in qua calor tanquam in subiecto consistit, rarefit, & absumitur. eodem modo naturalis calor destruitur à nimis calorificis, erodentibusque medicamentis, quemadmodum sæpissimè in pene carie correpto contigisse obseruauimus, dum Barbitonsores pro enecandis, vt ipsi perperam aiunt, & arbitrantur, cariebus, aquam erodentem, quam fortem vocant, ei admouent. idem prorsus, & ob eandem causam in ore, gingiuis, faucibusque nonnunquam accidit. A contrario autem extinguitur partis calor propter nimiam frigiditatem: Qua de causa plerique remiges hyberno tempore gangrænis in pedibus subortis, eos amittunt, quos quidem facilè seruarent, si aliquem haberent, qui calida medicamina eis admoueret. his enim gangræna, quæ est in principio, & in fieri, facilè tollitur. & idem prorsus dicendum de ijs, qui per niues, frigidioraque loca, & tempora iter peragunt: quibus aurium extremitates sæpius decidunt, eò, quia cartilaginosæ, & sui natura frigidæ aures sunt. Idem quoque malum oritur, dum imperiti Chirurgi in principio erysipelata, phlegmonasque curantes eis pharmaca actu, & potestate frigidissima applicant. His enim partis laborantis calor natiuus affatim extinguitur. Corrupti quoque & veneuati humores, quales potissimum in pestilenti aggregantur constitutione, dum ad extimas partes protruduntur, & pustulas malignas, aut venefica vlcera producunt, affectarum partium calorem extinguunt, nedum ipsum obruendo, & suffocando; verum etiam per contrarietatem extinguendo, quæ quidem non in manifestis solum qualitatibus, aut frigore, sed in tota ipsa substantia consistit, quæ longè magis, quàm vna sola qualitas innato calori contrariatur. Hac de causa in Austrina illa, pluuiosaque, ac ventis perpetuo vacante, &, vno verbo, in pestilenti illa constitutione ab Hippocrate relata, gangrænæ, & sphaceli adeo vulgabantur, vt in plerisque eorum abscessibus suppuratis multum carnis, & ossium, & neruorum decideret. Et quibus aliquid horum caput tentasset, his totum caput glabrum redderetur, itemque mentum, & ossa denudarentur, atque deciderent. Huc quoque venenosi ictus, necnon vulnera à venenoso instrumento inflicta referenda sunt. Quibus, nisi statim succurratur, partis corruptio, grangrænaq; succedit. Suffocatione demum innatum calorem interimunt magnæ inflammationes, & erysipelata, & ingentes abscessus. in his enim vitijs natura transmittit magnam humorum copiam, à quibus partis calor, & spiritus suffocatur. Nam propter multum sanguinem impactum in patiente membro mortificationes fiunt, ob id quod arteriæ ex angustia loci nequeunt se attollere. Sciendum tamen magnam inflammationem ad gangrænam producendam non vnico, sed triplici modo concurrere, vt mirum non sit, si adeo frequenter gangræna huic vitio succedit, & si de ea auctores post tractatum de inflammatione verba faciunt: Magna siquidem inflammatio, & vt dictum est, suffocando, & præ nimia caliditate nimium rarefaciendo, & dissoluendo, & venas & arterias obstruendo, affectamq; partem alimento

Margin notes: Nimia rarefactio. — Extinctio à contrario. — Hippoc. 3. de vulg. morb. sect. 3. Tex. 23. & 25. — Suffocatio. — Galen. 2. ad Glauc. 9.

alimento priuando, gangrænam promouet. Ab ictibus autem venenatis contrarietate solum calor extinguitur, dummodo veneni natura exutens non sit. A veneficis autem humoribus, & eorum fluxione & suffocatione, & contrarietate calor innatus extinguitur. Quod etiam in magnis abscessibus contingit, dum ij à frigidioribus humoribus procreantur. De ijs enim scribebat Gal. quod dum quis in febre cum perniciosis signis leuari videtur, talis affectio euenire non consueuit, nisi cum quasi demoritur natura, & natiuus calor extinguitur non secus, quàm in particulis, quæ ex magna defluxione in tumorem extolluntur, vsu venit, cum natura debilis nullo modo conatur humorem concoquere. nam dum pus gignitur, dolores, febresque fiunt, quod humores tumoris auctores à natiuo calore immutentur: at cum natura propter imbecillitatem aggredi concoctionem non potest, tum neque dolent, neque febricitant, nisi parum admodum. Quare in ijs, qui suppurant excreto pure, pars, in quam defluxio delapsa erat, incolumis euadit: at in quibus neque suppuratio, neque vllus insignis dolor, neque febris excitatur, in ijs particula putrescit, vt eam totam aliquando præcidere necesse sit. & hæ sunt gangrænæ, sphacelique causæ. Vbi enim remissiores sunt, gangrænam; vbi autem vehementiores, ac diutius perseuerantes, sphacelum inurunt. Cognoscitur autem gangræna, quoniam, vt habet Galen. ipse coloris flos extinguitur, quumque iam sphacelus est, pars liuet, aut nigrescit, tumida, mollis, ac prorsus cadauerosa. Verum præter id, quod coloris flos extinguitur, qui inflammationibus aderat (vbi scilicet malum inflammationi succedit) deinde dolor, & pulsus abeunt, non quod affectio sedata sit, sed quia sensus perierit: cum interim à magna inflammatione pulsus separari non possit. in statu enim naturali motus arteriarum nobis non sentitur; in inflammationibus sentitur cum dolore. Nam arteria percutit, dum dilatatur, corpora circumiecta: & percussio propter inflammationem nobis dolorem affert. Cum verò iam inflammatio tunicam occupauit, tum & percutiens ipsa, & percussa dolorem duplicem creat. gangræna autem suborta, nec arteriarum pulsus, nec vllus dolor percipitur; sed nec sensus vllus, sphacelo præsente, in parte affecta reperitur, adeo, vt etiam sine sensu doloris altè scalpellus adigi possit. Et hoc præsertim indicio Sphacelus à Gangræna distinguitur, quia in hac, si pars incidatur, aut pungatur, vel aduratur, sentit; in illo nihil prorsus sentit: quinimò affectum membrum adeo laxum, ac molle redditur, vt si digito comprimatur, cutis, & caro tactui cedit, & non amplius recurrit: in œdemate verò si non statim saltem paulò post recurrit. Quod si manu, vel digitis cutis superposita apprehendatur, illa, eò, quia innatus calor, ac spiritus interceptus est, separata videtur: Et mēbrum cadauerosum redditum tetrum ac fœtidum odorem expirat. Est autem Gangræna malum tantæ ferocitatis, vt, nisi quis quàm citissimè ei occurrat, laborans particula, vt Galen. ait, facile emoriatur, & vicinas sedes inuadat, ac hominem ipsum iugulet. At si, vt refert Celsus, nondum planè tenet, sed adhuc incipit, eam curare non difficillimum est, vtique in corpore iuuenili, & magis etiam, si musculi integri sunt, si nerui vel læsi non sunt, vel leuiter affecti sunt. Vbi verò penitus insedit hoc malum, & in sphacelum migrauit, insanabile est, plurimique sub frigido sudore moriuntur. & si mortem effugiant, oportet tamen totam emortuam partem amputare, quia semper tutius est totius potius, quàm partis curare salutem. Notandum insuper, quod quandoque tanta est alicuius membri corruptio, vt etiam si pars tota abscindatur; nihilominus non sanantur: Id autem accidit, dum corruptio est circa thoracem, aut versus inguina. tunc enim melius est, eos intactos relinquere, præsertim vbi magna partis copia abscindenda est, & permittere vt ab ipso morbo, non autem à ferro interficiantur. Quod si corruptio sit infra genu, vt in brachio, vel infra femur, saltem per quatuor digitos, curatio, cum prædictione periculi, aggredienda est. Hippocr. enim qui consilium dirigit non solum ad ægros, sed etiam ad Medicos, vt apud ægros à culpa semper vacui sint, & laudem plerunque inueniant, & ob id mala, quæ grauia videntur, monstrat, & discernit ab ijs, quæ verè talia sunt, & in ijs, quæ verè grauia sunt, non tamen talia se ostendunt, monet, vt Medicus se subducat, illis verò manum iniiciat, quæ grauia solum videntur, de corruptis partibus, ac ossibus præcidendis loquens, scribebat prorsus accipiendas eiusmodi sanationes esse, quia magis terrent, dum accipiuntur, quàm dum adhibentur, & hæc omnia lenem medicinam requirunt, & ipsa per se ipsa soluuntur. Vbi enim pars aliqua ex toto emortua sit, non amplius grauiter afficit, quæ vicina sunt. hanc ergo si præcidas, cauens ne, dum manus curatio adhibetur,

Margin notes: *Gal. 1. in 3. epid. com. 8.* — *Gal. in lib. de tum. pr. nat. cap. 8.* — Signa Gangrenæ. — Signa Sphaceli. — Prognostica. — *Galen. lib. de tumor. c. 8.* — *Hip. & Gal. 4. de articu. tex. & com. 37.*

anima

animę defectio sequatur, malum aliud non afferes vllum. At verò gangrena, quæ fit ex humorum fluxione, lethalis vt plurimū est, & vbi laborans senex est, eadem die ferè obire solet: iuuenes verò diutius viuunt. Verum dum extremæ partes in acutis morbis liuore aut nigredine corripiuntur, monet Hipp. quod si præter grauitatem vngues, digitiq; liuidi sint, mos est continuo expectanda: pedes autem ac digiti penitus nigri minus perniciosi interdum sunt, quàm liuidi: Cum enim nigrescat pars aliqua aliquando, quia in eam materia decumbit interdum, quia in ea calor extinguitur, si æger facile morbum ferre videatur, id est, si æger facile toleret, ac simul aliud quoddam salutare signum adsit, defluxio est: Sin contrà, intermortuam carnem esse indicio est. & hoc omnino lethale est; illud verò non; sed morbum in abscessum iri spes est, ex quo incolumis quidem homo euadet, sed denigratæ corporis partes decident. Si verò salutaria omnino absint indicia, & ægrè morbum ferat, adempta est omnis salutis spes. Vt plurimum verò gangrænæ ex humorum defluxu fiunt, in magnoque pedis digito, tanquam à corde, & caloris fonte remotissimo incipiunt, deinde progrediuntur, sic, vt breui temporis interuallo, & crus & coxam vniuersam inuadant. *Hip. 2. prog. 8. & 9. & Gal. in com.*

Indicationes & curatio Carbunculi, Bubonis pestilentis, Gangrænæ, & tumorum à prauo sanguine genitorum. Cap. XIV.

Cura Carbunculi. De indicationibus verò, quę reliquis tumorib. communes sunt, loqui non debemus, ne eadem frustra sæpius repetamus, sed ad curationem tumorum in vniuersum, & præsertim ipsius phlegmonis recurrendum est. Quod autem particulariter, & propriè carbunculus indicat, illud est, vt vniuersum corpus, & sanguis ebulliens validè refrigeretur, & fluens humor reuellatur, & euacuetur, eiusq; motus, & fluxus ad partem affectam inhibeatur: qui verò iam influxus est, propter eius prauitatē, atque crassitiem non reprimatur, ne ad aliquam principem partem recurrens ægrotantem iugulet, sed potius per partem ipsam laborantem tum sensibilib. pręsertim, tum insensibilibus effluxibus euacuetur: & vbi carbunculus pestilens sit, etiam calidioribus pharmacis ad locum læsum praua, & venefica materia attrahatur: & interim eor, & principalia viscera alexipharmacis auxiliis corroboretur. Incipiendum itaque ab incisa vena, si vires, & ætas consentiant, curationem esse, neminem latere arbitratus est Gal. qui præsertim meminerit, quæ in curatione febriū de sanguinis missione dicta sunt, nec illud obscurum, sanguinis vacuationem, quæ ad animi defectum vsque sit adhibita, magis etiam his collaturam; nisi tamen aliud quippiam obstet ex iis, quæ venam incidi vetent. Cum enim tale auxilium vniuersum corpus valentissimè tum euacuare, tum refrigerare, ac fluentem humorē reuellere, ac compescere maximoperè valeat, ad ardentissimam febrem, maximamq; inflammationem tollendam, & vehementissimum dolorem remouendum, nullum valentius præsidium inueniri potest. Dum tamen carbunculus est pestifer, quoniā sub eo venefica materia cordis vires maximè demolitur, vt ex consequenti facillimum sit, vt vires omnes collabantur, vt plurimum à tanta euacuatione abstinendum. in primo tamen morbi principio existentes, si vires validæ sint, corpus iuuenile, atque euidenter plethoricum id suadeat, euacuationem vsque ad animi deliquium ducere non formidamus. Oportet autem, vt alibi docuimus, pro reuulsione facienda, venam, quæ è directo est partis laborantis, semper aperire. nam secus auxilium vel nullum esset, vel tardum. Materia enim fluens est illa, quæ reuulsionem indicat, quemadmodum iam influxa deriuationem præscribit. Reuulsio autem ad partes longinquas fieri debet, ita tamen, vt in debita distantia, & vel vasorum, vel partium rectitudo, ac conspiratio seruetur, vt alibi fusius docuimus. Verum in pestilenti carbunculo illud peculiariter obseruandum, vt, dum ad partes ab affecta distantes reuellimus, fluentem materiam ad loca præcipuis membris, vt cordi, & iecori propinquas non trahamus. Exempli causa, si carbunculus sit in inguine dextro, secando venam sinistri poplitis, vel malleoli sinistri pedis, tutò reuellimus, & non est periculum, vt materia venefica prope iecur trahatur. Post venam sectam, & totius corporis euacuationem, ex Gal. decreto, scarificare eiusmodi tumores alienum non erit. Sunto aūt incisiones mediocrib. altiores, propter insestantis humoris crassitudinē. Nonnulli tamen, qui non adeo improbandi sunt, ipsos scarificatos in crustaceo vl-

Chirurgica præsidia. *Venæ sectio.* *Gal. 14. met. 10. & 2. ad Glauc. 1.* *Scarificationes, incisionesque.* *Gal. 14. metho. 10.*

cere duntaxat præcipiunt, & ipsas incisiones aqua salsa calente statim perfundunt, ne scilicet in illis sanguis coeat, concrescatve; sed foras egrediatur: & interdum etiã erodens aliquod medicamentum imponunt, quale est arsenicum, quod in ea re pręcæteris probatur. Alij post scarificationem partem fricant cũ spongia illita vnguento Aegyptiaco, aut nitro, aut sale: Cum tamen Gal. absolutè dixerit, tumorem esse scarificandum, non partem crustosam, vbi influxus humoris impetens, ac magnus fit, optimũ est, vt alibi diximus, circunstantem quoque inflammationem, non ita tamen profundè, neque ictibus adeo frequentib. incidere, ne scilicet dolor augeatur. Nonnulli autem loco scarificato hirudines admouent. Sed quia sanguis prauus est, & crassus, & ob id sanguisugæ difficulter adhærent, & sanguis difficulter egreditur, scarificationes longè magis probantur. Verum quoniã propter sanguinis ebullitionem, exustionemq;, & propter biliosos, ac calidos succos ei permistos, adusti, & biliosi humores in corpore redundant, ideo præter venæ sectionẽ purgatio quoque maximè conuenit, præsertim vbi propter aliquod prohibens magnã sanguinis euacuationem moliri non licet. Hæc autem purgantia, vbi sanguis vsque ad animi defectum fuit extractus, vel mitiora esse debẽt, vel si valida futura sint, recreatis viribus, & interim aliqua humorum peccantium adhibita præparatione, erunt exhibenda: Mitiora autem sunt elect. lenitiuũ, & diacatholicon cum ipsius senæ in sero lactis, vel refrigerante aliquo diluto decoctione. Epithymum verò propter nimiã ipsius caliditatem, omnino fugiendum. Probatur quinetiã syrupus violatus solutiuus ad vncias v. vel vj. cum eadẽ senæ ad drach. ij. decoctione. Inter validiora verò purgantia, quæ præsente virium robore magis probantur, præstantissima est ipsa confectio Hamech eò, quia adustos, & biliosos, ac calidos humores educit. Similiter ob eandem causam, tum electuar. de succo rosarum, tum rosatũ Mesues exhiberi poterit. Quæ quidẽ secundum hanc vel consimilem formam, ac dosim poterunt præscribi. ℞. diacatholiconis, diaprunis non solutiui ana drach. v. confect. Hamech, electuarij de psyllio ana drac. j. s. vel si vires validę sint, drac. ij. decoctionis florũ, & fructuum cordialium, & radicis tormentillæ q. suff. syrupi violati vnc. j. Misce & fiat potio breuis. Pro iam dictorum autem succorum præparatione cichoracea, necnon borago, buglossum, violæ, & fumaria summopere probantur. Simili modo pro remouenda adustione, & feruore sanguinis, & eius prauitate coercenda probatur oxalida, syrupus ipsius, acetosus simplex, de acido citri, cum decoctione sonchi, cichoreæ, acetosæ, endiuiæ, semper cum his miscendo scabiosam; quę inter reliquas herbas optima est. Si enim eius decoctio, vel etiã stillatitia aqua sumatur, in hoc casu conuenientissima est. De Topicis verò medicamentis sermonem habens Gal. scribebat, quod quãuis imponi sibi laborans particula, quod ad humorum inflammationẽ spectat, refrigerantia desideret; nihilominus propter humoris crassitudinẽ, atq; etiam malignitatem, nec fluxionem auertere vnquam poteris; & si quando id feceris, aliud quippiã, quod in alto sit corpore, offendes. Atqui nec affluere is permittendus est: quin potius inquirenda remedia sunt, quæ eum modicè reprimendo etiã digerere possint. Tale profectò est tum cataplasma, quod ex plantagine conficitur: tum quod ex cocta lente, s. miscẽtib. his nobis micam panis tenetã, qui clibano sit coctus. Esto autẽ panis nec omnino à surfure purus, nec nimium eius habens. siquidem qui omnino purus est, eius substantia in cutis meatib. hærere est apta: emplasticoteron Grę ci vocant: furfuraceus verò crassiorũ est partium. Super ipsum verò vlcus valẽs aliquod imponendũ est medicamentum: cuiusmodi est Andronis, Pasionis, vel Polidæ, aut Musæ: liquariq; id cum vino aliquo dulci ad sordium crassitudinẽ debebit. Porrò commodissima ad hunc vsum vina sunt tum Theręum, tum Scybelites. In quorum inopia sapa vtendum, quæ apud nos Hepsema dicitur. Quæ autẽ pharmaca reliquis admisceri vlcerib. solent, nempe quę concoquant, & pus moueant, ea nunc adhibenda non sunt: quando ita partis putredinem auxeris. Cessante verò iam inflammatione, vlcus ad cicatricem similiter reliquis vlceribus perduces. Hæc Gal. Recipiunt autem Andronis trochisci, seu pastilli cytinorum drach. x. aluminis scissilis drach. iiij. chalcanthi drach. xij. myrrhæ drac. iiij. Thuris, aristolochiæ, gallæ ana drach. viij. Salis ammoniaci drach. iiij. Polyidæ verò pastillus hæc continet: Malicorij drach. vj. myrrhę drach. viij. aluminis scissil. drach. v. Thuris drach. iiij. chalcanthi drach. iij. fellis taurini drach. vj. vino dulci excipiuntur. Alius Polyidæ pastillus Recipit aluminis fissi drach. iij. Thuris, Myrrhæ ana drach. iiij. chalcanthi drachmas ij. cytinorum drachmas xij. fellis taurini drach. vj. aloes drachmas viij. vinoque austero excipiuntur. Musæ verò trochiscus hæc habet: Aluminis scissi, aloes, myrrhæ,

chalcanthi

Gal. 14. metho. c. 10.

Medicamenta Cõmunia.

Topica.

Reprimentia qualia futura sint.

Galen. 5. de comp. medic. per gen. c. 2. & 14.

chalcanthi ana drac. vj. croci, crocomagmatis ana drac. iij. cytinorum drac. iv. mulso ex Falerno facto excipiuntur. Verum idē Gal. vbi tumor magnus sit, diluit pastillos iam dictos in principio vino acerbo, postea verò aceto. Vbi morbus non sit ita magnus, excipit succo plantaginis, aut sapa, quæ hepsema ab ipso Gal. vocatur. Verum vbi ardor magnus est, cui vt plurimum vehemens dolor associatur, tutius est pastillos sapa diluere, etiam si non refrigeret. acetum enim etiā si refrigeret, dolorē tamen non mitigat. Verum vt præsidijs à Gal. propositis, & à nobis iam descriptis recta methodo vtamur, tria circa locū affectum inspicienda sunt, nempe crusta, quę in medio est, inflammatio, quæ ad nigredinē vergit, & symptomata, quæ malū hoc comitari solent. Quantum spectat ad ipsam crustā, non solum probantur remedia iam enumerata, verum etiā, si carbunculus non sit magni momenti, post scarificationē adhibitam, optimum est accipere duo oua, & coquere sub cineribus, donec albū durum sit, & tunc extractis ouorū luteis, eis salem permiscere, & sic feruentia superimponere. hoc enim medicamento, dūmodo carbunculus valde magnus non sit, bonū à malo facilè separatur: præsertim si quater in die id fiat. Quod si morbus sit validior, vti possumus Aegyptiaco Mesues, & ab hoc ad Gal. pastillos iam descriptos, vel si isti, quia difficulter parantur, haberi non possint, ad Aegyptiacum Auic. ascriptū ascendere: cui moderni chalcanthum admiscent, & validum est pharmacum, quod etiā inchoantib. gangrænis conuenit. Si malum adhuc validius existat, probatur Aegyptiacū Io. de Vico, quia nedum in carbunculo pestifero, verum etiā in pestilēti gangrena summopere probatur. Alij verò ad acriora, quę ignis vires habent, confugiendū esse iubent: qualia sunt radix dracunculi, vel aristolochię, ex aceto trita, & imposita, calx viua, arsenicū, sandaracha, vel consimilia. Quod si malum his medicamentis vinci non possit, ad ferrū candens confugere debemus. Quis verò exurendi terminus sit, declarat Celsus duos scopos ante oculos ponens. Primus est vsquequo in vnaquaq; parte sentiatur dolor. quandoq; enim neque ex secundo, neq; tertio ictu percipitur dolor. Secundus scopus est, vt materia, quæ debet exuri sit exsiccata, & veluti crusta. Facta vstione ad crustę maturationē transeundum. hæc itaq; fiet ex butyro, aut axungia porcina ponendo folia maluarū, violarum, & radices althęæ in æquali portione, ita, vt coquantur omnia, ac emplastri more superponantur. Aliqui admouent farinam hordei, vel tritici vnà cum butyro, vel axungia: Nonnulli confugiunt ad terrapharmacū Grecorum, quod in principio conuenientissimū est: & si id non suppetat, possumus vti basilicone minori Mesues, quia idem ferè est cū tetrapharmaco. Detergenda autem crusta melle rosſ. & therebinthina addendo succū apij, qui quidem optimus est, & eo nonnunquam aut solo, aut cū melle vtimur, farinę hordei, & rherebinthinæ, vt dictū est, admixto. Rogerius quandam herbā extollit, quæ à Fuchsio prunella, à Græcis consolida, seu symphiton minus dicitur. Hæc enim in mortario marmoreo, vel duob. lapidibus trita, & superimposita vna die integra crustā curat. Et hæc de crustæ curatione sat erunt. Quantum attinet ad circunstantē crustę inflammationem, Gal. in ipso principio, ob causam ab eo assignatā non synceris reprimentib. vtitur, sed ea cum digerentibus permiscet. Vnde nunquam recedendū est ab emplastro, quod ex folijs plantaginis, lentibus, & medulla panis clybano cocti æqua portione sumptis, & aqua coctis conficitur, vt superius Gal. verbis docuimus. Alij tamen vtūtur oleo iuglandis recentis, & viridis: aut etiā virentes nucleos iuglandis tritos superimponunt. His itaq; vtendū à principio vsq; ad statū exclusiuè. Quo etiam tempore Paulus ad carbunculum ab adiacentiū commercio diuellendū consulit, vt malum punicum acidum concisum minutatim in aceto coquamus, & vbi intabuerit, in læuorē deteramus, linteoq; illitum applicemus, & cū siccescit, aceto humectemus. In statu autem hoc medicamentū erit conueniens. ℞. foliorum cupressi viridium, passularum enucleatarum, caricarum ana vnc. iij. foliorū rutæ manip. j. farinæ hordei vnc. iiij. assę fœtidæ drac. j. seminum papau. nigr. vnc. sem. mellis vnc. iij. adip. suilli vnc. iiij. nucleorum iuglandis recentis vnc. ij. picis naualis vnc. j. vini opt. q. suff. coquantur omnia vsque ad consumpt. vini. & fiat emplastrum. Quinimò nucis auellanæ veteris, vel etiā non veteris medulla maturat carbunculos, ac rumpit. In declinatione verò Paulus tanquam optimo medicamento vtitur auripigmento, & lithargyro cū oleo veteri permistis vsq; ad finē morbi. In pestifero autē carbunculo sunt, qui virus ipsum, & malignum humorem suctu, cucurbitulis, & pharmacis attrahentibus, qualia sunt arsenicū, flammula Iouis, & calx viua ad locū carbone obsessum etiam in mali principio euocent, & alliciant. Quod quidem improbandū non est, dummodo artus, & minoris notæ partes

Galen. 2. ad Glauc.

Ferrum candens.

Quæ inflāmationem crustę circūstantem respiciunt.

carbunculo teneantur,& fluxio ipsa pigrè moueatur. Verum quoniam malum hoc
praua quædam accidentia comitari solent, qualia potissimum sunt febris ardens, Accidentiũ
nausea, vomitusq;, inappetentia vehemens, cordis motus prauus,& delirium: ideo correctio.
ante omnia principalia membra,& ventriculum ipsum, vt hæc symptomata remo-
ueantur, corroborare debemus: non modo aerem ipsum refrigerando cũ folijs fri-
gidis in solo positis,& odoramentis ex aqua rosacea, violacea, aceto rosaceo, aqua
nenupharis cum vino maluatico paratis, ac naribus admotis; verum etiã cum epi-
thematib. cordialibus hunc in modum præscriptis. ℞. aquarum melissę, rosarum,
buglossæ ana vnc.iiij. vini maluatici vnc.ij. pulueris rosarũ, melissæ, corallorum al-
borum ana drach.ij. specierũ cordialium temper. drach.iiij. misce & panno serico,
aut laneo excipiantur,& cordi applicentur. Per os verò moderni hoc electuariũ ad
illa præcauenda sympromata tanquam optimum non modo in malignis carbuncu
lis, verum etiam in alijs morbis epidemicis, pestilentibusq; exhibere solent. ℞. sac-
cari rosacei, conseruæ buglossæ, conseruæ florũ citri, boraginatæ ana vnc.j. specier.
trium santal. diarrhod. Abbatis ana vnc.sem. Theriacæ drach.ij. Coral. alb. & rub.
fragmentorum margaritarum ana scrop.v. foliorum auri drach.j. cum decocto bu-
glossi, aut pentapli. aut, si febris non adeo acuta sit, cum vino maluatico, fiat electua
rium, quod à ij.drach. vsque ad iiij. exhiberi potest. In communi autẽ vsu est theria-
ca ad fabæ magnitudinem ex aqua scabiosæ exhibita, vel, si febris adsit admodum
vehemens,& acuta, ex aqua rosacea, vel buglossæ: & hoc per horas sex ante cibum,
& sex post cibum. Oportet tamen in theriacę exhibitione,& corporis habitum, atq;
temperiem, calidiorem scilicet, ac sicciorem, & anni tempus impensè calidum, &
ætatem ipsam puerilem euitare. Quomodo verò & phrenitidi,& ardenti febri oc-
currendum sit, in primo & tertio lib. declarauimus. Si verò adsit nausea propter bi-
lem ad ventriculum effusam, si facile vomant, vomitus ciendus, ex lib.j. aquę tepidę
simplicis, vel anethi, cum duab. vncijs oxymelitis permistæ. Sed validum, ac conue-
nientissimum vomitorium erit, quod Recipit corticum exteriorũ viridis nucis iu-
glandis lib.x. terantur,& admisceatur aceti quant.suff. & macerentur per quatuor
dies, aut sex; & postea fiat aqua per elambicum: cuius vnc.iij. aut iiij. erunt exhiben-
dæ. Si difficulter vomant, biliosa superfluitas rhabarbaro ipso cũ passulis ad drach-
mam vnam exhibito erit per secessum vacuanda. Si materia crassa, ac viscida fue-
rit, aliquo incidente, ac attenuante pharmaco præparanda, & speciebus hieræ eua-
uacuanda erit. Si verò laborans vomitu teneatur, quem quidem leuiter ferat, & ei
conferat, is supprimendus non erit: si verò ab eo lædatur, arcendus erit, & conue-
nienti decubitu, vt scilicet vẽtriculus quietus maneat,& extrinsecus applicitis, qua-
lia sunt oleum masticinũ, cydoniorum,& de absynthio, aut his non conferentibus,
emplastrum de crusta panis, vel diaphęnicon emplastrum, & odoramenta conue-
nientia,& his, quæ per os sumũtur, vti sunt mespilorum, cotoneorum, & malorum
punicorum succus,& pyra ipsa deuorata. Quibus etiã deperditæ appetentiæ succur-
rimus. Si prauus cordis motus, palpitatioq; subsequatur, vtendũ ijs, quæ in proprio
sermone fuere proposita, habita tamen ipsius febris contemplatione. Recentiores
verò hoc electuario vti solent. ℞. coaguli hędini, coaguli ceruini ana vnc.ij.s. vini
maluatici odorati vnc.ij. testiculorũ coctorum in posca facta ex aceto temperato cũ
aq. buglossi vnc.j.s. electuar. tria sant. diarhodon. abbatis ana vnc.j. (talia autem in
rotulis, aut etiam in pulueribus seruantur) saccari ros. vnc.vj. pulueris margaritar.
smaragdi an. scrup.j. misce cum sufficienti quantit. syrupi rosati, aut de cortic. citri,
& fiat elect. molle, de quo exhibeatur in mane,& hora competenti cochlear vnum.
nam etiam delirio,& syncopi maximè succurrit. In victus verò ratione, quæ ad fri- Victus ra-
gidum, & siccum vergere debet, aer frondibus, aceto, & aquis conuenientibus re- tio.
frigerandus erit,& quies iniungenda. Somnus concilietur quidem, non tamen sit
longior, quia ab eo fluxiones augeri solent. Et ob id iubent Chirurgi, vt clamori-
bus aut blandis sermonibus longos, & profundos somnos remoueamus. Et sum-
matim vniuersus victus refrigerans sit. Vinum autem tanquam perniciosissimum
caueatur: & potius cum Celso aqua copiosa concedatur, cui syrupum aut viola-
ceum aut de agresta, vel de acido citri, aut limonum poterimus permiscere. adstrin
gendo enim & refrigerando non parũ conferet. Inter cibaria probatur lactuca co-
cta, endiuia,& borago pariter decoctę, panis lotus, panatella, ptisana hordeacea, aut Indicatio-
eius cremor. Si vires sint languidę, potest concedi ius pulli, in quo acetosa cocta sit. nes, & cura
Feces verò aut singulo die, aut saltẽ alternis dieb. erunt educendæ. In bubone autẽ tio bubonis
pestilenti, quinam scopi sese offerant, ex dictis de carbunculo pestilenti planum est. pestiferi.

Nam

Nam præter id, quod cor, & nobilia viscera roborare oportet, vt veneficos humores facilius foras expellant, debemus quinetiam ipsam virulentam materiam ad locum affectum valenter attrahere; & ipsam deinde non quidem digerere, sed ipsius suppurationem totis viribus tentare. Et vt hæc facilius succedant, totius corporis euacuationem, & purgationem præmittere oportet. Qua ratione autem & methodo in venæ sectione adhibenda incedendū sit, in curatione pestilentis febris distinctè declarauimus. Id vnum hoc in loco addere sat erit, quod in bubone pestilenti raro admodum venam secamus, non solum, quia morbus ferè lethalis est, & paucissimi euadunt, & Galeni consilio in exitialibus morbis non modo quando sunt in vigore, sed etiam in principio nil mouere oportet, recordantibus nobis, quod deploratos non oportet attingere; verum etiam eò, quia sicuti carbunculus in morbi principio: ita bubo pestifer, quia à materia frigidiori, & expultricem minus irritante procreatur, potius in mali progressu apparere solet: quo tempore vires non constant, sed imbecilles admodum sunt: ijs verò talibus existentibus, venam ex omnium sententia secare non licet. Neque enim ob suffocationem, sed propter spirituum resolutionem, quam venefica affert materia tales euadunt. Veruntamen vbi malū ex aere corrupto ortum ducit, & sumus in ipsius principio, & hic materiæ motus ad emunctoria (vti in principio ferè euenit) symptomaticus est, & corpus est plethoricum, ac iuuenile, & vires constent, non est ab re venam ipsam reserare. Sanguis tamen per vicinas, & coniunctas venas, in ea copia, quam vires, & reliqua indicabunt, erit mittendus: ita, vt si parotis post aurem adsit, cephalica; si tumor in ala sub axilla, basilica; si bubo in inguine, saphæna, aut malleoli vena semper eiusdem lateris aperiatur. Nam hoc præsidio naturæ motus non impeditur, neque tumores hi retrocedunt, sed natura exonerata eo, quo veluti sarcina premebatur tum ad eadem, tum ad alias excretiones moliendas excitatur. Quod si materia fere tota ad emunctoria relegata sit, & virtus ad expellendum sit robusta, quod ex symptomatum imminutione, conferentiaque, ac bona patientis tolerantia deprehenditur, aut materia ad suppurationem apertè festinet, venæ sectio, & quæcunque alia phlebotomia omittenda erit. Quemadmodum loco citato fusius docuimus: quo etiam in loco diximus ad hirudines potissimum esse confugiendum, vbi corpus phlebotomia eget, & vires imbecillæ sunt. Simili modo venenosa materia pro maiori parte ad emunctorium emissa, aut suppurante, medicamenta purgantia, quæ à circumferentia ad centrum trahunt, sunt prorsus omittenda. in principio verò, dum materia ęgrè ad affectum locum mittitur, si febris adsit, quenā purgantia, & quo pacto exhibenda sint, in serm. de pestilenti febre docuimus. Si verò Bubo sit absq; febre, & virtus robusta, aut saltem non imbecilla admodum sit, quoniam venefica materia est magis vrgens, quàm si esset furiosa, ad tollendam putredinem, & ad materiam illam praua qualitate affectam euacuandam (ea enim ablata & vitalis virtus recreatur, & colliquatiuæ fluxiones, si quæ sunt, cessare solent) medicamentum purgans exhiberi potest. Nedum enim Gentilis Fulginas, & Iacobus Carpus, verum etiam plerique alij fatentur se plures bubone pestifero affectos solentibus medicamentis liberasse: ea autem alexipharmacis probè corrigi debent (non tamen theriacę, quę purgantis operationem tollit) vt quantum fieri potest, innoxiè sumantur. Vnde præter ea, quæ loco citato posuimus, licet hoc modo purgans parare. Recip. electua. ros. Mes. Confect. Hamech ana drach. ij. s. floris cass. nouiter extractæ, diacatholiconis ana vnciam semis, antidoti de sanguinibus drach. j. s. cum decoct. florum, & fruct. cordialium fiat potio breuis, vel cum saccharo fiant boli. Antidotus verò de sanguinib. habetur à Galeno ex sententia Damocratis in calce libri 2. lib. de antid: Quod si quis velit antidotum paratu faciliorem, Recipiat sanguinis siccati anatis masculi, anatis fœminæ, sanguinis anseris, hędi, rutæ syluestris, sem. fęniculi, cimini, anethi, naporum (nauones vulgus appellat) raporum ana drach. iij. radicis gentianę, trifolij, squinanthi, thuris, rosarū rubearum ana drac. iiij. piperis albi, piperis longi, costi, phu, cinamomi, auriorum drach. ij. myrrhæ electę, spicæ nardi ana drach. vj. belzoini, asari, ammoniaci ana drach. iij. amaraci, agarici ana drachmas ij. carpobalsami officinarum grana xx. ireos, croci, rheubarbari, gingiberis, mastichis ana drachmam j. stœchadis drachmas quinque. misceantur omnia, & paretur puluis tenuissimus, & cum quatuor libris mellis despumati optimi misceantur, & fiat electuarium, & seruetur in vase argenteo aut vitreo. Facta purgatione pro viscerum, & cordis præsertim roboratione, præter ea, quæ in pestilentis febris curatione fuere descripta, maximè omnium pro diuitibus probatur

Venæ sectio.

Gal. 2. apho. 29.

Medicamenta communia.

Purgantia.

Lib. 3. c. 30.

Antidotus de sanguinibus.

Roborātia viscera.

smaragdus, dummodo prius in mortario teratur, & postea super lapide marmoreo optimè leuigetur, & cum vino maluatico à gran. v. vsque ad viij. exhibeatur. Hoc deficiente, mirificè probatur terra sigillata, quæ è Byzantio potissimum Venetias deferri solet. Dum hac caremus, possumus vti terra Melitensi, aut bolo Armena Orientali adeo à Galeno comprobata. Vel Recipe Terræ Melitensis, boli Orientalis ana grana v. Mithridati drachmam j. cum decoctione scabiosæ, tormentillæ, scordij, radicis angelicæ, gallegæ (quæ ruta capraria dicitur, & in peste optima est, eiusque succus sumptus materiam virulentam ad inguina interdum transmittit) diluantur hæc, & exhibeantur. Hæc autem antidotus, sicuti etiam alia superius enumerata pharmaca roborantia, sunt sæpius propinanda, ita tamen, vt inter antidoti, & cibi assumptionem saltem quatuor horæ interponantur. Ad cor autem roborandum, & vnà ad sitim, quæ in hoc malo maximè excruciare solet, mitigandam, potest talis aqua sæpius exhiberi. Recipe aquarum buglossi, boraginis, melissæ, gallegæ, capillorum Veneris, scabiosæ ana vnc. iij. syrupi de acido citri, rosati simpl. ana vnc. ij. misce, & clarificentur eo modo, quo officinæ vtuntur, & hæc aqua tum tepidè bibi potest, tum ea sæpius collui os poterit. Offulæ quoque anguriæ in ore detentæ mirificè sitim extinguunt. Extrinsecus autem maximè probantur tum oleum de scorpionibus Matthioli, tum oleum Magni Ducis Hetruriæ, quæ, dum febris intensa prohibet, possunt vnguento rosato Mesues contemperari, & thoraci, ac regioni cordis admoueri. Quia verò in hoc malo solet subsequi dolor thoracis propter intensum internarum partium ardorem, qui quidem ad iugulū vsque pertingit: ideo pro ipso mitigādo, licet vti tali medicamento. Recipe olei amygd. dulc. rosati completi ana quantum suff. hoc panni madefiant, & thoraci applicentur. Sacculi verò, & epithemata, aliaq; auxilia, quæ extrinsecus admouentur, loco citato erunt perquirenda. Quantū spectat ad præsidia topica, hæc vtilissima erunt, si virulentam materiam ad locum affectum vehementer attrahere valebunt. Qualia sunt vatrachium, flammula Iouis, cantharides, & id genus alia. Verum optimum est primum buboni cucurbitulam applicare, & deinde accipere gallum iuuenem, & eius anum optimè depilare, & post cucurbitulam ablatam statim ani galli foramen buboni per horam apponere: hoc enim potissimum tempore gallus obire solet, quia per anum ad se venenum trahit. Quo mortuo, aut scarificatione vtimur, aut linimento infrascripto. Recipe succi apij palustris (quod eleoselinum à Dioscoride vocatur) succi scabiosæ, consolidæ minoris, acetosæ, vincetoxici (quod Dioscoridis est asclepias) succi rutæ, succi granatorum ana vnc. ij. misce, & his succis addeduo oui vitella assata, & trita, quæ cum eis optimè misceantur, & hoc medicamento Bubo inungatur. Post hanc autem lenitionem bubo secetur: vel etiam sine linimenti admotione bubo exuratur, aut chalybeo, aut aureo instrumento ignito, aut caustico aliquo medicamento: sub his enim fœliciter malum profligari solet.

Extrinsecus applicata.

Topica.

Tract. 2. de apost. c. 5. Guido verò de magna illa pestilentia verba faciens, scribebat, quod in ea apostemata extrinseca maturabantur cum ficubus, & cœpis coctis, & contusis, & cum fermento, & butyro mistis: & postea aperiebantur, vlcerumq; curatione curabantur. Anthraces verò ventosabantur, scarificabantur, atque cauterizabantur. Bubone itaque cauterizato, & exusto, vtendum pharmacis in carbunculi curatione enumeratis. Locus autem diutius, quo fieri poterit apertus seruandus erit. nam secus recidiuæ periculum imminet. Cessante verò materię fluxu, tuto illum consolidamus. Victus ratio in sermone toties citato petenda est. Id dixisse sufficiat, quod victus debet esse boni succi. Ob id vtantur iure auicularum montanarum, pullorum, phasianorum, perdicum, aut similium. Quamuis enim morbus acutus, ac sæpius peracutus sit; non tamen victus tenuis eligendus: quia vt plurimum in principio vires concidunt, & cum magna admodum sanguinis portio sit corrupta, nouorum spirituum restauratione egemus, vt vires conseruare, atque fouere valeamus. In quocunque autem tum carnium, tum ferculorum condimento, vsus herbarum ac e rosarum summopere probatur: & idem de succo limonum, citriorum, & arranciorum dicendum est, quia putredini valde resistunt. In Gangræna demum, quæ adhuc habet esse in fieri, oportet primū contra ipsius causam contrarijs pręsidijs pugnare. Exempli causa, si partis calor à contraria sibi frigiditate extinguatur, calorificis auxilijs occurrendū est. his enim gangrenæ, quæ remiges apprehendere solent, & in principio consistunt, & in fieri habent esse, facilè tolluntur, & fieri prohibentur. Si calor ab humorū copia suffocetur, ea minuenda, & aliò auertenda est, & sic de reliquis. Deinde si quid iam influxit, digerendū, & euacuandum, & pars ad naturalem statum

Victus ratio.

Indicationes, & curatio Gangrænæ.

flatum perducenda erit, partesque circunstantes, ac sanæ ab ipsa corruptione erunt arcendæ. Si uerò sphacelus sit, & malum in facto esse, totum id, quod emortuum est, ut Galenus præcipit, a uiua parte separandum est, & prorsus auferendum, & vlcus, quod remanet, detergendum, implendum, & ad cicatricem perducendum est. *Galen. 3. ad Glauc. 9.* Sed ante omnia ea, quæ ad cordis tutelam pertinere uidebuntur, non erunt omittenda, ne. f. cor à putridis vaporibus à corrupta parte eleuatis inficiatur, & in proprijs vitibus maximè lædatur. Dũ igitur adest plenitudo, & sanguinis copia gangrænæ causa est, vena secanda est, dũmodo vires consentiant; & ut dictũ est de carbunculo, in magna copia, & per partem longinquam, reuulsionis scilicet causa, sanguis mittendus. Similiter conuenit venæ sectio, ubi ex aliquo feruore gangræna ortum ducit. In ea verò, quæ vel ex frigore, vel ictu venenoso, vel siccitate, & defectu alimenti, vel alicuius caustici applicatione oritur, phlebotomia nõ est adhibenda. Insuper vbi sanguinis copia gangrænam creat, eius curandi ratio auspicanda est à copiosa corrupti sanguinis, qui in membro laborante compingitur, vacuatione. Quare si gangræna succedat (quod vt plurimum euenire solet) inflammationi, aut erysipelati, ut nos docet Gal. sanguinis impacti ex parte affecta, ilicò post reuulsionẽ, larga emissio molienda est: vel vena incisa, si quæ amplior, ac turgens circa eandẽ partem conspicitur: vel cute vniuersa partis affectæ unà cum subiecta substantia excisa, vel pluribus, & altis scarificationibus diuisa. *Galen. 2. ad Glauc. 9.* Alij ad eundem finem hirudines admouent, & venas minores proximas apetiunt. Verum profundæ illæ, ac frequentes sectiones, aut scarificationes multò sunt ad eius mali curationem efficaciores. Ceterum pro affectus magnitudine vel maximæ sectiones fiunt, uel incisuræ (quas scarificationes appellamus) vtræque frequentes: illæ, ubi putredini uicinius malum est; hæ vbi tantum putrescere incipit. nam maius vitium maiore eget remedio. Vbi autem affectæ partis vena aliqua turgens secatur, ne aliquod incommodum, & præsertim sanguinis fluxus immodicus, qui vitam adimat suboriatur, monet Paulus, vt venam illam vinciamus, & muniamus, ne. f. fluxus contingat. *Paulus lib. 4 c. 19.* Quare post sanguinẽ eductum, & cessante fluxione, debemus uenam uincire, & medicamento imposito munire, præsertim circa vasis radicem. Dum autem cutim, & partem substantiæ carnosæ secamus, aut saltem profundis scarificationibus cutim incidimus, ut sanguis melius fluat, multas hirudines apponimus, quia dum Gangræna est in fieri, potest hoc modo sanari. Verum cum sanguis fluit, & materia illa putrida est, ac uiridis, debemus habere spongiam infusam in lixiuio acerrimo, in quo sit dissolutum sal, aut oxymel simplex, aut vnguentum Aegyptiacum, cum qua detergendus est locus. Si de communibus autem pharmacis, quæ totius purgationem respiciunt, habeatur sermo, in gangræna, in qua uenæ sectio competit, purgantia quoq; & præparantia conuenientia sunt. Ob id, dum malum uehementibus subsequitur tumoribus, & inflammationibus, omnes vtuntur purgantibus. & pro primis vijs leniendis, ac euacuandis maximè probantur flos cassiæ nouiter extractæ, pulpa thamarindorum, & diacatholicon, veluti si bolos exhibeamus hoc modo confectos: ℞. floris cassiæ nouiter extractæ, pulpæ electæ thamaridor. diacatholici ana vnc. semis, misc. & cum pauco saccaro fiant boli. hæc enim refrigerant, corroborant, & calidas superfluitates, quippe quæ ad fluxiones paratiores sunt, euacuant. Cum autem in Gangræna, quæ inflammationibus succedit, exustus sanguis redundet, optimum deinde est ipsum præparare cum decocto fumariæ, lupulorum, boraginis, endiuiæ, acetosæ, & cichorię, cui etiam addere licet syrupum de oxalida, de acido citri, & acetosum simplicem, ut unà cor ipsum à putridis vaporibus tutum reddatur, & ante syrupum, & et ante cibum possumus dare aliquem cordialem bolũ, veluti in sermone de pestilẽti febre docuimus: imò dum febris uehemens, aut calida, & sicca totius corporis temperatura non inhibeat, pro eiusdem cordis roboratione, theriaca, vel mithridatum, ut ibidem docuimus, poterit offerri. Præparata antem materia, purgans, quod valentius sit, poterit exhiberi. Vnde dum uires ualent, & malum urgeat, ac perseueret, possumus ℞. foliorum senæ, radicum polypodij ana drach. iiij. pulpæ thamarindorum drachm. v. cinamomi, gingiberis ana scrupul. semis, tritis terendis fiat infusio istorum in suffic. q. aquæ decoctionis lupulorum, & fumariæ per tempus debitũ, aut bulliant parum, & facta expressione, & colatura, addere possumus confectionis Hamech. drach. iij. flor. cassiæ drach. v. syru. rosł. aut viol. solutiui vnc. iij. m. f. potio breuis, quæ summo mane per quatuor horas vel quinque ante prandium sumatur. Dum enim malum non est ualde acutum, & inducias præbet, optimum est, antequam offeratur valens purgans, materiam præparare; sin minus, leniens, quod valentius

Chirurgia præsidia.
Venæ sectio.
Curatio Gangrænæ ex suffocatione ortæ, propter humorum copiam.
Medicamẽta communia.
Purgantia, Præparantia, & Alterantia, Roborantiaq;

valentius fit,& in maiori dosi primis diebus exhibeatur. Quantum attinet ad medicamenta,quæ parti adhibentur affectę,vbi sanguinem ex altis illis sectionibus manare permiseris,ex Galeni præcepto,imponere debes ex medicamentis aliquod ad putrescentia vtilibus: prius tamen optimum est aqua salsa incisum locum abluere, vt sanguis crassior,qui ibidem concresceret,foras egrediatur, deinde medicamentum putrefactionem prohibens, ac resoluens apponendum. Tale est, vt ipse scriptum reliquit, quod ex oxymelite, & farina orobi vel lolij, aut lupinorum conficitur. Si verò hæ farinæ non adsint, ex fabacea fiat cum oxymelite,vel syrupo aceto-so. Vtile quoque fuerit locum scarificatum bis in die aceto calente,sed præsertim mulso lauare. Hæc enim sui siccitate saniem,& putrilaginem absumunt,atque detergunt, frigiditate verò,quod nondum vitiatum,& corruptum est,à putredine vindicant. Vbi verò iam ipse veluti feruor subsederit,ac mali vis sese remiserit, Aegyptiacum vnguentum vulgo dictum, ex flore æris, alumine,melle, & aceto ad æquas portiones mixtis,& coctis compositum superimponendum erit. Putrefactionem enim prohibet ac resoluit,& corruptū ab integro dirimit, & decidere cogit,& crustam inducendo. quod sanum est,conseruat. Quod si medicamentum ex fabacea farina,& oxymelite constans fortius efficere velis,ait idem,adijce sal,aut ex trochiscis aliquem exquisitissimè tritum,qualis Andronis,& Polyidę,& Pasionis est, vel Musæ medicamentum, quod ad hæc aptissimum est, & in Hetæ sectione scriptum est. Vtatis autem & his,& alijs iam dictis animum aduertens ad corpus ægrotantis. Si enim rusticum fuerit, & natura durum, fortissima pharmaca desiderat: fœmineum verò,& molles carnes habens imbecilliora. Sic & viri,qui molles carnes habent,& balneas amant, & in otio degunt, mollia exigunt,vti etiam & pueri. Et si etiam putrefactam, atque emortuam partem abscideris, vt securius agas,nuper dictis veteris medicamentis, naturam corporum simul attendens, & partis affectæ. Quædam enim sunt, quæ citissimè ad putredinem veniunt,& satius est ob maiorem securitatem, quando abscindis, aut circumcidis id,quod iam putruit, eam,quæ veluti radix est, sanæ parti adiunctam, adurere, sicuti sæpius in pudendis facere consueuimus,nonnunquam quidem affectis partibus exurentia afferentes, quandoq; verò linamentum ante submittentes. Ad corporis itaque, & affectæ partis naturam oculos dirigens, vel aliquem ex memoratis trochiscis exquisitissimè tritum aceto, & vino dilutum, vel vnum ex ijs, qui ob suam vim causticam corruptum à sano dirimunt, vti sunt, qui à recentioribus chalidicon, aldaron, & ex asphodelo dicuntur, appones. Sed hac in re ante omnia probatur arsenicon, quod sublimatum vocant, purum,aut correctum, idque vel in puluere, vel ex vino dissolutum, & linamento vel cotone exceptum, inter sanum, & corruptum applicatum. Hoc enim confestim malum sistit, & id quidem sine dolore. Quod si necessitatis exigat, spatula,vel specillo sanum à corrupto separandum. Semper autem & corporis totius, & affectæ partis naturam considerare oportet. Quædam enim vti diximus, citissimè ad putredinem veniunt, si negligenter curentur, aliæ autem partes tardiusculæ. Quædam medicaminum vires, ac beneficia tardius sentiunt, aliæ citius. Porro si nihilo magis malum his causticis medicamentis constiterit, vri id, quod est inter integrum, ac vitiatum locum debet. Quidam verò in principio gangrænæ accipiunt farinam lupinorum coctam in lixiuio valido, & infundunt oxymel simplex, & tanquam optimum medicamentum ipsum applicant: vel puro lupinorum decocto vtuntur, sed prius in partes scarificatas infundunt parum simplicis Aegyptiaci, & postea prædictum emplastrum imponunt: & si hæc vnguenta non valeant, ad actuale cauterium confugiunt, in quo administrando animaduertendum, quod vbi multa carò adest, tentare debemus ipsam prius magna ex parte nouacula remouere, ne ex actuali cauterio multa assatio fœtida fiat, & postea, quod reliquum est putridæ carnis inurere. Facta autem adustione, solemus, ait Galen, vti succo porri: qui vbi non adsit, his, quæ paulo ante diximus. Vbi verò tibi videbitur, his remedijs adhibitis, cessare putredo, vt cito crusta cadat, medicamento, quod vocant cephalicum cum melle vtere. Melius verò, & hydrelæo panem decoquentes, vel farina hordeacea eodem modo parata, vel etiam cum ipso miscendo triticeam, facere cataplasma. Ita tetrapharmacum dictum,& Macedonicum sunt crustarum suppurationibus, & earum excidentijs accommodatissima, necnon, quæ suppurandi vim habent. Et panis tritus cum apio, vel ocymo optimè crustas disrumpit, & à sanis partibus separat. Ex simplicibus verò iris cum melle vel radix panacis, vel aristolochiæ, vel acori. In mollibus verò corporibus

Topica. Galen. 2. ad Glauc. 9. Galen. 2. ad Glauc. c. 9.

ribus

ribus sufficit orobi farina cum melle vel thure. aufert etiam crustas Macherionis medicamentum, & isis cum melle. cum verò exciderint, sarcoticis, & epuloticis vtendum. Si verò Gangræna ratione fluxionis, quæ ab ipso dolore concitata sit, vel alicuius animalis ictus, aut morsus oriatur, quonam pacto dolor, & eius causa, siue sit virulentus morsus, siue quid aliud vel euacuatione, vel alteratione virulentæ materiæ auferri debeat, in communi indicationum, ac curationis tumorum tractatu cum Galeno enodauimus. Si verò ex nimio frigore proueniat, Gabriel Fallop. hoc medicamento, quod ipse Diuinum appellat, vtebatur. Recipe rapum vnum domesticum, & vnam satis crassam radicem raphani: & hæc optimè deradito, quod cum factum fuerit, Recipe pulueris seminum sinapi vnc. j. cariophyl. drach. iij. olei seminis lini, olei nucum iuglandium vetustissimi ana quantum sufficit misce in mortario, & fiat emplastrum, & calidum, aut tepidum loco affecto superponatur. Probantur quoque magnæ confectiones, si cum aliqua portione Aegyptiaci vnguenti permisceantur, & præsertim si his simul mistis scordium puluerizatum addatur, in ea quantitate, quam vnguentum suscipere potest.

Ad Gangrę nam ex ictu venenoso. *Ad gangrænam ex frigore exortam.* *Fallop. li. de tumor. c. 26.*

Si ab alijs causis oriã. tur.

Quod si malum ex obstructione, aut incisione arteriæ magnæ, aut venæ magnæ, aut insignis nerui, aut ex siccitate, & alimenti defectu fiat, nullum præstantius medicamentum excogitari potest eo, quod ex Fallopij auctoritate statim supra posuimus, quamuis & sinapismi, & dropaces, & picationes quoque (dummodo malum hecticam febrem adiunctam non habeat) vsurpari possint. Sed dum malum inualuit, ante horum applicationem totum affectum locum secare debemus. In quacunque autem gangræna, dummodo à nimia siccitate, vel à vehementi frigore non oriatur, vt partes sanæ, quæ in morientis partis confinio sunt, à corruptione vindicentur, maximè probantur medicamenta defensiua vocata, quæ ex refrigerantibus, & siccantibus, & præsertim bolo Armeno, & terra sigillata cum aceto ad epithematis formam parantur, si ijsdem circunstantibus, sanisque partibus admoueantur. Si autem malum à frigore, vel siccitate, & alimenti defectu ortum ducat, iam dictis defensiuis magnam scordij puluerizati portionem permiscemus: Quinimò scordium pro earundem partium tutela in omni gangræna vtile erit. Si verò auxilia omnia iam enumerata nihil proficiant, totumq; membrum corruptum sit, vnicum nobis, tametsi miserum, relinquitur præsidium, videlicet membri, quod emortuum est, abscissio: Quæ quidem quam citissimè molienda est, ne scilicet totum corpus ad corruptionem perducatur. Quod enim computruit veneni in modum suo contactu, quod adhuc sanum, & integrum est, inficit, & corrumpit. At verò dum emortuam partem abscindimus vel quod in membro quopiã computruit, ad sanum vsq; corpus concidimus, eam, quæ veluti quædam radix est sanæ, & integræ parti adiuncta, ob maiorem securitatem ex Galeni consilio candenti ferro adurere debemus. Sic enim cito, & sanguinis profluuium, & putredinem arcemus. Verum hoc in loco non possumus non mirari eos, qui ambigunt, an Celsi sententia admittenda sit, necne, dum ipse scriptum reliquit, in membri corrupti abscissione nos potius debere aliquid bonæ carnis secare, quam malam relinquere, ne scilicet mala bonam corrumpat: & multò magis subit mirari illos, qui afferunt hanc nedum Celsi, verum etiam aliorum antiquorum fuisse sententiam. Nam Hip. & post ipsum Gal. hanc opinionem apertissimè damnarunt. Dum enim Hipp. de ossium, membrorumq; integrorum præcisione loquitur, hæc formalia habet verba: Ceterum partes ait, quæ citra finem, seu infra terminos nigritiei fuerint, vbi iam prorsus emoriantur, & dolorem non sentiant, iuxta articulos excidendæ sunt, ea animaduersione, ne quid violetur. Nam vbi qui secatur, dolet, quum nondum qua secatur, emortuum corpus fuerit, maximum periculum est, ne sub dolore anima deficiat: eiusmodi autem animæ defectio plurimos repente iam sustulit. In quorum verborum expositione Gal. non minus clarè inquit, quod Hip. præcipit, vt corruptæ partes, & ossa excindantur, ea cautione, ne integræ partes violentur, ne præ dolore anima admodum deficiente, homo ęgerrime reficiatur. Omittimus autem non modo præ dolore, verum etiam præ nimia sanguinis effusione periculum esse ne animæ defectus, & mors ipsa subrepar. Iisdem Hipp. verbis refelluntur illi, qui in membrorum sectione statuunt, articulos, quantum fieri potest euitandos, idque vt isti aiunt, propter dolorem euitandum, qui in partibus neruosis, & acri sensu præditis incidendis (tales autem partes circa articulos sunt) excitari solet. Verum aberrant isti, quia, vt ait Hipp. & idem confirmat Gal. partes, quæ adhuc sentiunt, & viuunt, nunquam secare debemus, sed solum omnino demortuas propter causam allatam.

Curatio Sphaceli. *Hipp. lib. de artic. 4. tex. 36.* *Gal. in com.*

allatam. Cur autem præcipiat Hippoc. ad articulos,siue iuxta ipsos,si fieri potest, membra excidenda esse, declarat Gal. inquiens, Hippocr. id præcepisse ad celeritatem operationis spectando. Namque vbi medium membrum seu os præcidatur, multum temporis absumitur,quum ossa secantur;sed iuxta articulum affecta membri pars intacto osse abscinditur. Ad dolorem itaque & sanguinis profusionem euitandam, vbi æger consentiat, eiusque uirtus valida sit(nam secus corrupti membri ablatio aggredienda nullo pacto) oportet sectionem moliri ea lege, vt versus partem sanam, tantam corruptæ partis portionem relinquamus, quanta est crassities vnius,vel, quod plurimum est, duorum digitorum, vbi scilicet sectionis commoditas, quæ iuxta articulum fit,nos cogat. Sectionem verò hunc in modum adhibere conuenit. Primum antequam ipsam aggrediamur, æger duo oua sorbilia, recentiaque cum pauco vino maluatico, ne animo deficiat, sumere debet: deinde instrumentis, ac medicamentis, quæ necessaria sunt, præparatis, debemus phlebotomo, aut nouacula partem læsam incidere,donec confinium inter viuam, ac emortuam partē reperiatur. Eo adinuento partem infra terminos sanæ,& corruptæ partis funiculo deligate mediocriter oportet, sensim vsque ad partem sanam per quatuor digitos ascendēdo:Postea nouacula ignita cum ligneo manubriolo,ne scilicet artificis manus comburatur, caro vsque ad os incidenda est, relinquendo, vt dictum est, per vnius, aut duorum digitorum spacium, versus sanam partem,carnem corruptam.Ex hac enim nouacula accensa duplex auxilium,cauterij scilicet, & incisionis habemus.Facta hac sectione, quæ licet ferro ignito melior, ac tutior fiat, potest quoque instrumento non ignito administrari, si iuxta articulum sit,os & inferior membri pars promptè absque ferra aufertur, sin ab articulo distet, ferra secandum os erit, & ablata membri pars, ne ab ægrotante conspiciatur, statim contegenda. Postremo ferramentis ignitis, iisque crassioribus prius paratis partem illam putridam, quæ prope sanam relicta fuit, vndique inurere, scilicet corruptio vlterius progrediatur,necesse est. Et primum vbi adsunt vasa illa magna ferramenta applicanda sunt. Terminus autem vstionis erit, primum, donec patiens vim ignis percipiat, & aliquem dolorem patiatur: secundo, quando cessat sanguis: & tertio, quando crusta subotta est. Hoc facto, statim funiculus incidendus, & ferreo instrumento latiori os cauterizandum,ita tamen,vt vstio in supercilio adhibeatur, cauendo medullam, quia nonnunquam ex tali vstione ossa inflammantur: Postea, vt decidat crusta vtendum succo porri (imponendo scilicet lintea in eo madefacta) vel alijs, quæ ex Galeni traditis supra apposuimus. Alij verò capiunt linamenta stuppea in oui albo madefacta, & postea vtuntur chalcantho rubefacto, & cum linteis supra crustam imponunt: & demum accipiunt olei rosacei, aquæ rosaceæ, aceti rosacei ana partes æquales, & linteum ex his madefactum imponunt super partem læsam, & sanam: sed super sanam ponunt bolum Armenum,& relinquunt per diem naturalem, & deinde imponunt ea,quæ remouent escharam,pro qua auferenda solo tetrapharmaco vtuntur, & succo apij, quod oreoselinon Dioscor. vocat, partes illas abluunt. Postea sarcoticum admouendum est, quod os ad squamas emittendas prouocet. Ad quod agendum probatur quod Recipit therebinthinæ,picis colophoniæ ana vnc.v. olei de spica vnc.j. pulueris iridis, dictamni albi, peucedani, orobi, oppopanacis, euphorbij ana scrop.v. ceræ alb.quan. suff. terantur optimè, & fiat ceratum. Animaduertendum tamen, vt in ossis foramine imponantur linamenta sicca pura absque aliquo medicamento, quia cum continuè fluat per partem illam humiditas impediens partis sanationem à linamentis illis exiccatur. Super os verò ceratum statim supra descriptum ponitur, & supra partem sanam sarcoticum adhibetur medicamentum, & tandem epuloticis, vbi scilicet, os abscesserit, & squamam emiserit, cicatrix inducenda erit. Solet autem, vt docet Hippoc. femoris os nudatum octuagesimo die abscedere; cruris verò ossa, quæcunque nudantur circa medium omnino ex corruptela, & nigritie sexagesimo die decidere solent. In ossibus autem abscindendis iubet Hipp.vt iusto habitu corpus figuretur: Iustus autem erit,si nihil suspensum sit, & nihil deorsum spectet, sed sursum magis, præcipuè donec ex toto putria resoluta fuerint, quia periculum est, ne interim sanguis erumpat. Ob id vulnera inclinari in inferiorem partem non debent, sed superiora haberi, nam habitus, quo membrum dependet, eruptioni sanguinis opportunissimus est. Sed quia habitus nimis sursum spectans dolori est, ideo moderatè in superiorem partem conuertitur. Vbi verò tempus processerit, & vlcera puta sunt, accommodatus

Gal. 2. ad Glauc. 9.

Hip. 4. de artic. sect. tex. 36.

Tex. 38.

Gal. in com.

Tex. 39.

modatus est ille status, & habitus, qui rectus est, & interdum ille, qui versus inferiorem partem inclinatur, vt scilicet sanies effluat. dum enim nullum adest periculū, ne aut sanguis erumpat, aut propter consortium aliqua pars afficiatur, vel inflammatio superueniat, & vlcera iam pura tantummodo ad cicatricē perducenda sunt, danda opera est, ne pus vel sanies tunc subsidat, sed omnia exitum habeant. At si Gal. in com.
qua ibi pars sinuetur (dum enim membrum ad sanguinis fluxum vitādum sublime detinetur, sanies partes illas erodit) ad fascias ueniendum erit, quæ primæ iniiciuntur, quibus sinus coerceatur. à superiori autem parte incipere debent, & deorsum versus intēdentes paulo suprà os ipsius sinus finiri, ut quicquid in imo sinu resider, sub hac vinciendi ratione exprimatur, & ore aperto, protinus euadat. Si verò patiens sectionem, & inustionem corrupti membri non admittat, consulunt Recentiores, vt defensiuis vnguentis super partem sanam adhibitis postea emortua pars prope sanam rectis, & obliquis incisuris sacrificetur tam profundè, ut usque ad os perueniant, & deinde arsenicum, & sublimatum pari pondere puluerizata inscissuras factas immittantur, & ibi tam diu detineantur, & innouentur, donec operentur, & postea medicamentum adhibeatur, quod valentissimam exiccandi vim habeat, & viuam carnem à mortua profundè seperare valeat. Hoc tamē modo non nisi ne cessitate compulsi vti debemus. Quocunque aūt modo corruptum membrum auferatur, quia post crustæ ablationem plerunq; propter sensum partis eximium ingens suboritur dolor, consulunt nonnulli ex recentioribus, vt ei occurramus vngēto facto ex solo succo betonicæ, cui nisi adsit inflammatio, oleum amygd. dulc. vbi
Victus ratio. hæc adsit, oleum rosaceum permisceatur. In gangræna verò, & sphacelo ea conuenit victus ratio, quam etiam in carbunculo conuenire diximus, vbi scilicet malum ex humorum copia, & fluxione fiat, & inflammationi succedat. Tunc enim ad frigidum, & siccum vergere debet. Vnde vsus acetosorum conuenientissimus est. Ad vētriculum autem & cerebrum roborandum, post assumptum cibum, aliqua porrio conseruæ cidoniorum cum speciebus diarrhodonis Abbatis permistæ exhibenda erit. Inter cibaria nedum ptisana hordeacea, & auiculæ montanæ; verum etiam alia omnia, quæ in pestilentium febrium curatione fuere proposita, probātur. Somnus autem multus & profundus omnino caueri debet. Si ab alijs causis malum proficiscatur, semper victus ratio eis aduersari debebit. Quibus aūt inquit Gal. aliquod mē Gal. 4. de artic. com. 40.
brum abscissum fuerit quoniam alimētum, quod ante transferri ad ipsum solebat, in venis coit, & sanguinis multitudinem producit, ex qua sanguinis sputum, & alia grauiora mala produci solent, idcirco hos omnes monere oportet, vt minus cibi capiant, quam ante, isq; infirmior sit, subinde aluum ducant, & quantū possunt, exerceantur: multam frictionem adhibeant: à cibo non lauentur, sed ante sæpius. Rectè autem sibi consulent, si digerente aqua vtantur, vbi eius copia fuerit. Quod si in veris principio sanguinis missione, aut purgante pharmaco, vel vtroque euacuentur, idque per multos annos, certius adhuc a iam dictis malis præseruabuntur.

De Tumoribus biliosis, & primum de ipsorum natura, causis, differentijs, signis, & prognosticis. Cap. XV.

Continuatio. ETSI longè maior in corpore pituitæ, quàm bilis copia reperiatur, & pituita, quippe quæ humor semicoctus est, ad sanguinis similitudinem sit ad nutritionem magis idonea, quā bilis, quæ supereoctus est succus, & nutritioni ineptus; nihilominus post explicatos sanguineos rumores de biliosis agemus, propter maximam, quam cum sanguineis tumoribus conuenientiam habent, nedum penes naturam, cum non secus, ac sanguinei, calidæ fluxionis soboles sint, verum multò magis penes curationem: ad quam potissi- Gal. 14. meth. 1.
mum respiciens Gal. scribebat haud longè à phlegmone abesse & alium morbum, quē Græci erysipelas uocant. Quimò erysipelas, quod inter biliosos tumores præ- Gal. lib. de tumor. c. 9. &
cipuum locum tenet, tantam similitudinem cum tumoribus à sanguine ortis nactum est, ut idem Gal. horum omnium malorum tractationem curationemq; vno 10 simp fer.
Nomen. & eodem capite, ac sermone perstrinxerit. Cum itaq; in hoc capite de biliosis flu- de felle, &
xionibus tumoribusq; dicendum sit, & vt nos admonet Gal. obtinuerit consuetudo 5. in 6. epid.
Medicorum, ut siue bilem absolutè, siue biliosum humorem dicamus, pallidam, & 14.
amaram,

amaram, non autem acidam & atram intelligamus (siquidem illam semper cū additione nominant, vt cum appellatione humoris colorem coniungant) ideo vnicuique planum esse arbitramur, nos per biliosos tumores non quidem atrabilares, vel melancholicos, sed eos intelligi velle, qui à flaua, aut pallida, vel alia bile ortū ducunt, quæ cum amara sit, & calida, & sicca, cum flaua, aut pallida affinitatem habet. Hoc autem dictum sit, quia in amaræ bilis, & calidi, & sicci humoris numero præter pallidam & flauam, plures aliæ reperiuntur bilis differentiæ, uti sunt bilis rubra, vitellina, æruginosa, cerulea, & porracea, à quibus omnibus, cum succi excrementitij penitus sint, tumores, ac morbi biliosi, de quibus præsens sermo institutus est, procreantur, diuersi tamen ij pro iam dictorum humorum diuersitate. Nosti enim, inquit Galenus huius humoris diuersitatem edocens, quod in vesica iecoris (in qua bilis recipitur excrementitia) interdum pallidam, interdum flauam in sectionibus animalium ipsam conspicimus. Audisti porro flauam tanto esse pallida calidiorem, quanto & crassiorem. Nam seroso recremento flauæ bili commisto, pallidam constitui contigit: sicut & flauam plusculum calfactam consistentia reddi crassam, colore autem flauam, quam etiam vitellinam vocant. Quin & in animalibus apparet flaua quidem ijs, quæ magis sunt calida: quæ verò minus, pallida: & vbi calida animalia aut fame, aut siti, aut labore, nimiave defatigatione torquentur, ad atrum colorem vergit, interim illum habens æruginosum, interim ceruleū, interim isatidis, qui quidem magis est colore brassicæ fuscus, tuncque porracea, seu prassina bilis vocatur. Alibi etiam idem Galenus scribit, quod bilem crassam summopere flauam, quæ sæpe vomitu, & aluo deijcitur, nonnulli à vitellorum ouorum similitudine vitellinam vocant: quæ quidem crassior euadit, aut ob intensum calorem, aut, vt alibi docet, propter crassæ pituitæ cum flaua bile permistionem. Quæ verò minus flaua est, & quæ magis propriè pallida nominatur, pituitosum succum tenuem, aut aquosum aliquod excrementum per se totam mistū habet. Sunt enim bilis nomina, vt idem habet, à quibusdam Medicis inuenta, & à coloribus, quibus ea imbuta est, deriuata. Et ita etiam rubram bilem vocant, quæ serum sanguinis est. Vitellina autem fit flaua bile crassescente. Flaua autem bilis proximè ad pallidam accedit, estque ex eodem fere genere. Porracea verò fit à calore præter naturam, & multò magis æruginosa. Quod quidem de ea porracea bile intelligendum est, quæ in iecore giguitur, & fellea vesica recipitur. Nam porracea, vt alibi docuimus, etiā in ventriculo, ex oleribus scilicet & prauis, & crudis quibusdam cibarijs procreatur. Ex his autem bilis generibus, seu dicamus speciebus, & alijs humoribus cum bile mistis, propriè tumorum biliosorum differentiæ eliciuntur. Quæ enim ab affecto loco, à pluribusque remotioribus causis, necnon à magnitudine, à tempore, aut alia extraria re sumuntur differentiæ, reliquis tumoribus præter naturam communes sunt. His itaque posthabitis tanquam in communi tractatu tumorum enodatis, de proprijs tantummodo tanquam ad hunc locum attinentibus breuiter agemus, cum multa quoque de illis in communi sermone dixerimus. Ex rubra itaque bile, quæ serum sanguinis est, & ex calore præter naturam fit, dum scilicet ab eo sanguis calfit, attenuatur, funditurque ac fibris priuatur, & nutritioni penitus ineptus redditur, ab hac inquam rubra bile creatur erysipelas exquisitum. A pallida verò bile, quæ ex flaua cum seroso humore, seu aquoso excremento permista talis euadit, similiter erysipelas exoritur, quia cum bilis calor, & acrimonia ab ichore illo, seu seroso excremento refrangatur, ea cutim nō exulcerat. Tertio à bile flaua, quæ cum rubra bile seu sero sanguinis permista sit, quia ex huius seri mixtione minus mordax euadit, quam ut cutim exulcerare ualeat, pariter exquisitum erysipelas gignitur. Quodcunq; autem erysipelas, vt testis est Galenus, ab antiquis Græcis ignis sacer appellabatur, quamuis Celsus non quidem erysipelas, sed herperem ipsum ignem sacrum vocauerit. Quarto à flaua bile, quæ cum sanguine probo, & ad nutriendum idoneo mista sit, sed in miscella prædominatur, oritur erysipelas, non tamen exquisitum, sed spurium, quod uocatur erysipelas phlegmonosum, seu inflammatorium, quemadmodum, vbi bilis prædominans cum pituita, quæ non aquosa aut ichorosa & liquida sit, sed humorosa, & viscida cum quadam consistentia, misceatur, oritur erysipelas œdematosum: sin cum crassa pituita, aut melancholia scirrhosum erysipelas, & spurium subinde procreatur. E conuerso vbi bile cum sanguine mista, sanguis prædominatur fit phlegmon erysipelatodes: Vbi neutrum vincit, vitium phlegmonis, erysipelatisque medium à Galeno vocatur. & sic de reliquis. Si verò flaua bilis non solum ab alijs tribus humoribus, verum etiam à quocunque

Margin notes: Bilis differentiæ. — Gal. 10. simplic. ferm. de felle. — Gal. 2. prog. com. 38. — Gal. 5. in 6. Epid. 14. — Gal. 2. prog. 38. — Gal. 5. in 6. Epid. 14. — Gal. 2. prog. com. 29. — Differentię à contentis, ua, seu efficiente causa proxima desumptæ. — Erysipelas. — Galen. lib. de purg. med. fa cult. c. vlt. — Gal. 7. simp. ferm. de coriandro. — Gal. 14. meth. c. 2.

tumque setoso excremento seiuncta sit, & omnino syncera, tunc ab ea, dum in aliquam partem decumbit, quia, vt ait Gal. eius cutim vlcerat, Herpes gignitur, quem tamen alibi idem Gal. cum erysipelate confundit, dum inquit, quod erysipelas diplicem habet differentiam, eò quia vel absque exulceratione (vt euenit in iam dictis tum exquisiti, tum nothi erysipelatis differentijs) vel vna cum hac incidat. in proprio tamen tumorum tractatu statuit à flaua bile syncera & exulcerante Herpetem produci. Eum autem cum Erysipelate in libro de meth. medendi confundit, propter maximam inter vtrumque affectum, præsertim penes curationem, conuenientiam. Verum quoniam herpes ita Græcis dictus, quia serpit, & ob eandem causam Formica ab Auicenna vocatus, duplex est, videlicet miliaris & exedens, ideo sciendum quod dum flaua bilis syncera est, & nulli permixta humori vel ichori (saltem quoad sensum) in partem aliquam decumbit, ibidemq; consistit, si consistentia crassior fit, & acrior, totam exulcerat cutem (non tamen carnem subiectam) herpetemque producit exedentem, seu depascentem, quem ob id Hip. & Græci esthiomenon vocant, & Gal. absoluto nomine herpetem appellat. Si verò hæc fluxibilis minus acris calidaq; fuerit, & ut Galeno non absque ratione placuit, aliquid pituitæ viscidæ, sed tenuis admistum habeat, pustulas exiguas per summam cutim, id est, in sola cutis superficie (hanc enim tantum veluti deurit) milio, id est, milij seminibus similes excitat: ob quorum similitudinem latinis herpes miliaris appellatur; Græcis vero cenchria dicitur. Hæc tamen species, vt Galenus est auctor, apud Hippocratem nomen generis sortitur, cum simpliciter, & sine additione illi herpes vocetur: quamuis alibi Galen. herperis nomine herpetem exedentem intelligat. Miliaris itaque herpes non protinus vlcus facit, vt ille, qui exedens dicitur, sed admodum exiguas pustulas, & ipsæ interposito spacio, ac procedente tempore, cum scil. dirumpuntur, in vlcus abeunt. Proprium enim pituitæ est, ut dum putrescit, ac feruet, paruas ampullas excitet, quemadmodum Galen. in sermone pituitosæ febris declarauit. Postremo ex bile ipsa excrementitia, quæ per adustionem, & intensiorem calorem præter naturam iam euasit, aut alium prauum, ac virulentum humorem permistum habet, siue sit porracea, siue vitellina, siue æruginosa, siue cœrulea, siue alio quocunque modo exusta, pro ratione tenuitatis, & crassitiei substantiæ ipsius, & maioris, vel minoris acredinis mordacitatisque, fiunt vel herpes exedens, de quo supra, sed ferocior, vel Phagedænæ, quæ vnà cum cute subiectam quoque carnem altius erodunt, aut exulcerati cancri, aut alia eiusmodi erodentia, & cacoethe, id est maligna vlcera, uti sunt Chironia, atque Thelephia, quæ pustulæ corrosiuæ (licet potius vlcera dicenda sint) à Recentioribus chirurgis vocitantur. Vnde tenuissimus est in huiusmodi humoribus is, qui exulcerarum herpetem excitat; crassissimus, qui cancrum: proximum deinceps locum occupat, quod ad crassitudinem attinet, qui phagedænas creat, ut Galen. annotauit. Differentiæ uerò quæ ab effectricibus causis, & præsertim bilem mouentibus hauriuntur, ex alibi dictis patent. Cum enim biliosi tumores potius per fluxionem fiant, hæc si ab ipsa transmissione oriatur, interdum una ex parte scribebat Galen. interdum v. ex pluribus acres, & biliosæ humiditates expulsæ ad particulas, quæ imbecilliores sunt, funduntur: in biliosa enim fluxione transmissio frequentior est, eò, quia fluens humor sui acrimonia membrorum principalium, nec non aliorum, quæ robusta sunt, expultricem vim uehementius irritat. Quibus verò de causis attractio fiat, sæpius dictum est: quæ licet in erysipelate ob causam allatam rarior sit, nihilominus frictiones violentæ, insolationes, & attrahentium medicaminum admotio, uti etiam dolor affectæ partis, ipsum nonnunquam excitant. Causæ verò, quæ biliosum humorem creant, atque multiplicant, & malorum, de quibus sermo est, magis propriæ sunt, vel internæ, vel externæ statui debent, vti in sermone de febribus biliosis ostensum est. Internæ sunt; nimia præsertim iecoris, aut aliorum membrorum, quæ præcipua sunt, caliditas, & siccitas, & ipsius iecoris ac felleæ vesicæ obstructio, aut imbecillitas. Externæ sunt calida, & sicca, actioraque; necnon dulcia cibaria alimentaque, & præsertim mel, vbi, qui eo vtitur, calidi, & sicci fit temperamenti, necnon reliqua victus ratio ad calidum, & siccum vergens, & potissimum anni tempus impense calidum & siccum, vigiliæ, aliaque de quibus loco citato egimus. Vehementes autem corporis, & animi motus non solum bilem generando, uerum etiam ipsam mouendo ad erysipelata, & alia biliosa mala producenda, concurrere possunt.

Margin notes (left): Herpes exedens. — Herpes miliaris. — Aliæ biliosæ pustulæ corrosiuæ, & maligna ulcera depascentia. — Differentiæ à causis remotis. — A causis bilem generantibus.

Margin notes (right): Gal. lib. de tumor. 9. — Gal. 14. meth. 2. — Gal. 2. met. c. 2. — Gal. 14. meth. cit. — Gal. lib. de Tum. 9. & 14. met. 17. — Gal. 2. ad Glauc. 2. — Gal. 2. met. c. 2. — Gal. 2. de differ. febr. ca. 10. — Gal. 14. meth. 17. — Galen. 4. de rat. vic. com. 1.

Fallop. lib. de tum.p.n. cap. 28. Vnde Fallopius refert historiam cuiusdam nobilis mulieris, quæ quotiescunque irascebatur, semper in naso erysipelate corripiebatur, quod tamen facilè diluebatur, eò, quia materia tenuis erat. Cum autem Erysipelas, vt Galeno placuit, & eius natura nos edocet, veluti quædam species phlegmones sit, ideo Gal. exquisiti erysipelatis signa tradens (vt ab eo incipiamus) illud per collationem ad exquisitam inflammationem, seu phlegmonem cognosci voluit. Cum igitur, vt ille habet, communia amborum sint, tum tumor, qui præter naturam sit, tum verò calor: ideo dissident inter se primo, & maximè colore: quando, si is ruber sit, phlegmonem indicat; sin pallidus, flauusue vel ex pallido, flauoque colore mistus, erysipelas. Hic autem erysipelatis color, qui aspectu rubidus, sed flauescens apparet, digitorum pressu facile subterfugit, rursusque illabitur. Scribebat enim alibi quod apposito digito supra erysipelas leuiter fricando, statim color ille pallidus, aut flauus in rubedinem declinans delitescit (leuiter autem fricandum, non autem comprimendum, quia etiam in phlegmone ex compressione digiti sanguis delitescit) Cum enim in erysipelate humor sit tenuis, ex compressione alioquin leui facile delitescit, & statim etiam recurrit. Præterea pulsatio magnæ phlegmones proprium est symptoma, quippe quæ altè magis in corpus demittitur: Erysipelas verò in cute potius consistit, quàm altè descendit. Tenuis namq; substantia est pallidæ bilis humor: Itaque facile ad ipsam cutim transfluit, carnosis, rarisque corporibus transmissis. Cutis verò densitas non æquè est huic bili peruia, nisi admodum tenuis, aquosaque sit; qualis maximè est ea, quæ quotidie cum sudore exit. Hac itaque de causa in erysipelate tumor exiguus est, tantum cutis superficiem occupans, vt vix sub aspectum cadat, ob idque Gal. affectum hunc solius cutis esse scribit; Contra in phlegmone, quia tum cutim, tum carnem occupat, tumor insignis apparet. Quod si nonnunquam in erysipelate pars in tumorem insignem effertur, illud non exquisitum, sed nothum erysipelas censeri debet. Cognoscimus autem certius tumorem solam cutim occupare, si imposita manu super erysipelas, ex digitorum applicatione, humoris subiecti exundationem percipimus. Cum itaque tumor solam cutim occupet, mirum non est, si pulsatio vel nulla, vel admodum leuis, & indolorosa percipitur, eò, quia in erysipelate partes obsessæ non sunt ita compressæ, & coarctatæ, quia morbus cutaneus est. inflammatio verò maiora occupat, & ob id maiores fiunt motus, in eaq; humor magis aggregatur, & incuneatur: vnde arteriæ magis comprimuntur, maiorque reluctatio fit, & validiores pulsationes emergunt. Adhæc in erysipelate vehemens percipitur calor, qui licet commune signum omnium calidorum tumorum existat, nihilominus in erysipelate intensior est, & adeo exurens, vt cutis quoquo pacto comburatur, & vesiculæ in ea excitentur. bilis enim sanguine calidior est. Hac quoque de causa febres, quæ malum hoc comitantur, vehementiores fiunt, quam in phlegmone, & tertianæ febris motum sequuntur, sicuti etiam ipsum erysipelas hunc eundem motum, & circuitum habet, quia vtriusque affectus materia est biliosus humor, qui tertianam obtinet periodum. Calor verò febrilis acer, & mordax percipitur, sicuti ille, qui in phlegmone nobis tangentibus sese offert, mitior, & halituosus magis existit, & absque tertiana, aut alia periodo, vniformiter, & synochæ febris in modum incedit. Quum autem erysipelas incipit, & biliosa fluxio excutitur, horror quidam, ac deinde febris hominem adoritur: ac sæpe cum in crura irruit, ab inguinis tumore initium ducit. Insuper sicuti in phlegmone dolor pulsans tensiuus, & vehemens est; ita in erysipelate dolor adest mordens, & pungens exurensq; propter bilis calorem, & acrimoniam, non tamen vehemens, quia nulla reperitur tensio, neq; compressio, sed dolor ab vnica calida intemperie ortum ducit. Vnde cum a bile nulla tensio in parte affecta promoueatur, si tangatur digitis erysipelas, cedit tactui, phlegmone verò digitorum compressioni renititur. Demum phlegmone in vno determinato ac circumscripto figitur loco; Erysipelas v. nulla collectione circumscribitur, sed serpit herpetum more, atque priori derelicta sede in vicinas partes sensim obrepit. Verum ex febre, & dolore erysipelas comitante, quidam recentiores, quamuis Galenum viderint dicentem, amaram quidem bilem, cum in toto corpore redundat, regium vocatum morbum: cum vnam quampiam particulam obsidet, erysipelata, & vlcera serpentia comitari; nihilominus arguunt eliciuntq; erysipelas solum à bile alimentali, nunquam autem ab excrementitia proficisci. Nam iste rus, aiunt isti, quippe qui ab excrementitia bile absq; vlla contradictione creatur, plerunque

Marginal notes (left): *Gal. 14. met. 1. & 2. ad Glauc. 2.* — *Gal. 2. ad Gal. 2.* — *Gal. 14. meth. 1.* — *Gal. 2. ad Glauc. 2.* — *Gal. 4. de rat. vict.* — *Gal. 3. de sympt. caus. cap. 2. ante medium.*

Marginal notes (right): Signa erysipelatis. — Color pallidus, seu flauus. — Pulsatio leuis vel nulla, & tumor exiguus. — Caliditas exurens. — Febris intensa. — Dolor mordēs, & pungens, & alia signa.

plerunque fit sine febre; erysipelas verò semper cum febre: icterus non dolet, & habet colorem flauum; erysipelas dolet, & habet colorem rubrum, sed clarum: Sed isti maximè aberrant. nam primò falsum est, erysipelas semper rubrum, sed clarum colorem habere: quia Galen. in suis verbis superius allatis inquit colorem rubrum phlegmonem indicare; pallidum flauumve, aut ex pallido, flauoque colore mistum, erysipelas. Secundò licet nonnunquam erysipelas à rubra bile fiat; ea tamen rubra bilis non est alimentalis, sed omnino præter naturam, & ad alendum penitus inutilis, quia, vt ait Galen. serum sanguinis est. Tertiò non est mirandum sub ictero neque febrem, neque dolorem excitari, quia in eo (dum præsertim non per crisim, & biliosa ex febre, sed ex felleæ vesicæ obstructione ortum ducit) bilis non putrescit, neque syncera, aut alijs succis mista, sed prædominans in vnum colligitur locum; sed ad minimas partes redacta, vnà cum tota humorum, & ichorum, seu serositatum massa, & aggregato, & subinde in relatione ad tantam alimentalium humorum, & ichorum portionem minima portione commista, & penes mordacitatem omnino refracta, per vniuersum corpus diffunditur, nullumque potest ob id inferre dolorem. Quod autem vnà cum tota succorum massa fit permista, nedum totius corporis color flauus, sed vrinæ quoque croceæ, & biliosissimæ nobis declarant. In erysipelate verò biliosus humor, vel ab alijs succis alimentalibus secretus, vel eis mistus, sed prædominans, & copiosior, vel crassior, vt ait Galen. vniuersus ad cutem, & ad vnum locum compellitur. Demum si isti ex dolore, & febre, arguunt erysipelas non posse fieri à bile excrementitia, quid dicent de Herpete, quem Galenus cum erysipelate confundit, & licet à bile excrementitia proficiscatur, ex omnium consensu tamen dolorem infert? Quod si herpes febre careat, id fit, quia sub eo bilis non putrescit, neque affatim, sed paulatim ad affectam partem protruditur: In Erysipelate verò bilis per viam cuiusdam crisis, vt nobis horror febrem antecedens testatur, à natura uniuersa affatim ad partes cutaneas protruditur, & exagitatur, & subinde putredinem contrahit, & febrem accersit. At verò ex ipso loci affecti colore facilè cognoscimus, an erysipelas, dum exquisitum est, vel à sero sanguinis, vel à pallida bile, vel à bile cum sanguinis sero mista producatur. Dum enim fit à rubra bile, & sero sanguinis, color ruber, sed ad cirrinum vergens apparet; sin à pallida bile pallidus; si à bile cum sanguinis ichore mista, color ex rubro, & flauo mistus conspicitur. & alia signa modo bilis, modo sanguinis redundantis in corpore adsunt, & maior calor, & dolor percipitur, dum malum fit à flaua bile cum sanguinis sero commixta; minor si ab alia materia oriatur. Nothum autem erysipelas ex ipsius signis cum indicijs phlegmonis, aut alterius tumoris permixtis dignoscitur. Quibus autem signis herpes, & ipsius differentiæ dignoscantur, ex earum, tum in communi sermone, tum in hoc capite, descriptione planum est. Nam miliaris herpes in summa cuti exiguas pustulas miljo similes habet, & sæpe prioribus sanescentibus nouæ pustulæ serpendo oriuntur: & cum eæ rumpuntur, quoddam medium inter saniem, & pus effluit: & affectus locus colorem ex rubido, & pallido mistum habet. Exedens autem herpes serpentia, eaque parua vlcera præ se fert, & foramina multa, quæ tamen ultra cutim non progrediuntur. Sunt autem ad erysipelata obnoxij potissimum iuuenes, & qui venas latiores, ac iecur calidum habent. Inter corporis autem partes & membra frequentissimè, & fere semper hoc malo corripiuntur caput, & crura: Sed frequentius adhuc ipsum caput, eò, quia bilis sui natura facilimè in sublime attollitur. Vt plurimum autem faciem corripit, incipitq; maximè in ea nasi parte, quæ vulgo lepus appellatur, moxq; in faciem totam expandirur propter ipsius raritatem. Post faciem verò crura, pedesq; facilius præhendit, quia hæ partes iecori bilis promptuario, & glãdulis, quæ ipsum expurgant, contiguæ, & vicinæ sunt: & quia bilis sui acrimonia partium expultricem vim valde irritans, merito propriæ tenuitatis, ad imbecillimas, à cordeq; remotissimas partes, qualia crura sunt, facilè propellitur, præsertim cum viæ, & sæpius venæ varicosæ in ipsis existentes, patentes, expeditissimeq; sint. Cum autem erysipelas non modo à bile, sed etiam tenuissima, & ea quidem feruescente putrescenteq; producatur, necesse est ut inter morbos, qui exactè acuti sunt, & quatuordecim diebus iudicantur, enumeretur, dummodo spurium non sit, & ab humore frigidiori vnà cum bile misto non producatur. Sed breuissimo tempore perdurat (si rectè tractetur) vbi exquisitum est, & à sero sanguinis generatur. Sicuti autem vitium hoc, cum sit externum, dum crura affligit, sui na-

Gal. 14. meth. 1.

Gal. 5. in 6. Epid. 14.

Gal. 14. meth. 1.

Signa differentiarū.

Herpetis signa.

Prognostica.

tura vt plurimum periculo vacat; ita, dum caput, faciemque corripit, periculosum est, propter illarum partium laxitatem, earumque cum cerebro communionem, & propinquitatem, ac sensum exquisitum, & demum propter earum ad bilem suscipiendam promptitudinem. Vnde his de causis sæpius vidimus caput hoc malo correptum ad maximam, & monstrosam magnitudinem venisse, & ægrotantes tandem obijsse. Nam circa caput sæua, & vehementia symptomata subsequuntur. Minus verò periclitantur, dum malum à sero sanguinis fit, magis si à pallida bile,

Gal. 3. in 3. Epid. com. 9 adhuc magis si à bile cum sero sanguinis permista fiat. Scribit enim Galenus ignem sacrum non semper oriri à biliosa fluxione praua, ac putri, sed etiam à miti desluxione, quæ pallidam bilem, quæ naturaliter in nobis gignitur, contineat, quæ quidem solet sacrum ignem excitare, nullum tamen damnum afferre, si rectè tractetur. Ex qua Galeni auctoritate patet erysipelas etiam ab excrementitia bile posse produci: & insuper iisdem verbis nos docet, quod vbi malè curetur, possunt propter Medicorum errorem, ægrotantes perire. Pereunt autem potissimum, vbi ab imperitis Medicis erysipelas nimium refrigeratur, aut valde repercutientibus astringitur, ac cohibetur, & foras digeri prohibetur, & intrò recurrit, & aliquam principem partem, præsertimque cerebrum adoritur, vt exinde phrenitis, aut angina suboriatur. Quòd etiam ex nimia ambientis & hyemis præsertim frigiditate contingere solet. hæc enim refrigerando, & cutis meatus coarctando

Hip. 6. aph. 25. facit malum intus remeare. Qua de causa Hippoc. scriptum reliquit, quod erysipelas ab exterioribus uerti ad interiora non est bonum; ab interioribus autem ad

Gal. in com. exteriora bonum. Non solum enim erysipelas, ait Galen. sed aliud quodcunque, quod ex profundis, & principalioribus partibus transfertur ad cutem, bonum esse signum, ac causam debemus existimare: Contrà verò si ad interiora, & profunda transmutetur, malum, tum per viam causæ, quia bilis, & prauus humor nobiliores partes petit, tum per viam signi, quia has imbecilliores esse significat. Si autem malum crura occupet, ex immodica refrigeratione, & repercussione

Hip. 7. aph. 19. tantum periculum non imminet. Scribebat autem Hippoc. quod si in ossibus denudatis, erysipelas in partibus circumstantibus superueniat, malum est. Et idem

Aphor. 20. ait, quod si ab erysipelate putredo, aut suppuratio suboriatur, malum est, quia,

Gal. in com. vt ait Galen. malignis erysipelatis hæc superueniunt. Quod si nigredo quædam, aut pustulæ, aut mentis alienatio superueniant, nulla remanet salutis spes, vt idem

Hip. 6. Epid. Hippoc. alibi testatum reliquit. hæc enim pestiferum erysipelas esse significant. Demum in erysipelate quędam nonnunquam contingunt accidentia, quæ magnitudine morbi causam exsuperant, & ob id curandi rationem, & ordinem interpellant, euariantque, vt etiam de phlegmone superius diximus. Periculosissimum autem esse erysipelas, quod vulneribus, vlceribusve succedit, ex dictis patet. Quod si fracturis, aut luxationibus superueniat, semper lethale est. Similiter eum erysipelas nimium ab imperitis Medicis refrigeratur, timorem affert.

Exquisitum autem erysipelas sicuti rarò admodum suppuratione, ita frequentissimè insensibili transspiratione, seu resolutione terminatur: Nothum autem tum hac, tum etiam suppuratione haud rarò finitur.

Quemadmodum verò erysipelas morbus est præceps, & qui breui soluitur; ita herpes morbus diuturnus est, & non nisi tempore sanescit: Herpes tamen miliaris dictus velocioris motus, ac resolutionis existit, quàm is, qui exedens est. Vterque verò, vt testatur Celsus, minimum habet periculi, etiamsi inter morbos, qui serpunt, difficilioris sit curationis. Cum enim bile intensè calida herpes oriatur; hæc autem à iecore impensè calido tàlis fiat, sæpe iecoris caliditas nimia curationis difficultatem exhibet.

***

De

De tumorum bilioforum indicationibus, & curatione. *Cap. XVI.*

AT verò de eryfipelatis curatiuis indicationibus, ac fcopis loquens Diu. Galenus, à fimplici, feu exquifito eryfipelate, vti decebat, exorfus fcribebat, quod omnibus, qui fic præter naturam confiftunt, tumoribus communis indicatio vacuatio eft. Si quis enim eos vacuet, naturalem habitum membrum recipiet. Hanc autem vacuationem tum repellentibus, tum digerentibus fieri, ex alibi dictis patet. Verum quoniam eryfipelas non quantitate modo affligit, fed etiam qualitate ipfa, ex vehementi fcil. inflammatione, cruciat, ampliorem refrigerationem, quam phlegmone, requirit. Vnde in phlegmone vacuationis indicatio refrigerationis indicationem vincit, in eryfipelate refrigerationis indicatio magis vrget, quam euacuationis. Quamquam vtriufque affectus curandi commune caput eft infeftantis humoris vacuatio. Eryfipelas itaque quia vehementi inflammatione cruciat, ampliorem refrigerationem, quàm phlegmone requirit. Verum periculofa toti corpori eft eiufmodi curatio, quia bilis interim ad aliquod princeps membrum fertur: quippe cum fi vel fanguis ipfe abundet, tutum non fit ex minoris notæ membris fluxionem eius repellere. Tanquam igitur in phlegmone poft totius corporis vacuationem repellentibus vfi fumus, ita nunc quoque faciemus; fed pro fanguinis miffione, medicamento, quod bilem trahat, purgantes: ipfam verò particulam refrigerantes. Efto autem refrigerationis terminus ipfa coloris mutatio. Quod enim purum eryfipelas eft, ftatim cum hoc quiefcit: quod autem non purum eft, fed iam quodammodo phlegmonodes, fi plufculum refrigeres, liuidam cutim præfert. Sin ne fic quidem quis defiftat, nigricat, potiffimum in fenili corpore, fic, vt quædam ita refrigeratorum ne digerentibus quidem medicamentis ad perfectionem fanentur, fed fcirrhofus quidam tumor in particula relinquatur. Ergo fatius eft, vbi partis alteratum colorem videris, à refrigerantibus, aftringentibufq; ad contraria tranfire, priufquam vel liuida, vel nigra prorfus fiat. Eryfipelatis verò cum inflammatione iunctis, mifta, quantum fieri poteft, curatio eft adhibenda, femperq; illi, quod magis fuperat, refiftendum. De præfidiorum autem materiis agens Gal. quia apertiffimè de exquifito ac puro eryfipelate loquebatur, quod quidem non à fanguine, fed à puro biliofo humore producitur, de venæ fectione ne verbum quidem facit. Neque enim ait ipfe ex vena in talibus fanguinem mittere neceffe eft; fed ventrem tantummodo expurgare fufficit. dandum autem medicamen, quod bilem flauam educit. Si verò paffio parua fuerit; neque hoc facere eft neceffarium, fed fufficit clyftere acri vti. Cum enim id quod peccat, & morbum fouet, non fit plenitudo, venæ autem fectio à plenitudine, & peccante fanguine indicetur, maximo iure in methodo medendi venæ fectionis non meminit, ficuti neq; hirudinum, neq; cucurbitularum vllum verbum fecit. Cum autem id, quod peccat, & morbum fouet, fit cacochymia, & bilis ipfa, ab hac autem non fanguinis miffio, fed purgatio indicetur, & non cuiufuis vitiofi fucci, fed bilis ipfius expurgatio requiratur, medicamentum, quod bilem educat, affert. Nullum enim remedium, vt alibi docet, facro igni (eryfipelas Græci dicunt) efficacius adhibetur, quam pharmacum bilem expurgans; ficuti nullum magis aduerfum, quam pituitam educens. Verum quoniam medicamentum purgans eft validum auxilium, ficuti etiam venæ fectio eft, & auxilium validum non nifi à morbi magnitudine indicatur, idcirco fubiungit, quod fi paffio parua fuerit, ipfum quin etiã pharmacum bilem expurgans non eft neceffarium, quia tunc acri clyftere tanquã à paruo morbo indicato, uti fat eft. Eft autem exigua paffio, vbi non modo eryfipelas exquifitum eft, & præfertim à fero fanguinis fit, verum etiam crura, & ignobilem partem occupat. Quod fi fortè fortuna contingat, ut dum malum eft in capite, retrocedat, & intus recurrens cerebrum, vel eius membranas, aut gutturadoriatur, quod ex intẽfis dolore, ac vigilijs, fpirandiq; difficultate fuperueniẽtibus depræhenditur, tunc, ẽt fi eryfipelas purum fit, quia materia magis urget, quã fi effet furiofa, nedũ purgante bilẽ pharmaco, verum ẽt fectione venę, in qua ramẽ

Gal. 14. meth. c. 3. — Gal. 13. meth. 8. — Gal. 14. meth. 3. — Curatio. — Gal. 2. ad Galuc. 2. — Chirurgia. — Gal. loc. cit. & 14. meth. 3. — Gal. lib. de purg. facul. cap. vlt.

paucus sanguis,& solum reuulsionis gratia educatur,occurrere optimum est.Quin imo dum erysipelas in capite retrocedit, & febris, aliaq; symptomata inualescunt, post venæ sectionem maximè expedit & cucurbitulas scatificatas in scapularũ summitate affigere, & præsertim uenam frontis aperire. Malo autem non retrocedente,& exquisito existente,propter causas,quas in curatione tertianæ febris exquisitæ attulimus, ne scilicet sanguine tanquam bilis fræno exhausto, bilis magis ebulliat, & vires labefactentur,à venæ sectione abstinere. Si verò erysipelas nothum sit,& vel œdematosum vel scirrhosum existat, potius purgantibus,quæ tum bilem,tum pituitam, vel melancholiam educant, quam venę sectione utendum. Si verò sit phlegmonosum,quod ut plurimum in erysipelate in capite facto contingere solet, & faciem, uel caput occuper, optimum est ab imposito clystere,si opus sit,quã primum perfectam cephalicam eiusdem lateris sanguinem mittere, dummodo vires ætasque consentiant,ad quas respiciendo, etiam educendi sanguinis copiam adinuenire licebit. Et dum malum non mitescit, à venæ sectione, & cucurbitulis affixis & alijs reuulsorijs præsidijs utendum. Dum autem venam secare propter vires, vel ætatem non licet, uel hæmorrhoides hirudinibus aperiendæ, vel scatificatæ cucurbitulæ scapulis admouendæ. Quantum spectat ad medicamenta, quæ totius euacuationem, & refrigerationem respiciunt, ubi affectus magnus sit, omnes una cum Hal.consulunt,vt purgante per aluum pharmaco, præsertim si caput obsideat, vtamur. Sed dum febris vehemens est,purgantia calidiora,qualia sunt diagridium, & reliqua,quæ scammonium recipiunt,uitanda sunt, & leuiora eaque potius refrigerantia sunt eligenda. Inter quæ summopere probatur flos cassiæ ad vnc.j. vnà cum drach.v.pulpæ electæ thamarind.(præsertim si malum caput occupet,quia thamarindi sua adstrictione materierum ascensum ad caput prohibent) in bolo exhibita: Vel ℞. diacatholiconis, flor.cass. nouiter extractæ ana drach.vj. cum saccaro fiant boli, uel cum decoctione boraginis,& endiuiæ fiat potio breuis, quæ per tres horas ante cibum poterit exhiberi. Quod si velimus ualentius purgans efficere, drach.j. rhabarbari electi vino odorifero irrorati in prædicta decoctione prius infundere licebit, aut si bolos malint, idem Rheubarbarum puluerizatum cum alijs poterit permisceri. Si verò febris non adeo intensa sit, & corpus robustum existat, ijs, quæ proposita sunt drach.ij. vel elect. rosati Mesues uel de succo rosarum, vnius scilicet vel alterius, addere optimum erit, quia hæc scammoniata sunt illa, quibus Gal.ipse utebatur,tanquam ijs,quæ bilem ipsam ualidè reuellendo per sedẽ euacuant, & calidos succos educendo ex accidenti corpus ipsum refrigerant. Validum autem purgans,sed minus calidum,& magis tutum erit hoc: ℞.decoctionis drach.iiij.pulpæ thamarind. cum additione florum violarum, & borraginis quant. suff.rheubarbari electi scrop.iiij. fiat infusio per diem artificialem vel per noctem, & facta expressione,& colatura,adde syrup rosat.solut.vnc.iij.diacatholicon.drac. iij.vel iiij.misce & fiat potio breuis. Si verò quia affectus, & passio parua sit, clyster,& ille acris,fit magis congruens, ℞.folior. mercurial.betæ, caulium ana quan. suff.semin.carthami, fol.centaur.minoris, flor.viol.ana vnc.j.aq.q.suff.misce, & f. decoctio sec.art. deinde ℞.prædict. decoct.libr.j. vel.j.s.hier. simpl. cassiæ extractæ ana vnc.j.mell.rof.colat.vnc.iiij.salis comm.cochlear.j.olei viol.vnc.iij. misce pro clystere. Post totius corporis euacuationem, expurgationemque, maximè probantur refrigerantia per os singulo mane per quatuor horas ante prandium exhibita. Sunt autem illa, quæ in phlegmonis quoque curatione proposita sunt,ita tamen, ut potius decocta, quam syrupi, quia dulcia in bilem facile uertuntur, exhibeantur, uel unà cum cichoraceis, & alijs refrigerantibus decoctis, pauca syruporum portio misceatur, & syrupi capitales, ubi malum caput affligit, qualis potissimum est rosatus recens, & uiolatus, eligantur. Maximè quoque probatur serum lactis caprini,si ad duas libras exhibeatur. Eadem purgantia,& alterantia in notho erysipelate,sed phlegmonoso opportuna sunt. Si verò œdematosum,uel scirrhosum fuerit,cum iam propositis ea permiscenda erunt,quæ in curationibus œdematis, scirrhique proponentur. Quod attinet ad localia medicamenta, in principio frigidis ualdè uti conuenit. Sed, ne sub his contrarium morbi genus, ut scirrhus, aut gangræna, uel quid simile introducatur, refrigerationis terminus sit, ut superius ex Gal.auctoritate diximus, quando feruor iam desiit. Hunc verò abiisse cognoscimus, quando laborans partem affectam aliquatenus temperatam percipit, calorque partis pene totus remotus, & extinctus est, & tertiò, quando color erysipelatis in liuidum,vel nigrum mutatur. Insuper refrigerantia hæc adstrictione carere

[Margin notes: Medicamẽta communia. — Alterantia. — Topica. — Repellẽtia. — Gal.14.meth.13.]

carere

rere debent: quia cum in hoc vitio vapores sint acres, si cohibeantur, ut Galen. nos admonet, periculum est, ne partem corrumpant. Porrò refrigerantium materia, si de succis decoctionibusque loqui uelimus, ex Galeni traditis sunt solanum, & sem peruiuum, & portulaca, & vmbilicus veneris & psyllium, & altercum, & lactuca, & intybum, & cucurbita, & polygonon, & lenticula palustris. Cotyledon uerò, umbilicus Veneris dictus, non solum erysipelata phlegmonosa; verum etiam phlegmonas erysipelatosas curat. & idem de polygono statuendum, quod etiam herpetum, & vlcerum optimum est remedium, & in inflammatis, & fluxione uexatis par tibus efficacissimum. Vtimur etiam nonnunquam succo mandragoræ, & quandoque opio, quando scilicet maximus feruor abest. Sunt etiam cerata ex aqua admodum frigida, inquit Gal. Vnde Paulus cerato vtebatur ex aqua hoc modo: Rec. olei rosae. vnc. iiij. ceræ q. suf. ad conficiendum ceratum: abluantur ambo rer & qua ter in aqua frigida, & f. cerat. quod demū coquatur in aceto: cui potest addi parum opij aut mandragoræ, si necessitas id exigat. Galenus, de diachalcite loquens, ait ipsum dissolutum cum oleo rosaceo, sine sale confecto, addendo parum succi solani, aut aceri, quod quidam pro secreto habent, maximè conferre, & ipso tanquam accommodatissimo aduersus erysipelata phlegmonodes præsertim, & adhuc longè magis ad phlegmonas erysipelatosas, in principio scilicet utebatur: & ipsi liquefacto solani succum in mortario miscebat, uel succum psyllij: æstiuo autem tempore etiam vuæ acerbæ succum cum portulacæ, uel semperuiui succo. Miscet autem vuæ acerbæ succum, in parua tamen portione, ut scilicet portulacæ succus, qui præ lentore solus non potest exprimi, ope omphacij extrahatur. Quamuis, vti diximus, alij eius adstrictionem metuentes, aceto vtantur. Optimum autem est, ubi omphacio vti uelimus, illud portulacæ, aut semperuiuo in pila committere, & sic contundere, & vbi ex ambobus mistum exactè unitum fuerit, liquorem elicere. At mandragoræ pomorum maturorum succus recens adiectus aptius medicamen efficiet: quin & hyoscyami succum miscere ei consueuimus, interim papaueris succum. Satius autem est, vnà cum hoc & glaucij quippiam superindere. His imbecillior multo est lactucæ succus, & minus adhuc refrigerat succus soteos, polygoni, trifolij, & auriculæ muris. Euidentius refrigerat lenticula palustris. Horum omnium penuria miscebis cum diachalcite, quod diapalma, & phœnicinum etiam vocant, acetum, & aquam. Debet autem pharmacum refrigerari vase, quod ipsum continet, aquæ frigidæ, vel niui insistente: & ita refrigeratum erysipelati admoueri, donec vehemens eius ardor subsidat. Liquet autem subinde ea, quæ aduentitia qualitate frigida erysipelatosis affectibus succurrunt, immutanda esse, præsertim vbi purum erysipelas citra phlegmonem fuerit. Animaduertendum autem, quod licet possimus, necessitate vrgente, narcoticis uti; hæc tamen, quantum fieri potest, euitanda sunt, quia nonnunquam partis calorem innatum extinguunt, ipsamque corrumpunt. Vnctuosa quoque & quia partis meatus infarciunt, obstruuntque vt ob id halitus egredi non possint, & quia oleum facilè inflammatur, suspecta sunt. Dum autem propositorum pharmacorum succis utimur, spongia ipsis imbuta frigida parti affectæ admoueri, & vt semper actu frigida conseruetur, subinde, sæpeq; innouari debet. At uerò modum, quo ceratum refrigerans componitur, his uerbis Gal. docet: Ceram, quantum fieri potest, purissimam oleo liquantes humidum facere ceratum oportet: deinde refrigeratum, ac derasum, sordibusque purgatum, in mortario subigere manibus, aquam affundendo frigidam, quantum nimirum ceratum accipere valet, ac nondum aqua circumfluat. id enim refrigerat, & eos, qui in febre vruntur, si hypochondrijs superponatur, & omnem phlegmonem, similiter herpetes quoque, & carbunculos, tum erysipelata, & phygetla, ac breuiter omnes morbos calidos. Sic si acetum simplici adamussim cerato admisceas, cerato ipso longè frigidius medicamen effeceris: eritque tibi id remedium vel optimum ad erysipelata, phlegmonas, herpetes, atque carbunculos. Quod autem vnctuosa, & oleosa erysipelatis noxia sint, apertè tradit Gal. Nam oleum in exquisitis erysipelatis, ait ille, quippe quæ biliosæ sunt fluxiones, calorem adauget, etiamsi applicetur vel frigidissimum: nam lædere omnes, quæ ex pura bile sunt, fluxiones vel maximè est natum: at quæ ex sanguine illi permisto constant (phlegmonosas vocant) has quidem minus, non tamen vulgariter. Porrò istis etiam minus, sed tamen perspicuo affligit inflammationes etiamnum feruentes. Ex quibus conijcimus, oleum tandem calorem parem eis, quibus applicatur, accendere. Oleosis igitur medicaminibus posthabitus, perseuerante erysipelatis feruore, medicamētis

iam

Marginal notes: Gal. 1. de cō-po. per gen. c. — Gal. 14. me-th. 3. — Gal. 7. sim. & 8. — Gal. 1. de cō-pō. per gene. c. 4. statim post mediū. — Cerati refrigerantis cō-positio. — Gal. 1. simp. med. c. 6. — Cap. 31. — Gal. 2. simp. c. 21.

iam propositis, ac succis actu frigidis, ijsque sæpe innouatis, vt ferè semper actu frigida auxilia hæc conseruentur, curationem peragemus. Posteaquam verò acris illa inflammatio quieuerit, seruorque delituerit, aut nec perfectum plane erysipelas afflixerit, sed vel erysipelatodes phlegmone, vel phlegmonodes erysipelas non adhuc externum frigus admoliemur; verum à succis impensè frigidis etiam abstinebimus, eo phœnicino liquefacto miscentes, qui mediocriter refrigerat. Atque ab his iam & lini seminis, & chamęmeli succum miscebimus, ex eoq; solo postea medicamine liquato vtemur, nihil aliud præterea immittentes. At si quando liuidum ex frigofacientium vi erysipelas euaserit, non tale amplius erysipelas appellandum est, sed tunc abstinere non à vini mistura modo, sed rosacei quoque, & adstringentium oleorum oportet. Nam solum phœnicinum veteri oleo liquefactum, quod liuorem contraxit, per halitum discutere potest: & tunc affectæ partes aqua calida fouentur, & scarificantur. Vobis si fuerit visum hoc interdum facere, protinus phœnicini liquefacti humidum medicamen, cui vinum adiectum sit, imponere conuenit, altero die vinum auferendum. Quod si iam plus impendio erysipelas refrigeratum ab immodicè refrigerantibus Medicis acceperimus, vt iam quoque nigricet, perfusione, & scarificatione magis vtemur, atque citra hæc calcis viuæ quippiam liquido pharmaco immittémus. Si verò laborantes teneri sunt, lotam ipsam vsurpabimus. Tunc prodest etiam succus coriandri pharmaco inditus, qui sanè & cum cerato rosaceo iuuat non mediocriter. Verum vbi inflammatio ægrotantis membri iam desijt, liuor tamen adhuc non superuenerit, consulit idem Gal. vt cataplasma illi prius, quàm liueat, ex hordei farina imponatur. Hordeum verò præsertim tostum probatur, ex cuius farina cum simplici aqua absque decoctione mista puls fit, & hoc medicamento toto tota pars cooperienda. Alij hoc tanquam valde proficuo vtuntur. Recipe olei rosf. completi, chamæmelini ana vnc. ij. lithargyrij argentei drach. ij. succorum menthæ, rutæ ana vnc. sem. fiat decoctio vsque ad consumptionem succorum, cauendo ne medicamentum solidum euadat, deinde adde sulphuris viui puluerizati scrop. ij. misce, & pars affecta hoc illinatur. ita loco huius solo phœnicino, aut oleo rosaceo, aut chamęmelino dissoluto vti possumus. Sed præstantissimum quoque est emplastrum, quod Recipit altheæ nouellæ foliorum libr. j. coquantur in hydręlæo, & cocta probè terantur, & his adde rosacei vnc. iiij. argenti spumæ, cerussæ ana vnc. ij. s. iterum læuigentur cũ succo coriandri, aut semperuiui, aut solani, deinde adde micæ panis, quant. suff. vt medicamen emplastri formam accipiat, & parti illinatur. Galenus alibi brassicam probat esculentam, inquiens ipsam maligna vlcera sanare, & insuper phlegmonas iam induratas, ac ægrè solubiles, ac id genus quoque erysipelata, necnon epinyctidas, herpetesque curare. Vbi autem liuor iam occuparit, ait idem, cataplasma ex hordei farina incisa cute superponendum est, perfundendusque locus plurimum quidem ex aqua calida, sed & marina aqua, & muria. Quinetiam cataplasmati iam dicto eiusmodi aqua vel acetum, vel oxalme misceatur. Hoc etiam tempore coriandrum cum polenta quidam esse salubre erysipelatum medicamentum scripserunt. Alij rosaceum ceratum, cui immistum sit calcis aliquid, prodesse aiunt, & id genus alia, quæ valenter excalfaciant. Quorum nullum est erysipelatis medela, antequam scilicet mutatum desinat esse id, quod ab initio fuerat, & alterum iam, illique contrarium euaserit. Quomodo enim quæso, non sit contrarius calido affectui frigidus: aut ei, qui flauo, aut pallido colore est, is, qui liuidus, aut niger est? Neque enim erysipelas etiam vocari debet, posteaquam inflammatio eius, ac feruor, ac biliosum illud abierint: neque quæ has affectiones sanant, frigida esse facultate putandum est: sed velut si vel in initio aut percussis, aut alia de causa quauis tumor in parte quapiam aut liuidus, aut niger extiterit, eumq; esse frigidum affectum existimabis, & quæ digerant, excalfaciantque poscere: ad eundem opinor modum, si calida affectio in frigidam reciderit, negligenda quidem prior est, sed secunda alio appellanda nomine: aut, sicut quidam scribunt, alia principij, alia declinationis remedia esse, opinandum non est, frigida esse declinationis remedia. Hoc igitur modo Galenus erysipelata per fluxionem sine manifesta occasione facta, curanda esse voluit. Quæ verò ex vlceribus fiunt erysipelata, subdit ille, & quæcunque adeo manifestas crustas habent: si statim volueris cataplasma apponere exq; farina hordeac. & præsertim si antea scarificaueris, nihil nocebis. Si verò erysipelas, quacunque de causa ortum sit, exulceratum fuerit, vel phœnicinum cum oleo rosato dilutum, vel vnguentum de tutia officinarum admouendum est. In erysipelate verò oedematoso,

Galen. 1. de comp. medic. per gen. c. 4. post med.

Resoluentia.

Gal. 14. metho. 3.

Gal. 7. simp. fcr. prop.

Gal. 14. metho. 3.

Gal. 7. simp. fcm. de Coriandro.

Galen. 2. ad Glauc 2.

matoso,

matoso, aut scirroso, quod sæpe ex refrigerato, ægreque resolubili reddito erysipelate oritur, curatio, velut in omnib. compositis, administrabitur; ac potissimum quidem contra exsuperans pugnabitur, non prætermissa tamen nec ea, quæ ex admisso præstatur, faciendorum indicatione.

Herpetum curatio. Cōmunia auxilia.

Herpetas autem, vt Galenus testatur, quantum ad totius corporis euacuationem, purgationemque attinet, vt erysipelata curare oportet. Nam serpens vlcus, herpes dictus, eiusdem est generis cum erysipelate, & præsertim cum eo, quod exulceratum est, & ab eodem bilioso succo prouenit. Vnde Galenus in illustri illa muliere vnà cum sero lactis elanculum minimum scammoniæ permiscuit, & herpetem, qui solis localibus curari non potuit, statim sanauit. *Gal. loco cit. & 14. meth. 17.*

Topica auxilia. Ad exedentes.

Quantum verò ad patientem particulam, non omnibus similis curatio adhibetur. Nam qui exedentes sunt, refrigerari quidem desiderant similiter alijs herpetibus, & erysipelatis; non tamen ea ferunt medicamenta, quæ præter id, quod refrigerant, etiam humectare natura apta sunt, sed sola admittunt refrigerantia, quæ etiam maximè possunt exsiccare. Non igitur vel lactucam, vel polygonum, neque lenticulam palustrem, aut lotum palustrem, vel anthilion, vel psyllion, vel portulacam, vel serin, vel semperuiuum, vel tale aliquid, quod refrigerare possit, atque humectare, apponere oportet, quæ erysipelatibus erant opportuna: neque vnquam spongiæ fidas frigida aqua perfusæ, neque solano, quamuis refrigerandi, atque vnà exsiccandi vim habet, sed mediocrem. Cum enim maiorem, quàm solano adsit, expetant siccitatem, superimponere ipsis oportet ab initio quidem ex vite capreolos, & folia rubi, & rubi canini, & arnoglossi. Post hæc verò & lens adiungenda, si oporteat, & aliquando mel, & farina hordeacea, & quod antea scripsimus ad inflammationes, quæ ex fluxione eueniunt, cataplasma, dempta ab eo semperuiua (vt scilicet cortices granatorum, & rhu, & farina hordei solum remaneant) ipsa verò loca exulcerata inunge medicamentis (hæc autē post tradentur) quæ ad herpetas in libris, qui pharmaceutriei dicuntur, scripta sunt. Multa verò huiusmodi apud omnes inueniuntur, plurimaq; ex his ad figuram paruorum circulorum formantur, & vbi vti volueris, ex passo liquefacere oportet: quod si passum non affuerit, vino tenui & albo, & subastringente, quale est Falernum, & Massilioticum, & Sabinum, & Adrianum, & Arsyinum, vtendum est. cauendum tamen, ne ob antiquitatem aliquam in gustu contraxerit acrimoniam; & si posca aquosa loco horum aliquando vsus fueris, nil deterius feceris. Iam verò in longum tempus protractis vlceribus, neque passo circuli parui, seu trochisci sunt diluendi, neque posca adhuc aquosa esse debet; sed vina, quæ sunt adstringentia, sufficienter conueniunt, præcipuè quidem nigra; & si ea non affuerint, alba. Medicamina autem in hoc tempore ipsis præcipuè sunt accommodata, & quod Polyidæ vocatur, & Pasionis, & Musæ, & Andronis, & his similia.

Ad herpetas, quæ solam epider midē exulcerant.

Herpetas verò, qui summa tantummodo exulcerant, nisi diu perdurauerint, nullo horum inungere oportet. comburunt enim fortiter, & vehementer exsiccant. Verum istis sufficiunt, quæcunque vim glaucij habent, medicamenta: diluere autem maximè quidem aqua: quod si nil profecerit, etiam acetum adiungere oportet: quod si etiā solani succo intinxeris, aut arnoglossi, plus etiam proficies. Itaque si quis toto prius corpore purgato, mox, quæ influentem humorem reprimant, digerantque, medicamentis vtatur, iam herpetem curauerit. sin neutrum horum fecerit, sed tantum ea, quæ cicatricem inducunt, adhibuerit, vtique exulceratam cuticulam ita sanauerit; proximæ tamen illi, quò minus exulceretur, non consuluerit. Postmodum verò illa quoque cicatrice inclusa, quæ ipsi continua est, exulceratur: idque longo spatio, ceu serpente malo ipso, fit, donec humor, qui id facit, sit vacuatus. Quemadmodum cuidam illustri Romanæ mulieri Galenus contigisse scribit, in qua herpes à malleolo ipso vsque ad bubones, & inguina assiduè perrexit: quia absque totius purgatione, & fluentis humoris repercussione, & digestione, solo medicamento, quod algam recipit, & postea eo, quod ex sandice componitur, vsa fuit. Quare in spontaneis vlceribus euacuabis eum, qui redundat, humorem, sed aliquando pharmaco, quod flauam bilem purget, vti in herpete iam dicto faciendum est; sæpe eo, quod nigram, vt in cancro facere oportet; modo eo, quod mistæ est facultatis, quod scilicet bilem, & pituitam simul educat (vti sunt pilulæ tum cochiæ, tum aggregatiuæ) velut in altero herpetum genere: *Gal. 14. metho. 17.*

Ad herpetas miliares.

quem à similitudine, quam habet cum milio, cenchriam Græcè appellant. Quippe is non protinus vlcus facit, vt alter, sed admodum exiguas pustulas, quæ ipsæ interposito spatio in vlcus abeunt: vt ob id, iure quibusdam visum sit in tali vitio bili esse aliquid pituitæ mistum.

mistum. Incidunt sanè nonnunquam, & citra vehemens totius corporis humorum vitium in partibus vlcera, quæ haud difficulter medicamentis, quæ repellendi, digerendique mistas facultates habent, curantur. Repellunt autem tum astringentia, tum refrigerantia: digerunt verò, quæ calefaciunt. constatque quod in generatione vlceris exsuperare debebunt repellentia; vbi non amplius fluit in partem affectam vitiosus humor, digerentia. Siquidem exiguum vitiosi humoris etiam si quis ad viscera, & magnas venas retrudat, nullum profectò, quod sensu percipiatur, malum committet. At si eius non leuis quantitas sit, in princeps aliquod membrum aliquando procumbit, vbi scilicet prius naturæ viribus totum corpus expurgantis non sit vel per deiectionem, vel vrinam, vel cutim vacuatum. Atque flauæ quidem bilis vacuatio est facilis; pituitæ verò, ac potissimum eius, quæ crassior, glutinosiorque est, itemque nigræ bilis difficilior: quo magis purgantis medicamenti ope indigent. In herpete verò quoniam tenuis humor est, qui id vitium creat, abundè est etiam aluum leuiter soluisse, vel vrinas per ea, quæ id modicè efficiunt, ciraffe. Verum quoniam in herpete curando, quantum attinet ad localia auxilia, Galenus voluit nos ijs vti medicamentis, quæ ipse in libris pharmaceuticis vocatis describit: ideo non sit abs re, quędam ex ipsis in medium afferre. Vnum itaque ex Arei monumentis hunc in modum tradidit. Pastillus ad serpentes herpetas Arei. Terræ Cimoliæ drachmas viij. misyos torridi drachmas xvj. alij vj. minij sinopici drach. iij. singula cum aqua seorsum terito, deinde simul miscens pastillos formato, quorum vsus est ex aceto. Alius ex origano. Origani, oleæ foliorum, acaciæ, chalcanthi, salis Hispani ana vnc. ij. aceto excipiuntur. Alius ex collectaneis Largi. Argenti spumæ vel cerussæ drachmas xxxviij. aluminis fissi drachmas xij. acaciæ drach. viij. croci, thuris, diphrygis, opij ana drach. ij. ex aqua terito, ac formato pastillos: vsus est ex aqua. Alius valde, generosus. Aluminis rotundi, chalcitidis, cretæ futoriæ, seu melanteriæ, vel soreos ana drac. duas, misyos, malicorij, seu corric. granat. ana drach. iiij. calcis viuæ drachm. xvj. aceti sextarium: malicorium in aceto coquitur, ac cum dissolutum fuerit, teritur cum acacia, postea cæteris adijciuntur, & vbi bene habent, fiunt pastilli, cum opus est, diluuntur aqua. Ad herpetas, & erysipelata bonus. Acaciæ drachmas viij. misyos, thuris, ana drach. iiij. opij drach. ij. cum aceto excipiuntur. Alius ad eadem. Opij, acaciæ, diphrygis, aluminis fissi ana drachmas iiij. ex aqua diluuntur, cum aceto vtitor. Ad herpetas Tyberij Cæsaris. Diphrygis, meconis, aluminis fissi, acaciæ ana vncias iij. aceto, vel aqua diluens vtitor. & hic à superiori nihil differt. In quocunque autem herpete, vt acres humores contemperentur, & vnà iecur calidum eos procreans refrigeretur, optimum est, vti Galenus nos docet, serum lactis caprini singulo mane ad libr. j. vel duas per os propinare. Qua etiam de causa tum in herpete, tum in erysipelate refrigerans, & humectans victus ratio imperanda est. Vnde si aer talis sui natura non sit, arte talis erit parandus. Ideo habitatio, & cubiculum gelida aqua, vitium folijs, & capreolis, salicum ramulis, rosis, violis, rubi germinis, & id genus alijs subinde aspergatur. Turba hominum cubiculum ingredi prohibeatur, Ex cibarijs lactuca, cucurbita, portulaca, oxalida, oryza, ptisana hordeacea, quæ sanguinem refrigerant, & incrassant, offerantur, à pinguibus verò, dulcibus, acribus, calidis omnibus esculentis, & quæ facile in bilem vertuntur, omnino abstineant. Vinum pariter deuitent, & pro potu hordeacea aqua vtantur: Victusque ad tenuem vergat. Aluus lubrica seruetur. Quemcunque demum immoderatum tum corporis, tum animi motum, & pręsertim iram omnino caueant. Reliqua ad herpetum curationem attinentia, ex curatione vlcerum, quæ præsertim fluxione vexantur, elicienda erunt. in his primum humorum fluxionem abscindere oportet; deinde influxum iam humorem vacuare, & demum vlcus sanare. Omne autem vlcus, vt alibi cum Hippocrate & Galeno diximus, qua vlcus, exsiccari desiderat, sed medicamentis mordacitatis expertibus, & nullatenus irritantibus, præterquam vbi malignum, putridumq; vlcus fuerit. Talia enim acriora expetunt, & quæ ignis vires habeant, quale est misy, & chalcitis, & calx, & arsenicum, & sandaracha, & similia, quæ non aliter, quàm ignis exurunt.

Galen. 5. de comp. medic. per gen. 11.

Cap. 12.

Gal. 14. metho. 17.

Victus ratio.

Galen. 2. ad Glauc. 2.

De tumo-

De tumoribus pituitosis & primum de ipsorum natura, causis, differentijs signis, atque prognosticis. Cap. XVII.

Continuatio. QVa de causa post explicatos biliosos tumores, ad pituitosos transeundum sit, in initio decimiquinti capitis significauimus.
Nomen. Per pituitosos autem tumores eos intelligi volumus, qui ab ipsa pituita, quæ verè & propriè humor est, procreantur, Hoc autem dictum sit ad differentiam aquosi, & flatuosi tumoris, quia neque aquosa superfluitas, neque serum, quodcunque sit, cum nullam prorsus habeat consistentiam, verè humor dici debet, sed potius humoris vehiculum. Simili modo flatum à quocunque humore diuersum, naturaque alienum omnino esse, vnicuique clarum esse arbitramur. Quamuis autem aquosa, flatuosaque substantia maximam cum pituita affinitatem habeant, &, vt in tractatu de hydrope docuimus, hæ tres materiæ ferè semper simul mistæ subsistant (aquosa siquidem, non secus ac pituita, frigida & humida est; flatuosa tum frigida sui natura existit, tum ex pituita vt plurimum oritur, & vtraque hæc substantia æquè, ac pituita, à causa frigida generatur; contra verò sanguis à temperato; vtraque verò bilis ab immodico calore multiplicatur) & pro pter hanc affinitatem, conuenientiamque plerique recentiorum de pituitosis, aquosis, ac flatuosis tumoribus vno & eodem capite pertractarint, nos tamen Galenum ipsum sequemur, & ad rationem hos tumores curandi longè diuersam respicientes, in hoc capite de pituitosis; in subsequenti verò statim de aquosis, flatuosisque tumoribus sermonem habebimus. *Guido tract. 2. doct. 1. cap. 4.*

Differentiæ A contenti in causa de sumptæ. Cum itaque pituitosus propriè dictus humor imprimis duplex sit, tenuis scil. & crassus, ex syncera pituita, inquit Galenus, cuius sit tenuis consistentia, oritur œdema; ex crassa, & glutinosa alterum scirrhorum genus. *Gal. lib. de tumor. præter nat. 9.* Ne autem in Hippocratis libris perlegendis ex hac œdematis voce decipiamur, animaduertendum œdema apud Hippoc. & antiquiores Medicos, vt refert Galenus, semper omne tumorum genus significare, sed apud recentiores, & eos, qui Gal. tempestate fuerũt, vnam solum tumoris speciẽ, de qua scil. nunc loquimur, significat. *Gal. 3. de offic. Med. 33. & 4. aph 14.*

Oedema quid. Hos itaq; per œdema eã tumoris speciẽ, siue differẽtiam intelligi volumus, quæ nihil aliud est, vt Gal. diuersis in locis scribit, quam tumor, mollis, siue raritus & indolens, à pituitosa substantia, eaque tenui, ac naturali productus. *Gal. 14. meth. 4. & 2. ad Glauc. 3.*

Differentiæ ipsius. Hæc autem tenuis, naturalisque pituita vel est excrementitia, super uacaneaque, quæ potius mucosa est; vel ex mucositate lentaque serositate mista; vel est alimentalis.

Oedema exquisitũ. Si sit excrementitia, eaq; syncera, ac pura, ex hac verum, & exquisitum oritur œdema, quod ferè è capitis destillatione oritur, dum pituita iam proposita in genua præsertim, & interdum in humeros, aliasue partes decumbit, tumorque vnus collectus, circumscriptioneque definitus procreatur, qui propriè vereq; œdema est.

Oedema spurium. Quod si pituita hæc excrementitia non pura sit, sed cum alio humore permista ei prædominetur, œdema spurium exoritur; & si cum sanguine misceatur, œdema phlegmonosum; si cum bile flaua, erysipelatosum; si cum melancholia, scirrhosum procreatur.

Tumor œdematosus. Si verò pituita tenuis sit alimentalis, & proinde crudior, pituitosusque sanguis, seu semicoctus, & quoddam veluti sanguinis rudimentum obtinens, qui propter errorem potissimum secundæ coctionis, quæ in iecore frigidiori celebratur, produci solet, tunc ex hac tenui, crudaque pituita in nutriendas partes illapsa, nec in earum substantiam conuersa, fit tumor ille, qui à nonnullis potius œdematosus, quam simpliciter œdema, nuncupatur: eò, quia circumscriptus, & in vnum collectus non est, sed potius expansus, atque latè diffusus apparet. Et quia tumor hic œdematosus ferè semper pedes occupat, & nonnunquam manus, & caput, & interdum etiam totum corpus, & perpetuò aliquem magnum morbum, ut tabem, cachexiam, anasarcam, seu hydropem, quem leucophlegmatiam dicunt, comitatur, & insequitur. Idcirco Galen. tale œdema in periculosis dispositionibus iam enumeratis accidens quoddam esse ait, ad differentiam veri œdematis, quod cum per se subsistat, verè morbus est. *Gal. 2. ad Glauc. 3. & 14. meth. 4.* Cum enim veris œdematis meminisset, de eo, quod symptoma est, statim agens, equidem scio, inquit, aliter quoque œdemata prouenire, sicut in pedibus, in intercutis aquæ

affectibus, & phthois, alijsque, qui stehementes sint, corporis habitibus.
Atque in illis quidem œdema multitudinis eius, quæ hominem premit, est
symptoma, nullam seorsim propriam curationem requirens. Tale insuper
œdema, quod accidens, seu symptoma ab eo vocatur, illud est, quod ab eo-
Galen. 2. ad dem Galen. non solum à tenui pituitosa substantia, verum etiam à spiritu va-
Glauc. 3. poroso fieri dicitur. Verum, ne quis decipiatur, animaduertendum, Gale-
num per spiritum vaporosum non quidem flatum ipsum simpliciter intellige-
14. meth. 7. re, quia ex ipso flatu, qui exquisitè flatus sit, ut alibi docet, procreatur non
œdema, sed emphysema, seu tumor flatuosus; ventosumque apostema di-
ctum; sed per spiritum vaporosum intelligit materiam quandam, quæ tum spi-
ritus cuiusdam, seu vaporis, tum pituitæ simul mistæ particeps sit; qualis,
2. ad Glauc. vt ipse ait, in cadaueribus euenit. Hæc enim dum putrescere incipiunt, aquea
3. humiditas, quæ à sicco terreo non amplius coercetur, effluere incipit, & à
calore putredinali exagitata, secundum partem aerea, & vaporosa euadit. Si-
mili modo dum pituitosus humor à naturali calore alteratur, exagitaturque,
vaporosus spiritus quidam ab eo eleuatur. Solet autem tumor hic œdemato-
sus præsertim in artubus, & potissimum in pedibus ipsis oriri, & quia partes
hæ frigidiores, à cordeque remotiores sunt, & quia valde laxæ & imbecillæ,
& quia penes situm inferiores sunt; pituitosus autem humor frigidus, & pon-
derosus cum sit, facilè ad infimas partes delabitur. Vnde mirum non est, si
Galen. 4. de pedes sint partes quodammodo ad œdemata destinata. Vt enim ait Gale-
præsag. ex nus, nisi pars sit laxa materia illa tenuis non potest per partem diffundi. Si- Anasarca.
plus. 4. cuti autem, dum hi vel alia sola corporis pars ab hac pituitosa materia oc-
cupatur, malum tumoris œdematosi nomen retinet, ita, dum vniuersum cor-
pus obsidet, anasarca vocatur. Si v. pituita non amplius naturalis sit, sed pro-
pter alterationem in propria substantia non naturalis, seu etiam præter natu-
ram euadat, aliæ exurgunt differentiæ. Ex salsa enim & nitrosa pituita, in- Achores.
Gal. lib. de quit Galen. tumores ij in capite fieri solent, qui cum paruis connectuntur vl-
tum. p. n. 15. ceribus, Achoresque nuncupantur. Ex crassa v. sed mucilaginosa pituita, crean-
tur tumores illi, qui leues nodi quibusdam dicuntur, necnon abscessus pitui-
tosi, quos recentiores phlegmonicas exituras appellant, cuiusmodi sunt stea-
tomata, Athetomata, & Melicerides, ad quos Testudo, Talpa, & Nata, ut
Gal. lib. de in generali tractatu diximus, reducuntur. Ex crassa verò, & glutinosa pitui- Abscessus
tumor. 9. ta, quæ adhuc magis indurata est, omnia scirrhorum pituitosorum genera exituræque
procreantur, & proinde tum nodi omnes duri, qui in iuncturis maxime repe- pituitosæ,
riuntur, tum strumæ, tum cherades, quæ vulgo scrofulæ nominantur, tum ea ac frigidæ.
tumoris species, quæ scirrhus pituitosus nuncupatur. Ex corrupta denuum, Scirrhorũ
& putrefacta pituita fistulæ, & vlcera, quæ scrofulosa vulgo dicuntur, oriri genera.
solent. Verum si pituita, quæ crassa, & glutinosa est, adeo dura sit, ut in Strumæ.
gypseam migrauerit, verus ab ipsa oritur schirrus. ab alia v. crassæ, glutino- Vlcus scro
sæque, seu lentæ, & viscidæ pituitæ diuersitate, origineque, & affecta parte, fulosum.
in quam ipsa defluxit, alia pituitosorum tumorum genera, quæ scirrhi natu- Scirrhus ex
ram quandam redolent, & de quibus in generali tractatu disseruimus, exo- quisitus.
riuntur. Hæc autem tria potissimum à Guidone, & alijs Neotericis recen- Glandula,
sentur, nempe, Glandula, Nodus, & struma. Glandula (vt Guido putauit) Ganglium
Guid. trac. ita dicta à glandis forma, quam præ se fert, apud eundem est satis mollis, que.
2. doct. 1. c. vnica, mobilis, & separata à partibus circunstantibus, ut plurimum in emun-
4. ctorijs genita. Sed apud Auicenam glandula est illud idem, quod à Græcis, &
Paulo lib. 6. Paulo ipso Ganglion vocatur. Ganglium enim ait Paulus, nerui est concre-
cap. 38. tio ex ictu, aut labore proficiscens, plerunque verò in manus iunctura, qua
cum brachio committitur, talo, & articulamentis absoluitur: quamquam in
alijs quoque partibus proueniat. Hæ autem comites sunt notæ, tumor con-
color, renitens, indolensque. At si violenter premas, stuporis sensum exhi-
bet, non in alto; sed ipsa sub cute radices agens, & ad latera spectans. Sin
autem vi adigas tum ante, tum post, nequaquam id facit. Hæc Paulus. No- Nodus.
dus verò apud nonnullos est eiusdem generis cum glandula, sed extra arti-
culos neruosque, necnon extra adenes passim exoritur. Sed à Guidone no-
dus tanquam funis nodus dicitur, rotundus, durus, & in eodem loco perma-
nens, circa loca neruosa maximè apparens. Auicennas v. nodos voluit esse
Dubelera frigida, quæ frigidæ exituræ, seu pituitosi abscessus vocantur, & nodi
nomen

nomen genus facit ad Steatomata, meliceridas, & atheromata, de quibus superius diximus. Strumæ autem, quæ à Græcis cherades, à vulgo scrofulæ vocantur, vt in ferm. vniuersali diximus, sunt induratí, & intra membranulā contenti adenes, idest, glandulæ, in collo, axillis, & inguinib. consistentes, vbi glandulæ vasis substratę collocantur. Dum hæ ex pituitosa, crassa q; & viscida fluxione, vel, quod rarò cōtingit, ex sanguineo ipso alimento, nimis excrescunt. Nascuntur autem maxime in ceruice, sed nonnunquam in alis, in inguinibus, & in lateribus, & interdum in fęminarū mammis; sed vt plurimum in priori ceruicis parte, vt testatur Paulus, aut in altera, aut vtrinque vna, aut duæ, aut plures oriuntur. Ad hos autem duos tumores ex crassa, lentaque pituita exortos tum Bocium gutturis, quod Græcis Bronchocele, Latinis hernia gutturis dicitur: in quo modo caro hebes, modo humor aliquis mel li, adipi, pulti, aut alij substantiæ similis continetur: tum Parotis frigida: tum Bubo frigidus. Nam illa in adenis post aurem; hic in ijsdem, sed sub alis, aut in inguinibus exotitur. Sed à Guidone, & quibusdā alijs sumitur bubo pro excrescentia multum (vt ipsi dicunt) infiltrata, & radicata, vt plurimum sine cysti, seu folliculo eam inuoluente, dura scrofularum in morem. Differentiæ porrò, quæ à remotis causis, præcipueque pituitam mouentibus capiuntur, ex traditis in communi tumorū tra ctatu patent. Nam œdemata præsertim, & alij pituitosi tumores per fluxionē fiunt. Etenim hæc quatuor, inquit Gal. ex humorum fluxione perpetuò oriuntur, vt erysipelas, vt œdema, vt inflammatio, vt scirrhus, & idem paulò post idem Gal. de pituitosis tumoribus, qui à crassa, & viscida pituita oriuntur, affirmat. Fluxio verò, & transmissione, & attractione fieri potest. Verum in œdemate, & alijs pituitosis tumoribus, qui maligni non sunt, illud peculiariter notandum, quod, cum humor qualitate praua expultricem membrorum non irritet, transmissio fit, eò quia membrorum expellens virtus à sola humoris copia irritatur, aggrauaturque. Attractio verò nedum ratione caloris, verum etiam doloris fieri potest. Qui quidem dolor ab externo ictu excitari solet. Vnde ex ictu, & aculeo vesparum œdemata sæpe contingunt, præsertim quæ spuria, & quæ phlegmones mistionem participant. Causæ verò pituitam multiplicantes ex dictis de causis pituitosarum febrium apertissimæ sunt. Vel enim sunt internæ, vt ventriculi, iecoris, & capitis frigida, & humida, necnon etiam frigida, & sicca intemperantia, necnon aliorum membrorum, quę pituitosa & alia excrementa expellunt, imbecillitas, obstructionesq; : Vel sunt externæ, vti sunt frigida, & humida, concoctuq; difficilia cibaria, & esculenta, & similes potiones, & præsertim crudioris aquę frigidę potus, ac reliqua victus ratio ad frigidū, & humidum vergens, in ambiente q; potissimum frigidiori, & præsertim repletio, somnus multus, & nimium ocium. Magni autem, & diuturni morbi, vti sunt diuturnæ febres, hydrops, & consimiles affectus, tum innatum calorem absumendo, extinguendoque, sunt in causa, vt pituitosi humores copiosi in corpore generentur, tum quia sub his ægrotantes quiescere coguntur: ex nimia verò quiete membra torpescunt, & excrementa, sicuti decet, non digeruntur, nec expelluntur. Ob id experientia nos docet, quod diuturna quies sæpe causat œdemata. Quinimò si quis vulneretur, & in lecto per plures dies permaneat, ex illo otio multi aggregantur humores, qui cum non possint concoqui, & expelli, ad extimas partes, & potissimum ad pedes transmissi, & decumbentes tumores œdematosos promouent. Reliquæ autem communiores differentiæ ex alibi dictis claræ sunt. Illud de tumoribus, siue excrescentijs, quæ à crassa fiunt pituita scire sufficiat, quod aliæ peculiari quadam membrana, seu tunica (quam cystin vocant) includuntur; alię verò in carne sunt vasis implexæ, & insertæ: quædam basim, seu radicem habent gracilem; quædam verò latiorem: quædam item sunt resolubiles; quædam verò minimè: quędam magnæ, quædam paruæ: aliquæ ad suppurationem tendunt, aliquæ non: aliæ etiam sunt squamosæ, fistulosæ, & cancerosæ, aliæ nihil horum prorsus recipiunt: & ita de alijs. At verò ex his, quæ de tumorum pituitosorum natura, ac differentijs, tum in hoc capite, tum in tractatu generali tradita sunt, facillimum est, eos tum cognoscere, & inter se distinguere, tum eorum causas, ac differentias assequi. Nam primum quidem œdema tumor est frigidus laxus, ac mollis, doloris expers: nec calor, vel rubor, sed vel genuinus, vel albidus duntaxat color inest: tumor sæpe magnus est, & qui presso digito, vel nullo, vel exiguo dolore, cedit. Aduertendum autem, quod in tradendis tum œdematis, tum abscessuum, tum aliorum pituitosorum tumorum notis de simplicibus solum, & exquisitis nobis hic sermo erit, ex quorum analogia compositorum etiam cognitio facile habebitur.

Marginalia: Strumæ. — *Paul. lib. 6.* — Alia pituitosa apostemata, quæ ad iam enumerata reducuntur. — Differentię à causis remotis. — *Galen. lib. de tum. 9.* — Differentiæ communiores. — Signa. — Oedematis notæ.

Hæc enim ad illa, veluti ad certos quosdam canones, vt alibi etiam monuimus, sem per redigẽda sunt. Vnde dum signa iam tradita exacta, pura, & exquisita non erunt, sed mista, & confusa, spurium œdema significabitur, phlegmonosum scilicet aut erysipelatosum, aut scirrhosum, prout cum antedictis notis eæ, quæ vel phlegmonem, vel erysipelas, vel scirrhum indicant, mistæ apparebunt. Verum quoniam tumores flatuosi in plutibus cum œdemate communicant, ideo animaduertendum, quod præter iam dicta œdematis signa, albedinem scilicet, frigiditatem, & indolentiam, certum, & proprium œdematis signum est, quod tumor, propter pituitæ mollitiem, & humiditatem, cedit quidem digito prementi, & foueam admittit, sed propter eiusdem succi lentorem ratione cuius subsidentiam retinet, fouea, & vestigium non resilit: & ideo œdema pressum digitis cedit, sed fouea relinquitur. Adhæc in œdemate nullus adest pulsationis sensus, cum in alijs tumoribus, aut pulsatio, aut quid simile percipiatur. Ob id œdemata à tumore flatuoso differunt, quia in flatuoso pulsatio, vt in alijs percipitur, & prementis digiti vestigium vix admittit, & nullatenus retinet, quia ablato digito premente illicò recurrit, quia flatus subsidentiam non admittens, statim recurrens partem distendit. Signa verò abscessuum, & cęterorum tumorum pituitosorũ ex eorum descriptionibus & differentijs in vniuersali tumorum tractatu propositis clara sunt. Quod autem cysti includantur, id nobis declarat mobilitas, & cutis separatio. Quando verò fixi sunt, & eodem loco permanentes, carnique adhærentes, nulla eos inuolui membrana cystive indicium est. Sed vt pauca huic loco conuenientia apponamus, sciendum, quod Meliceris est dolore carens, sed ab Atheromate differt figura, & humoris substantia. Nam & figura rotundior est, & humoris substantia tenuior. Proinde Meliceris magis, quàm Atheroma extenditur, pressusque digitis celerrimè cedit, & amotis digitis pari celeritate ad situm pristinum redit. Steatoma verò tumor est concolor, & tactu lenis, in principio quidem exiguus, sed temporis progressu augescens, & amplior factus. Differt autem à meliceride, & atheromate duritie. Nam plenum, & solidum est, tactuque renititur, adeo, vt digitis prementibus minimè cedat. Testudo verò apud Guidonem abscessus est magnus, humoralis, mollis, latiore forma in modum testudinis, vnde nomen accepit. Quæ si in capite, ait ille, nascatur, talparia, vel talpa dicitur; in collo, bocium; in testiculis, hernia: interdum autem cum pure, vel squammis, vel fistulis reperitur. Veruntamen Testudines, & Talpæ apud antiquos neque nomen, neque tractatum inuenerunt. Recentiores autem testudinem vocant tumorem mollem, vel non valde durum, satis autem magnum, in quo pinguis materia tunica quadam obtecta continetur, quæ caluariæ ita hæret (est enim cutis capitis affectus) vt ipsam plerunque vitiet: vnde patet abscessum esse, & sub meliceride, vel atheromate contineri: videtur tamen ad melicerídem magis inclinare. Talpa verò, cum albam materiam contineat, ad atheromata potius, quàm ad melicerídem refertur. Nata (vt scribit Guido) excrescentia est magna carnosa, veluti caro natium, vel ancharum, diuersarum quidem formarum, & magnitudinum: cuiusmodi sunt melopepon, & cucurbita. Itaque diuersa sortitur nomina, pro formæ, & membri, in quo est, varietate. Porrò tumor hic, qui nata, vel napta recentiorum turbæ appellatur, dolore caret, nisi forte adeo magnus existat, vt partes membri trahendo continuum soluendo aliquem dolorem circumstantibus inferat. & abscessus hic ad Steatomata ferè spectat. Bronchocele verò, siue bocium, est colli tumor grandis, & rotundus inter cutim, & asperã arteriam, in quo modo caro hebes; modo humor aliquis melli, adipi, pultiue similis includitur: interdum etiam, vt ait Celsus, in eiusmodi tumore pili minutis ossibus immisti reperiuntur. Strumæ, seu cherades quomodo dignoscendæ sint, ex dictis in c. 2. fusius docuimus. Est enim struma tumor durus, glandulæ formam referens, qui quidem à scirrho, qui ab humore melancholico producitur, ex eo distinguitur, quia parti affectæ, & circunstanti concolor vt plurimum est, aut ad aliquam rubedinem vergens. Cum enim fiat à crassa, & lenta pituita, colorẽ album, & à circũstante cute nullatenus ferè diuersum inuehit. quod si pituita hæc cum sanguinea misceatur materia, aliquo rubore perfunditur. Quæ autem ab humore oritur melancholico, liuidum, aut plumbeum, & inter rubrum, & nigrum medium colorem præ se fert. Quod si struma benigna sit, præter id, quod moderatam obtinet duritiem, dolore, & inflammatione, vlcereque omnino caret, eò, quia à syncera pituita crassa producitur. Si verò sit maligna, quia cum pituitoso humore atrabilaris, & malignus permiscetur, non modo dolore, inflammatione,

Signa aliorum tumorum pituitosorum.

Signa meliceridis, atheromatis & Steatomatis.

Testudinis notæ.

Talpæ, & Natę signa.

Strumarũ notæ.

tione, & pulsu grauis, & molesta est, verum etiam inæqualis apparet, & medicamentis admotis exacerbatur. At verò œdematosi tumores hyeme magis, quàm alijs temporibus, excitantur, senesq; magis, crapulæque deditos sæpius infestant, propter innati caloris penuriam, & propter pituitæ hisce temporibus, ætatibusq;, & vitæ generibus, abundantiam. Cum autem ex Galeni placitis ex fluxionib. quędam sæuæ sint, vti sunt fluxiones materiæ sanguineæ bullientis, melancholiæ adustę, siue atræ bilis, & materię biliosæ; quædam benignæ, quales à sanguine sola copia peccante, & ab ipsa pituita fiunt; ideo œdema sui natura tumor benignus, salubrisq; erit; sed tamen diuturnus propter succi lentorem, & frigiditatem, vt inquit Gal. Periculo autem vacat, quia est doloris omnino expers. Verum ne quis in prędicendo decipiatur, scire debet, hæc de œdemate vero, & qui morbus est, & per se subsistit, intelligenda esse: si enim de tumore potius œdematoso, qui accidens est loquamur, & magnos morbos phthisin scilicet, hydropen, vel cachexiam comitatur, hîc proculdubio etiam si ratione sui periculo careat, vt ob id Gal. dixerit nullam seorsim propriam curationem requirere, & id maximo iure, cum laborantib. ipsis deambulantibus, & serò in cruribus appareat, ipsis autem noctu decumbentibus sponte delitescat, in maneq; ferè non appareat; nihilominus ratione magnorum morborum, à quibus fit, & suarum causarum, vt plurimum ad mortem terminari solet. Solet autem verum œdema vt plurimum per resolutionem, seu discussionem, exhalationemq; terminari; rarò autem per suppurationem, propter materiæ frigiditatem, sæpissimè per conuersionem, seu permutationem in nodos, & alias excrescentias, & pituitosos abscessus, propter succi lentorem. Quorum quidem abscessuum prædictiones ex eorum descriptionibus, differentijsq; in capite secundo propositis facilè patent. Recentes enim atque tractabiles discuti, resoluiq; possunt; duri verò, & iam inueterati nequaquam: Qui verò capitis caluarię adhærent, hancq; vitiant, & materiam adipi similem continent, magniq; in capite, & numerosi sunt, eos mortem inferre obseruauimus. Rubor autem, dolor, & caloris incrementum ostendunt ipsos abscessus terminandos vel per suppurationem, vel per fistulas, vel per cancrum. Quantum attinet ad strumas, pueri propter voracitatem, & gulæ intemperantiam, ac corporis raritatem, ipsis frequentius corripiuntur. Senes ob causas contrarias rarius. Adhæc qui breui, atq; angusta sunt fronte, & compressa habent tempora, ac maxillas amplas, ad strumas sunt procliues. In talibus enim materia promptè deriuatur ad collum. Strumæ verò præcipuè (vt Celsus ait) fatigare Medicos solent, quoniam & febres mouent, nec vnquam facile maturescunt: & siue ferro, siue medicamentis curentur, sæpe iterum iuxta derelictas cicatrices resurgunt, multoq; post medicamento est opus. Quibus quandoq; accedit, quod longo spatio detinent. Incisio verò talium tumorum, itidem & corrosio magnopere verenda est, circa ventrem, collum, & commissuras, ob propinquitatem venarum, arteriarum, & neruorum, ac internæ etiam capacitatis. In incisione quoq; magnarum glandularum, summopere vitare oportet venam, quæ ad radicem earum sita est, & illis alimoniam defert. sæpe enim magnam sanguinis profusionem excitat, vt non mediocre tandem sequatur periculum. Cum autem strumæ inter se differant, magnitudine, natura, loco, ortu, multitudine, seu numero, & vasorum complicatione, vt ex Leonida notauit Aetius: Ideo paruæ maiorib. facilius curantur, sicuti mites, inflammatis. Maleficæ verò sanari non possunt. cum omnes eiusmodi strumæ cancerosæ, ac vasis refertæ sint, dum curantur, eruptionis sanguinis periculum afferunt, præterquā, quod, cum plerunq; penitiores inueniantur, minimè abscindi, euelliq; possunt. Vasa enim nobilia, vt venas iugulares, & arterias, quæ carotides dicuntur, malefica struma tanquam radices habet. Pro loci ratione, superficiariæ profundis curatu faciliores sunt, deinde quæ in collo eueniunt: vbi tamen vocales neruos diligēter vitare oportet. Multi. n. strumas circa asperā arteriam incidendo, vocalib. neruis simul excisis, ægrum sine voce reddiderunt. Imò præter vocalis nerui excisionem, vocalia instrumenta denudata, & inter curādum refrigerata, vocis functionem violarunt. Pro numero ipsarum, constat vnā plurib. facilius curari posse. Sicut, quantum ad ortus rationem attinet, longè citius sanescunt suspensæ, quàm quæ infertæ fuerint. Hæc de strumis ex Leonida memorię prodidit Aetius. Quibus addere possumus, quod licet omnes difficulter curentur, difficilius tamen curantur dolentes, quàm indolorosæ; fixæ, quàm mobiles; in anteriori colli parte, quàm in alijs, melancholiæ, seu atribilaris humoris participantes, quam ex simplici pituita prouenientes. Pariter in pueris maius exhibent negotiū, quàm in adultis, qui quamcunq;

Prognostica.

Gal. 2. prog. com. 46.

Gal. 1. prog. com. 24.

Gal. 2. met. c. 4.

corporis opportunam euacuationem admittunt, & Medicis obtemperantes sunt. Numerosæ denique strumæ partes externas occupantes, & sede subinde mutata huc, atque illuc per corpus vagantes, cum aduentitia quadam caliditate, indicant easdem germina esse, ac sobolem cheradum internarum, vt Arnaldus de Villanoua testatus est. Proinde quæ forinsecus illis admouentur auxilia, parum, aut nihil proficiunt.

De Pituitosorum tumorum indicationibus, & curatione. Cap. XVIII.

IAM verò in cuiuscunque pituitosi tumoris curatione clarissimum est ex alibi dictis, nos debere id, quod tumoris factum est, sanare, sed prius, quod fieri potest, prohibere. Cum autem tumor à pituitosa proueniat fluxione, à qua tum gignitur, tum etiam incrementum suscipit, idcirco donec tumor pituitosus in generatione, & incremento consistit, oportet pituitosam fluxionem tollere, & proinde eum pituitosum succum, qui iam genitus est, tum præparare, & proinde calfacere, exsiccare, & abstergere (est enim pituitosus humor frigidus, humidus, ac viscidus) & si crassus sit attenuare, tum ipsum iis medicamentis, quæ peculiariter ipsum electiuè educunt, purgantque, euacuare, tum demum euacuando, aut ad contrarias partes deducendo reuellere, aut ad vicinas deriuare, & in via intercipere: eum verò, qui generari assiduo potest, ne gignatur, prohibere, & propterea, si propter causas internas gignatur, ipsas auferre, subindeque ventriculum, ac iecur (vbi præsertim tumor œdematosus hydropi, vel cachexiæ succedat) necnon etiam caput & cerebrum ipsum (vbi præcipuè collum strumis laboret) calfacere; & si membra hæc humidiora sint, etiam exsiccare: sin propter causas externas, & prauam victus rationem multiplicetur, eas omnes auferre, & contrariam victus rationem calfacientem scilicet, & exsiccantem instituere. Gratia verò tumoris iam facti, communis oritur indicatio, vt humor, qui iam influxit, euacuetur, & omnino eradicetur. Sed pro tumorum pituitosorum diuersitate variæ rursus oriuntur indicationes. Si enim tumor fuerit œdematosus, & subinde à tenui pituita producatur, si is fuerit symptoma, & aliquem magnum morbum insequatur, oritur indicatio remouendi morbum, à quo dependet, quia aliter nunquam curabitur. Vnde quidam obseruarunt in mulieribus à puerperio propter vteri refrigerationem subortos fuisse in manibus tumores œdematosos, & quandoque per aliquot annos perdurasse, qui quidem nunquam profligati fuere, nisi vtero ipso calorificis auxiliis corroborato. Quare talis tumor, vt affirmat Galen. nulla propria, præcipuaque curatione indiget. Nam satis erit, subdit ille, si modo curatione egebit, ipsa tum crura perfricare, alias oxyrhodino, alias oleo cum sale, aut etiam oxyrhodino sal habente, vel huiuscemodi aliis, quæ multa sunt. Cum enim in affecta parte aliquid agendum sit, & aliqua curatione talis tumor egeat, dum satis magnus est, & cutim ipsam distendens aliquem dolorem inferat, vt periculum sit, ne locus exulceretur; in hydrope autem exorta vlcera praua omnino sint, & fere insanabilia; ideo talis materia iam influxa discutienda, & quæ fluit, repercutienda, & cum adsit parum doloris, ille sedandus est. Quibus omnibus scopis, iam propositis auxiliis & medicamentis, Galenus satisfecit. Oxyrhodinon enim fluxionem arcet; oleum cum sale digerit, & vacuat, quod impactum est: oxyrhodinon verò, cui sal admistum est, partim digerit, & exsiccat, partim restringit, & humorum affluxum prohibet. Oleum verò ipsum dolorem lenit. Si verò œdema fuerit morbus, curationis intentio, vt Galenus scriptum reliquit, in tali affectione mista est, vna quidem, vt eorum substantiæ aliquid dissoluatur; alia verò vt aliquid congregetur, ac restringatur. Ita autem loquitur Galenus, quia in hoc tumore non sicuti in phlegmone, & erysipelate, in principio solum restringere, & repercutere oportet, & repercutientibus synceris, ac validis, & quæ frigidiora sunt, occurrere conuenit: cum tumor sui natura frigidus sit, & humidus, & à lento, & viscido humore, qui sui natura facilè concrescit, incrassatur, & induratur, originem ducat, sed vnà cum restringentibus dissoluentia, digerentiave miscenda sunt. Atque pro ut alter scopus alterum superat, in toto morbi decursu progressuve

[Margin notes: Indicationes quæ omnibus pituitosis tumoribus sunt communes. — Indicationes in œdemate. — Si symptoma sit. — Gal. 14. metho. 3. & 2. ad Glauc. 3. — Si œdema morbus sit. — Galen. 2. ad Glauc 3.]

suve remedia sunt miscenda, alterum quidem cum altero copiosius, aut parcius. Porrò maiorem restringentium vim miscendam esse ostendit tum copiosior fluxio, tum parcior in affecta parte influxa materia. Contra exsiccantium, ac digerentium vberiorem modum adhibere oportet, vbi copiosior materia locum obsidet, fluxioque minor est. In inueterato autem oedemate, & quod non adhuc in generatione est, non amplius hac curandi ratione mistam facultatem habente, sed ad digerendam, exsiccandamque materiam declinante vtendum erit, quod & in omnibus ferè diuturnis affectibus obseruandum erit. Quare in principio admouenda reprimentia, non ea quidem quæ natiua sua frigiditate vehementer stringendo repellunt, sed quæ non inualidè siccandi, & modicè digerendi vim habeant. In augmento discutientibus paulò fortioribus occurrendum erit. At in statu, & præsertim circa eius finem, fluxioneque cessante, puris, iisque fortissimis digerentibus vtendum. In declinatione verò absumentibus & exsiccantibus, quod reliquum est influxæ materiæ curatio peragenda, si malum resolutione terminari debeat. Si verò degeneret in abscessum, quem exituram vocant, maturantibus, & aliis in abscessus curatione propositis vtendum erit. Si verò tumor pituitosus abscessus sit, & à pituita crassiori, quam ea, quæ facit oedema, oriatur, quorumcunque pituitosorum abscessuum curationis indicationes communes sunt, nempe id, ait Galenus, quod continetur, vel digerere, vel totum putre reddere, vel excindere. Aliqui igitur eiusmodi abscessuum triplicem curationis rationem admittūt, quotquot scilicet ex tenuiori humore constant, vt Meliceris: Aliqui duplicem tantum, veluti Atheroma, quippe quòd tum excindere, tum putrefacere licet: Steatoma verò sola manuum opera curatur, cum nec putrefieri possit nec digeri. Quicunque enim tumores à toto genere præter naturam sunt, ii sui ablationem indicant, communiori scilicet indicationi, quæ per omnia, quæ totis substantiis à naturæ habitu recesserunt, extenditur, subiecti; veluti in steatomatis, & atheromatis habet. In iis verò abscessibus, qui in alto corpore consistunt, ac potissimum in visceribus, à quibus, vt superius diximus, externi tanquam germina quædam dependent, medicamina, quæ ex aromatis fiunt, maximè sunt vtilia, vtpote, quorum vis collectum humorem tum in halitum resoluat, tum digerat. Demum vbi pituitosi tumores à crassa, & glutinosa fiunt pituita, quales tum Strumæ, tum alii huiusce generis duri tumores existunt. In glandula & nodo eædem erunt indicationes, quæ in scirrho proponentur, qui quidem emollientia, & digerentia exigit. Similiter strumarum, seu cheradum curatio, vt scribit Galenus, quod ad ipsum attinet vitium, iis scirrhis, qui in aliis partibus nascuntur, & de quibus post agemus, communis est. Cæterum quod ad ipsius partis naturam spectat, in quibusdam glandulis alias geminas curationis indicationes adiiciunt. Præstiterit fortasse hoc loco de nominibus aliquid clarioris doctrinæ gratia distinxisse. Quippe glandulæ, quæ, quod in medio vasorum in diuersas partes diductorum habetur, implent, eiusque diductionis pro firmamento sunt, earum haud magnus est vsus: sed ex abundantiore prouidentia sicut alia quædam, sic has quoque glandulas natura fabricauit. Earum verò, quæ vel saliuam, vel lac, vel genitale semen, ad hæc quæ pituitosum quendam humorem in mesenterio, vel faucibus, vel larynge generant, earum maior est vsus. Atqui aliqui has non glandulas, sed glandosa corpora vocant, vt quæ non paulo, quam reliquæ glandulæ, & rariore sint, & magis spongiosa substantia: quin etiam in has tum arteriæ, tum venæ sensibiles perueniunt. Hæ igitur cum in scirrhoso sunt affectu, non aliter, quàm cæteræ omnes partes, sunt sanandæ. At quæ in medio vasorum spatio consistunt, in iis alia curationis indicatio præstatur: qua simul cum vitio etiam pars ipsa tollitur. Est verò duplex ea quoque, nempe vel totum, quod vitiatum est, scalpello excindentibus nobis, velut in cancro: vel putrescere id medicamento cogentibus. Nam strumæ, quæ emollitione, digestioneq; curationem non recipiunt, & mobiles sunt, blandę, morigerę, ac tractabiles, incidi, & extrahi debent: immobiles verò, insertæ, irretitæve, seu venis, & arteriis multum implicatę, & ad radicem, & intus latę, corrodendæ, digerendæq; sunt. Quæ demum tenui, ac gracili radice innixæ erunt, deligari, ac euelli debebunt. Ad propositorum verò præsidiorum materias descendentes, si de iis, quę manibus administrantur, chirurgicas uocant, sermo fiat, Quemadmodum in exquisito oedemate, & multo magis in eo, quod accidens est, à uenę sectione, & phlebotomia omnino abstinemus; ita in oedemate phlegmonoso, necnon etiā in aliis pituitosis, qui momentanei sunt, tum abscessibus, tum durioribus tumoribus, ac strumis, vbi aliqua

[Margin notes: Indicationes in abscessibus. — Gal. 14. metho. 12. — Cap. 13. — Cap. 12. — Indicationes in Strumosis affectibus. — Gal. 14. met. cap. 11. — Curatio. Chirurgica præsidia.]

aliqua adsit sanguinis abundantia, & vires ætasque permittant, venam incidimus, vt ad localia pharmaca, quæ in abscessibus, & duris tumoribus calidiora, & siccantia, attrahentiaque futura sunt, & ad exedentia, putrefacientiaque, necnon ad alias chirurgicas operationes, quæ dolorificæ sunt, tutò confugere valeamus. Nam secus periculum est, ne ratione caloris, aut doloris noua materia ad affectum locum trahatur. Ea verò secanda vena erit, quæ ad reuulsionem ipsam, quæ ad oppositas partes fit, efficiendam erit accommodata. Quod si strumæ, quod sæpe fit, adolescentulas occupet, vel iuniores, in quibus menstrua purgatio, vel imminuta, vel prorsus nulla appareat, vena tali dextri vel sinistri pedis erit aperiẽda, prout dextra colli pars, vel sinistra erit magis affecta. nam semper ab eodem latere sanguis mittendus erit: tumq; potius per repetitam sanguinis extractionem, vt tum maior reuulsio fiat, tum menstrua purgatio promoueatur: qua quidem superueniente, mala hæc interdum spontè delitescunt. Strumarum verò, ac glandularũ euulsio, dum medicamentis non cedunt, & superficiariæ, & sanabiles sunt, manuum artificio ita administratur. Post exactam vniuersi corporis purgationem, vbi ætas, ac virtus ipsam admittant, ægrum, ad animi deliquium euitandum, decumbere iubeto, & caput à ministris firmiter detineri imperato. Deinde cutem tumori superpositam in collo, recta vel subobliqua sectione incidito: in eo enim vasa, & nerui recta porriguntur non affatim tamen, & vnico impetu totam cutis crassitudinem secabis, ne scilicet violenter hoc opus fiat. In strumis autem minutiorib. simplici linea cutem diuidito; in maioribus verò cutim ad myrtei folij figuram abscindito, & venas, ac arterias paulatim & blandè denudata seponito. Posthæc oras cutis incisæ vulsellis, seu hamulis distendito, ac dilatato, ac membranas digitis, & scalpri capulo, vel spatula excoriato, strumamq;, vbi nudata, membranisq; explicata apparebit, paulatim eximito. Si verò vasis implexa fuerit, summa attentione opus tractandum, ne per incuriam copiosa sanguinis profusio sequatur. Ideo in agendo vnum duntaxat sectionis labium vulsella protrahatur, & sensim à connexis corporib. scalpelli acie separetur: cumq; ab vno latere connexio soluta fuerit, in altero idem prorsus repetatur: deinde tota basis prҫter neruos, & subiecta vasa excindatur. In strumis verò, quҫ circa alas, & inguina sunt, ob cutis reduplicationem, sectio transuersa ducitur. Si verò vase aliquo inter secandum diuiso, sanguinis profusio tuum opus obturbet, vas ipsum funiculo excipito, vel nisi magnũ admodum fuerit, penitus, vt Paulus consulit, abscindito, vel præsidia sistendo sanguini (si non magno impetu prorumpat) dicata applicato: deindè ad cœptum opus reuertitor. Itaque vbi in arctum strumæ basis venerit, dextrè, ac petitè ipsam præcidito, immissoq; indice, locum pertractato, scrutatorq;, num & aliæ sint strumҫ adiectҫ, quas modo proposito extrahito. Porrò modicum sanguinis fluorem stupa vel simili re oxycrato infusa, & expressa facilè compesces. Sin sectio incruẽta perstiterit, thuris polline eam repleto, linamentaq; imponito, ac pro linamentorum custodia, lanam vino madentem alligato. Quod si vena aliqua amplior cũ radice, seu fundo glandulæ, vel strumæ connexa sit, non ex basi ipsam excindere, sed funiculo excipere, ac constringere conuenit, quo particulatim citra periculum sua sponte decidat. Quo in casu per linamẽta postea curatio adhibenda erit. Esto autem filum, vinculumq; ne cito corrumpatur, & decidat aut sericum, aut ex gracilib. testudinũ chordis. Verum si peracto opere, aliquid cystis, vel folliculi, vel aliud quippiam extraneum remanserit, iubet Albucasis, vt illud absumatur, implendo vulnus primis dieb. xylo, vel simili aqua salsa imbuto. Sed Guido pro reliquijs illis extirpandis, hiantem sinum implebat, primum oui albo alumine respersо, & inspissato, postea verò Aegyptiaco, vel simili erodente medicamẽto. In omnibus verò his operationibus admouenda, quæ dolorem leniunt. communiter autẽ admouent stupas oui albumine, & rosaceo imbutas. Si verò per ligaturam glandulæ, seu scrofulæ euulsio facienda sit, vinculo serico, aut crinibus equinis tales glandulҫ, quæ bases, seu radices habent in angustũ venientes, ligandҫ sunt, & in dies magis, ac magis priorib. vinculis, aut nouis adhibitis stringendæ, donec siccentur, & sponte excidant. Adiuuandum autem erit vinculum aliquo exedente, & siccante medicamento: & dolor modo iam dicto, aut vnguento populeone, vel consimili mitigandus erit. Vbi verò sponte deciderint funiculi, modo quem supra explicauimus, locus expurgandus, & sanandus erit. Medicamenta verò, quæ in pituitosis tumorib. sunt opportuna, vel vniuersi corporis expurgationem, alterationemq; respiciunt, vel partem affectam: hæc topica, illa communia uocari possunt. Quæ quidem duplicia sunt, prout uel purgãtia, & euacuantia sunt, vel altẽrãtia, corroborantiaq;.

Strumarũ euulsio.

Euulsio per ligaturam.

Medicamenta.

Communia.

Purgantia

Purgantia rursus sunt duplicis generis, nempe vel lenientia, quæ primorum ductuum euacuationi dicantur, & primo loco exhibentur, vel propriè dicta purgantia, quæ humores electiuè educunt, & à partibus remotioribus trahunt humores, & post ipsos præparantes tantummodo exhibenda erunt. Quantum attinet ad Lenientia, in tenuiori pituita sat erit, mel ipsum rosat. solutiuum ad vnc. v. (supponitur corpus mediocre) cum decoctione betonicæ, vel cichorij in potu exhibere, aut, si bolos malint, drach. x. floris cassiæ nouiter extractæ cum drach. ij. diaphœnici exhibeantur. Si pituitosus humor crassior fuerit, flos cassiæ, vel electuarium lenitiuum ad drach. x. vel xij. cum drachma j. vel j. & sem. specierum hieræ in bolo exhibeatur, aut, si potionem eligant, post deuoratam drach. j. specierum hieræ in vnico bolo, quatuor vel quinque vnc. mell. rosf. solut. cum decoctione seminum citri, aut cichorij, vel betonicæ dissolutas statim superbibant. Primis ductibus euacuatis, pro pituitæ, quæ in vniuerso corpore, & potissimum in capite redundat, congrua, ac tuta expurgatione, eadē prius appositis syrupis præparanda erit, & proinde modicè calfacienda, & siccanda, nec non detergenda, & vbi crassior fuerit, attenuanda erit. Quæ quidem omnia inter cetera præstare poterit oxymel ipsum tum simplex, tum, vbi opus sit, & pituita valde viscida, & crassa id exigat, scylliticum: ita probatur syrup. de betonica, & in crassiori pituita de stœchade, necnon mel rosatū simplex, qui quidem syrupi ad vnc. j. s. cum aliquo diluto sunt exhibendi. Hoc autem ex aqua, vel decocto betonicæ, aut saluiæ, aut stœchadis, aut præsertim iuæ, vbi malum caput obsidet, poterit parari, & in hoc casu, dum scilicet strumæ sunt in collo, copiosum, & proinde ad vnc. iiij. & plures vncias, vt sufficiens euadat vehiculum, cum aliquo, uel pluribus ex propositis syrupis permisceatur. Pro purgante autem pharmaco mirum in modum probantur pilulæ cochiæ Rhasis, quia omne pituitæ genus absque corporis agitatione, & alteratione purgare valent, & a drach. j. vsque ad j. & semis offerri poterunt. Vbi tamen ventriculus imbecillis sit, optimum est eis mastichinas permiscere. Vnde si drach. j. cochiarum exhibeamus, drach. semis mastichinarum, vel sillarum scrop. iiij. offeramus, scro. j. istarum illis miscere optimum erit. Quod si vnà cum pituita melancholicus humor abundet, vel atribilaris, ut in struma carcinode contingit, cochiæ cum elleboro præparatæ erunt eligendæ. Simili modo, vbi ventriculus validiora pharmaca non ferat, probatur agaticum trochiscat. à drach. j. vsque ad drach. j. semis vel in bolo cum cassiæ flore, vel electuario lenitiuo permistum, uel in potu, si in decoctione cordiali prius infundantur, & deinde mel rosat. solut. ad iij. vel iiij. vnc. ei addatur. Probantur quoque pilulæ aggregatiuæ, de agarico Mesues, necnon etiam de hermodactylo, ubi corpus, & ætas has admittat. Similiter diaphœnicum ad semiunciam vel drach. v. cum drach. j. specierum hieræ in bolo non inutiliter exhibetur. Verum in tumoribus à crassiori pituita exortis, ac strumis, à plerisque maximè probatur puluis turbit, qui apud Auicennā: ℞. Turbit, zingiberis, & saccari ana part. æquales, ex quo ipse exhibebat drach. ij. inquiens ipsum absque intestinorum abrasione, crassam pituitam euacuare. Capite verò affecto, tum puluis iam dictus, tum catapotia præsertim, quia à capite valenter reuellunt, poterunt propinari. non tantum semel, sed & bis, & pluries, interpositis semper præparantibus, quia cum mala hæc, videlicet strumæ, nodi, & glandulæ, valde rebellia sint, nisi totum corpus exquisitè admodum purgetur, localibus auxilijs, vel parum, vel nihil proficimus. Vnde Guido, & alij consulunt, ut totum corpus etiam per vrinam euacuetur, & proinde sequenti potione vtebatur, quæ Recip. scrofulariæ partes iij. philipendulæ partes ij. pimpinellæ, pilosellæ, tanaceti, caulium rubrorum, rubiæ maioris ana partem j. radicis aristolochiæ, spatulæ fœtidæ, radicis raphani ana partem dimidiam: conquassentur, & decoquantur in vino albo, & melle vsque ad consumptionem medietatis, & fiat colatura, ex qua tertio quoque die hora matutina sumat æger vnc. iij. & tepida offeratur. Ad resoluendum autem per halitum, & digerendum humorem, qui in alto corpore collectus est, internasque glandulas promouet, quæ externas fouent, Gal. theriacam, Athanasiam, Ambrosiamque propinabat, & in ijs, qui diuites non sunt, diacalamenthum probat. In ijs enim abscessibus, scribebat ipse, qui in alto sunt corporis, ac potissimum in uisceribus, medicamenta ex aromatis composita maximè sunt vtilia, vtpote quorum vis collectum humorem tum in halitum resoluat tum digerat. Eadem pariter frigidas viscerum intemperantias, necnon etiam humidas submouere possunt, & subinde eadem corroborare. Sed de his in primo, & secundo libro abundè tractauimus. De localibus porro, medica-

[Margin notes: Lenientia. — Præparantia. — Purgantia. — Diuretica. — Diaphoretica, & Alterantia. — Gal. 14. meth. 12. — Topica.]

Galen. 2. ad Glauc. 3. & 14. meth. 4. medicamentis,quæ in œdemate conueniunt, verba faciens Galen.cum propter pituitam parti influxam, inquit, œdema constitit, aliquando satisfacit spongia, quæ ex aqua,in qua sit aceti aliquid, maduerit. Porro hæc ita temperabitur, ut uel bibi possit, vel vt non multum supra hoc aceti habeat. Vbi enim malum non quiescit, plus aceti miscendum est. Deligare verò spongiam debebis ab inferiore parte incipiens,ac supra finiens. Esto autem spongia,si modo conducta sit,omnino noua. Huius si copia non est,cuius erit,hanc detergebis expurgabisq; nitro & aphronitro,& aqua lixiua,id est,lixiuio destillato. Quod si sub his œdema non subsidat, vbi rursus deligabis, pusillum aliquid aluminis conijcies, ac nouam spongiam admouebis. Si nouæ copia non sit, melius est eo,quod vulgus vocat elychnion, vtare. Id verò ante omnia molle esto, quod genus Tarsicum est. Cuius si facultas est,audacter vtitor. Vtilius enim experiere,quam spongiam. Madeat verò ex posca, quæ aliquid habeat aluminis: tum, ut diximus, deligetur ab inferiore sursum. Sit autem arctatio mediocris, veluti in ossis fractura. ac primæ quidem fasciæ iniectiones,quæ scilicet infernè incipiunt, magis arctandæ, quæ deinceps sunt, sensim remittendæ; ceterum non adeo, vt laxa sit aliqua deligaturæ pars. Porro idoneum medicamentum ad hæc & Glaucium est,tum ipsum per se liquatum ex posca, tum vel magis medicamentum nostrum, quod ex eo compositum est: quod non œdemata modo,verum multò magis tum erysipelata,tum phlegmonas incipientes sanat, ac potissimum calidas. Si igitur per ea, quæ dicta sunt, non sedetur, tunc aliquid fortiorum medicamentorum, quod temperaturam mistam habeat, ex discutiente, & astringente adijciendum est. Ego in diuturno œdemate, ubi prius particulam oleo illeuissem,deinde spongiam ex lixiuio apposuissem, atque vehementius strinxissem, affectum perfectè curatum vidi, non amplius scilicet hac curandi regula habente mistam virium intentionem, sed ad discutiendum, & incidendum declinante. quod in omnibus ferè diuturnis affectibus probatum haberi non ignoramus. Hæc Gal. Patet autem tunc deligaturam aptandam esse,quando scilicet in aliquo artuum œdema verum, quod morbus est, & nunc curandum proponebatur, constiterit. Aliqui verò loco medicamenti ex Glaucio confecti hoc vsque ad statum vtuntur. Recip. foliorum chamæmeli, rosarum,myrtorum, absynthij, stœchados ana Manip.sem.balaustiorum,nucum cupressi ana Manip.j.saluiæ,rosmarini,squinanti ana parum,aluminis rocchæ,salis communis ana vnc.j.s.capiantur posca facta ex aceto,aut lixiuio,& coquantur omnia vsque ad consumptionem tertij. In quo decocto madefacimus spongiam,qua vtimur vsque ad statum.Quo quidem præsente Gal.folis digerentibus,vt dictum est,vtitur: & proinde primum oleo partem inungit, & postea spongiam in lixiuio infusam apponit, & vehementius stringit. Vngit autem oleo communi, vt dolor ex compressione genitus remoueatur, & locus à valido medicamento non alteretur. Auicennas verò aqua calcis, ceu validiori medicamento,hoc tempore vtebatur,spongiam scilicet in eo madefaciēdo, & tumori admouendo. Quæ quidem spongia applicita debet uniuersum tumorem exactè comprehendere. Quinimo ex eodem in œdemate protracto ac diuturno viua calx trita, & cum porcina axungia mista, & admota, præstantissimū

Gal. 6. symp. remedium est. Scribebat autem Galen. de simplicibus medicamentis loquens, leucacanthæ,id est,spinæ albæ radicem, quia desiccatoria est, & modicè adstringit, œdemata illitu contrahere. & idem scribebat Isatidem domesticam, qua utuntur

Gal. lib. cita. prope fi. tinctores,tumores œdematosos mirificè digerere simul,ac reprimere, & aduersus omnia maligna vlcera mirabiliter resistere,etiam si putrescant,& exedantur & erodantur. Quod si quando pro laborantis natura valentior appareat, folijs eius tritis miscere oportebit aut panem,aut hordeaceam,aut triticeam farinam, aut polentam, pro vincente nimirum in vnoquoque affectu. Et idem alibi Aegyptiæ terræ

Gal. 9. simp. ferm. de ter. Gal. 14. meth. 12. lutum laxa œdemata adiuuare ait. In abscessibus uerò, cum id, quod continetur, vel digerere,vel totum putre reddere,vel excidere opus sit,digerentium, seu discutientium medicamentorum syluam in glandularum,nodorum, & strumarum præsertim curatione paulo post trademus. Priuatim verò. Meliceridas dissipat, quod Recip. passularum exacinatarum lib.j. cumini minutissimè triti vnc.vj. nitri vnc.iij. omnia simul in mortario subacta conficito, & alligato. Aliud ad easdem: Recip. Salis ammoniaci, spumæ argenti, cerussæ, ana lib.j.ceræ, therebinthinæ, chalbani, oppoponacis ana vnc.j.rubricæ sinopicæ vnc.vj.aceti vnc.vij.& sem.spumam argēti, cerussam, & sal ad exactum læuorem tritum simul decoquito, deinde rubricam prius ex aceto tritam inijcito,& cum vniuersis liquabilia,postremo omnibus simul

confectus,

Ad œdemata.

Ad abscessus,meliceridas .s. atheromata & steatomata.

confectis, & refrigeratis, Opponacum, & chalbanum aceto soluta admisceto, & vtere. Hæc autem emollientia, & resoluentia, si materiam resolutioni contumacem inueniant, ipsam ad suppurationem perducunt, præsertim si benigna fuerit, aut sanguini permista. Sed ad tales abscessus maturandos Haly abbas admonet em plastrum compositum ex farina hordei, pice, & olibano ex pueri vrina in unũ corpus redactis. Si verò efficacius vis, Rec. myrrhæ par. j. licij par. ij. misce cum decocto coriandri. Valentissimum verò, & strumas etiam suppurans est, quod Rec. myrrhæ drach. x. ammoniaci thymiamatis drac. vij. visci quercini drac. viij. galbani drac. iiij. propolis drac. j. in pila contunduntur. Si verò septicis, exedentibusve pharmacis humorem in his abscessibus absumere volueris, eos, sicuti etiam & strumas, medicamentis adurentibus cute superposita prius denudare expedit, è quorum numero, vt ait Paulus, simplicius est, quod constat calce viua, sapone, & cinere lixiuij stillatitio: Postquam verò crusta deciderit, exedentia adhibeto. Erodit autem ualdè citra morsum, quod ℞. squamæ æris drach. iiij. sandaracæ, id est, arsenici rubri drac. ij. ellebori nigri tantundem cum rosaceo vtitor. Aliud ad idem ualde efficax: Rec. erynaceorum combustorum, testæ sæpiæ, auripigmenti ana par. æquales, rosaceo misce. Sed quæ adiacent, & in ambitu sunt partes omnes prius cerussa cum oleo delinito. Vbi verò tales abscessus excindere uolumus, una nobis intentio perpetua est, ut scilicet tunicam, qua humor seu materia concluditur, auferamus. Sed dum hoc molimur, impenso studio cauendum est, uti de strumis supra diximus, ne temerè membrana vulneretur, aut dilaceretur unde humor, qui in ea continebatur, effusus, operationem impediat, & portio ipsius relinquatur. Si enim dissecta tunica, ac humore profuso, tumor subsederit, difficulter admodum tunica excoriati, curarique poterit. Si verò humoris aliquid relictum sit, periculum est, ne morbus reuiuiscat, quẽadmodum & struma cum portio ipsius relicta est. Quod si tale aliquid incidit, melius est nõ consuere, & exedẽtibus pharmacis propositis uel cõsimilibus reliquias absumere. Cęterũ si Steatoma latiore sit apice, basi verò angustissima, & tenuissima, omissis aliis, totũ à radice ipsa amputandũ est: quia sic opus expeditissimũ erit, & vlcus paruissimũ, ac plauũ relinquetur, curatioq; breuissimè absoluetur. De Fauorum aũt Achorũ, & similiũ pituitosorum uitiorũ curatione non est, ut hoc in loco plura dicamus, cum hæc ad capitis manantia vlcera, ut ait Gal. pertineant, & eorum curatio tum ex propositis in vlcerum tractatu, tum ex dictis de pituitosis abscessibus curandis, tum ex dicendis de pustularum curatione, facile patere possit. Id vnicum ex Galeni scriptis addidisse sufficiat, quod, vbi uolumus hos tumores medicamentis discutere, eos prius exasperamus aut nostris vnguibus, idque modicè, aut duriore linteolo, aut asperis bestiarum marinarum coriis, sepiarumque restis, aut pumice, tum medicamenta imponimus. Hæc autem post salsæ pituitæ, totiusque corporis expurgationem molienda esse apertissimum est. Quantum spectat ad glandulas, si hæ molles & paruæ in firmioribus particulis constiterint, & quia nondum inueterauerint, tenellam adhuc cystim habuerint, comprimendæ primum, & atterendæ sunt, & postea desiccãdæ. Itaque primum glandula tam diu molliter manu perfricetur, donec aliquantulum incalescat, & seipsa mollior fiat: postea laborans particula firmiter manibus apprehendatur, & fundo scutellæ, aut re aliqua solida lignea toties, ac tam uehementer percutiatur, ut dispareat, & interior eius cystis dilaceretur, & materia ibi contenta dispergatur. Quo facto, protinus lamina plumbea supra locum applicetur, & fascia duorum capitum arctissimè deligetur, nec ante nouem, vel decem dies amoueatur. Sit autẽ lamina tumori æqualis, & arctè in medio constricta, ne hinc inde labatur. Aliqui ante huius laminæ applicationem vnguentum admouent ex plumbo vsto, fuligine sambuci, aut ficus arboris, oleo, & aceto. Quidam prius admouent emplastrum factum ex aloe, acacia, myrrha, olybano, sarcocolla, adiecto aceto, uel oui candido, quantum sufficit ad alia excipienda. Porro Philagrius, ita referente Aetio, glandulas, siue ganglia (qui nerui tumores sunt inæquales) modo iam proposito non dissimili curare solebat. A Ganglijs enim, ait ipse, sectionem arcemus, præsertim si in manibus, aut pedibus euenerint, & medicamentis tantum curamus. Ammoniacum enim prope ignem ad emplastri consistentiam emollitum illinimus, deinde laminam plumbeam tumori æqualem superponimus, & ne hinc inde labatur, arctis uinculis in medio constringimus, & diebus aliquot transactis, ubi ganglium emollitum nouerimus: nihil ægro præfati, statim sublatis vinculis, cum adhuc locus incalescit, pollicẽ dextræ manus ganglio infigimus, ac reliquis quatuor digitis membro innitentibus vehementissimè com-

Paul. lib. 4.

Exedentia.

Paul. lib. 4.

Ad fauos, thymos, & eos, qui achores dicũtur.

Gal. 2. in 6. Epid. com. 4.

Ad Glandulas, siue Gãglia.

mè comprimimus, & ganglium ſtatim diſſoluitur. hæc ille. Archigenes autem in hoc vitio calcem vnà cum adipe anſerino, & reſina therebinthina apponi iubet. At Oribaſius eo frequenter vſus eſt, quod Rec. ceruſſæ, reſinæ piceæ, olei veteris ana vnc. j. ammoniaci thymiamatis, galbani ſingulorum parem modum, ceræ vnc. iiij. Strenue ſiquidem emollit, & digerit. Quare in ganglijs tutiora ſunt medicamenta, quæ ſcilicet emolliendi, & diſcutiendi vim habeant, quam chirurgica operatio, & exciſio præſertim cum in cruribus, aut brachijs, aut ſummis partibus conſiſtunt. periculum enim eſt, ne pars mutila reddatur. At quæ caput aut frontem occupant, manu tuto curantur: nam tunc ſummam cutem ſcalpello diuidimus, deinde, ſi parua ſunt, volſella comprœhenſa à radice exſcindimus; ſi maiora, hamis tranſfixa, & ſublata circumcirca diducimus, excoriamus, & extrahimus, poſtremo ſuturis oras coniungimus, & agglutinantibus, uti in vulneribus conſueuimus, vtimur. Eadem quoque emollientia, ac digerentia iam propoſita in nodis conueniunt, in quibus pariter exciſio omnino cauenda eſt. Quæ ſi non profuerint, ad ualentiora, quibus etiam in ſtrumis vtimur, confugiendum, de quibus ſi ſermo ſit, Gal. nedũ ad ſtrumas, verum etiam panos, parotides, & podagricos, aliaq; vitia, hoc medicamentum valde comprobat. Rec. olei veteris drach. centum, argenti ſpumæ drach. quinquaginta, picis ſiccæ tantundem, ladani drachmas vigintiquinque, æruginis raſæ drach. octo, galbani drach. quatuor. Argenti ſpuma ex oleo trita coquitur. Cum autem inſpiſſata ſunt, pix, & ærugo immittuntur; deinde ladanum, galbanumque, atque ſic in mortarium transfuſa ſubiguntur, & molliuntur, & ſeruantur ad vſum. Probatur quoque diachylon commune, & ireatum nominatum. In diachyli autem ireati lib. j. malaxanda eſt vnc. j. pulueris radicis ireos. Ad idem ualet diachylon magnum Meſues. Alij ad eiuſmodi tumores, necnon etiam pituitoſos abſceſſus digerendos, probant antiquum ſtercus caninum cum melle, & aceto ſupra ignẽ in vnitatem ad formam emplaſtri redactum, dolentique loco admotum. Pariter laudatur emplaſtrum ex fœno græco, ſemine lini, & braſſica cum mucilagine radicis altheæ confectum. Hoc enim ſi ſuppurationis ſpes ſit, probè maturat. Guido ex Auicennæ traditis hoc utebatur. Rec. ſtercoris bubuli vnc. ij. radicis braſſicæ, radicis capparũ, ſquillæ, ficuum pinguiũ ana vnc. ſemis, lupinorũ, bdellij ana drac. ij. aceti, mellis, axungiæ ſuillæ, fecis olei antiqui ana quan. ſuff. f. emplaſtrum. Brunus, & Theodoricus in omnibus duris tumoribus hoc vſurpabant. Rec. ammoniaci, bdellij, galbani ana partes æquales, macerentur triduo in aceto: quibus diſſolutis, & igni iam appoſitis addatur furfuris ſubtilis, quantum ſatis eſſe videbitur, & fiat emplaſtrum. Rogerius ad ſtrumas hoc vtebatur: Rec. radicis filicis, aſphodeli, & ſiuis ebulorum ana quantũ lubet, coquantur in vino optimo, & tundantur in mortario, addendo ſulphuris viui momentum, & fiat emplaſtrum. Nonnulli efficaciſſimum experti ſunt emplaſtrum, quod conſtabat ex duodecim cochleis vino aut lixiuio cinerum incoctis. Probè etiam ſtrumas diſcutit, ut teſtatur Paulus, calx uiua melle, aut gymnaſiorum ſordibus, ſeu balneorum ſtrigmento, vel oleo, vel ſuillo adipe excepta. Strumas quoque diſcutit lupinorum amarorum farina ex oxymelite cocta, & illita. Ad idem præclarè facit bubulum ſtercus aceto incoctum, & delinitum. Groſſi etiam præcipuè caprifici cum axungia appoſiti omnem tumorem, vt aiunt quidam, diſcutiunt. His igitur emollientibus diſcutientibuſque medicamentis in his, qui ſectionem refugiunt, & ſtrumis inchoantibus, & nondum inueteratis, medeberis. nam primum emollire, deinde diſcutere, uel utrumque ſimul facere oportet, ſicuti propoſita iam medicamenta facere poſſunt. Intrinſecus verò nonnulli tanquam optimum præſidium laſerem, id eſt, laſerpitij, quod Græci ſilphium uocant, ſuccum, ad ciceris quantitatem, ſingulis diebus, ieiuno laboranti ad potandum præbent. Alij ſerpentem, aut viperam extinctam in ollam conijciunt, eamque gypſo probè oblitam, ac circummunitam in fornacem mittunt, & concremati ſerpentis cinerem æquali fœnigræci pondere miſcent, & melle excepto utuntur. Hoc enim ſtrumoſis, & elephanticis eximiè ſubuenit. Verum quoniam ſtruma affectus pertinaciſſimus eſt, & plurimi chirurgicum opus refugiunt, non ſit ab re præter ea, quæ propoſita ſunt, & facile parantur, nonnulla alia emollientia, ac digerentia medicamenta, quæ extrinſecus admouentur, ex Galeni monumentis deerpta, in medium afferre. Vnum itaque deſcribit ex Heræ emplaſtris, quod diſcutit phymata, parotidas, ſtrumas, & omnes duritias, præſertim in teneris: & item ualet ad rhagadas, & ad condylomata, & ualde generoſum eſt: Recipit autem argenti ſpumæ, olei veteris ana drach. centum, reſinæ pityinæ aridæ drach. quinquaginta, vel

[Margin notes: Archigenes lib. 4. — Ad nodos. — Gal. 6. de cõ. per gen. c. 3. — Ad ſtrumas — Diſcutiẽtia intus exhibita. — Gal. 2. de cõpo. med. per gen. c. 10. — Galeni emplaſtra ad cheradas, ſeu ſtrumas.]

vel centum quinquaginta, ceræ drach. quinquaginta: argenti ſpumam cum oleo coquito, donec vnitas fieri inceperit: mox reſinam læuem indito: hac liquata, ceram: vbi bene habuerit medicamen, in mortarium oleo prius inunctum demittito, & denuo tritum excipito. Aliud ſtrumas cum tunicis auferens, & parotidas, abſceſſuſque mammarum ſanans, uenenaque viperæ, & aliarum virulētarum beſtiarum foras trahens ita componitur: Rec. ceræ drach. centum, therebinthinæ drachmas ducentas, ſecundum alios drachmas centum, ſquammæ æris rubri, æruginis raſæ, ariſtolochiæ rotundæ, thuris, ſalis ammoniaci, guttæ ammoniaci, æris vſti ana drach. viij. aluminis combuſti drach. vj. myrrhæ, aloes, chalbani, ana drach. xij. olei veteris hæminam, aceti acris hæminas duas. Quæ liquari poſſunt, ſiccis in mortarium ſuperfunduntur. Sed Galen. huic Heræ emplaſtro addebat dracunculi radicis drach. viij. & olei cyathum dimidium, aceti que hæminam: adhæc, loco therebinthinæ, reſinam colophon. Aliud ad eoſdem vſus, quod ſacrū, ſeu ex dictamno vocant: Rec. olei ueteris hæminas duas, argenti ſpumæ drach. centum, colophoniæ liquidæ, alij pineæ, drach. quinquaginta, ceræ drach. xxv. alij xx. guttæ ammoniaci drach. xvj. alij xxvj. mannæ, chalbani ana drach. xij. ariſtolochiæ, dictamni Cretici ana drac. x. æruginis raſæ, aloes, propolis ana drach. viij. ſquāmæ æris, Gentianæ ana drach. vj. Argenti ſpumā, & oleum in olla magna ſupra prunā incoquito, vt non inquinet, deinde ollā deponens æruginē indito ſquāmamq; , & coquito, ne prorſus inficiat. Poſtea rurſus auferens, reſinā, ammoniaci guttā inijce cribrata, mouens, donec feruere deſinat, mox cū repoſueris, paululumq; demiſeris, tollito, turſus coquens, quoad nō inquinet, quod celeriter accidit. Deinde cū depoſueris, propolim immittes, ac reponens denuo, paulisper ſines, cum depones, addes aloen, mannā, dictamnū, ariſtolochiā, & gentianā. his abundè refrigeratis, ſingula læuiſſima inſperges, mouens, ſi non inficiat, tolles; ſin minus, leni igne coques. Aliud proponit Gal. ex traditis ab Andromacho, quod ſtrumas diſcutit, & viride Alcimonis uel Nichomachi inſcribitur in quinto de comp. per gener. c. 5. ante medium. Aliud ad ſtrumas, & parotidas, & panos valens: Rec. olei ueteris drach. c. picis ſiccæ drach. l. ladani drach. xxv. argenti ſpumæ drach. c. æruginis raſæ drach. viij. alij iiij. & ſemis, chalbani drach. iiij. argenti ſpuma ex oleo trita coquitur. Cum autem coeunt, pix, & ærugo immittuntur, deinde ladanum, chalbanumque. Atque ſic in mortarium transfuſa molliuntur, & vſui ſiunt. Ad ſtrumas aliud: Rec. reſinæ therebint. thuris, ceræ, ſquammæ rubræ ana vnc. iiij. argenti ſpumæ alij auripigmenti, vnc. j. æruginis raſæ vnc. viij. ſalis ammoniaci vnc. vj. aceti hæminam. Ad eaſdem, & ad podagras aliud: Rec. Therebint. lapidis aſij, bituminis ana drachmas ccclx. aphronitri, vitulini, ceræ, baccarum lauri, guttæ ammoniaci ana drac. cccxl. lapidis pyrites drac. lxxx. calcis viuæ drach. cviij. aſpidum cineris drach. cxl. olei veteris hæminas ij. poſtremo cinis pharmaco refrigerato inſpergitur, ſin minus perit. Aliud ad Strumas, quo Gal. vtebatur: Rec. Terebinthinæ, propolis ana pondo j. ceræ, chalbani, viſci querci ni electi ana pondo viij. His liquefactis fecis combuſtæ vnc. ij. inſpergito, aphronitri pondo viij. deinde vbi carbonibus impoſueris, olei hæminas iij. inijcito. poſtea ſublatis cucumeris agreſtis radicis vnciam inſpergito, gladioli radicis vnc. iiij. aſij floris tantundem. Aliud ad duritias: Recip. guttæ ammoniaci drach. xij. miſceto chalbani tantundem, æruginis raſæ, propoleos, viſci quercini lecti paria pondera. Aliud ad Strumas, parotidas, & particulares abſceſſus diſſoluens omnem duritiem: Rec. ſalis foſſilis, argenti ſpumę ana lib. j. ſtrigmēti puriſſimi lib. iiij. chalbani drac. l. ſalem, & argenti ſpumam conterito, deinde ſtrigmento adiecto, ſtudioſè rurſus tūdito in vas fictile coniecta, igni que ſupra poſita coquito, mouens ſine requie, & cū non amplius inquinat, ab igne depoſito chalbanum ligneo piſtillo tuſum addito: vbi ſoluta fuerint, in pilam transfundito, ibique contuſis vtitor. Aliud ad Strumas, Parotidas, mammarum duritias, Vlcera uix ſanabilia, & particulares abſceſſus, Andromachi. Rec. ceruſſæ, ſalis foſſilis ana drach. lxxx. atramenti ſutorij drac. xij. olei veteris hæminas tres, aceti hæminas iiij. ſalem in tenuiſſimū puluerem redactum, ceruſſamque ex oleo coquito, ac dum non inquinet, moueto. Vbi bene habuerint depoſitis ab igne atramentum ſutorium aceto tritum immittito, & exiguum continuè inſpergens caue, ne efferueſcat: deinde in mortarium transfuſa, rurſuſque tu ſa excipito, & vtitor. Aliud paulo poſt principium ſubſequentis cap. nempe ſextidecimi lib. vj. de compoſ. medic. per genera tradit Gal. ad ſtrumas, & mammarum duritias opportunum. perforat enim eas, & contentum humorem excernit, ſinus iungit, & ad cicatricem perducit. Aliud ad ſtrumas pertinaces ex Damocrate: Rec.

Iſis Epigoni.

Gal. 5. de cō po. per gene. c. 2.

Sacrum ex Vulcani tēplo in Mēphi.

Gal. cap. cit.

Gal. 6. de cōpoſ. per gen. c. 11.

Cap. 14.

Cap. 15.

Cap. 16.

Cap. 17.

Rec. Salis tenuis lib. j. ceruss. chalbani, propoleos, aristolochiæ ana vnc. ij. olei veteris lib. ij. aut iij. Si crassissimum fuerit, coque similiter, temperatumque probè ab igne tollito, læuigatam tunc quoque aristolochiam insperges, vbi mollita, propolim scilicet, & chalbanum iniecetis. Ad discutiendum autem Bronchocele, hoc est Bocium gutturis, & ad durirías probatur hoc, quo Clemens Sertorius curatus est: Rec. argenti spumæ denarium pondo L. resinæ pityinæ denar. pondo xl. olei veteris hæminas x. chalbani denar. pondo iiij. æris combusti denar. pondo xx. guttæ ammoniaci denar. pondo xl. aluminis fissi, mannæ thuris ana denar. pondo iiij. ceræ denar. pondo l. Postremo chalbanum, & mannam inijcito. Arnaldus verò de Villanoua extollit hunc puluerem, qui Recip. spongiæ marinæ, pilarum marinarum (quas Guido marinas paleas vocat) ossis sæpiæ, piperis longi, piperis nigri, gingiberis, cinamomi, salis gemmæ, pyretri, gallarum, & spinæ rosarum (per quam spinam doctiores inuolucres quosdam spongiæ similes, qui oriuntur circum rubos, seu rosas sylnestres, interpretantur) ana partes æquales, omnia subtilissimè puluerizentur, excepta spongia, & pilis marinis, quæ prius secundum artem comburuntur, & postea earum cinis cum alijs rebus optimè cribratis miscetur. Hic autem puluis die ac nocte in ore, & sub lingua præsertim detinetur. Quinimò cibaria hac eadem condienda sunt, & summo manè per 4. vel 5. horas ante cibū, celebrata scilicet concoctione, debet ad dosim drachmæ semis uel unius deuorari, quia mirificè conducit. Hac enim ipse testatur se quā plurimas virgines vsq; ad ætatem viginti quinque annorum, non vltra, omnino persanasse. Sed ne pulueris virtus euanescat, sacculo ex corio optimè obturato detineri debet. Potest etiam cū melle ad electuarij formam redigi, & dum eunt dormitum, & summo mane per decem aut xij. & plures dies exhiberi. Sed dum istis vel alijs auxilijs ad strumas propositis discuti non potest, neque extrahi, uti de strumis diximus, Rogerius duobus setacijs urebatur, uno secundum longitudinem, & altro per transuersum, & continuò manè, & serò setones foras trahebat, donec vniuersa materia contenta absumpta erat. Demum vbi strumæ, & alij duri tumorés pituirosi neque iam propositis auxilijs discuti neque euelli possunt, ad corrodentia medicamenta consugiendum. Quare cutim urente aliquo medicamine pro ratione magnitudinis excrescentiæ abrumpito, ita tamen, ut partes circumstantes nullo modo attingantur. Perbellè autē hoc opus absolues admoto caustico ex calce aut sapone: quia spatio xij. horarum opus suum absoluunt: & si diutius permanserint, nihil incommodi sequetur. Caustico abrupta cute, & inducta eo in loco eschara per medium ipsius escharæ abscessum seu tumorem recta linea in longum diuidito (incides autem versus profundum fere vsq; ad viuum) & in vulnus linamentum aliquo exedente medicamine (cuiusmodi est puluis asphodelorum) respersum imponito. Præter alia pariter, quæ plura sunt, arsenicum primatum tenet; modo quis eo rectè vtatur. Si quis enim temerè eo vtatur, propter nimiā eius vim, febres, & alia praua symptomata inducet. Adde quod minima etiam quantitate adhibitum mirum, & ferè incredibilem effectum præstat. Communis tamen eius quantitas est medietas unius grani tritícei frumenti in corpore robusto, & partibus à principalibus membris longè remotis: in debilibus verò naturis, & locis præcipuis partibus propinquis, & iuxta positis, minor quantitas admouenda erit, sed tutius est parum, & sæpius ex eo offerre, quam semel, & uico vna quantitatem immodicam. Eius autem operatio, seu effectus durat tres dies integros. Quare eo tempore laborans victum sebricitantium seruare debet. Membrum verò affectum, & partes circunstantes ad tutelam sui, & fluxionem, quæ ab immodico calore irritatur, prohibendam, unguento populeo, & aqua uel succo solani, & aceto, & id genus alijs refrigerantibus illini ac perfundi debent. Quando verò certò tibi constabit glandulam iam corruptam esse, atque absumptam (quod ex duritie, & tumore crustæ inductæ depræhendes (tunc crusta à viuo resoluenda erit, admoto.f. butyro loto, & momento farinæ triticeæ inspissato, uel aliquo alio pingui, & vnctuoso non salito, ut exungia suilla. Vbi crusta exciderit, si quicquam adhuc ex glandula, aut struma remanserit, id absumendum erit erodente medicamento, ut puluere asphodelorum, aut vnguento Aegyptiaco, vel puluere præcipitati, qui etiam solus post cutis superpositæ ablationem, mirum in modum strumas euellere, & paulatim absumere depræhensus est. At si nihil amplius superfit, more aliorum vlcerum ad cicatricem perducitur. Quantum verò attinet ad victus rationem, nedum in œdemate, verum etiam in alijs pituitosis tumoribus hæc attenuandi vim habere, & ad calidum & siccum cum quadam attenuatione vergere debet.

Propterea

Gal. 6. de cō po. per genc. c. 14.

Ad Brōchocele, siue Bocium gutturis.

Corrodentia, ac detergentia medicamenta.

Victus ratio.

Propterea tenuem, ac calidum, & ſiccum aerem deligito, aut arte præparato. Vinum defecatum pellucidum, album, aut fuluum, vel rubrum ſit, & optimum, & modicè aqua dilutum concedito. Panis probè coctus, & rite præparatus eſto. Cibi pariter reliqui ad ſiccum vergant, quales ſunt carnes ſylueſtres, auiculatum montanarum, & pullorum, in iuſculis, oleribus. Ab azymis, à piſcibus, lacticinijs, leguminibus, & fructibus horarijs, & alijs crudis, frigidiſque, & humidis edulijs abſtineant; & aſſis potius veſcantur, quam elixis, & pro ciborum condimento ſemper modico piperis, vel cinamomi vtantur. Parce comedant, minus bibant, & decentib. corporis motibus vtantur, ac multū, ſi fieri poteſt, laborent, & proinde vitæ luxū, ingluuiē, ac repletionem omnino fugiant. Somnus quoq; breuis ſit, tantummodo nocturnus, vigilia longior, animi paſſiones ceu peſſimæ caueātur, necnon venus ipſa. Aluus ſi ſponte nō fluat, ficubus, & carthamo, aut aloe ſoluatur. Ergo vel ficus aridas quinq; aut ſex numero accipito, eaſq; medulla ſeminis carthami impleto, & mane, vel prima mēſa edōda exhibeto; vel quod ab alijs magis probatur, aloe aut lota, aut non lota vtantur, quia nedum aluū lenit, verū etiam pituitoſas humiditates abſumit, exſiccatq; aut alternis ſaltem diebus clyſtere utātur. In ſtrumoſis aūt tumoribus, in bronchocele, & id genus alijs vitijs, quæ a craſſa, glutinoſaq; pituita proueniūt, longe magis tenniori victu, & incidendi vim habēte vti debēt, & craſſioris ſucci cibos, frigidę potum, præſertim ventre ieiuno, nimiam ſatietatem, ac repletionem euitare. toleranda aūt illis eſt, quam maximè fieri poteſt, inedia, bonaq; concoctio procuranda, & habitatio humida vitanda, qualis præſertim eſt in vallibus ſita, paludoſa, & vitiatis aquis irrigata. Potuſq; ſit vinū generoſum, optimumq; & moderatè ſumptum, vel aqua aluminoſa, aut ſulphurata. Nam tales aquæ minerales, & præſertim, quæ vini fœculam ſapore repræſentant, non ſolum internos ſtrumoſos & pituitoſos abſceſſus, verum etiam externos, & ſumma corporis occupantes, vt affirmauit Arnaldus, imminuunt, atque diſcutiunt.

De aquoſis, flatuoſis, & ijs, qui in Scroto oriuntur, tumoribus.
Caput XIX.

Nomen.

TVMORES aquoſi ij proprie dicuntur, qui quidem à tenni & aquoſa, ſeroſaque materia producuntur. Quam quidē, etiamſi verè pituita non ſit, propter cauſam in ſuperiori capite aſſignatam, eam nihilominus Recentiores aquoſum phlegma nominare conſueuerunt, propter conueniētiam, ſcil. quæ inter pituitam, ſeroſamq; ſubſtantiam intercedit.
Vtraq; enim frigida, & humida ſui natura eſt. Quemadmo- *Galen. 3. de*
dum verò aquoſa, ſeu ſeroſa hæc excrementa, dum in toto *ſymp. cau. 2.*
Differētię. redundant Gale. teſte, eam hydropis differentiam creant,
Aſcitis. quam aſcitem vocat: ita in corporis parte aliqua collecta in ea phlyctenas, id eſt pu
Phlyctenę. ſtulas excitant, quas tumores aquoſos, & interdum illegitima, ſeu non vera vocitāt
Sudamina. œdemata. Hi verò aquoſi tumores ruſſus varias adepti ſunt nomenclaturas, pro
Epinyctides. partium, quas obſident, diuerſitate. Qui enim in ſumma cute fiunt, ſudamina appel
lantur, qui noctu oboriuntur, epinyctides nuncupantur: ſi aquoſa ſeroſave materia
Hydrocele. in teſtibus, ſeu ſcroto colligatur, eum tumorē excitat, quem hydrocelē, aut herniā
Hydromphalos. aquoſam nominant: ſi in vmbilico collecta ſit, hydromphalos Græcis dicitur. Simi
li modo inflatio, ſeu flatuoſus tumor, qui emphyſema Græcis, vulgo aūt apoſtema
Flatuoſus tumor ventoſum uocatur, & à flatu craſſo ortum ducit, ſi abdomen occupet: ita, vt flatus ca
pacitatem inter peritonœum, & inteſtina occupet, Tympanitem generat. Si ſcrotū
Emphyſema dictus. flatus obſideat, dicitur Phyſocele, ſeu hernia ventoſa: Si aliā partē, flatuoſi tumoris,
& generis nomē retinet. Nā flatuoſus, & craſſus ſpiritus, vt Gal. ait, alias ſub cute, in *Gal. 14. meth. 7. & 2.*
Tympanias. terdum ſub membranis, quæ tegunt oſſa, nonnunquam ſub muſculis colligitur: Cō- *ad Glauc. 6.*
Phyſocele. præhenditur verò aliquando & inter membranas, quæ muſculos complectuntur, *& 4. de rat.*
quemadmodū & à mēbranoſis tendonibus: Cōpræhenditur etiā ab ijs, quę ratione *vict. com.*
cognoſcūtur, ſpacijs, in muſculis, atq; alijs corporis partib. quorum locorū naturā *21.*
anatomicę adminiſtrationes docēt. Colligi vero craſsū hūc ſpiritū interdū intra in
Cauſæ. teſtina, vel vētrē, ad hūc librū explicare nō attinet, cū id in ſecūdo libro docueri
Cauſæ aquoſi tumoris. mus. Aquoſus aūt ſiue ſeroſus humor interdum ad affectam particulam tranſmitti
tur propter mittentium ſcil. partiū robur, & ipſius affectæ partis imbecillitatē, laxita
temque, nonnunquā attrahitur ratione caloris, aut doloris, vel vtriuſq;. Vnde mirū

non est, si propter exustionem ab aquæ feruidæ, & ebullientis, aut ignis contactu factam, quia partes & calore, & dolore ingenti cruciantur, eæ in tumorem attolluntur. Quæ autem causæ serosus, & aquosas humiditates gignant, atq; multiplicent, in secũdo libro declarauimus: Vel enim sunt internæ, vti sunt iecoris præsertim, & viscerũ, quæ nutritioni dicata sunt, intẽperies frigida, & renum frigiditas, & obstructio: Vel externæ, vti sunt frigidiora, & humidiora alimenta, ad aquositatẽ declinantia. Dum enim harũ causarum merito serosa humiditas in corpore multiplicatur, robustum membrum excretricem irritans, ad cutaneas, & alias laxiores, imbecilliores, capacioresq; partes facile transmittitur. Quod si vehemẽs causa attrahẽs adfuerit, qualis est ignis cõtractus, tunc ẽt si serositas præter naturã non redundet, sed ea solummodo in corpore reperiatur, quæ ad sanguinis per venas, & totũ corpus distributionẽ satis sit, nihilominus ab ea aquosi tumores fiunt: quia propter attractionis vehementiã, hæc propter sui tenuitatem, copiã, & vicinitatẽ ad affectã partẽ facilimè fluit. Flatuosi verò tumoris causa, vt habet Gal. est flatus, seu spiritus crassus, ac uaporosus existens, nõ secundũ substantiam aereus, neq; tenuis. Cogita verò eius naturã, scribit ille, ex circunstante nos aere, in memoriã reuocans, qualis in austrinis constitutionib. qualisve in aquilonarib. fiat. Ei enim, qui in Australibus, assimilatur flatuosus: alteri verò, qui in Aquilonaribus, is, qui in nobis secundum naturã est, spiritus. Adiuuat autem ne huiuscemodi spiritus differ, etiam densitas corporũ. Huius autem crassi, ac vaporosi spiritus causa, Galeno reste, est caloris natiui imbecillitas, seu diminutus calor, & materia pituitosa ad flatus excitãdos disposita. Calor namq; eiusmodi suscitare quidem vaporem ex humida materia potest, sed non discutere. Quemadmodum enim inquit in externis rebus videmus, vt frigidissima cõstitutio, maximè spirante Borea, aerẽ sereniorem reddit, ac calidissima per æstatẽ constitutio ambientẽ nos aerem purũ efficit; mediæ verò cõstitutiones nebulas pariunt: ita in animantibus accidit. Neq; enim calor per extremam imbecillitatem, neq; cũ vehementes ei sunt vires: sed cum medium inter has affectiones obtinet, flatũ gignere potest. Membrorum autẽ densitas, uti diximus, & spiritus simul crassities efficit, vt idem vaporosus spiritus non dissipetur. Hæc autem crassities lõgè maior est, quã illa, quæ palpitationis est causa, quæ quidem in relatione ad eam, quæ flatuosi tumoris causa est, mediocris quodammodo dici potest, sicuti summa & maxima est, quæ emphysematis est causa. Quæ quidem intelligenda sunt, seruata in ambientis corporis densitate, & raritate ipsa paritate. In densiori enim cõtinente corpore minor sufficit crassities spiritus. Hinc tumores flatuosi sæpius articulos exercent, tum propter eorum laxitatẽ, cauitatemq; maiorem, tum quia diminutum habent innatũ calorẽ (exangues enim & frigidæ partes sunt) tum propter eorum seu membranarum ipsos ambientium densitatẽ; tum demum propter lentam pituitam in ipsis redundantẽ. Nã hæc è tendonibus membranis, ligamentis, neruis, & alijs frigidis & humidis partib. quæ prope articulos sunt, abunde prouenit, quia omnia hæc corpora pituitoso aluntur sanguine; Vnde & eorũ excrementa pituitosa de necessitate sunt. Flatuosus autẽ spiritus, vti diximus, à succis pituitosis à diminuto calore in halitũ soluris generatur. Interdum autẽ ab internis partibus, & præsertim à ventriculo, intestinis, & reliquis abdominis mẽbris ad externas partes, vel venas, arterias, & alios ductus cœcos protruditur, aliquãdo in eadẽ parte, quæ emphysemate correpta est, ex pituitoso scil. succo in ea cumulato cõgeritur, paulatimq; generatur. Quod quidẽ præsertim cõtingere solet, vbi pars aliqua propter contusionem, vel consimilẽ aliquã calamitatem, imbecillis euaserit, & proprium alimentũ coquere, & mutare, & regere nõ potuerit. Tunc enim crudus humor in ea cõgeritur, & ab imbecillo calore exagitatus in flatuosum, crassumq; vaporẽ mutatur. Quamuis aũt aquosus humor in multis cum œdemate conueniat propter causam superius allatã. Nihilominus inuicẽ differunt, quia in tumore aquoso laxitas maior adhuc apparet, q̃ in legitimo œdemate, & ob id nõ ita tactui renititur, sonatq; nõ vt flatus vẽtusve, sed vt aqua potius, dũ digitis percutitur. Adhæc aquosus tumor, ad differẽtiã œdematis, aliquo mõ splendere uidetur cũ quis ad lucẽ ipsum intuetur: & si cõprimatur cedit quidẽ tactui, & non renititur; sed in se non subsidet, neq; foueam vllã retinet, sed ilicò ad pristinum statum, prioremq; tensionem propter materiæ fluxibilitatem, recurrit: & propter eiusdem materiæ nitrositatem, atq; salsedinem (serosa enim est) aquosum hunc tumorem pruritus quidã peculiariter comitatur. Differunt aũt flatuosi tumores ab œdematis, vt Gal. scriptum reliquit, quod & pressi digitis non retinent vestigium, & sonitum veluti tympanum reddunt: itemque quod in cauitate sensibili

subinde

Galen. 2. ad Glauc. 6.

Causæ tumoris flatuosi.

Galen. 3. de symp. caus. cap. 2.

Galen. 4. de rat. uic. com. 21.

Galen. 3. de sympt. caus. cap. 2.

Signa aquosi tumoris.

Signa flatuosi tumoris.

subinde cõtinentur, atq; hac nonnunquã maxima. Ex eo verò, quod sonitũ reddit, clarũ est, ipsum tactui vniteme esse, pressumq; foueã nullo pacto retinere. Insuper tumor hic flatuosus quendã lucidũ splendorẽ exhibet. Ac sæpius percipitur flatus per totũ corpus modo huc, modo illuc discurrens, ac dolorẽ extensiuũ, vel molestã palpitationẽ pariens, & causæ flatũ pituitãq; multiplicantes præcessere. Tales autẽ sunt frigidæ viscerũ intemperantiæ, aer frigidus humidus, ac nubilosus; frigidi, & crassi, cõcoctuq; difficiles cibi, vti sunt fructus, lacticinia olera, legumina, ostreacea, cochleæq; castaneę, nimia cibi, aut potus repletio, somnus multus, & nimiũ otium hæmorrhoides, aut alię cõsuetæ euacuationes suppressæ, aluusq; potissimum adstricta. & id genus alia, de quib. alibi disseruimus. Verũ quoniã aquosus, & flatuosus tumor sæpissimè, &, præsertim aquosus, vt plurimũ in scroto ipso locũ habent, quia scil. aquosa vel flatuosa materia ipsum in tumorẽ distendũt, & vitiũ illud producũt, quod hernia, siue ramex appellatur: idcirco opportunus hic locus videtur, vt pp maximã sermonis, & affectus, quo de agitur, affinitatẽ, non solũ de ipsius hydroceles, ac physoceles, verũ ẽt de quarumcunq; herniarũ signis, ac differentijs agamus: Nã secus impossibile esset, hæc duo vitia, de quib. nunc sermo est, à reliquis hernijs distinguere, & rectè curare. Hernia itaq; seu Ramex imprimis duplex est, imperfecta scil. seu in cõpleta, quæ iguinalis à nostris, à Græcis Bubonocele appellatur, in qua descẽdẽs materia in inguine prominens vltra inguina nõ progreditur, neq; in scrotum exactè descendit: necnon perfecta, cõpletaq; quę quidem virorũ solummodo peculiaris est (sicuti Bubonocele mulierũ, atq; virorum est communis) eò, quia in cõpleta, materia aliqua, seu corpus in scrotũ descendens tumorẽ parit. Illabitur autem eò, quia, vt Gal. testatur, peritonæũ (quod omnia sub abdomine coercere solet) aut rũpitur, quod rarissimè fit, aut relaxatur, dilataturq; quod semper ferè cõtingit. In his enim ægritudinibus, inquit, quæ enterocele, & epiplocele appellantur, laxari magna ex parte, nonnunquã verò & abrumpi eũ meatũ contingit, qui à peritonæo ad testiculos pertingit. Sic quoq; deinde ad ipsum meatum, aut ad tunicã, quã Græci erythroidem vocant, aut omenrũ, aut aliquod labitur intestinũ ; sed dũ minor est peritonæi dilatatio, & solũ superioris eius portionis, quæ in scrotũ non descendit, tumor in inguine solo existit. Quum verò huic etiam dilatatio accedit eius membranæ & portionis peritonæi, quam vaginam vocant, quæ in scrotum deuoluitur, hoc pariter distenditur, & intumescit. Illabuntur autem varia, ex quibus ramicum differentiæ statui solent. Ab illabente siquidem intestino fit enterocele, seu hernia intestinalis: Ab omento, epiplocele, seu hernia omentalis: Ab aqua hydrocele, aquosa hernia dicta; A flatu Physocele, id est hernia ventosa: Ab adnata carne, quæ circa testiculum, vel in huius substantia concrescit, Sarcocele, siue hernia carnosa. A venis, quæ vltra modum repletæ in scroto, & testibus varicum modo dilatentur, ramex, seu hernia exoritur varicosa. Cognoscitur autem Ramex imperfectus, quia in inguine solum prominet. Vt autem viris in scrotum, ita & interdum mulieribus tum intestinorum, tum omenti, tum aquarum prolapsus fit in pudenda è quibus illa videntur tanquam è sacculo propendere. Cum autem hernia perfecta ex scroti tumore facilimè cognoscatur, ideo si in ipsius differentijs perlustrandis pergamus, sciendum est, quod in enterocele, & Epiplocele permanens tumor non est: nam resupino, & intestina, & omentum vel sponte, vel blando digitorum impulsu remeant: illa quidem rugitu, & flatulento murmure ; hoc verò ægrius, & nullo sono, nullo rugitu. In Epiplocele tumor semper fere eandem magnitudinẽ seruat & tactu inæqualis potius percipitur; in enterocele rotundus magis, & modo maior, modo minor apparet, quia interdũ maior, nõnunquam minor intestini portio descendit, & illud nonnunquam inane est, nonnunquam flatu, aut stercore repletum. Et dum prolapsum intestinum fęcibus repletum est, ægrè admodum in abdominis capacitatem remeat, etiamsi repellatur. Quo fit, vt dolor in scroto, & inguine, abdomineq; suboriatur, & ægrotantes colico dolore torqueantur, cui compatiens ventriculus, nedum bilem, & pituitam; verum etiam fęces ipsas tandem per vomitum eijciat. nam euacuatione per sedem intercepta, si crassum intestinum in locum suum non reuertatur, voluulosus affectus suboritur. Hydroceles verò, atque etiam sarcoceles tumor perpetuus est, nec impulsus in abdominis capacitatem cedit: Hoc autem discriminis intercedit, quod hydroceles tumor mollior est, pulsatus resonat, pondere leuis, & opposito lumine perspicuus: Sarcoceles tumor scirrhi instar, durus, grauis, & obscurus, qui longiori tempore pedetentim increuit, pauca, aut nulla diminutione. Et, vt ait Guido,

Margin notes: De Hernia rũ signis & differẽtijs. Hernia, seu Ramex. — Gal. lib. de caus. morb. c. 10. — Herniæ differentiæ. Enteroc ele. Epiplocele. Hydrocele. Physocele. Sarcocele. Ramex varicosus. Signa. Signa differẽtiarũ herniæ. — Celsus lib. 7. cap. 14.

Guid. tract. 2. doct. 2. ca. 7. quando tangitur, totum illud, quod est infra testiculum, mouetur; Hydroceles autem tumor licet successiue, & paulatim; minori tamen tempore, quam sarcoceles tumor, augetur, Adhuc minori temporis interuallo, & fere subito fit Physoceles tumor, qui etiam clarius, quam aquosus tumor, splendet: affectæque partis uenas distẽdit. Simili modo, quamuis tumor hydroceles, in relatione ad sarcoceles tumorem, leuis appareat; nihilominus ad ventosæ herniæ tumorẽ collatus, grauis est cum mollitie, quia Physoceles tumor omniũ leuissimus existit, sed cũ renitentia aliqua coniunctus. Demum varicosi ramicis signa sunt venarũ contortarum ad modum capreolorũ vitis, repletio, & testiculorũ mollificatio, qui etiam ob humorum grauitatem magis descendunt. Vt autem cognoscamus an peritonœum, & tunica illa dilatata, vel potius rupta sit, oportet tum proximam ac contentiuam, tum remotam, & externam quoq; causam herniæ, tum vaginæ descendentis magnitudinem, latitudinemq; perpendere. Si enim in scroto intestinum contineatur, idq; subito, & vsq; ad fundum descendat, tunicæ ruptionem indicat; Sin omentum, aut aquosus humor, dilatationem potius arguit. Aquositas enim relaxandi vim habet, & paulatim in scrotum percolatur, omentum & ipsum, quia pingue est, relaxare, & dilatare potest, non autem rumpere, cum præsertim eius pauca portio descendere queat, non autem magna, quia uentriculi fundo alligatum est. Insuper cum tunica dilatetur, & rumpatur, etiam propter causas externas, procatarcticasq;, quales sunt casus, percussio, clamor, saltus, spiritus retentio, gestatio ponderis, Venus nimia, laboriosaq; præsertim à cibo, & ventre flatibus, aut fecibus repleto; dum hæ prægressę fuerunt, & præsertim, vbi vehementiores extiterint, ruptionem potius, quam dilatationem indicant. Pariter vagina ad inguen excurrens, & in scrotum descendens, nimium, & præsertim subito, ac post causam aliquã violentam, dilatata, ruptam tunicam innuit; parum autem prominens, & potius angusta, dilataram esse significat. Sed, quemadmodum superius diximus, semper fere dilatatur; quia, vt hydrops nobis patefacit, facilimè distẽditur; rarissimè verò disrũpitur. At verò tumores aquosi sæpissimè in scroto, vt diximus, testiculisq; proueniunt, necnon etiam frequenter in pedibus, capite, & iuncturis accidunt, & magis, quam in alijs corporis partibus, eò, quia humor hic in huiusmodi partes promptius irruit, & caliditas in ipsis modica est; quippe quæ, vt Gal. ait, procul à calidissimis abſunt partibus. Quemadmodum uerò flatuosus spiritus raro absq; humore aquoso inuenitur, ita uix vnquam aquosus humor in particula aliqua concluditur absq; flatu. Sicuti autem aquosus tumor per se subsistens, licet difficulter curetur; periculo tamen vacat, & multò magis ea, quæ sudamina dicuntur, in quibus tumores vesiculis persimiles in corporis ambitu apparent: ita aquosi tumores, qui in crutibus, & pedibus fiunt, & hydropis, vel cachexiæ symptomata sunt, quia iecoris vitium insequuntur, vt plurimum mortem prænunciant, non ratione sui, sed propter grauiora mala, quæ comitantur, & idem prorsus de flatuoso tumore enunciamus. Is enim qui hydropem, vel cachexiã insequitur, periculosissimus censeri debet. Qui verò per se subsistit, dũmodo valde magnus nõ sit, periculo vacat. Sed vaporosus spiritus, qui nõ discutitur, multa incõmoda parere potest. Halituosus verò huc atq; illuc per corpus discurrens, ac quodã modo turgens cum dolore, & anxietatibus magnopere verendus est: Quippe qui à materia aliqua venenosa attolli videatur. Omnis autem hernia curatu difficilis est, præsertim ubi tunica rupta sit, quia propter sui densitatem, excepta infantium ætate, ægerrimè, & fere nunquam vnitur. Quo fit, vt nisi ruptura parua recensq; sit, & puerilis ætas, neq; ipsa sectione, neq; alijs auxilijs ramex curari possit, sed sola deligatura patiens ab intestini descensu præseruetur. Quæcunq; vero materia in scrotũ descendat, sui diuturna mora testiculos ipsos nedum alterare, & generationi ineptos reddere, verum etiam corrumpere, & putrefacere valet. Quemadmodũ verò tum aqua, tum flatus sæpe leui negotio eradicantur, ita carnosæ, ac varicosæ eradicationes difficiles, periculosæque sunt: ita ut melius sit hæc dimittere, quam extirpare. In aquosi autem tumoris extirpatione eadem via, & ratione curandi incedendum est, quam in alijs tumoribus profligandis ex fluxione humorum obortis, in sermone uniuersali vtendum esse docuimus. Id autem quod particulariter in hoc tumore obseruandum proponitur, est vt aquosa materia iam influxa, aut euaporatione, exiccationeque, aut sensibili euacuatione inaniatur, & eadem aquosa humiditas adhuc influens, & tanquam causa antecedens in corpore collecta, proprijs pharmacis, quæ scil. aquositates purgant, nedũ per aluum, verum etiã per vias vrinæ post eiusdem cõcoctionẽ, & apparatũ expurgetur: & tandẽ nouæ materiæ regeneratio,

Prognostica.

Indicationes.

In aquoso tumore.

generatio, per ea, quæ iecur, & alia viscera roborant, & persanant, congruámq; victus rationem, inhibeatur. Et eedē prorsus indicationes in flatuosa materia influente eliciendæ erunt. Oportet enim eam, quæ in corpore genita est, discutere, & eradicare, & ne noua rursus gignatur, prohibere. Gratia aūt materiæ iam influxæ indicatio curationis omnium communis est, vt scil. quod præter naturam est, vacuetur, in quocunq; loco id contineatur. Propria v. post hanc communem indicatio est, vt tenuissimis, & calidis potestate medicamētis id fiat, & quia adiuuat, ne huiuscemodi spiritus difflet, etiam densitas corporum, in quibus continetur, ideo eiusmodi affectus curatio aliam communem habebit intentionem ad elaxanda ea, quæ astricta sunt, corpora, atq; ad crassos spiritus attenuandos. Nā si subtiliori substantia sufficienter calefeceris, id quidē, quod densatum est, rarefacies. quod verò crassius est effectum, extenuabis. Patientiū autem particularum natura conuenientē auxiliorū materiam indicabit, ac in ipsa maioris, minorisq; rationem. Sed communis omnibus partibus curatio erit per subtiliorem substantiam, quæq; quādo passioni dolor adiunctus sit, talem habeat naturam, ut dolorē sedare queat. Secundū verò patientiū partiū differentiam & materia curationis commutatur, & augetur, atq; obtunditur vis. Quare eædem prorsus nobis sese offerent indicationes, dum aquosa, uel flatuosa materia scrotū in tumorē distendunt, & quocunq; modo ramicē, herniāue producunt, ea solum adiecta, quæ à partis affectæ natura desumitur. Quod si in scrotū, aut tunicam ad ipsum descendentē vel intestinum, vel omentū prolabatur, vt nos monet Auic. duę nobis sese offerent indicationes. Vna, vt pars in suū locū, & ad intra abdomen reducatur, altera, ut ne rursus scrotū, & inguina prolabatur, prohibeatur. Id autem fiet si tunicā dilatatam constringamus, aut disruptam vniamus, & causas omnes, quæ eandem dilatare, aut abrūpere possunt, siue externæ, siue internæ sint, auferamus. Similiter in hernia varicosa humorem influxū discutere, & siccare, influentē reprimere, & vasa dilatata adstringere, ac roborare oportet. Caro autem, quæ in Sarcocele excreuit, emollientibus, ac digerentibus, de quib. in sequēti capite in scirrhi curatione dicemus, aut si his nihil proficimus, sectione ipsa tollenda erit. Eæ verò præsidiorum materiæ, quæ aquosam, & flatuosam materiā fluentem, & nondum in affecta parte collectam euacuare, & discutere, & ne rursus hæ materiæ generentur, prohibere valent, omnes in sermone de hydrope, ascite sci. & tympania, necnon etiam in superiori capite de ędemate perquirendæ erūt. In hoc autem loco satis, superq; erit, ea remedia localia proponere, quæ propositas materias iam influxas, & in parte affecta contentas euacuare, & proinde aquosas humiditates exiccare, & resoluere, & flatus discutere possunt. Vnde pro aquosa materia eradicanda non improbatur Galeni medicamentum, quod ex sale, & oxyrrhodino constat, in cura ędematis descriptum. Simili modo spongia noua lixiuio perfusa & reliqua auxilia superiori capite ad ędemata proposita summopere probantur. Quibus vt potentius exiccent, & discutiant, aphronitrum, alumen, & sulphur addenda erunt. Valentiora sunt aqua calcis, necnon lixiuium cineris sarmentorum vitis. Sed valentissimum præstantissimumq; est emplastrum ab Auic. propositum, quo ipsa omnē duritiem sæpe intra triduum, & ad summum infra hebdomadam unam discutiebat: Quo etiam ad aquosam, & flatuosam duritiam dissoluendam commodè vti possumus. Recipit autem seminis sinapis, seminis vrticæ, sulphuris, spumæ maris, aristolochiæ rotūdæ, bdellij ana vnc. j. ammoniaci, olei antiqui, ceræ ana vnc. ij. Quod si hoc emplastro non discutiatur, ad sectionem, quæ ferro administratur, cōfugiendum hoc enim melius auxilium excogitari non potest: & deinde locus detergendus, & aliorum sordidorū vlcerum more curandus erit. De his verò, quæ flatulentam materiam extenuare, ac discutere, & innatum partis calorem roborare, & meatus corporum densitatem recludere valent, sermonē habens Gal. In artub. & musculis, inquit, qui sub cute, aut ēt membranis, quæ ossa vestiunt, inflatio orta, si citra dolorē sit, liquor aliquis tenuissimarū partium, cuiusmodi est lixiuium noua spongia exceptū, ei satisfecerit: sin dolor quoq; vrget, vngenda pars est oleo, quod relaxandi, remittendiq; vim habeat. Incidunt porro ex percussionib. tales affectus ubi scil. vel musculus, vel mēbrana, quę os circuit, est cōtusa. Sic super mēbrana quidē, quæ os ambit, antedicta ponēda est spōgia. Ad musculos v. (namq; hi aliquādo dolent) medicamentū, quod magis mitiget, est adhibendū. Quo fit, vt ad hos solo lixiuio nō vtamur, sed immissa ei tū sapa, tū pauculo oleo. Satius aūt fuerit in principio nō addidisse lixiuiū, sed sapa cū uino, & exiguo aceto vti, ac quod mediocre sit, olei adijcere: vbi mista sunt, modicè excalfacere; ac lanā nō lotā, q̄ succidā uocant,

Margin notes: In tumore flatuoso. — *Gal. 14. meth. 7.* — *Galen. 2. ad Glauc. 6.* — In ramice seu hernia. — Curatio. Ad tumorē aquosum. Topica. — *Gal. 14. meth. 4. & 2. ad Glauc. 3.* — Ad flatuosam materiā, seu Emphysema. — *Gal. 14. meth. 7.*

ipsis imbutam imponere. Quod si eiusmodi lanæ facultas non sit, ipsius œsypus inijciendus miscellæ supradictæ est. Atticus autem œsypus cœteris omnibus præstat. Quin etiam ceratum, quod ex œsypo componitur, medicamentum est omnibus notum. Vtuntur plurimi eo ad phlegmonas, quæ in præcordijs sunt. Ergo huius quoq; aliquid, vbi œsypus præsto non est, rectè inieceris. Debent enim cõtusi musculi leniri medicamenti, cui mista facultas sit, quæ simul concoquat, digerat, & modicè adstringat; quãdo si nihil habeat adstrictionis, auget aliquãdo phlegmonas: præsertim in plethoricis corporibus. Ergo trium iam compræhensarum indicationum (concoquendi scil. digerendi, & modicè adstringendi) in inflatis ex plaga quadam musculis memor, vbi dolor maior vrget, mitigatiua magis ratione vteris; vbi abest, maiori vi instabis. Maiorem vim intelligo, cum breui via properatur ad finem. Porro breuis via fit per ea medicamenta, quæ valentes habent vires; hæ maximæ in lixiuio, & aceto habentur, post hæc in vino. Quoties igitur de mitigando non laboras, horum plus in misturam conijcies. Rursus vbi repellere studes, vini plus, quam horum immittes. Porro id optimum in hunc vsum fuerit, si nigrum austerumque sit. At si digerere males, lixiuij plus indes. Acetum verò si his miscetis ad ambo erit vtile, quia mistas facultates habet. Vbi verò musculus sine dolore est, licet sanè in lixiuij penuria pro eo aphronitrum immittere. Esto autem id minimè lapidosum, sed magis spumosum. Quæ verò huius generis inflationes neglectæ inueterarunt, primo quidem loco his ea, quæ ex lixiuio componuntur (vt dictum est) adhibeas; secundo loco emplasticum aliquod. Dicam autem & horum exemplum. Strigmenta gymnasiorum seruefacta percola primum sic, ut pura sint, deinde rursus in cacabum immissis, calcem viuam in farinæ speciem tusam insperge ad luti vsque crassitudinem. Salutare his est & medicamen, quod ex sycomoro componitur, aliaq; id genus. Hæc Gal. Qui alibi de hoc eodem flatuoso tumore loquens scribebat, quod, quæ quidem in carnosis fit partibus spiritus flatuosi aggregatio, nonnunquam omnino vacat dolore, ac longiori tempore durat, ac tum præcipuè cum fuerint articulationi vicina. Hic enim sunt musculi magis neruosi, ac densi, atque in media sui parte carnosiores, ac rariores. Tales verò passiones (subdit ille) sanaui medicamentis ex pice, resina therebinthina, & adipe leonino atque taurino. conuenit autem ipsis, & quod ex forde balnei, & ex calce fit, & ex sycomoro, &, ut summatim dicam, ea, quæ insigniter subtili constant substantia, quibus ea, quæ molliendi vim habent, admiscentur. Si v. flatuosus spiritus, qui inflationem committit, fumosus fuerit, malus, corruptus, & à materia uenenosa excitatus, cum dolore intolerabili, & vehementi calore per membra discurrens, nullum tutius, & melius est consilium, quam quod, vbi in parte quapiam substiterit, pars ipsa protinus infra supraq; deligetur, & in medio nouacula, vel ferro candente tumor aperiatur, ita vt vapor venenosus egredi possit. Deinde hians plaga implenda erit aloe, & bolo Armeno, ex rosaceo, & aceto dissolutis. Trãsactis verò quatuor diebus, vulnus carne replendum, cicatrizandumq; erit. in talibusq; inflationibus venenosis victus ratio tenuior sit, & corpus pharmaco purgante euacuetur, & Theriaca per os exhibeatur. Quod si vel aqua, vel flatus in scrotum descendat, iisdem prorsus præsidijs, quæ in aquoso, & flatuoso tumore iam proposuimus, occurrendum. Oportet enim materiam iam influxam euacuare, & ne noua influat prohibere. Huic autem secundæ indicationi satisfacimus per ea, quæ in ascite, & tympanitide hydrope curando, in secundo libro proposuimus: quæ quidem, quum ad artificem, qui interiores profitetur affectus, attineant, hoc in loco frustra non sunt repetenda. Materiæ autem iam influxæ euacuatio vel per pharmaca fit; vel si materia sit aquosa, etiam per chirurgicam operationem. Flatuosa enim materia à nemine manuali operatione exinanitur, sed solum per pharmaca digerentia, ac discutientia. Localia autem pharmaca eadem quoq; esse debent, quæ tum in curatione hydropis aquosi & ventosi, tum in tumoris aquosi & flatuosi eradicatione paulo supra in hoc capite tradita sunt. Sed particulatim in ramice aquoso, Auicenna probat hoc emplastum. ℞ nitri drach. x. ceræ drach. ij. s. olei laurini vnc. ij. granorum piperis, granor. lauri ana numero xxvj. fiat emplastrum. In flatuoso verò probatur cyminum, ruta, calamenthum, oleum costinum, atq; nardinum; vel ℞ cimini, baccarum lauri, fimi columbini, castorei ana quant. suffi. cum oleo rutaceo, & cera fiat emplastrum. Chirurgica v. operatio, quę solum in aquosa ramice competit, dupliciter adhiberi potest, quoniam aqua vel cauterio, vel simplici apertione, & punctione, quæ lanceolæ summo cuspide fit, euacuari potest. Cauterium fit ferro ignito, quo

Galen. 2. ad Glauc. 6.

Ad Ramicem aquosum, & flatuosum.

Cap. 16.

Gal. 14. meth. 13.

Gal. 14. meth. 13.

to,quo quidem nonnunquam totum scrotum, & ex vtraq; parte traijcitur, interdum ex vna parte tantum perforatur. Guido, qui vtitur setaceo, vtramq; partem perforabat,sed tunc in ferro ignito traijciendo,& setaceo adhibendo scroti sutura, nec non testes ipsi à loco perforando elongari debent, & eidem loco oleum cum oui albumine in primis diebus admouendum. Si v. vnicam ferro inustionem, ac perforationem facimus, pars aperta syphone plumbeo vel argenteo, vt Galen. voluit, vel simili cannula immissa, diutius detineatur, & idem de setaceo dicendum; quod quidem dimittendum,quousq; vniuersa aqua fuerit euacuata,& post primos dies folium caulis setaceo superponitur. Simplex autem sectio, apertioque, qua Auicenna vtebatur (quem sequitur Guilielmus de Saliceto) & quæ magis opportuna,administratuque facilior est,hunc in modum fieri debet. Laborans erectus stare debet,chirurgus verò altero genu flexo, altero autem eleuato; debet scrotum ex vna parte digitis ea ratione apprehendere, vt aqua ad perforandam partem magna vi impellatur, ad hoc, ut scroti tunicam ex ea parte vehementer distendat. Minister alter eodem tempore debet candelam accensam prope scrotum admouere,vt chirurgo incidenti venæ latiores per scroti tunicam disseminatæ clare pateant. Quibus diligenter inspectis, & testibus in eadem parte eleuatis, chirurgus punctionem ab ipsis remotam, quantum fieri poterit, phlebotomo vel lanceola efficere debet. Ea verò sit eius latitudinis, vt syringa immitti possit. Hac enim, in matella, aquosa seu serosa materia tota colligi, & euacuari debet, vt, ea inspecta, possimus dignoscere, quibus de causis aquositas in corpore colligatur, & pro præseruatione, eiusdem regenerationem inhibere. Si enim (inquit Aëtius) aqua illa subflaua & pallida sit, ad arenæ similitudinem, hernia ex repletione venarum ortum duxit: Si fæculenta, à percussione: Si alba, iecoris aut lienis vitio exorta est, Post aquæ autem extractionem, ut rursus in scrotum non descendat, supra inguen emplastrum adstringens, quale est, quod de pelle arietina, vel pro crepatis dicitur Arnaldi de Villa noua, imponendum erit, & desuper subligaculum,seu ligatura, quæ adhærentiam pariat, applicanda erit. Quod si aqua rursus paulatim colligatur (solet enim spatio sex mensium in adultis malum redire) perforatio rursus iteranda, quia hunc in modum efficiendo, laborans salubriter diutiusque viuere potest, Si v. post aquæ extractionem, testis corruptus inueniatur, quod ex ipsius fœtore, & prauo colore depræhenditur, consulit Albucasis, ut didymus superius ligetur, & incidatur, & ipso extracto ad maiorem tutelam cauterizetur, locusque, vt cetera vulnera,curetur. Si verò hernia carnosa fit,supposita totius corporis euacuatione & purgatione,emollientibus primum, deinde discutientibus, in curatione strumarum superiori capite propositis, & in sequenti sermone de scirrho proponendis, curatio peragenda erit. Hæc autem si non proficiant, & curationem obnixè rogati suscipere cogamur, præfati prius periculum, vti docet Albucasis, cutim testiculorum,seu scrotum secare primum debemus,& si caro liberè à testiculo potest separari, eam incidere, & extrahere; sin minus,aut ipsemet testiculus in scirrhosam duritiem abierit,aut corruptus sit, oportet ligare superius didymum, scindereque, & cauterizare, & totum extrahere, posteaq; vulnus ipsum suere. Quidam verò extrahunt vasa, ac testiculum, & postea ligant, incidunt,& inurunt: alij verò rasorio candente simul incidunt,& inurunt. Si v. aquosa materia cum carnosa mista sit, facto paruo foramine in decliuiori loco, & fundo scroti, sed circa medium: & aquæ extracta, turunda longissima pus mouente pharmaco imbuta imponenda est, & emplastrum concoquens, veluti est diachylon cum gummis cum axungia suilla admouendum. Genitum autem pus data opera intus detinendum,ac coercendum,ut suo contactu carnem sensim putrefaciat, & in pus uertat; neque medicamenta innouari debent, donec tota caro sit in pus versa: quod tamen longo tempore fit, & curatio tutissima est, quæ etiam in maximis hernijs feliciter succedit. Quidam autem, ut Matthiolus, puluerem corticis radicis ononidis per plures menses summo mane deuorandum exhibent, & sarcocelem absumere testantur. Si verò Ramex fuerit varicosus, post totius corporis euacuationem per sectionem basilicæ eiusdem lateris, & purgationem per ea medicamenta, quæ melancholicorum, & atribilarium humorum præparationem, & purgationem respiciunt, de quibus alibi diximus, emplastra, quæ astringendi vim habeant, qualia præsertim sunt defensiua uocata,& id genus alia, quæ ex acacia, corticibus granatorum, hypocistide, terra sigillata, bolo Armeno,& sanguine draconis oui albumine exceptis componuntur, applicanda erunt, quæ si per

[Margin notes: "Ad ramicē carnosum." beside "Si verò hernia carnosa"; "Guid. tract. 2. doct. 2. ca. 7." beside the same passage; "Ad ramicē uaricosum." beside "Si verò Ramex fuerit varicosus"; "lib. 1. cap. de melancholia & lib. 3. ca. de quartan. feb." beside "de quibus alibi diximus"]

plures

plures dies varici superposita nihil proficiant, cogimur ad manualem operationem deuenire. Hæc autem ex Albucasi ita administratur. Facta incisione in inguine per transuersum, & per eam extracta membrana vnà cum teste varices à tunica separandæ, & ex omni parte excoriandæ, quemadmodum temporum arteriæ, cum debent incidi, & extirpari, excoriari solent. Deinde in duobus locis, superius scil. & inferius deligentur, & postea in medio secandæ sectione recta secundum corporis longitudinem, & totum illud, quod in eis fęculenti, atque corrupti aggregatum est, extrahi debet, & tunica resteque reposito, vulnus per ea, quæ pus mouent, erit curandum, ut scil. vasa deligata decidant, & postea vulnus cicatrice obducendum erit. Quod si omnia vasa, quæ testem nutriunt, varicosa fuerint, vnà cum ipsis etiam testiculus amputandus, auferendusque erit: quia, si relinquatur, nihilominus ex defectu alimenti marcore correptus de necessitate corrumpitur. At uerò omentalis, intestinalisque ramex, necnon vmbilici ruptura, & eminentia ab eadem causa proueniens eadem prorsus ratione curantur. Namque (supposita totius corporis euacuatione) post partis, quæcunque sit, ad suum locum, & intra abdomen repositionem, seu reductionem (hæc enim omnium prima indicatio est) ne pars rursus prolabatur extra abdomen, oportet tunicam vel ruptam, vel relaxatam agglutinare, & adstringere, roborateque. Et hæc vel medicamentis agglutinantibus, & adstringentibus, vel chirurgica operatione, quæ quidem aut incisione fit, aut cauterio. incisio verò duplici modo administratur. Vnus est antiquorum, quo etiam moderni chirurgi vtuntur, qui fit per extractionem testiculi: Alius verò fit sine testis extractione; sed per suturam solummodo, siue per quædam puncta, vt ipsi vocant administrata: qui quidem à Guilielmo de Saliceto præsertim, & alijs nonnullis describitur, & comprobatur. Quamuis autem hæ curationes tum intestinali, tum omentali herniæ communiter congruant, quemadmodum etiam præsidiorum materiæ, medicamentaque infra proponenda; nihilominus Omentalis particularim, maiora & valentiora postulat exiccantia, & adstringentia, quia in ipsa propter pinguedinem maior relaxatio reperitur. Insuper monet Celsus, quod si modica omenti portio descendat, quia pars vitæ necessaria non est, ut alibi diximus, & ventriculo alligatur, facta incisione in inguine, absq; testis extractione, possumus omenti portionem extractam vinculo, seu forti filo deligare, ne sanguinis fluxus suboriatur, arctèque constringere, deinde amputare, & inurere, & inguinis vulnere consuto vinculi fines, seu capita extra relinquere, vt conglutinatione peracta, extrahi, ac foras emitti possint. Sed ante sectionem (ad quam præpoperè non est veniendum, quia sæpe præter spem hæc hernia curatur) adstringentia pharmaca cum deligatura applicita per plures, & saltem per quadraginta dies applicanda erunt. Si itaque intestinum prolapsum sit, quomodo ad proprium locum reducendum sit, in 2. libro in sermone de dolore intestinorum docuimus. Eo itaque reposito, si tunica peritonæi non quidem disrupta, sed solum relaxata, dilatataque sit, maximè probatur, & à Gentili, præstantissimisq; Chirurgis mirificè extollitur hoc emplastrum. ℞ picis naualis vnc. j. lithargyrij, ceræ albæ, & rubeæ, colophoniæ, ammoniaci, chalbani ana drach. v. & semis, visci quercini, thuris, myrrhæ, gypsi ana vnc. ij. drachm. iij. boli Armeni, & nucis cupressi ana vnc. j. & drach. iij. aloes, caballini, consolidæ maioris, & minoris, mastichis ana vnc. sem. & scrop. iij. aristolochiæ longæ, & rotundæ ana vnc. ij. drach. ij. scrop. ij. gallæ vnc. ij. scrop. ij. therebinthinæ cum aceto lotæ vnc. ij. & scrop. iiij. sang. humani vnc. iiij. acaciæ, sanguinis draconis, mumiæ ana vnc. semis: postea accipe ylia pellis arietinæ depilata, & minutim incisa, & fac ea bullire in aqua donec liquefiant, & liquefactis ijs addantur glutinis carpentariorum, id est, cum quo ligna inuicem connectuntur, glutinis scriptorum, glutinis de piscibus, glutinis licodemonum, id est, quo lapides, & vrcei conglutinantur ana vnc. j. & cum ad inuicem liquefacta fuerint, supradicta addantur, & fiat emplastrum, quod extendatur super sufficienti syndone, uel corio subtili rupturæq; seu inguini applicetur, ac ligetur. Similiter maximopere laudatur cerotum pro crepatis Arnoldi de villanoua, nec non alia multa, quæ possunt apud scriptores videri: quæ singulis octo diebus, derasis pilis, si qui adsint, solent immutari & applicari. Sed dum malum pertinax ita sit, ut his vel consimilibus pharmacis tolli non possit, optimum est, ut post impositum adstringens emplastrum cum apposita ligatura, æger per quadraginta dies decumbat, & assumat quoque per os aliquid ex ijs, quæ paulo post proponentur. Expostea quam è lecto surrexerit, in

Ad epiplocelem, & enterocelé.

Quæ particulariter in omentali, hernia sint obseruāda.

Cels lib. 7. c. 25.

Serm. de vuln. abdō.

lib. 2. c. 28.

Ad enterocelem, sine pitonęi ruptura.

Emplastrū validissimū in Enterocele & epiplocele.

emplastri

emplastri adstringentis vna cum ligatura, gestatione per aliquot menses adhuc perseueret, cauendo coitū, vociferationes, risum, ponderis gestationem, vehementes corporis motus, balneum, & alia omnia, quæ in sermone signorum tunicā dilatare, & rumpere posse docuimus. Hæc eadem multò magis erunt obseruanda, & eadem emplastra admouenda, si prolapso intestino, tunica, & peritonæum disruptum sit.

Si peritonæum ruptum sit. In quo casu, sicuti etiam eo relaxato, & dilatato conueniunt etiam ea, quæ per os sumuntur, & adstringendi, ac consolidandi vim habent: Inter quæ optimum est hoc electuarium. Recipe radicum cicutæ fœtidæ, radicum consolidæ domesticæ, & syluestris ana quantum uis: eis mundatis, abrasis, ac lotis, fac ebullire in vino rubeo austero, donec perfectè coquantur, & postea purga eas ab omni parte lignea, & dura, & eas minutim incide, & deinde subtiliter pistentur, & postea eis tantum mellis permisce, quantum eæ pendent, easque decoque ad perfectionem: deinde depositis ab igne adde species, quæ sic conficiantur: Recipe cinamomi electi, masticis, olibani, mumiæ, calami aromatici, rosarum, corallorum rubeorum ana part. j. pilorum leporis minutim incisorum, nucum cupressi, gallarum, cupularum glandium, caudæ equinæ, sanguinis draconis ana part. ij. terantur subtilissimè, & ponantur ex eis speciebus ad lib. mellis. ij. dosisque sit vnc. j. vel minus cum vnc. ij. aquæ destillationis dictarum consolidarum. Maximè quoque confert potus vini stiptici, in quo nuces cupressi, & gallæ omphacitides fuerint incoctæ. Rhasis ex Galeni sententia valde probat pentaphyllum in potu sumptum, præsertim ob nimiam mollitiem peritonœo dilatato, quoniam absque putrefactione eius radix (hæc enim sumenda est) vehementer exiccat. Medicamentis non conferentibus, quod præcipuè in adultis, & malo protracto vt plurimum contingere solet (vt enim in innumeris fere experientia didici, emplastra in cassum administrantur) ad incisionem uel cauterium confugiendum. Incisio verò, quę testis extractione ex antiquorum monimentis administratur, illa est, in qua solum, tanquam firmiori, confidimus, ne malum recurrat, & expeditior, ac tutior, minusque molesta, ac dolosa censeri debet: Et quoniam à Paulo, & quampluri-mis alijs describitur, ideo paucissimis uerbis opus habet. Nam laborante super tabulam pedibus eleuatis, & ventre supino fortiter deligato, intestinoque optimè reposito, præcipiendum ministro, vt teneat manum, uel digitum supra locum relaxatum vel ruptum, ne scilicet intestinum rursus exeat, & incisio cutis in inguine per longitudinem corporis vsque ad peritonœum tam ampla facienda est, vt testis vna cum vasis seminalibus egredi possit. Facta hac sectione, in duobus sectionis labijs hamulo, vel digiti admouendi, & cum obtusa nouacula, vel vnguibus peritonœum excoriandum, quod album, durumque est, donec ex omni parte index digitus immitti possit in ea peritonœi parte, quæ testiculum sequitur. Membranis itaque omnibus separatis, & teste per factum foramen extracto, partes incisæ hamulis ad id aptatis appræhendendæ, & consuendæ omnes sunt, & super futuram omnia præscindenda, & deinde, ne fluxus sanguinis superueniat, ferro igni to inurenda sunt. filo autem longo derelicto, concoquens medicamentum imponendum: & demum sarcoticis, & epuloticis medicamentis vtendum. Sectio verò absque testis extractione à recentioribus, & Nicol. Florent. & Guilielmo de Saliceto proponitur, describiturque. Oportet ut primum laborans erectus stans spiritum cohibeat, vt locus, ac quantitas relaxationis, aut rupturæ, quæ atramento notanda est, nobis appareat. Sed nt adhuc certior huius rei cognitio habeatur, Laborans postea super disco optimè firmato situari, conuenienterque ligari debet, cruribus aliquantisper eleuatis, & apertis, ut locus clarè videatur: Et dum vult Medicus incisionem facere, debet manu sinistra pellem, quæ super locum ægrum est, appræhendere, & eodem tempore minister debet proprijs manibus testiculum partis affectæ sursum eleuare, & comprimere vsque ad locum inciden dum, quia hac ratione foramen, & relaxationis, rupturæque locus, & quantitas statim manifestabitur. Per eandem enim uiam testis ad superiora eleuabitur, per quam intestinum in scrotum descendit. Chirurgo autem de dilatatione, ac foramine certiore facto, minister testem ad suum locum descendere permittat, & chirurgus in loco dilatationis, aut rupturæ atramento signato incisionem moliri runc debebit, ita vt scalpello nedum cutim incidat, verum etiam subiectas membranas vsque ad vaginalem dictam, quæ aperta est. Quæ postea unà cum cute, & membranis, vasis seminalibus illæsis, appositè consui debet: Et his peractis, eadem prorsus medicamenta adhibenda erunt, quæ cruentis vulneribus agglutinandis conueniunt:

Rhas. 2. continent.

Paul. lib. 6. cap. 63.

niunt: ægerque toto curationis tempore in lectulo supinus permaneat. Cicatrice autem inducta, quo tempore æger surgere incipiet, deinceps per menses duos, aut plures ipse aliquod ex adstringentibus supra positis vna cum deligatura gestare debebit. A recentioribus chirurgis aliæ curandi rationes, quæ fiunt per quædam puncta sine restis incisione, solent vsurpari: Sed quia dolorosæ admodum, & laboriosissimæ sunt, & nullatenus tutæ: quia post paucos menses, malum recurrit, eas libenti animo prætermittimus. Curatio demum, quæ per cauterium fit potest vel actuali, & ferro ignito, vel potentiali, & caustico medicamento administrari; sed actuale longe tutius & præstantius est, si laborans illud admittat. Quo itaque die illud adhibetur, præcipiendum laboranti, vt à cibo abstineat, & clysteri fœces educat, & postea ipso super dorso resupinato imperandum, vt anhelitum teneat, donec intestinum egrediatur, tuncque apertura atramento signari debet super os pectinis, & postea reducto, seu reposito ad suum locum intestino, minister imi abdominis regionem manu fortiter comprimere debet, ut non ultra intestinum egrediatur, & tunc chirurgus ferro candente, & vehementer ignito totam aperturæ signatæ regionem inurat. contrahitur enim cutis, quemadmodum etiam in humeri luxatione diximus, vt amplius intestinum descendere non valeat. Sed in vstione administranda intestinum omnino caueri debet, ne sequatur mors: similiter vas spermaticum, ne lædatur generatio, quantum fieri potest, euitandum. Si verò patiens actuale refugiat cauterium, ad potentiale confugiendum, & causticum medicamentum in loco signato, ut dictum est, admouendum; donec cutis comburatur, & postea, medicamento emolliente eschara sublata, perpendendum est, an necessarium sit causticum iterare, quod quidem eò vsque faciendum est, quousque os pectinis consequamur. Vltima autem eschata sublata, vulnus sarcoticis, & epuloticis quam citissime curandum erit. Quocunque autem modo cauterium inuratur, æger per quadraginta dies supinus iacere debet, in quibus venter clisterijs lubricus erit seruandus, ne feces vllo protsus conatu excernantur. Iam verò in aquoso seu seroso tumore victus attenuans, calfaciens, & exsiccans laboranti erit instituendus, eique imperandum erit, ut corpus moderatè exerceat, parcè edat, & bibat, & non multum dormiat, & ventrem, vesicamque sæpius ad excretionem exuscitet. Curandum insuper erit, ut probè alimenta concoquar, flatusque minimè gignat, & serosas humiditates, modo in hydropis curatione proposito, per aluum, & vrinarios meatus expurget. Simili modo in flatuoso tumore abstinere debebit ab omnibus crassis, viscidis, crudis, ac coctu difficilibus, pituitosis, & flatuosis alimentis, cuiusmodi sunt dulcia, legumina, fructus, rapum, castaneæ, & similia. Vtilia autem ei erunt calida & sicca, & item attenuantia, flatusque discutientia, vt est panis, & præsertim hordeaceus, qui aliquid salis, & cumini receperit. eius potus erit vinum rubrum, vel fuluum, & vinosum. Vtatur de cocto cicerum, petroselino, cœpis, calamintha, ruta, & cumino alterato. Carnes sint potius assæ, quam elixæ, & præsertim volatilium, ut in œdematis curatione diximus. Et pro viscerum corroboratione diacimino, diacalaminrha, diatrionpipereo, & aromatico rosato singula quaque die ante prandium, vel cœnam vtatur, quemadmodum in citato capite fusius pertractauimus. Eodem prorsus modo in enterocele, & epiplocele vitandi erunt cibi humidi, & flatulenti: itemque violentæ, & immodicæ inambulationes, & aliæ omnes causæ, quarum vi peritonæum relaxatur, vel rumpitur, de quibus superius meminimus. Vti autem debebunt pane probe cocto, qui aliquid seminis anisi, vel cumini receperit, necnon carnibus assis potius, & præsertim auium montanarum, vinoque in modica copia sumpto, meraco, & subadstringente. Aluusque lubrica seruanda omnino erit.

Curatio p cauterium.

Victus ratio.

***

De

De tumoribus ex melancholia & atra bile ortis, & primum de ipsorum natura, differentijs, causis, signis, atq; prognosticis. Cap. XX.

E TOT tumorum præter naturam differentijs, quæ quidem
in communi tractatu diuisiua methodo fuere adinuentæ,
si quis ea, quæ à nobis de ijs hucusque scripta sunt, diligen
ter inspexerit, eas tantummodo declarandas superesse
depræhendet, quas melancholicus, & atrabilatis humor
procreat, cuiusmodi sunt scirrhosi, i. indurati tumores,
& cancerosi, quos recentiores cancros apostemosos vo-
cant. Ne quis autem in his duabus quæ supersunt, tumo-
rum differentijs, & materijs, seu humoribus, qui eas pro-
Nomen. ducunt, inuicem distinguendis, decipiatur, scire debet, maximam inter humorem
melancholicum, qui quidem ea fæx sanguinis est, quam Hippocrates atram appel- *Galen. lib. de*
lat; & eam fœcem, quæ atra est ipsa quoque, sed proprio nomine appellatur atrabi- *atr. bil ca. 3.*
lis differentiam intercedere. Nam atrabilis propriè dicta, inquit Gal. ab atro sangui *& lib. de tu-*
ue, seu fece sanguinis (quæ propriè melancholia, seu succus melancholicus dicitur) *mor. p. n. ca.*
ideo distinguitur, quia non concrescit; ater autẽ sanguis concrescit. Differt autẽ plu *9. & 14. me*
rimum atrabilis ab ijs, quæ nigra propriè nominantur, cuiusmodi vomuntur, & dei *th. 9.*
ciuntur persæpe, nõ modo facultate, sed etiam ijs qualitatibus, quę in sensum cadũt
nã succi melancholici, quales sæpe vomuntur, & deijciuntur, neq; acerbitatis, neq;
acoris vllã partem manifestè habent, cũ hæc inesse atræ bili non solũ gustu, qui eam
vomunt, atq; odorantur, sed alij quoq; persentiscant. Insuper nigra, quæ deijciuntur
aut vomuntur, terram non fermẽtant, vt facit atra bilis. Quæ quidem, quamuis ace-
to accerrimo sit similis, tamẽ crassitudine essentiæ suæ est illi valde dissimilis, & ma
ximè contraria. Proinde quibus partibus corporis syncera adhœrescit, eas exeden
do prorsus exulcerat. At acetũ, cũ tenuium sit partium, permeat: atræ verò bilis cras
situdo, quę firmã sibi sedem parat, causa erosionis efficitur. Vt aũt atra bilis hisce no
tis apertè distinguitur à nigris siue humoribus, siue deiectionibus, siue edulijs, vt ap
pellare libeat: ita etiam in eo, quod eã nec musca, nec aliud animal, sicuti etiã neq;
merã salsuginem, velit degustare. Quamobrem eius ortus perniciosus videtur, vtpo
te quæ superassato nigro humore producatur. Est autẽ multò, quã hæc existimanda
ea bilis atra, quæ à flaua superassata effecta est, quia flaua bilis est efficacior, quam
ea, quæ est veluti sanguinis subsidentia, seu fæx: Vnde Galenus toto vitæ suæ tempo
re obseruauit humorem puræ atræ bilis semper perniciose fuisse excretum; nigro-
rũ verò excretionem non rarò salutariter esse factam animaduertit. Ex dictis itaque
patet, quidnam per melancholiam, & quid per atram bilem intelligamus, & quan
tum hi duo humores inuicem distent, cuius diuersitatis causa est ea, quia melan-
cholia, siue succus melancholicus, siue sanguis ater, siue crassus, limosusque, seu
fex sanguinis (hæc enim idem prorsus significant) humor est frigidus, & siccus,
crassus, ac durus, & naturalis cum sit, nullius prorsus adustionis particeps est. Atra
autem bilis propriè dicta humor est omnino præter naturam, siccus quidẽ, & cras-
sus, & à prædominio frigidus: sed ad cineris, vel aceti instar nõ est calidiratis expers
Differentię cum assatus exustusq; omnino sit. Nihil itaq; mirum si propter tantam horum suc
tumorũ ex corum diuersitatem, diuersi quoque tumores ab ipsis oriantur. Etenim ex fece san
nigra, & al- guinis, seu nigra bile, humoreve melancholico, ait idem Gal. alterum scirrhorum *Galen. lib. de*
ta bile. genus exoritur (dixit autem alterum, quia aliud scirrhorum genus ex crassa, & glu- *tum. 9.*
Scirrhus. tinosa fit pituita) ex atra autem bile, seu vsta & assata nigra bile, oritur cancer. Quod *Gal. 14. me-*
Cancer. si atrabilis vnum corporis locum occupet; cancer insurgit particularis; sin vniuer- *th. 9.*
Elephas. sum corporis ambitum, generatur elephas, siue dicamus elephantiasis, quæ Galeno
Scirrhi na- teste, vniuersalis cancer est. Scirrhus igitur, vt ex quamplurimis Galeni locis & ijs, *Galen. 4. de*
tura ac dif- quæ hucusq; scripta sunt, colligimus, est durus, siue renitens tumor, dolore vacans, *rat. uic. com.*
ferentiæ. à frigido crassoq; succo procreatus. Hanc veritatẽ his verbis Galenus aperuit; Scir- *2 t. & li. de*
rhũ etenim (scribit ille) vocant tumorem pręter naturã doloris vacuũ, sed durũ. Sũt *tumor. 9. &*
aũt inter scirrhos quidã, qui, vbi plurimũ increuerint, simulatq; indurati fuerint, nõ *5 simp. c. 9.*
modo dolore carẽt; verũ ẽt sensum exiguũ, aut ẽt nullũ habent reliquum. porro na- *& 14. meth.*
scuntur ex humore crasso, & frigido, quales sunt in animaliũ corporib. dũtaxat duo *6.*
bilis videlicet atra seu nigra (& per hanc melancholicus succus intelligendus) & su-
per

Gale. loc. cit. per exsicata pituita. Proinde tumores scirrhosi omnino aut pituitosæ sunt substan-
& 14. met. tiæ, aut atrabilariæ, id est, melancholicæ, aut ex vtraq; misti: & alibi affirmat, quod
4. & 5. sim- alterum scirrhorum genus ex crassa, & glutinosa pituita fit; alterum ex fece sangui-
pli. 9. nis exoritur. Quæ quidem de scirrho legitimo intelligenda sunt: nam scirrhus spu-
rius nothusve à iam dictis succis prædominantibus quidem fit; sed vel cum bile fla
ua mistis, & oritur scirrhus erysipelatodes, vel cũ sanguine ipso, & fit scirrhus phleg
monodes, vel cum pituita tenui, ac viscida, & scirrhus œdemarosus, siue œdemaro-
des gignitur. Demum de legitimo scirrho uerba faciẽs Gal. subiungit, quod vtrum-
que genus, nempe & qui ex crassa & glutinosa pituita, & qui ex sanguinis fœce, seu
melancholia fit, modo ab initio generatur (per viam scil. fluxionis, vti superius dixe
rat) modo ex inflammationis, aut erysipelatis, aut œdematis permutatione, cũ illa
refrigerata sint immoderatius. Quod etiam in scirrho notho, & spurio locum habe
Galen. 2. ad re potest. Eandem distinctionẽ alibi protulit, dum dixit, quod scirrhus quidem fit
Glauc. 4. ex lento, & crasso humore, qui partibus, quæ indurantur, tenaciter infigitur, sed in-
terdũ statim à principio congregatur paulatim, & augetur: crebrius vero Medico-
rum imperitia paratur, cum vehementer erysipelata, & inflammationes adstringũt
& infrigidant: Aliam verò scirrhi differentiam eodem in loco ponit, dũ ait, quod
exquisitus scirrhus est tumor præter naturam sensu priuatus, durusq; non exquisi-
tus verò non omnino insensibilis est, difficulter tamen omnino sentit. Quod si quis
eos solum tumores, qui præter naturam sunt, & omnino insensiles, scirrhos appel-
Gal. 14. me- landos censeat, reliquos non scirrhos, sed scirrhosos tumores, Gal. non reclamabit.
th. 6. siquidẽ ei mos fuit, quib. quisq; nominib. delectatur, iisdem in disputationib. cum
Gal. 5. simp. illo vti; sed is sciat, se de nominibus litigare. Oritur itaq; induratorum affectio ex flu
cap. 7. xione viscosa, & crassa paruis particulæ poris, siue meatibus impacta. digesta verò
per halitum, quæ in ea parte est, tenui humiditate, ac deinde, quod reliquum est, re-
Galen. 7. de frigerato, ac velut congelato, vocata sequitur scirrhosis. Mirari insuper non opor-
compos. per tet, ait Galen. mutationem in duritiem ex inflammatis accidere, cum simul & con-
gener. c. 9. fluens humor crassior est, & viscidus, & curatio medicamentis ualde exsiccantibus
administratur. Quemadmodum enim & in exterioribus permulta corpora, quæ
ipsum ignem contingunt, torrentur; ex aqua vero rursus emolliuntur: ita etiam in
inflammatis affecti loci humiditas a calefacientibus, & exiccantibus validius phar-
macis relictum aliquod viscosum, crassumq; retinet, tenui discusso. & hac ratione
in morbis articularibus calli proueniunt, & in renum uitio calculi. Ex dictis itaque *Epilogus.*
breuiter colligamus, scirrhum vel ex fece sanguinis, seu melancholico humore, vel
ex crassa, & glutinosa pituita, vel ex his ambobus simul mistis generari posse. Insu-
per hi duo succi vel synceri sunt, & absq; aliorum succorum mistione, & legitimus
oritur scirrhus; vel cum aliis humoribus permixti, sed prędominantes reperiuntur,
& scirrhus spurius creatur, & si cum sanguine misceantur, fit scirrhus phlegmono-
des, si cum bile erysipelatodes, si cum pituita œdematodes. Adhæc humor, qui scir-
rhum gignit, vel talis aliunde in affectam partem fluit, & particulatim augetur, fitq;
scirrhus, qui à principio ortus dicitur, vel in eadem parte affecta talis euadit, dum
scil. phlegmone, vel erysipelas, vel œdema, quæ in eadem affecta parte prius erant;
ab imperitis Medicis malè curantur, & proinde in scirrhum migrant, quia materia,
quæ prius vel sanguinea, vel biliosa, vel pituitosa erat, in succum melancholicum,
vel crassam glutinosamq; pituitam degenerant. Hæc autem mala curatio, & medi-
corum error duplex esse potest. Vnus dum iam dictos tumores vehementer adstrin
gunt, & infrigidant: alter dum eosdem tumores nimium calfacientibus, & siccan
tibus medicamentis digerunt, discutiuntque. Quod enim frigidum condensan-
do, congelandoque, & exprimendo facit, idem calor nimius & siccitas humidita-
tem exiccando, euocando, ac digerendo præstare potest. Cum enim vtraque causa
alioquin cõtraria, humiditatem absumat, quod relinquitur siccius, durius, ac proin
de scirrhosum euadit. Sed frigiditas præter humiditatis absumptionem etiam per
congelationem tumorem, & eius materiam indurat. Demum si materia scirrhi
contentiua causa existens, recenter fluxit, uel in parte non ita pridem generata
est, & subinde non ita sicca, duraque, nec in partis meatibus adeo impacta
est, oritur scirrhus non exquisitus, qui, licet dolore vacet, non tamen om-
nino insensibilis existit: Si verò diutius protracta, ac in parte inueterata sit,
vt proinde, & magis impacta, & siccior, ac durior, & quodammodo lapidea
euaserit, fit scirrhus exquisitus à Galeno vocatus, qui præter id, quod dolo-
re omnino caret, etiam insensibilis est. Scirrhi autem causæ propriæ, ac *Causæ.*
peculiares

peculiares sunt illæ, quæ crassos, & melancholicos præsertim humores procreant, atq; multiplicant, de quibus in sermone de melancholia, & de febre quartana abun de tractauimus. Cum enim vel internæ sint, vel externæ, de iis omnibus breuiter lo quens Gal. scribebat, quod in siccorum, calidorumq; corporū naturis sanguis crassior, & nigrior apparet, & colligitur: cuiusmodi etiam in talibus anni temporibus, regionibus, constitutionibus, institutis, & victus ratione, quæ ex edulijs siccis, crassisq; constet, quales sunt lentes, cochleæ, taurinæq; & hircinæ carnes, ac magis etiā si sale conditæ sint. huiusmodi quoque materiæ est vinum nigrum, crassum, & austerum: pari ratione morbi, qui ex calida siccaq; intemperie gignuntur, vt febres ardentes, sanguinem crassum, nigrumq; efficiunt. Vnde mirum non est, si ob malam victus rationem fluxio melancholica sæpe in pauperibus contingat, ut de regione illa pauperrima testatus fuit Gal. Similiter crassi, & atri, ac viscidi succi sæpe ex lienis, & hepatis affectione, ut calidiore intemperie, & obstructione generantur. Hinc fit, vt desinente quartana, quandoque tumores scirrhosi contingant: Iidem crassi, & atri humores propter hæmorrhoidarum, & menstruorum suppressionem facilimè cumulari consueuerunt. Hinc fit, vt in mulieribus in cœnobijs degentibus, & monachalibus, quia sæpius menstra suppuratione premuntur, scirrhi sæpissimè in mammis suboriantur, quia suppressa materia melancholica in mammas tanquam in laxiores partes decumbit. Praua autem Medicorum curatio, uti diximus, scirrhū per transmutationem factam generant. Ex dictis quoq; patet, Cancrum, siue Carcinoma tumorem esse præter naturam, durum quidem, & aridū, sed ab atra bile, eaq; exusta procreatum. Fit autem tumor hic cum natura melancholici, & exusti humoris redundantiam ad ignobiliores, imbecillioresque partes propellit. Hæc autem propulsio si ad extimas partes omnes fiat, gignitur cancer is, qui communis, seu uniuersalis est, quem elephanta uocant. Si enim talis humor citra febrem in iā dictas partes decumbat, Inquit Galen. sitque cum sanguine coniunctus, gignere elephantem potest: si solus sit, in principio quidem tumorem atrū producit, sed progressu temporis In cancrum desinit, cum vtique corrosa cute acrior fit magisq; ma lignus: cum mitior, sine vlcere latentem, ut appellant, cancrum efficit: dum. s. vnam tātum partem exustus humor obsidet. euidens enim est, hos affectus omnes, præcipuè cancrum ex humore melancholico (exusto tamen) gigni, cū venæ, quæ in partē affectam perueniunt, crassum, nigrumque continere humorem aperte videantur. Etenim natura semper dat operam, sanguinem vt expurget, vitiosumq; ab eo secernat, & à partibus principibus modo in ventriculum, & intestina, modo in extimā superficiem detrudat. Sed ex ijs, quæcunq; tenuioris substantiæ sunt, ea cutim egrediuntur, partim per eā perspirationē, quæ sensum effugit: partim ut sensu percipiātur, vt sudores. Quæ verò crassiora sunt, ea pertransire cutis densitatē non possunt, sed intercipiuntur, quæq; calida sunt, carbones gignunt: quæ non sunt huiusmodi, cancrū. Cum verò ater humor mitioribus est qualitatibus, sanguiniq; admistus est, tū perrubros elephantos creat, qui si inueterarint, nigriores reddūtur. Ergo fex sanguinis, ubi amplius incaluerit aut propter putredinē, aut febrē phlegmonodem, nigrā efficit bilē, quā nec ipsi mures gustauerint: & terra raditur ab ea, & partes, quæ raduntur, oēs in altum attolluntur, uocaturq; is affectus tū feruor, tū fermentatio. est. n. is humor talis, quale acetum esse docuimus: ex quo in terram effuso, idē affectus visitur. Ex hac itaq; superfluitate melancholica cancri gignuntur. Cum. n. naturalis temperatura paucū succum melancholicū generat, & ratio victus adhibita confert, & splen satis attrahit ex eo, qui generatur, nulla huiusmodi superfluitas in venis coaceruatur. At, cū contraria eueniunt, tunc in venis multiplicatur, & iam di ctam facit ægritudinem. Dico autē his, quæ diximus contraria, ut. s. hepar ad generandam huiuscemodi superfluitatē sit aptum, & sit ratio victus per tales adhibita ci bos, qui crassum & feculentum humorem procreare natura apti sunt; splen verò sit à natura imbecillior, & quicquid de ea superfluitate generatur, ad se minimè trahere potens. In hoc verò corpore turbidus fit, ac crassescit is, qui in venis continetur sanguis, & nonnunquam à venarum excretrice id, quod extraneum est, per hæmor rhoidas excernitur. Sæpius autem & ad varices decumbit: & quandoque ad cutim vniuersam expellitur, fitque is morbus, quem elephantem nominant. Nam aliquādo ad alias corporis partes, quæ ceteris sunt imbecilliores, humor iste defertur, & fiunt cancri particulares. In Alexandria quidē elephantis morbo plurimi corripiuntur propter victus modū, & regionis feruotē. At in Germania, & Mysia rarissima hæc passio videtur, & apud Scythas lactis potatores nunquam ferè apparuit.

Lib. 1. c. 3. & lib. 3. ca. 29.

Galen. lib. de atr. bil. ca. 4.

Cancri, Elephātiasisq; natura, ac differentiæ.

Galen. lib. de atr. bil. c. 4.

Cancer latens.

Causæ.

Gal. 14. mel th. 9.

Galen. 2. ad Glauc. 10.

In Alexandria verò plurimum generatur, ob victus rationem. Comedunt enim farinam elixatam & lentem, & cochleas, & plura salita, & nonnulli ex ipsis carnes asininas, & alia quædam, quæ crassum, & melancholicum humorem generant. Nam cum circunstans aer calidus sit, motus humorum agitur versus cutē. Ex quibus clarum est easdem causas tum ad scirrhi, tū ad cancri generationem concurrere, quatenus tum modo enumeratæ, tum illæ, quas superius scirrhum producere diximus, succum crassum, & atrum in corpore multiplicant. Sed illæ, quæ succum hunc assare, & exurere valent, particulariter cancrum, & elephantē gignunt, uti sunt eæ, quæ calfaciendi, & siccandi, & exurendi, & assandi vim habent, siue sint corporis totius, & partium, & præsertim iecoris intemperantiæ calidiores, & sicciores, siue cibaria impensè calida, & sicca, siue talis aer ambiens, nimia exercitatio, uigiliæ, animi curæ, ira, & id genus alia, quæ fecem sanguinis multiplicatam, in corporeq; aggregatā ex calfacere, & exurere ualent. Quod si exustio parua sit, canceri fiunt non exulcerati occultiq;, si sit intensa exulcerati creantur, multoq; magis exulcerantur, si assatus humor non quidem sanguinis fex, sed flaua bilis fuerit, propter nimiā huius assatæ flauæ bilis uehementiam. Simili modo ab ipsa fece sanguinis, quæ in principio exusta non sit, si spatio temporis putrescat, ait Gal. eo quod in vasis sit impacta, tumores ab ea producti exulcerantur. Verum quoniam ea, quæ ex Gal. scriptis hucusque de elephantiæ ortu proposuimus, veram, atq; germanam ipsius causam profer re non uidentur, eò, quia, si uetum est, morbum ipsum, ut tradit Diuinus Hipp. ab ipsa sanatione manifestari, non uidetur rationi consentaneum, malum hoc ab atra bile per totum corpus effusa simpliciter fieri, sed, cum remedijs à tota substantia, seu occulta qualitate agentibus (vt in curatione post apparebit) malū tollatur, & proinde arguendum sit, de necessitate morbum esse à tota substantia, seu occulta venenataq; qualitate productum: idcirco non possumus improbare Fernelium, & alios, qui voluerunt elephantiam esse morbum ab atra quidem bile, sed quæ uenenatam qualitatem iam asciuerit, productum, totius corporis naturam immutantem. Cum enim, inquit Fernelius, melancholicus humor uenenatam hanc qualitatem cōtraxerit, eam mox uiscenbus & partibus omniū impartitur, quæ deinde inquinata terrenum, ac melancholicum succum etiam ex purissimis alimentis gignunt eiusdem veneni participem: quo partes imbutæ, ac nutritæ tempore similem nascuntur naturam. Neque.n. solam cutem, aut corporis summa, sed & intima quæque, ossaq; ipsa inuadit, eò, quia omnia impuro fouentur succo. Quanquam aūt ipsa morbi qualitas ad totum corpus pertineat, præcipua tamen vis in iecore, & liene residet, quæ sua deinde vitia toti corpori impertiunt. Huius porro triplicem affert causam, prout vel ab ortu, dum scilicet quis ex elephantico parentum semine procreatur: quinimo quibusdam literis proditum est, mulierem, quæ instantibus, aut profluentibus mensibus conceperit, fœtum edere in elephantiam procliuem: vel cōtagione, siue concubitu, siue accubitu, siue assidua vitæ consuetudine cum elephantia detento, vt etiam Gal. fatetur, eò, quia ex eo perniciosa qualitas pariter cū humore in aliud corpus transferatur: vel tertio proprio corporis vitio, & spōte contrahitur, cum. s. bilis atra plurimum exuperat, quæ sensim, ac tempore venenata labe inficitur. Quo modo verò venenata materia in nobis sponte gignatur, in capite de pestilenti febre in tertio libro aperuimus. Viget autem hoc malum, quū vel sanguis vel melancholia uel bilis flaua supra modum torretur, exuriturque. Quocirca eos adoriri solet, quibus vel menses suppressi, vel uarices, vel diuturnæ hæmorrhoides curatæ sunt, & eos, qui vel iecoris ardore tenentur, vel suprascripta melancholica victus ratione utuntur. Vnde cum victus ratio calidior, & iecoris ardor non nisi florentis, aut ēt prouectæ sunt ætatis familiares, patet cur elephantia, nec pueros, nec adolescentes sponte inuadat. Quemadmodum aūt ex tradita scirrhi natura colligimus, duo tantū sunt inseparabilia ipsius signa, durities. s. eaq; vehemens, & doloris carentia. nā tumor hic nisi vehementius prematur, aut percutiatur, ex se nullū prorsus dolorē affert. A Ganglio aūt & Struma distinguitur, quia illa, dū attrectantur, quadantenus dimoueri possunt. Scirrhus autē fixus, & immobilis omnino deprehenditur. Dum autē scirrhus à fœce sanguinis fit, ab eo, qui à crassa, & lenta fit pituita, inquit Gal. colore distinguitur. etsi enim vtrique commune sit, vt tumor naturæ modum excedens dolore vacans, & durus excitetur: attamen à pituita factus euri circunstanri concolor est, & albus: ab humore autem melancholico productus ad liuorem, aut fuscedinem vergit, ut reliqua signa, quæ in toto corpore aut melancholiam, aut crassam pituitā redundare significant, omittamus. Quod si scirrhus non legitimus, synce-

Marginal notes: *Gal. 14. meth. 9.* — Præcipua elephantiæ causa. — *Ferne. 6. lib. de part. morbo. & symp. 19.* — *Gal. 11. simpl. in princ.* — Signa schirri. — *Galen. lib. de tumor. 9.*

syncetusq; sit,sed nothus,& cum aliò tumore mistus & implicatus,eiusdem tumoris signa mista cum iam dictis sese offerent. exempli causa, si phlegmone coniungatur, cum phlegmone laborantibus & indurescentibus commune sit accidens digitis prementibus reniti,distinguuntur affectus doloris sensu & indolentia,quæ nō amplius utriusq; communia sunt. Vnde ut in alijs omnibus quæ suapte natura recidere in se mutuo possunt,inest confinium utriusq; aliquatenus particeps,ita quoq; tumorū phlegmonosorū cum scirrhis media quædam est dispositio doloris quidē expers,si non digitos imprimas, dolens aūt si id facias. Tunc.n.scirrhus phlegmonosus,vel phlegmon scirrhosus indicabitur:& sic de reliquis tumoribus, eorumq; notis dicendū est. Ex dolore aūt,rubedine,& calore cessanre,at duritie,liuoreq;,vel fuscedine aduenietē,facile cognoscimus, ex phlegmone,aut erysipelate cōmutatis scirrhum aduenisse. Eum aūt summè indurarū,ut ait Gal.& proinde exquisitum factum depræhēdimus,eo nempe signo,quod nullus affectis partibus sensus supersit. Quibus.n.sensus quidē est,sed obscurus, ij exquisiti adhuc non sunr. Exquisitus.n. scirrhus,vt alibi quoq; ait,sensu priuatus, durusq; est:non exquisitus verò non omnino insensibilis est;difficulrer tamē omnino sentit. Sicut.n.ægrius sensilem ipsam partem affectam reddit,ita omnino insensilem non facit. vtiq; si sensilis natura sit, ligamenta namq, scimus insensilia esse. Præter schirrum etiam cancer est ex iis rumoribus, qui colore sunt inter rubrum, & nigrum medio: cuiusmodi color fuscus est, Nunc cum in corporis partibus sæpe incidat, plurimi medicorum liuidum vocant. Renixus aurem his quoq; tumoribus valens est: ac si uenas euidentiores mēbrum haberer,exaltatas eas à crasso,& nigriore quodammodo sanguine cuiusmodi per aluū aliquando non paucis hepaticorum excernitur, uidere licebit. Nam ad parres imbecilliores cum humor iste deferatur, euidēter apparent,quæ in illa parte sunr,venæ nigro sanguine,ac crasso plenæ,quantoq; crassior fuerit,& nigrior,tanto deterior est passio. In mamillis aūt,subdit Gal.sæpe vidimus tumorem forma,ac figura cancro animali exquisitè similem. Nam quemadmodū in isto pedes ex utraq; parte sunt corporis;ita in hoc morbo venæ distenduntur,ac figuram omnino similem cancro repræsentant. Ob quam similitudinem morbo huic tale nomen condo natum est. Sed insuper cancer est tumor nedum durus, & vènis quandoq; in ambitu turgidus,colore liuescens aur nigricans, verum ēt rotundus & inæqualis,doloreq;, ac interdum calore grauis. Huius aūr obscura sunt rudimenta,ac plerunq; tumor exoriens sentitur ciceris magnitudine, cum dolore & calore, quasi serientis dentis acus,interdum etiam nullo:hinc fabæ,deinde iuglandis,& oui magnitudinē æquat,dum tandem in maiorem molem attollatur. Quum verò illius materia aut vetustate,aut errore uiuendi,aut medicamentis incalescir,dolor,calorque citra inflammationem uehementior exercet,& pars conspicuè liuescir,aut nigricat,& venæ in ambitu crasso nigroq; sanguine nōnunquam turgent. Quare vitiū hoc,quod modo describimus,aliàs confusa,exiguaque, & quæ vulgum fortasse latere possint affert symptomata: aliàs ita vehementia,& magna, & cunctis euidenria,ut ne pueroquidem clam sint. Vnde, vbi magna quidem omnia sunt,nemo de appellarione ambigit,sed nominant vno assensu omnes huiusmodi affectum cancrum. Cum autem adhuc incipir,nihil miri est, si vulgus lateat,non secus profecto,quam stirpes, quæ è rerra iam exeunt:quando hæ quoq; peritis tanrum agricolis agnoscuntur. Ar verò exulceratus cancer corrupræ carnis speciem exhiber cum fœtore, sordida illuuie,horrido aspectu, & labris præduris, & inuersis. ex eo sanies tenuis,nigra, aut fulua manat. Vapor expirarur cordi,ori,cerebroq; grauis, febris assidua, eaq; lenta inest,frequens animi defectio,cum præsertim cancer mammis inhœret. Exesis venis sæpe sanguis profunditur,& nisi malignitate ocyus interimat,longè lateq; prorepit. Citius autem tumorem hunc exulcerari,& ferè protinus ab initio,dum à flaua bile exusta fir,ab eoque tunc symptomata maiora, & sæuiora inuehi,ex dictis liquet. nam contra à fęce sanguinis exusta factus,& diutius occultus,& absque vlcere manet,minoraque,ac pauciora infert symptomata,& præsertim vbi exustio modica fuerir. Incipiens verò elephantia ex eo dignoscitur,quia viuidus coloris flos perir, cutis decoloratior apparet, alijs quidem nigricans, alijs flauescens, alijs albicans: Vnde quidam tres elephantis species pro coloris varietate statuerunr: hinc densior, durior, asperiorque reddirur, quum scilicet iam multo est humore perfusa. Talis autem præcipuè conspicitur in facie, manibus, & pedibus, natura vitiosum succum ad corporis extrema propellente. In his sensus torpescit, frigusque perpetuum inest, maximeque in pedibus. Tum temporis

Gal. 7. de cō po. per gene. c. 1.

Gal. 7. de cō po. per gen. 9

Galen. 2. ad Glauc. 4.

Gal. 14. meth. 6.

Signa cancri.

Cap. 9.

Galen. 2. ad Glau. 10.

Gal. 14. meth. 9.

Signa elephantiasis.

verrucæ plurimæ succrescunt, non solum in manibus, sed etiam in facie, & reliquò corpore, peculiares verò in linguæ radice. Confirmato malo, pulsus, ut Galenus air, patuus, languidus, tardus, creberque fit. Is enim facultati unà cum frigiditate læsæ peculiaris est: nasus resimatur, & labra crassa fiunt, atque aures extenuantur, hisq; omnino satyrorum effigiem præ se ferunt: pedes, manus, & facies tument, in hisque varia prominent tubercula, maximè verò in malis, quæ extuberāt liuido rumore: labra inuertuntur, nares resimæ obstruuntur crassitie alarū, & rimis discerptæ crustulas nigras, atque cruentas excutiunt: oculi album flauescit, miraq; crassitie quasi vnguc obtegitur: supercilia prædura, ac fere callosa, & glabra. ex his enim palpebris, & mento pili venenata qualitate imbuti defluunt, dū tandem horrenda euadat partium omnium deformitas. Manuum, pedumq, digiti siccitate dehiscunt, vnguesq; finduntur dilacerānturque. Aegritudine verò consumata, totius etiam corporis cutis atescit, fœdaque & sicca scabie exasperatur, interdumq; cum pruritu: Musculorum caro sensim absumitur: Et malo ingrauescente, pro stupore cutis sensus omnino perit, manente motu, vox è gutture raucescit, respiratio difficilior euadit, spiritus, & totius corporis exhalatio fœtet, sordida virulentaq; vlcera in manibus pedibus, & plerisq; locis excauantur, & grauis putredo omnia contaminat. Non omnia tamen in omnibus, sed alia in alijs comparere solent. At verò partes, quæ scirrhis præ ceteris sunt obnoxiæ, uti diximus, sunt mammillæ propter earum laxitatē, & imbecillitatem, & quia ab ipso capite, & vtero crassas superfluitates facilius suscipiunt: necnon aliæ externæ partes, quæ sui natura densiores sunt, qualia sunt musculorum capita, & qui ex ipsis prodeunt tendones, quia facile in duritiem labuntur. Scirrhus autem exquisitus, ut Galen. testatus fuit, & qui proinde insensibilis est, curationes non recipit (medicamenta enim neq; deduci de potentia ad actum, neq; operari quicquam possunt: imò etiam si à parte affecta regularentur, nihilominus lapidosa, & admodum dura materia eis prorsus non cedit, & sub ualidioribus adhuc magis induratur) qui verò difficulter sentit, non incurabilis quidē est, sed tamen facilem curationem nō admittit, quia à crassa frigidaq; materia, quæ nedum repellentibus nullatenus cedit, sed etiam rebelli & discussu contumaci proficiscitur. Quod si ea fex sanguinis, & melancholica sit, adhuc maior curandi difficultas insurgit, quia à validè discutientibus pharmacis, qualia requiruntur, aduri, & exasperari solet: & scirrhus in cancrum migrare consueuit. Quæ quidem incōmoda in crassa pituita non subsequuntur, dummodo rectè malum tractetur. A quacunque tamen materia scirrhi producantur, scribebat Gal. quod summè indurata scirrho, summè insanabilia sunt. Quæ verò ab atrabilario succo indurantur, scribebat idem, cancrosa sunt omnia, & ab emollientibus medicinis asperantur. Sine emolliētibus verò curari est impossibile. Si itaq; in cōpressione scirrhi digitis facta careat pars sensu, confirmatus est scirrhus, & curationem non recipit, præcipuè cum circa articulos, ut circa genua, & talos, aliasve iuncturas accidit. Vnde talis curatio omnino relinquenda est. Similiter, vbi scirrhus ad cancrū declinet, talis localibus pharmacis nullatenus curari debet, etiāsi sensu destitutus non sit (dummodo dolor non vrgeat) quoniam talis est cancer occultus, quem iuxta monitum Hippo. melius est non curare. Diximus autem localibus medicamentis non esse curandum: quia per os exhibita, ut æger à maiori malo præseruetur, possunt administrari. Demum circa scirrhos illud sciendum est, quod quidam vnum duntaxat membrum occupant; alij verò eo membro, quod prius infestabant, relicto, ad aliud postea transferuntur, quod uitium ferinum ab Auicenna uocatur. Scirrhi autem & melancholici tumores ut plurimum, si rectè tractentur, resolutione terminantur, & nonnunquam indurati permanent, & non rarò in cancrum transmutantur. Scirrhi tamen, in quibus pili nascuntur quiq; magni sunt, ac vehementer duri, & corporis colorē referunt, vt aiunt quidā, nec sanantur, nec unquā permutātur. Cancrosi uerò tumores in omnibus quidē corporis partibus, ut Gal. asserit, fieri cōsueuerunt, sed in mamillis præsertim mulierū, quæ purgationē secundū naturā non habent. Nā mammæ quia spōgiosæ sunt, facilè crassū succū suscipiunt, & in eos tū è capite tū ex utero facilius est decursus. Similiter, ut scribit Celsus, in partibus superioribus circa faciē, nares, labra, & aures; necnon inferioribus, ut vulua, cole, & ano sæpius contingunt, & præsertim eos apprehēdunt, quibus hæmorrhoides suppressæ, aut uaricosa vlcera curata fuere. Hūc āt morbū per sui initia sæpe sanasse profitetur Gal. sed vbi in molē insignē satis est euectus, subdit ipse, nemo sine manus opere potuit curare. Itaq; necesse est totū tumorem, qua partibus sanis adhæret, circuncidere, sed ob vasorum magnitudinem, cum

Galen. lib. de caus. puls. c. 25. & lib. de caus. morbo. c. 7.

Prognostica.

In scirrho.

Gal. 5 sim. 9

Galen. 2. ad Glau. 4.

Gal. 7. de cō po. per gen. cap 9.

Gal. 5 sim. 9

In cancro.

Galen. 2. ad Glau. 10.

Gal. loc. cit.

cum præsertim fuerint arteriæ, profluuij sanguinis statim periculum imminet: quod si laqueis eas circum præhendas, passiones per consensum insequuntur. Si aūt & morbi radices intrare statuas, neq; huic rei maximū periculum deest, cū prope principes partes sit adustio. Hunc itaq; morbum in principio sanauit Galen. & tunc præsertim, cum melancholicus humor non admodum crassus uidebatur existere. Nam hic purgantibus medicamentis, ex quibus sanitas sequitur, promptè succumbit. Quanto itaq; venæ in affecta parte existētes crassiore, ac nigriore sanguine plenæ fuerint, tanto deterior erit passio. Sed vt plurimum cancer, quicunq; sit, ægerrimè sanatur propter crassitiem succi, qui nec repelli, nec discuti potest, nec totius corporis purgatione cedit. Tanta enim huius vitij malignitas est, vt mitiora contemnat auxilia, vehementioribus autem excandescat, & irritetur. Inueteratus autē & confirmatus curationem non admittit, nisi aut sectione, aut vstione radicitus extirpetur. Verum qui penitiores corporis partes occupet, talē curationem non admittit. Ob id enim scribebat Hip. cancros occultos omnes melius esse non curare: curati enim citius pereunt: non curati longius tempus perdurant. Experiētia enim vt notat Gal. compertū est, omnes, qui huiusmodi cancros sectione, aut vstione curare tentarunt, illos magis irritasse, & breui homines interemisse. Soli itaque curationem admittunt, qui in summa corporis parte hœrent, quique exulcerati sunt, & adeo laborantes fatigant, ut ipsi vltro chirurgi manum efflagitent, & simul in talibus partibus consistant, quas resecare, & exurere vnà cum radicibus possis. Voco autem radices ipsius eas, quæ plenæ melancholico sanguine sunt, venas, & vndiq; versum ad loca circunstantia extenduntur. At verò ex cancro non vlcerato sæpe vlceratus fit putrescente scilicet spatio temporis humore in vasis delitescente, uel irritato à medicamentis inconsultè admotis affectu ipso. Proinde satis fuerit, si cācros non vlceratos etiamnū summa corporis occupantes, præsertim maiores, & iam inueteratos prohibeamus augeri, à perfecta curatione, localibusque præsidijs manū subtrahentes: eodem loco monet Hippo. qui, vt Gal. affirmat, etiam non vlceratos cancros occultos nominauit, in quibus sanè exulcerationem minantur vehemens caliditas, & pulsatio. Sæpe autem accidit, vt cancro in una parte, eaq; externa curato, in interna, & nobiliori parte alter suboriatur, & laborārem citius interficiat. De exulcerato autem cācro quid attiuet dicere? Nam Gal. nos monuit, curationē non admittere ea omnia, quæ ex atra bile sunt exulcerata, nisi quis appellare curationē velit, si affecta particula tota circumquaque ad partem sanam vsq; secta abscindatur. Ex his autem, quæ de ortu, natura, & causis elephantiæ scripta sunt, cuicunq; facile constare potest, ipsum esse morbum sui natura maximè rebellem, curatuq; difficilimum, præsertim ubi fuerit confirmatus. Est autem eò sæuior elephantia, quò signa grauiora apparent: maximè verò cum non in summo duntaxat corpore; sed & in ipsis quoque visceribus, ceterisq; interioribus partibus firmius inhœrescunt.

Hip. 6. aph. 38.
Gal. in com.
In Elephātia.

De Tumorum atrabilarium indicationibus, & curatione. Cap. XXI.

Indicationes à scirrho desumptæ.

SED ad scirrhum reuertamur, cuius quidem curandi, Galeno teste, communis indicatio est, vt quod præter naturā in particula est, totum vacuetur. Modus tamen vacuationis eius proprius est. Nam detergere id, vbi contumaciter hæret, oportebit. Quod si quis ijs, quæ vehementer trahunt, digeruntque, medicamentis uacuare tentet, nec ijs, quæ humectent, & calfaciant, molliat, ac liquet, huic paucis primis diebus egregiè processisse curatio uidebitur. Ceterū quod de affectu restabit, id insanabile erit: siquidem toto, quod in eo tenuium partium erat, digesto, quod reliquum est, veluti lapidosa concretio linquetur. Hac igitur de causa ad scirrhosos affectus nullū vehemēter excalfaciens siccansve medicamentum est aptum, sed ea tantum, quæ cum molliendo digerere possunt, cuiusmodi sunt tum ceruina medulla tum vitulina, & alia, de quibus post. Non igitur curandæ sunt partes induratæ medicamento immodicè siccante, sed eo, quod calorem habeat tepidum, humiditatem verò nec multā, nec omnino minimā. Quod. n. superfluū humorem habet, nihil omnino dissoluit: quod verò nimimū, plus, q̄ā oportet, exiccat. Oportet igitur induratum corpus à medicamento, quod

Gal. lib. 14. meth. 4. & 2 ad Glauc. 4. & 7. de cōp. per gen. 9.
Galen. 2. ad Glauc. 4.

quod auxilio futurum sit, simile quid pati his, quæ sub Sole funduntur. Vocantur autem malactica, id est, mollificantia huiusmodi medicamenta, qualia sunt medul-
Gal. 5. simp. 5. læ omnes, atque adipes, atque his similia. Vt autem sciamus, quænam sit emollientium natura, imprimis animaduertendum, quod sicuti non vna est induratorum corporum natura, ita neque una est eorum medela. Quod enim à siccitate induratum est, humectari postulat; quod à congelatione tale factum fuit, excalfieri indicat: quod autem à repletione durum euasit, inanitionem exigit: quod denique à siccitate simul, concretioneque, seu congelatione, humectari simul, ac concalescere: quod verò à congelatione pariter, & impletione, pariter quoque & calfieri, & euacuari desiderat. Tot itaque modis corpora tum indurantur, tum molliuntur. Sic medicamen emolliens, malacticum Græcis dictum, non de omnibus ijs modis efferre uidetur, sed peculiariter de ijs, quæ congelatione induruerunt, magisque etiam, si in eis contentus sit humor præter naturam, uelut in scirrhosis. Quippe si à siccitate induruerit, humectare potius non mollire ea præcipiunt, sicuti impleta euacuare, non mollire: & quod à frigore congelatum est, excalfacere: Quæ verò à frigore, & siccitate pariter induruere, ea excalfacere pariter, & madefacere expedit: non sicut pus mouentia caliditate & humiditate secundum naturam attemperatis,
Cap. 7. sed tanto expedit medicamen esse calidius, quanto exuperauit frigiditas, tantoque humidius, quanto & uicit siccitas. Cum itaque scirrhosa affectio oriatur ex fluxione viscosa & crassa, paruis particulæ meatibus impacta, & digesta per halitum, quæ in ea parte est, tenui humiditate, ac deinde quod reliquum est, refrigerato, ac uelut congelato, ideo per calfacientia curari debet. Porro quoniam cum frigiditate humiditas redundat superflua, idcirco etiam compositam eius esse medelam necesse est, ob refrigerationem scilicet excalfacientia poscente affectu; ob alienam verò, & superuacaneam humiditatem, euacuantia. Vnde fit, ut eorum, quæ indurata sunt, nullum curari ualeat, neque à validè exiccantibus, neque à fortiter calfacientibus, neq; ab ijs, quæ vtraque hæc præstare valent. Quæ enim valide calefaciunt, hœrens in particula humidum uiolenter digerentia, atq; allicientia, reliquum omne deficcant, & incurabile constituunt. Quæ uerò fortiter deficcant, etiamsi non excalfaciant, tamen ipsa non per medium (euacuando scilicet quod subtile est) sed ex professo & sua natura ad summam duritiem infixam particulæ fluxionem adigunt. Sola igitur ea quæ calfaciunt, sed non admodum, unaq; exiccant non magnopere, tales sanare affectus possunt: vocanturq; malactica seu emollientia eodem tempore vtrumq; agentia, nempe quod congelatum est, fundentia, & sensim per halitū dige
Cap. 8. rentia. Quare calida sunt id genus medicamenta, nec admodum sicca, & à pus mouentibus eo dissidentia, quod calidiora sint, & licciora. Illa enim cognatam, ac similem corporibus nostris caliditatem possident: emollientia uerò licet ualidiorem habeant, non tantam tamen, ut attractionis uiolentia reliquum deficcent. Præterea ea, quæ pus mouent, humorem, qui præfuit in partibus induratis, seruant: emollientia verò paulum quiddam eius absumunt. Proinde quamuis innumera sint excalfacientia simul, & exiccantia medicamenta, sola tamen ea, quæ conuenientem, ac symmetrum calorem habent, vnàque illi respondentem fortita sunt siccitatem, mollire, quæ scirrhi instar indurata sunt, possunt. Quocirca pus mouentia quantitate potius, quam qualitate caloris agere sunt nata: at quæ indurata emolliunt, qua
Cap. 9. litate potius. Quare quæ à lento, crassoque humore congelato indurata sunt, calida poscunt, siccaq; medicamenta; sed non tamen, quæ valida sunt, ac violenta: sed sufficit interim, ut secundi, aut tertij sunt ordinis excalfacientium, primi exiccantium. Cum itaq; non exigua sit in corporibus sic induratis maioris, minorisque latitudo, necesse vtique est, ut medicamentorum quoque illis medentium non parua sit la-
Gal. 7. de cō-po. per gē. 9. titudo. Quemadmodum verò inflammatis partibus tum repulsoria morbi initio, tum discussoria semper ex vsu sunt, ita scirrhis sola discussoria sine repellentibus.
Gal. 7. de cō-po. per gē. 6. Cap. 1. Animaduertit tandem Galenus, quod medicamenta, quæ inciforia sunt, sæpe tumoribus scirrhosis ex usu sunt, cum viscosi humores illos produxerint. Verum, quæ indurata, ait ille, optimè curabuntur, si Medicus spectet, quantum ægri corporis substantia à mediocri humiditate, ac siccitate recesserit, quemadmodum etiam si affectus constitutionem, quatenus sit aucta, inspiciat: præterea consideret inter ipsa pharmaca, quę magis, quę minus emolliant. Huc namque spectanti primus vsus emollientis phatmaci coniecturalis quidem erit, sed cum artificio. At post vnum, aut alterum diem num intendere medicamenti virtutem an remittere conueniat, intelliges. Et hæ sunt indicationes, quæ in curando scirrho elicien-

De emolliētiū, seu malacticorum natura.

dę sunt,

dæ sunt, gratia scilicet scirrhi iam facti, dum resolutione curatur: quæ quidem resolutio semper magis tenranda est, quàm maturatio, seu suppuratio: nam scirrhi, qui in abscessum migrant, rarò euadunt, quin in fistulam transeant. Qua de causa, & multò magis in strumosis affectibus, qui sunt in collo, ne scilicet turpis relinquatur cicatrix, quantum fieri potest, suppuratione euitata resolutionem tentamus. Vbi verò suppuratio euitari non potest, id saltem præstandum, vt tamdiu in concoquentibus persistamus, donec vel vniuersa materia, vel maior pars suppurata sit: nam secus scirrhoso tumore inciso, & calore expirante, reliqua materiæ portio ægrè admodum concoquitur, & fistulæ periculum imminet. Gratia verò scirrhosi tumoris, qui fieri potest, & incrementum capit, oportet, vt toties diximus, melancholici succi, vel crassæ pituitæ euacuatione, reuulsione, & regenerationis inhibitione, talium humorum fluxionem abscindere, & omnino prohibere. Quod etiam in cancro ipso faciundum erit, in quo atrabilarium humorum præparatione, expurgatione, & reuulsione, & ne rursus generentur, inhibitione, affectæque partis corroboratione cancrum incrementum suscipere totis viribus conandum est. Pro cancri autem iam facti eradicatione cauendo scarificationes ac sectiones, quæ malum ipsum ad exulcerationem (quæ quidem tanquam perniciosissima omnino fugienda) deducere possunt, post totius corporis (vt Gal. habet) expurgationem, repellentibus mediocribus, quæ vnà partem affectam, ne suscipiat, corroborare possunt, necnon digerentibus medicamentis, quæ tamen mordacitatis expertia sint, influxam materiam euacuabimus. Nam vitij malignitas, ait idem, ab ijs, quæ mordent, irritatur, & efferatur. Verum sicut in principio tam ipso purgationis tempore, quàm ante, repellere licet: ita solum, vbi totum corpus exquisitè purgatum fuerit, digerere conueniet. Vbi tamen mediocris purgatio præcessit mixtum ex repellente, & digerente vi pharmacum esse debebit. Sed quia ad crassum succum inutiles sunt imbecillæ vires, eò, quod nullum operæpretium efficiant, necnon etiam valentes, eo, quod tenuiores, quæ in venis sunt, sanguinis partes vel digerant, vel reprimant; crassas verò nec euocent, nec repellant, ideo mediocrium virium medicamentis est opus; quæ nec propter imbecillitatem vincentur, nec ob affectus vehementiam valentet sanguinem crassabunt. Veruntamen in curatione cancri, qui ex atra bile ferina proficiscitur, ex Gal. præcepto, etiam post totius corporis expurgationem ab adstringentibus, repellentibusq; abstinere debemus. Vbi autem cancer insignis est magnitudinis, non nisi manus opera, inquit Gal. curari potest. Quid autem agendum sit in exulcerato cancro, in sermone de vlceribus docuimus. Si enim pars affecta id ferat, & laborans id omnino efflagitet, ad sectionem, vel vstionem confugiendum erit. In elephantia demum præter vniuersi corporis euacuationem, expurgationemque ab atra bile, & adustis humoribus, oportet venenatam horum succorum qualitatem alexipharmacis medicamentis frangere, profligare, & discutere, & viscera, præsertimque iecur ipsum corroborare. In scirrhi autem curatione tum pro reuulsione facienda, tum pro totius corporis inanitione, vt scilicet tutius ad localia præsidia accedere possimus, tum demum pro iecoris, quod sui caliditate immodica melancholicum, & atribilarem succum multiplicat, refrigeratione, nedum in scirrho ipso, vt monet Auicennas, verum etiam & multò magis in cancro, & elephantiasi maximè expedit, ait Gal. si vires, ætasq; consentiant, venam & præsertim iecorariam ipsam, aut si menses suppressi sint, & nondum quinquagesimum annum attigerint, malleoli venam aperire. Optimum quoque est in his affectibus omnibus ex atra bile exortis hæmorrhoidas ipsas, vbi præsertim præter consuetudinem fuerint suppressæ, hirudinibus aperire, aut alijs auxilijs omnino prouocare. hoc enim auxilium horum omnium malorum tum ortum tum incrementum, si quod aliud, prohibere maximè potest. Simili modo vniuersum corpus ab humore melancholico, & adustis quibuscunque succis in omnibus iam dictis affectibus ante omnia expurgandum exactè erit. Proinde electuario lenitiuo ad vnc. j. s. vel syrupo de polypodio magistrali, aut violaro solutiuo ad vnc. iv. vel v. cum aliquo refrigerante decocto exhibito, aluum primosque ductus lenire optimum erit. Deinde pro iam dictorum succorum, qui in partibus remotioribus sunt, syrupi de boragine, buglosso, endiuia, de pomis, violato, de fumoterræ, de lupulis, de betonica, & id genus alij, cum suis decoctis, borraginis scilicet, melissæ, fumariæque exhibendi erunt. Et ab his melancholici, & atribilares humores soluentibus pharmacis sunt expurgandi. Quæ enim nigra ducunt, inquit Galenus, verant, ne elephas, & cancer augeantur: quod quidem etiam de scirro veritatem habet:

Is etiam

Marginal notes: In Cancro. — Gal. 14. metho. 9. — In Elephãtia. — Curatio. — Venæ sectio. — Gal. lib. 2. ad Glauc. c. 10. — Medicamenta communia. — Galen. lib. de atr. bil. c. 6.

Gal. lib. quos & quā purg. con. c. 1. Is etiam alibi literis mandauit, se fœminam, quæ in mamma cancrum habuit, quotannis ineunte vere similiter purgandam curasse. quam quidem ad sanitatem perduxit vehementer euacuando, vsus medicamento nigram bilem expurgante: sicq; assumpta purgatio non fuerat, mammam altius dolore vexari sentiebat. Quinetiam incipientem elephantiasim misso primum sanguine, & purgatione data in alio curauit. Deinde ei quoque vnica singulis annis purgatio sufficiebat: eaq; intermissa morbum statim reuocabat. Hæ itaque ægritudines nigros humores purgari postulant. Quæ autem id præstant, multa sunt. Inter quæ maximè probantur cortices radicis ellebori nigri, si ad dosim drach. ij. vel circiter in sero lactis infusæ propinentur. Laudantur quoque mirobalani nigri in eadem dosi: necnon folia senæ à duabus drach. vsque ad iv. eodem modo infusa cum electuario lenitiuo, aut diasena, ita probatur electuarium indum maius: sed præ cęteris confectio ipsa Hamech ad vnc. semis in adustis humoribus cum vncia electuarij lenitiui in bolo (in potu enim est nimis ingrata) mirificè conducit. Possunt etiam catapotia de lapide Lazuli vel Armeno ad drach. j. vsque ad ij. exhiberi. Alij ijsdem lapidibus, Lazuli scilicet, & Armeno, lotis vtuntur; sed vt Trallianus iubet, nouies lauant, & nihilominus non minus, quàm elleborus niger, adhuc soluunt. Similiter possumus vti hiera Ruffi, epithymo, polypodio, fumoterræ, nempe succo, lupulis, & id genus alijs, quæ nigros, & adustos humores purgant. Si crassa abundauerit pituita, ea pil. de agar. Mesues, aut cochijs, vel aggregatiuis, aut agarico ipso in minus robustis corporibus, necnon ijs, quæ in Strumarum curatione fuere descripta, purganda erit. Sed prius syrupo de betonica, vel de stechade, aut de hyssopo attenuanda, incidendaque erit. In Cancro autem pro atræ bilis purgatione peculiariter ab omnibus probatur epithymum pondo drach. iv. in sero lactis, mulsave exhibitum, vti

Gal. 14. metho. c. 9. pręcipit Galenus. Ea autem quantitas epithymi vel paulò maior, tertio quoque die, interpositis tamen præparantibus offerenda est, vt scilicet atra bilis in venis collecta, quæ cancro incrementum exhibet, sensim, & ex interuallo omnino euacuetur. non enim vnica vice potest vniuersa euacuari. Nec semper prohibere possumus, ne deinceps talis succus in venis colligatur. Quod si epithymum, aut aliud ex simplicibus pharmacis non sufficiat, ad aliquod compositum, quod validius sit,

Gal. loco cit. confugiendum, cuiusmodi est Gal. medicamentum atræ bili euacuandæ dicatum, quod ex duobus & triginta simplicibus est compositum; aut hiera Rufi, & Auicen-

Galen. 2. ad Glauc. 10. næ, quæ nigrum veratrum recipit. Neque ab ijs repetitis purgantibus desistendum est, priusquàm totus ille succus melancholicus, & ater in venis collectus eductus fuerit, & pars cancro obsessa ad naturalem statum fuerit reducta, & roborata. Quo facto & interim tum optima victus ratione, de qua post, tum refrigerantibus, & præsertim sero lactis caprini per plures dies exhibito nouæ atræ bilis regeneratio omnino inhibenda erit, & eiusdem intus genitæ tum per consuetos ductus, tum, vbi opus sit, per fonticulos præsertim cruribus applicitos euacuatio molienda. Quæ omnia tum in cancro particulari, tum multo magis in vniuersali, & elephante administranda erunt. Quantum spectat ad remedia, quæ topica dicuntur, & peculiaria sunt, partemque ipsam affectam respiciunt, si primum de Topica. Ad scirrhū.

Gal. 5. simp. c. 9. scirrhum ipsum respicientibus sermo fiat, cum dixerit Galenus ea, quæ à lento & crasso humore congelato indurata sunt, & calfacientia secundi, aut tertij ordinis, & siccantia primi ordinis postulare, & insuper, cum non exigua sit in corporibus sic induratis maioris, minorisque latitudo; ideo necesse est & medicamentorum ipsis medentium non paruam esse latitudinem. Siquidem adeps caprinus, & gallinatum sic indurata iuuarunt. Verum illi quidem imbecilliores sunt, & moderatas duritias emolliunt. Valentior gallinarum, gallorumque adipe anserinus est; caprarum verò hircinus: validior quoque & taurinus, sed minus tamen quàm hircinus. Quinetiam medulla ceruina modicè emollit, & post eam vitulina: quippe cum id genus omnia calida sint, & mediocriter sicca, multoque magis excalfacere, quàm exsiccare nata. Vnde si quis forte ea quandoque calida dicat, & humida, non repugnandum: nam paulum absunt ab ijs, quæ neque humectant, neque desiccant. Eodem ex genere sunt, quamquam validiora, ammoniacum, thymiama, & styrax, & galbanum, & bdellium Scythicum: Sed ad emolliendum præstantiora ex ijs sunt, quæ recentia sunt. inueterata enim validius, quàm oportet, desiccant. Idipsum vsu venit in medulla, & adipe, quippe quæ & ipsa vetustate seipsis tum acriora, tum sicciora euadunt. Quin & oleum quoque sicyonium ex hoc est genere, nec in postremis id, quod inueteratum est, & ea, quæ præparantur, vt Medicamenta simplicia. Solutio apparētis contradictionis in dictis Galeni.

susinum,

ſuſinum. Porrò radix altheæ, & cucumeris agreſtis, nonnullæque aliæ plantę partim in oleo, partim in aqua decoctæ emollientium medicaminum facultatem inducunt, ſicut maluæ agreſtis folia tum cruda, tum cocta. Atque hoc ſimplex medicamentum eſt, ſicut porcinus adeps vetuſtatem paſſus: ſed ſalis nihil oportet adijcere, ſicut nec alijs, quę emolliunt: valde enim deſiccat ſal. Quare emollientia debent eſſe calida ex ſecundo, & interdum ex tertio ordine, leuiter verò ſicca. ſed & ipſis ſane illinendi vis (emplaſticam vocant) inſit, neceſſe eſt, non aliter, quàm ijs, quæ pus mouent. ſed quanto maiore euacuandi facultate pollere debent, tanto vtique minus etiam meatus illitu obſtruere. Idem porrò Gal. alibi inter ea, quæ ſimplicia ſunt, probat hydropiper, quia non vſque adeo calidum eſt, vt piper, & modicè ſiccat, ſi eius recens herba etiamnum viridis vnà cum fructu cataplaſmatis in modum imponatur: nam ſuggillata, & induratos, ſeu ſcirrhoſos tumores digerit. Et idem de caprino ſtercore loquens, omnium creberrimè eo vtimur inquit, quia digerentis, acris, & detergentis eſt facultatis: adeo, vt & induratis ſcirrhorum in modum tumoribus congruat, non tantum lienis, ad quos creberrimè medici non pauci huiuſmodi ſtercora applicant; ſed etiam aliarum partium: ſiquidem ego (ſubdit ille) eo vſus ſum ad genu tumorem habens inueteratum, & ægrè ſolubilem, iuſſo fieri cataplaſmate ex farina hordeacea per oxycratum, indito videlicet hoc ſtercore: & mirum eſt, quàm homo ille fuerit adiutus: Erat autem ruſticus. Et item alius ruſticus, cum ſic vſus eſſet, non tantum in genu, ſed etiam in alijs partibus ad tumores ſimiles, perinde adiutus eſt. Nam acrius eſt medicamentum, quàm vt mulieres vrbanas, aut pueros, aut omnino tenera ſunt carne, ſanare poſſit. Similiter foſſoribus, ac meſſoribus, & ijs, qui opus obeunt, validiſſimum, cheradis, & tumoribus quibuſcunque ſcirrhoſis laborantibus, vt Galenus refert, Myſius quidam Medicus ſtercus bubulum ex aceto in cataplaſmatis formam compoſitam illinebat. Inueteratis inſuper tumoribus, & ſcirrhi in morem induratis, tum neruorum curuaturis (quas ancillas Græci vocant) & in ſumma, quæcunque ſcirrhoſa ſunt, ijs aptiſſimus eſt adeps leoninus (quia omnium prope quadrupedum adipe potentius digerit) in quibus ſanè minimè apparet efficax ſuillus. Taurinus verò ab vtroque ex æquo diſtat: vt quanto calidior, ſicciorque eſt ſuillo, tanto ſuperetur à leonino. Cæterum adeps omnis, vt diximus, dum inueteraſcit, ſeipſo & calidior, & tenuiorum partium efficitur, & proinde valentius digerens. Verum id omnibus inueteraſcentibus accidit, quæ quidem non putreſcere anticipent. Nam vinum, mel, acetum, butyrum, caſeus, œſypus, oleum omne, ſiue lentiſcinum, ſiue cicinum, ſiue raphaninum, ſiue ex oliuis factum vetuſtate calidiora, & tenuioris eſſentiæ efficiuntur, & proinde guſtantibus apparent acriora, & ad induratos, ægreque ſolubiles affectus adhibentibus, potentius digerentia. Vt autem recta methodo his emollientibus ſcirrhoſos affectus curemus, debemus, vt docet Gal. ſpectare, quantum ægri corporis ſubſtantia à mediocri humiditate, ac ſiccitate receſſerit, & affectus conſtitutionem, quatenus aucta ſit, inſpicere: & tertio conſiderare inter ipſa pharmaca, quæ magis, quæ minus emolliant. Huc enim ſpectanti primus emollientis vſus coniecturalis erit, ſed artificioſa; ſed poſt vnum aut alterum diem num intendere medicamenti virtutem, an remittere conueniat, intelliget. At verò (vt ad compoſita pharmaca tradenda deueniamus) Medici emollientia, & digerentia pharmaca compoſuerunt, ceu ſcopos ambos ſibi proponentes, tum vti partis duritiem ſcirrhoſam diffunderent, tum, vt per halitum digererent, non viciſſim vtroque vtentes, quemadmodum Galenus frequenter facit, ſed ſemper duo iam dicta compoſito medicamine moliendo. Notum porrò eſt omnibus, in miſtura vel emollientia, vel digerentia eſſe copioſiora, tum maioris minoriſque rationem in ipſis eſſe non exiguam. Conſtat quoque ſubinde paria facultatibus miſceri, ac neceſſe eſt, ſicut in alijs medicamentis, ita in his etiam, ſi probè mederi cupias, plura eiuſdem generis pharmaca, vel certè duo parata habeas, validiſſimum puta totius generis, & moderatiſſimum, vt ex varia ipſorum miſtura conuenienti facta, multa, quæ intra ſummam contineantur, medicamina efficias. Non enim adeps eandem virtutem obtinet, quàm bdellium, ſtyrax, & gutta ammoniaci: ita inter ipſos adipes is, qui animalium calidiorum eſt, magis excalfacit; ſicciorum verò euidentius exſiccat. At vulgus Medicorum nouit leoninum adipem in vtroque calfaciendo dico, & digerendo longè eſſe valentiſſimum. Proximum locum habet pardi adeps, adeo, vt parum emolliat. Minore autem in calfaciendo, & digerendo præditus virtute eſt anſerinus,

habetque

[Margin notes: *Gal. 8. ſimp. ferm. prop.* — *Gal. 10. ſimpli. fer. prop.* — *Lib. 11. ſer. de adipe.* — Compoſita medicamẽta qua methodo paranda ſint. — *Galen. 7. de compoſ. per gener. 1.*]

habetque plus quiddam in molliendo: pari ſpatio ab hoc recedit gallinaceus. [Loco autem leonini quidam vrſino vtuntur. Hi igitur omnes tenuiorum partium ſubſtantiam inter quadrupeda animantia obtinent. At differentia rurſus permagna in ipſis eſt, cum ſuillus molliſſimus, & humidiſſimus, eoque aliorum imbecillimus ſit, vt teneris corporibus conueniat, cuiuſmodi habent mulieres, eunuchi, pueri, & viri delicatiores in vmbra, otio, & frequentibus potabilis aquę balneis effœminati. Caprarum verò & boum pingue, quanto ſuillo eſt validius, tanto magis corporibus natura durioribus, & inter duriora ſcirrhoſioribus conuenit: Taurorum, hircorumque in validioribus tum corporibus, tum affectibus proficit. Eadem & in alijs maioris, minoriſque ratione inter ſe eſt differentia. Auditis igitur pharmacorum ſecundum maioris, minoriſq; rationem differentijs, quas exactè Galenus in ſeptimo de comp. medic. per genera, cap. 3. literis mandauit; & item intellectis corporum, affectuumque diuerſitatibus, valida validis, imbecillia imbecillibus adhibebis. At vbi poſt primam medicamenti impoſitionem aliud applicas, oleo ſimplici pingui partem affectam fouere conuenit. Portò ex iis, quæ tenacia ſunt, nullum auferendum eſt prius, quàm ſua ſponte abſcedant: imò etiam ſi lauetis permittenda ſunt. Vitanda autem medicamentoſarum aquarum lauacra præſertim, quæ chalcanthoſa, aluminoſa, & ſulphuroſa ſunt. Verum pro his, qui in Medicinæ operibus non ſunt exercitati, liceat ad compoſitorum emollientium pharmacorum differentias deſcendere. Horum autem imbecilliora primo ordine ſtatuenda ſunt; quædam non multò his validiora, ſecundo; & quædam alia tertio; adhæc nonnulla quarto. Primi autem ordinis mollientibus ad exiguas duritias, & in teneris corporibus vti expedit; ad fortiora his corpora, & affectus, ſecundi; vti & tertij & quarti pro illarum ratione. Primi itaque ordinis emollientia erunt hæc: Recipe butyri, reſinæ colophon. ceræ candidæ non vetuſtę ana partes æquales, inuicem liquata miſceantur. Ita parygrum, id eſt, liquidum vocatum medicamen, cum recens fuerit, primi ordinis eſt. nam veteraſcens maiorem digerendi vim acquirit. Recipe itaque adipis ſuilli recentis curati vnc. xliv. ceræ vncias xxiv. ceruſſæ, argenti ſpumæ ana vnc. vj, quæ liquari poſſunt, ſiccis ſuperfunduntur: temporis autem ſpatio medicamentum conſiſtit, ſpiſſaturque. At emollientium imbecillimum eſt cera cum butyro liquefacta, aut ex ſuſino, aut comageno. Atque his imbecillius eſt, quod dicitur cerelæum, quaſi ex cera oleoq; confectum, cum in libram olei laxantis nulla adſtringendi virtute præditi, ceræ xv. vel xvj. iniecta fuerint. Iam ex ouis cerata facta exiguam quandam relaxandi poteſtatem poſſident. Valentiora his, vetum imbecilla adhuc & ipſa cerata ex œſypo, reſina, & cera pari pondere liquefactis: ſin autem vetuſtiora quodammodo ipſa fuerint, olei cuiuſdam laxantis, vel ſuſini, vel comageni, vel adipis ſuilli, vel gallinacei vel anſerini miſturam requirunt. In ſecundo mollientium ordine erit Mnaſei emplaſtrum ex oleo veteri, argenti ſpuma, & adipe ſuillo compoſitum: ſed imbecillimum fiet, ſuillo adipe, & oleo, neutro veteri: validius, oleo quidem ex i pis veteri, altero autem recenti addito: his validius ex ambobus vetuſtis. Ex trium rurſus ipſorum ſimplicium medicamentorum mutua ſymmetria aliæ plures differentiæ emanabunt. Vel enim pari pondere hæc tria miſcentur, vel paribus duobus, vel tribus imparibus. Copioſa verò argenti ſpuma iniecta, medicamen poteſtate mollius fiet: pauciore validius: Ac magis emolliet, ſi plus adipis immittamus: digeret fortius, ſi oleum augeamus. Præterea aliud quiddam accedit, copioſiore oleo impoſito, quod magnam vim ad medicamen, vt valentius digerat, efficiendum obtinet: eſt autem hoc, ſi magis incoquas. In tertio porrò ordine poteſt recenſeri, quod Recip. guttæ ammoniaci vnc. xxxvj. ceræ tantundem, therebinth. bdellij ana vnc. viij. thuris, myrrhæ ana vnc. iv. chalbani vnc. iv. alij viij. Cyprinis heminas iv. myrrha, thus, & bdellium vino madeſiunt, ammoniacum aceto diluitur: omnia contunduntur piſtillo cyprino inuncto, quouſque perfectè diſſoluantur. Soluit autem omnem duritiem, & facit ad difficiles articulorum motus, & pharmacum vetus, ac celebre eſt, ſicut & aliud, quod Aſclepiades poſt hoc in iſtum modum tradidit, ad omnem ſoluendam duritiem, & alios plures vſus: Recipe ceræ, therebint. guttæ ammoniaci, bdellij, myrrhæ, propolis, iridis, ſtyracis ana vnc. xvj. irini vnguenti feculæ quantum ſuff. vini odorati, quod ſatis eſt; præparato, ſicut prædiximus. Quarti verò ordinis ad digitorum ancylas, & inueteratas, contumaceſque duritias valens eſt, quod Recip. Bdellij, ſeui vitulini, guttæ ammoniaci, iridis Illyricæ ana drach. xvj. oppoponacis, chalbani, cachryos, ſtyracis, thuris ana drac. viij. piperis

Gal. lib. 7. de cōp. per gen. cap. 4.

Compoſita mollientia primi ordinis.

Cap. 5.

Secundi ordinis.

Tertij ordinis.

Quarti ordinis.

piperis grana numero clx. irini feculæ, quod fatis fit, ceræ therebinthinæ ana lib. femis, vini quod fatis eſt: tuſile eſt medicamen, & ſuperiorum modo conficitur. Extremi enim ordinis emollientium eſt, vt quo nullum induręſcentia magis emollire comperias. Porrò medicamenti auctor huc etiam animi intentionem direxit, vt quod in ſcirrho induratis continetur, digerat, diſcutiatque. Quamuis enim non abſurdè ex Galeni mente Auic. præcipiat, alternatis vicibus ad hos induratos tumores, modo emollientibus, modo digerentibus, vtendum eſſe: nihilominus, quia id tædioſum, & factu perdifficile eſt, ſatius, ac tutius Galeno viſum eſt, medicamentis miſtam facultatem habentibus vtendum eſſe. Eodem enim tempore, quod induruit, molliemus, & ſenſim per halitum digeremus. Qua de re ad Bronchocelas, & omnem duritiam diſſoluendam, ad omnes exceſſus in manibus, ac pedibus, quos clauos appellamus, & alia mala ſine exulceratione auferenda, pharmacum infraſcriptum, tanquam longè vtiliſſimum extollit Galenus. Recipe argenti ſpumæ, picis ana drachm.clx. ſeui vitulini tantundem, reſinæ therebinthinæ drach.lxxx. mannæ thuris tantundem, ceræ drach.xxxx. æruginis drach.viij. opponacis tantundem, chalbani tantundem, olei cicini hæminam, aceti tantundem, liquoris ſycamini hæminam, picis liquidæ hæminam dimidiam: Argenti ſpuma leuiſſima, & cicinum oleum in vas fictile, æreumve iniecta, & ſuper ignem poſita incoquuntur: poſteaquam ebullierint, ſeuum & manna thuris adduntur, mouenturque continuè. cum coiuerint, pix, cera, reſinaque admiſcentur, & coctis, quoadusque non polluant, chalbanum aſpergitur, deinde ærugo, & oppoponax ex aceto diſſoluta: liquor verò ſicomori, & pix liquida in alterū vas transfuſa coquuntur: vbi coiuerint, priori pharmaco admiſcentur, rurſusque ſupra ignem poſita vſque dum non inquinent, coquuntur, & in vinū demerſa relinquuntur triduum: inde ſubactis vtimur in linteolum illinentes. Oportet autem poſt pharmaci impoſitionem vittam reſperſam vino exprimere, & tunc pharmaco circundare. Non inefficax pariter ad ſcirrhos molliendos eſt diachylon cum gummis: Necnon ceratum de marcheſita, quod etiam ad ſtrumas mirificè valet, dum ſcilicet non ſunt exulceratæ: Et dum eo caremus, licet lapidem ipſum marcheſitæ puluerizatū cum diachylone cum gummis permiſcere. In ſcirrhis autem ex phlegmone, vel eryſipelate nimium refrigeratis obortis Raſis hoc vtebatur. Recipe bdellij, ammoniaci, chalbani ana partes æquales; terantur in mortario cum oleo de ben, aut de lilio: deinde ſume mucilaginum fœnugræci, ſeminis lini & ficuum pondus omnium prædictorum: terantur omnia ſimul, donec in vnum coeant, & fiat emplaſtrum. Galenus verò maximè probat corticem radicis altheæ (quam vulgus maluam arboreſcentem vocat) anſerino, vel gallinaceo adipe liquatam, & cum eo contuſam & in cataplaſmatis formam redactam. In Cercilij autem puerulo, cui ex eryſipelate nimium refrigerato tumor ſcirrhoſus in toto femore relictus eſt, Galenus exiſtimans medicamenta tenuia eſſe oportere, poſito puero in profundam peluim, femur oleo perfudit, oleoque Sabino, tanquam omnium tenuiſſimo, à balneo per plures dies abſtinens. Poſtquam verò partem fouit, medicamenta ex iam dictis medullis, ceruina ſcilicet & vitulina, & adipibus, anſeris videlicet, gallinæq; confecta adhibuit, miſcendo nonnunquam bdellium Scythicum, maſticem Aegyptiam, & ammoniacum, quod pingue, & non vetuſtum eſſet: ſimiliter & chalbanum: Et poſtquam per hæc præparatum fuit, ſoluens ammoniacum pinguiſſimum in acerrimo aceto, circumliniuit totum femur circumcirca: deinde per aliquot dies rurſus oppoponacem pinguiſſimum miſcuit aceto acerrimo, huius ſcilicet ſoluens id, quod recens erat: alioquin pingue non permanſiſſet: quemadmodū nec bdellium, nec ammoniacum, nec chalbanum: iuſſitq; puerum alteri cruri innixum ſaltare, vt plus cibi ad illud ferretur. Poſtea vbi repulſus erat iam ſcirrhoſus tumor, timens, ne eius reſiduum maneret, omnia è contrario facere aggreſſus eſt, femur ex aliquo medicamento eorum, quæ pice conſtant, perungens. Manifeſtè itaque clarebat, quod ex aceto linimenta egregiè tumorem comminuerant, laxatiua verò molliorem reddiderant, minorem autem nequaquam; viciſſim tamen eis vtendo, adhibito conuenienti moderamine puerulum curauit. In tendonibus verò, ac ligamentis ſcirrho induratis, ex prædictorum vſu manifeſtiſſima auxilia videre licet: ſi quis rectè vtatur curatione ex pytite lapide, quem marcheſitam vocant. Oportet autem eum, cum igne excanduerit, acerrimo aceto aſpergere, ac deinde ſuper lapidem mouere partem affectam, vt à vapore ſurſum lato ſcirrhus diſſoluatur. multæ enim partes iam planè curuatæ, conuolutæque hoc curationis modo membrum dimo-

Ad ſcirrhos poſt calidos tumores obortos.

Galen. 2. ad Glauc. 4.

Ad tendonum, ligamentorūq; duritiam.

Gal. loco cit. & 14. met. 5.

dimouendo,perfectè sanatæ sunt,vt fere magicum opus videretur. At oportet præ-
parare mollificando partem scirrhosam propositis medicamentis. Quinetiam in
hac ipsa, quæ fit per pyritem lapidem, curatione abundè multum oleum Sabinum
calidum prius perfundendum est, aut aliquod aliud, quod extenuandi vim habeat.
Nec minus proderit anethi comam decoquere, præsertim cum viride fuerit, & re-
cens. Quod si pyritem habere non possis, molari lapide vtendum est; talis autem
est,quo molæ, quæ frumentum molunt, parantur. Oportet itaque post susceptam
euaporationem,in qua scirrhosum ligamentum,vel tendonem dimouere oportet,
rursus medicamen quod molliat imponere. Oleo tamen non aqua principio cu-
rationis quotidie omnino partem affectam perfundebat Galenus. Esto autem ne-
quaquam astringens; sed tenuium partium: quale diximus Sabinum esse. Inco-
quebat autem oleo interdum altheæ radicem, ac syluestris cucumeris, vel quid si-
mile: & hoc vtebatur quotidie. Cæterum curatio hæc per acetum facta vtilis est vi-
tio iam adulto, & cum præparata iam sub mollientibus pars fuerit. Excogitauit
autem & composita quædam ex aceto medicamenta,quæ inter mollientium vsum
ad vnum diem imponebat. Siquidem aceti vis, modo quis ea modicè, & debito
tempore vtatur, salutaris eiusmodi affectibus est ceu crassos, & viscidos humores
dissecans,ac dissoluens: Sin vel immoderatius,vel in tempore non idoneo,renuio-
res partes violenter consumens, quòd remanet lapidescere finit. Sed & si quis
diutius vtatur, substantiam neruorum delibauerit: Ideo nec sæpe, nec inter initia;
nec longo tempore medicamentis, quæ ex aceto componuntur, ad ligamenta, &
Gal.8.simp. tendones est vtendum. Ad mammarum autem duritias discutiendas Gal.particu- **Ad mammarum duritiem.**
lariter chamæpytis herbam viridem probat. Inter composita tanquam optimum
Galen. 5. de ad mammarum duritias ab eodem Galeno probatur hoc: Recipe ceræ,argenti spu
comp. medi. mæ ana pondo minam, mannæ thuris, therebinthinæ, chalbani, sinopidis ana de-
per gen. c.2. nariorum pondo viij. olei veteris hæminas ij.oleum & argenti spuma dum non in-
quinent,incoquuntur,deinde cera, resinaque liquefactis ipsis, sublatisque ab igne,
sinopidem immittito, & chalbanum, postea mannam. Valetque etiam ad venena-
Galen.lib.6. tos morsus. Nonnulli verò, vt probè notat Galenus, etiam adstringentia pharma-
cap. 13. ca digerentibus, extrahentibusque miscuerunt, veriti, quod accidit,vbi humorum
superfluitas fuerit. Trahunt enim plus interim, quàm conuenit, vt non solum ex
particula, quæ curatur, attractionem in alto, sed etiam ex omnibus vicinis molian-
Galen.lib.5. tur. Propterea præsertim mammarum duritias discutit, extrahit, repurgat, implet,
cap.7. glutinat, & cicatricem ducit, strumas discutit, tollitque cancrosas durities, in qui-
bus scalpello vti non licer,Cyzicenum emplastrum, quod Recipit Thuris,myrrhę,
croci, iridis Illyricæ, bdellij, chalcanthi, aluminis scissi, rotundi, guttæ ammonia-
ci, misyos, putaminum mali granati dulcis ana drach. iv. squamæ drach.xij. aristo-
lochiæ, gallæ omphacitidis ana drach. viij. chalcitidis drach.iv. visci quercini, op-
poponacis, æruginis rasæ, acaciæ, floris rosarum ana drach.viij. Therebinth. pon-
do minam, alij drach.L. liquoris papaueris drach.vj. ceræ minas ij.seui vitulini cu-
rati minam, aceti communis hæminas ij. vini quod sufficit,in sicca immittitur. Ex
eo verò, quod vinum siccis infudit, planè innuit huius medicamenti auctor, se ari-
da ex vino vel acero læuigari velle: deinde liquefacta his superfundi. Conficien-
dum igitur Andromachi more, oppoponacem cum siccis in mortario terendo.
Si valentius, & quod magis digerit, pharmacum facere quis velit, acetum inter læ-
uigandum admisceat, si magis adstringens, repellensque, vinum. De Topicis au- **Ad Cancrum.**
Galen. 2. ad tem auxilijs, quæ Cancro opportuna sunt, verba faciens Gal.patienti particulæ,in-
Glauc.10. quit, succus solani imponatur. nam hoc medicamen ad huiusmodi vtile est. Quod
si nolit ægrotans medicamento adeo humido illiniri, cum præsertim domum exi-
re cogatur, ad consueta negotia peragenda, medicamen ex pompholyge constans
est imponendum, quo me vidisti vti ad cancros exulceratos. Et, si hoc non adsit,
adhibe alterum medicamentum nostrum, quod ex chalcite fit, & passim diapalma
vocatur. Postquam enim prohibuerimus, ne succus melancholicus, atrabilarisq;
de cætero in venis colligatur,aut si id fieri nequit,eũ ex interuallis euacuauerimus,
oportet deinde simul particulam firmare, ne quid humorum redundantiæ ad eam
confluat. Vbi itaque mediocris tantum purgatio præcessit, topicum pharmacum
ex repellente, digerenteque facultate mistum esse debet. Mediocrium tamen vi-
rium medicamentis est opus, quæ nec propter imbecillitarem vincentur, nec pro-
pter effectus vehementiam valenter sanguinem crassabunt: ad hæc item quæ om-
nino non mordeant: Nam vitij malignitas ab ijs,quæ mordent, irritatur, ac,vt dici

solet,

solet, efferatur. Propter hæc igitur, quæ viribus quidem sunt mediocria; qualitate verò minimè mordentia, eiusmodi affectibus sunt idonea. Materię verò copia, pręsertim ex vstis, elotisq; metallicis habebitur. Quippe quę medicamenta ex his componuntur, vnà cum purgationibus ad sanandos incipientes cancros magnam vim habent. Maiores verò sat fuerit si his prohibeantur augeri. Prospicere verò, vt, qui iam sunt sanati, amplius non regenerentur, id artis de tuenda sanitate est opus: cuius sanè portio est ea, quæ de cibis præcipit, de quibus mox loquemur. Cæterum si quando cancrum per Chirurgiam curare audebis, cœpisse quidem ab vacuando per purgationem melancholico humore oportebit. Vbi verò totum quod vitiatum est, prorsus excideris, sic, vt nulla supersit radix, sines effluere sanguinem, nec properè eum inhibebis: imò premendo potius, quæ circum sunt, venas, exprimes ex his crassiorem sanguinem: mox alijs vlceribus similiter curabis. Et hæc de cancri curatione Gal. Cum igitur maximè probet medicamen ex pompholyge, ideo Theodoricus diapompholygos sic describit: Recipe olei rosac. ceræ alb. ana vnc. v. succi granorum rubrorum solani vnc. iv. cerussæ lotæ vnc. ij. plumbi vsti, & loti, pompholygos, (quæ tutia vulgò dicitur) ana vnc. j. thuris vnc. s. fiat vnguentum. Galenus insuper ex Apollonij scriptis ad cancrosos tumores imprimis esse vtile ait, quod Recip. olei rosacei, vel omphacini hæminam, quod in pilam plumbeam infusum tantisper sub Sole cochleario, vel pistillo plumbeo agitari debet, donec crassescat, & nigrescat, ita vt plumbi colorem referat, deinde seorsim conterito, lithargyri lib. j. cerussæ tantund. & cum oleo commisceatur, & fiat vnguent. Auicen. verò cancrorum fluuiatilium crematorum, & cadmiæ par pondus accipiebat, & in pollinem his redactis, & mistis inspergebat: aut cancrorum cinerem vnà cum cerato inspergebat. Nonnulli loco pulueris cancrorum, ranarum secundum artem in vase lutato crematarum puluere vtuntur. qui si in vase plumbeo conteratur, solus vtilissimè cancris ipsis inspergitur. Alij cerato oxæleo in mortario plumbeo lęuigato frequentissimè cancris medentur. Gal. verò scribit vrticæ herbæ tum fructus tum folia gangrænosa, & cancrosa, & in totum, quæ exsiccari citra mordicationem postulant, ea conuenienter sanare, nimirũ cum subtilium sit partium, & temperaturæ siccæ, non tamen tantum habens caliditatis, vt iam mordicet: Et idem de draconculi fructu (licet alij succo etiam radicis vtantur) pronunciauit. De plumbo verò & alijs, quę in cancro vlcerato conueniunt, in serm. de vlcere cancroso satis superq; egimus: Cui etiam maximè opitulatur Crironis emplastrum à Gal. in principio secũdi cap. sexti lib. de comp. med. per genera descriptum, quod quidem ad strumas, ad omnes callosas durities, ad lepras, & alios quoque vsus præstantissimũ est. Ne verò cancer rursus reuertatur, post ipsius ablationem, oportet partem affectam ijs, quæ valenter adstringẽdi vim habent, qualia potissimum sunt defensiua vocata emplastra in vulnerum sermone proposita, vndequaque roborare, condensare, & adstringere: Et hæc de Localibus pharmacis satis sint. Verum circa cancri incisionem, & ablationem, quæ vel ferro, vel cauterio fit, illud idem, quod superius cum Galeno admonuimus, denuo reperendum est, hanc, quantum maximè fieri potest, fugiendam esse, propter causas superius propositas in præsagio, & insuper, quia cancer, qui prius non vlceratus erat, cum eius intimæ radices euelli vt plurimum non possint, vlceratus fit, & proinde longè periculosior: Et, quod magis est, si in vna parte sanetur, paulò post vel in eadem, vel in alia nobiliori & interna parte suboritur. Vnde melius est, vt fluxio sui natura adeo dira, & perniciosa ad extimam partem propellatur, & æger per aliquot tempus in vita seruetur, quam vt intus detenta aliquam partem obsideat, quæ ita affecta breui laborantem in interitum præcipitet. Propterea Galenus maximum huius operationis discrimen, atque periculum indicauit, dum dixit: Cæterum si cancrum per chirurgiam curare audebis. nam per illud verbum (audebis) apertè innuit Medicum debere potius ab hac operatione se subtrahere, quàm temerè ipsam aggredi. Præsertim autem id agendum, dum malum vel capiti, vel thoraci, aut alicui præcipuæ parti vicinum hæret: imò cancros etiam eos, qui in scapulis humeris, & inguinibus contingebant, Aetius ceu incurabiles omnino intactos relinquebat. Quod si fortè, propter vehementem, quem interdum inuehit, dolorem, Chirurgus incisionem moliri cogatur, ea omnia obseruanda sunt, quæ superius ex Galeni scriptis præcepimus. & post excisionem, & diligentem atri sanguinis expressionem, Auicenna maxima ratione ductus consulit, vt deinde cauterio locus aduratur. Id enim materiæ reliquias dissipat, & absumit, membrum affectum roborat, & sanguinis fluxionem prohibet. Istamen eorum

Galen. 1. de med. local.

Gal. 6. simp.

Gal. 9. simp. ser. de plūb. & de spodio, & 10 lib. ser. de ferro lact.

Gal. 14. metho. 9.

Aet. lib. 16. cap. 44.

tantum excisionem aggreditur, qui & minuti fu nt, & absque locorum, & partium circunstantium iactura apprehendi, & euelli possunt. Facta autem incisione, si locus non vratur, apponenda linamenta sicca in parte incisa, & postea vulnus concoquendum, carne replendum, & cicatrizandum. Sin cauterium inutatur, quæ dolorem, & escharam remouent, vti butyrum est, & postea, quæ vlcus sanant, admouenda erunt. Toto tamen curationis tempore ægrotantes in calido cubiculo, ad frigus, tanquam valde inimicum, euitandum, sese continere debebunt, in eisque tum vini, tum frigidæ potus, tum praua cibaria omnino interdicenda erunt. Cancri autem maiores & iam inueterati, neque ferro adurendi sunt, neque scalpto excidendi; sed solum blandè, & leniter medicamentis tractandi. Plerique enim nullam vim adhibendo, sed imponendo solum lenia medicamenta, quæ quasi blandiantur, quò minus ad vltimam senectam perueniant, non prohibentur.

Galen. 2. ad Glauc. 10. His verò qui Elephantiam patiuntur, inquit Galen. in viperarum esu est mirabile auxilium. Ita verò eas condire oportet, quemadmodum vidisti Marsos, qui feris venenatis, & aspidibus nutriuntur, capite quidem primum abscisso, & cauda vsque ad digitos quatuor, deinde omnibus interaneis exemptis, cute etiam nimirum adempta; aqua deinde abluto corpore ipsarum. Sed neque aliter cum theriacam antidotum conficere volumus, vsque ad hoc præparamus: sed deinde concoquimus differenter. In Theriaca quidem paululum anethi, & paucum salis in aqua ponentes: In his autem, qui elephantiasi laborant, in olla anguillarum modo præparantes ex albo iure. Fit autem hoc modo: Aqua abundanter in ollam funditur, & paucum olei, & cum hoc porrum, & anethum adijcitur. Liquet autem quod viperarum carnes sunt decoquendæ, donec exquisitè molles reddantur. Ipsum etiam medicamentum confectum ex viperis, quod theriacam appellant, optimum est ad potandum ijs, qui huiusmodi morbo laborant, vel etiam si cui libuerit, ad cutim oblinendam. nam cum omnia hæc facta fuerint, nonnunquam solet squama à cute decidere, quale in serpentibus, quod senium appellatur. Nam viperarum carnes palam, vt alibi habet, videre est excalfacientes, & deficcantes, vbi condiuntur, ceu anguillæ, nempe oleo, sale, anetho, porro, & aqua, seruato nimium modo. *Gal. 11. simp. in princ.* Quod autem totum corpus per cutim euacuent, Galenus dum esset adhuc iuuenis, in Asia in quodam Elephantia laborante expetientia comprobauit. Is enim vinum, in quo vipera mortua, & suffocata fuerat, ebibens, admirandum in modum sanitati restitutus est. Nam tuberosum illud omne cutis totius non aliter, quàm animalium, à testarũ mollitie nuncupatorum malacostracon, tegmen decidit. Quod autem reliquum erat, molle admodum apparuit, instar cutis cancrorum, & locustarum, vbi extima testa fuerit detracta. Idem prorsus vinum duobus alijs sanitatem attulit, vt idem refert. In alio verò, qui in morbi versabatur principio, Galeni studium fuit, vt illum quam celerrimè sanitati redderet. Quocirca misso sanguine, & atra bile medicamento detracta, viperis, quas ille capiebat, vti iussit præparatis in olla anguillarum in modum. Et ille sanatus fuit, euapotato per cutem affectu. Alius item opulentus quotidie medicamen bibens, quod ex viperis conficitur, forisq; corpus inungens, non multò post morbus ei in lepram abijt, rursumq; & hoc pathos alijs medicamentis curatum est. Viperarum enim caro adeo ingentem obtinet desiccandi vim, vt quidam eam edentes vehementissima cruciati sint siti. Mediocriter autem excalfacit, & valenter digerit. Properat autem, vt videtur, vis eius ad cutem, per eam scilicet quæ in corpore sunt recrementa exigens. Quibus ergo affatim est mali succi in corpore, ijs ingens prouenit pediculorum numerus, & à cute ceu squama abscedit, ac decidit extima cutis, epidermis dicta, ad quam sistuntur, & retinẽtur crassi, terrosiq; humores ad cutem protrusi, à quibus quidem psoræ, lepræ, & elephantes nascuntur. *Gal. 7. simp. serm. prop.* Bonum etiam Elephanticorum remedium, vt Gal. scribit, est calamintha, quam nepithã vocant: non eo tantũ, quod strenuè tenues humores digerat; verum etiam quia extenuet, & incidat valenter crassos, qui talem morbum procreant. In corpus enim intrò assumpta tum ipsa per sese sicca, tum etiam in melicrato perspicuo calfacit; & sudores ciet, omneq; corpus tum digerit, tum exsiccat. Qua ratione ducti quidã ipsam contra corporis concussiones, rigoresq; per circuitum repetentes adhibuerunt: Foris *Gal. 2. in 6. Epid. com. 4.* quidem oleo incoctã toti corpori inungentes, cum frictione non segni, intrò verò assumentes, sicut dictũ est. Idem pariter Gal. in elephanticis, ad duram crassioremq; *Galen. 2. ad Glauc. 10.* ipsorum cutem emolliendam, molliores frictiones probat. In victus verò ratione, vt idem Gal. scriptum reliquit, ijs qui cancro laborant, succus ptisanæ abundanter

Ad Elephãtiam.

Victus ratio.

exhi-

exhibendus, & ferum lactis, & ex oleribus malua, atriplex, & blitum, & quando tempus tulerit cucurbitas, ipsis est vtendum: & piscibus petrosis, & auibus omnibus, exceptis palustribus. Quæ etiam in scirrhis conuenientia sunt, necnon in ijs, qui elephantiasi patiuntur. Omnia verò quę crassos, & melancholicos succos gignunt, sicuti sunt lens, caseus salitus, cochleæ, & alia cibaria, quæ in curatione melancholię, & in causis quartanę febris fuere proposita, eis omnino euitanda erunt. Vnde scribebat Gal. de lente ipsa verba faciens, quod qui largius hoc edulio vtuntur, elephantiasim, & cancros incurrunt. Siquidem crassa, siccaq; cibaria succo melancholico generando sunt idonea. In summa nedum in scirrho, & cancro, verum etiam in Elephantia attenuante victus ratione vti debemus. Quocirca aer subtilis, & purus maximè confert, sicuti è conuerso, qui in aere crassiori degunt, & aquis crassioribus vtuntur, internis scirrhis sæpe corripiuntur. Exceptis autem prædictis oleribus, & alijs, quę modicè refrigerandi, & humectandi vim habent, reliqua quę crassi succi sunt, & multorum excrementorum, omnino cauenda erunt: sicuti etiam legumina, carnes bubulæ, vinum nigrum, & crassum, & id genus alia. Panis sit triticeus probè coctus, ac fermentatus, & moderatè salitus. Vinum sit tenue, album, aut fuluum, vel rubrum, odoratum, & clarum. Sed in cancro & adusta atra bile aqua diluatur. Præter auium iam dictarum carnes, probantur vituli lactantes, capreoli iuuenes, anniculiq; verueces. quorum etiam iura conuenientia erunt. Oua pariter sorbilia eis concedenda erunt: & ex oleribus præter iam proposita, borago, buglossum, lupuli, lactuca, & consimilia. Quæ verò succum crassum gignunt, & omnino caueri debent, sunt leporina, caprina, hircina, & taurina caro, & omnes terrestrium animalium carnes, sale conditæ. ex aquatilibus cetacea omnia. ex oleribus potissimum brassica (quæ sola melancholicum sanguinem generare consueuit) necnon arborum germina, vbi vel muria, vel oxalme condiuntur. Panis quoque furfuraceus, & qui ex typha, vitiatisque seminibus paratur, succum melancholicum gignere aptus maximè est. Cauendum insuper est à retorridis, assis quoque & frixis vehementer exsiccatis, necnon salitis omnibus acidis, acribusque cibarijs, & condimentis, & id genus alijs, quę sanguinem excalfacere, & adurere valent. Vitare pariter oportet iram, mœstitiam, vigilias, solicitudines, & immoderatos tum animi, tum corporis motus, & vehementes exercitationes: E conuerso lætitia, gaudium, & animi tranquillitas, maximoperè expetenda. Nitendumque maximè est, vt vel sponte, vel arte, & mollibus clysterijs, aut, dum vrget necessitas, passulis, aut prunis Damascenis cum sena præsertim præparatis, venter aut quotidie, aut saltem alternis diebus deijciat. Et hæc victus ratio nedum in scirrho; verum etiam in cancro, & elephantiasi conueniens est: Sed in cancro particulariter alimenta aliquam refrigerandi, & humectandi vim habeant, vti dictum fuit, & tenuem succum gignant, qualia sunt superius proposita. Quod si caliditas effatu digna, citra febrem tamen in laborante particula adfuerit, lac bubulum, à quo butyrum fuerit extractum, vel serum lactis, tuto offerri potest. His de morbis externis exaratis, D. T. O. M. clementer adiuuante, nunc secundam huius operis partem aggrediamur, atque externa symptomata prosequamur.

Galen. t. de alim. facult. cap. 18.

Finis Partis Primæ de Morbis externis.

INDEX
LOCVPLETISSIMVS
RERVM ET SENTENTIARVM
MEMORABILIVM,

QVAE IN HAC DE OMNIBVS EXTERNARVM partium affectibus prima Parte continentur:

In quo numerus folium, a. primam; b. ſecundam paginam folij; P.M.F. tres æquales paginæ partes, P. ſcilicet Principium, M. Medium, F. Finem demonſtrat.

A

INDEX.

Agglu-

INDEX.

INDEX.

Aurium

per

quæ

INDEX.

D

I N D E X.

Durities

I N D E X.

INDEX.

INDEX.

F

Fistulæ

INDEX.

Fracturæ

G

H

Herpetis

INDEX.

Hydrom-

INDEX.

Nn Instru-

L

Ononidis

INDEX.

P

Q

R

Repri-

T

INDEX.

INDEX.

V

Venenosa

Viscera

Vlcerum

INDEX.

Vulnus

INDEX.

FINIS INDICIS PRIMAE PARTIS
DE AFFECTIBVS EXTERNIS.